Bibliothèque numérique
medic@

Hippocrate / Valles, Francisco / Vallesius / Gaudé, Samuel (éd.).
Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] de morbis popularibus nunc primum in Galliis excusa... nonnullisque additis scholiis, opera... S. Gaudei,...

Aureliae : apud C. et J. Borde, 1554.
Cote : 29

BIUM

(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?00029

FRANCISCI VALLESII COVARRVBIANI

PHILIP. II. HISPANIARVMREGIS
ARCHIATRI ET A CVBICVLO MEDICI

COMMENTARIA,

IN SEPTEM LIBROS HIPPOCRAT

DE MORBIS POPVLARIBVS,

NVNC PRIMVM IN GALLIIS EXCVSA,
multóque quàm anteà emendatiora, textu Hippocratis ad Græcum exemplar recognito, & innumeris erroribus repurgato, nonnullisque additis Scholiis,

Operâ & ſtudio S. GAVDEI Aurelij Doct. Med. Monſpelienſis, & in collegio Medicorum Aurelianenſium Aggregati.

CVM INDICE RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMO.





AVRELIÆ
Apud CLAVDIVM ET IACOBVM BORDE
In Clauſtro Sanctæ Crucis.

M. DC. LIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

©BIUM





ILLVTRISSIMO VIRO D
DOMINO FRANCISCO
DE BEAVHARNOIS
CHRISTIANISSIMI REGIS
IN SACRATI CONSILII
CONCESSV CONSILIARIO,

Nec non in Aurelianenſi curiâ Præſidi, totiuſque prouinciæ Generali Præfecto, Iudici ſemper integerrimo, D. de la Grilliere &c.

Obſequia cum votis offert S. GAVDEVS Doct. Med.



Vmanis pectoribus (VIR ILLVSTRISSIME) Vel minima generoſæ indolis ſtrictura micantibus inſitum eſt, & penitùs radicatum, vt ſtudia laborésque ſuos ad publicam dirigant vtilitatem, & Spartam quam nacti ſunt adornare conentur. His impulſus ſtimulis, nonnullum medicæ arti quam profiteor incrementum acceſſurum, auidíſque doctorum medicorum deſideriis ſatisfacturum putaui, ſi Franciſci Valleſij commentaria in libros Epidemiorum, eáque terſiora & paulò auctiora Gallici iuris facerem, atque hos Medicinæ ſacros latices, in Hiſpania quidem ſcaturientes, noſtras

©BIUM

nunc in Gallias deriuarem. Quid enim ad eius maiestatem magis comparatum excogitari potest quàm ex varia tempestatum constitutione, morborum qui deinceps grassaturi sunt naturam habere perspectam? Quid ad medicam praxim dirigendam vtilius, quàm eam in exemplis docere, & vniuersalia Theoremata particulari morborum curationi feliciter applicare? Tanta est huius methodi necessitas, vt satis admirari non possim, raros admodum fuisse in hoc feracissimo mentium defæcatarum sæculo, qui in ea excollenda Hippocratem sequerentur ducem, & in ipsius libris enarrandis desudarent. Multi quidem vnum aut alterum librum explicârunt, quasdam historias explanarunt & velut ἀποσπασμάτιον quoddam emiserunt. Solus Vallesius vir doctissimus, suo etiam tempore Clarissimus hanc perfregit glaciem, primus hos calles attriuit salebrosos, omnésque libros iustis illustrauit commentarijs. Verùm illius vices non dolere non potui, qui Typographorum infelices manus hactenus expertus est, ab ijsque adeò infuscatus, vt multùm ipsi de natiuo decesserit splendore. Quapropter illum crassiori squalentem situ detergere, pristinóque nitori restituere conatus sum, priusquàm delicatioribus Gallorum oculis subijceretur. Hunc qualemcunque laborem (VIR ILLVSTRISSIME) has studiorum primitias nomini tuo consecrare ausus sum, debui procul dubiò ex veteris clientelæ nexu, hanc grati animi significationem tua erga me beneficia expostulant, nec veritus sum, ne munus dignitati tuæ impar offerre, aut ex ære alieno debitum soluere viderer, dummodò (cùm pretiosiora pro tempore non suppeterent) studium erga te meum & constantem in tuî obsequio perseuerantiam testarer. Verùm mea sunt quodam modo molimina, quæ hic primus, atque emendatiora profero, nec quicquam quod ad artes & scientias pertineat, à te alienum credo, quem noui feruentissimum earum cultorem, doctrinámque fouere stipatam virtutum omnium caterua, quæ te cumulatissimè asserunt in munus & honorem parentis. Spondet igitur innata tibi humanitas, & pronus in literas fauor, leuidense istud meæ erga te obseruantiæ τεκμήριον te benigna fronte excepturum, imò & properante animo cunctantium votorum verecundiam præuenturum. Vale.

©BIUM

PRÆFATIO
TOTIVS OPERIS.

EX operibus Hippocratis quædam præcepta continent, velut libri aphorismorum, & prædictionum, & de ratione victus, & quidam alij: quędã solùm obseruationes, velut hi libri, quorum enarrationem modò aggredimur: nulla enim præcepta continent, sed narrationem solùm eorum, quæ Hipp. fieri circa multos ægrotos obseruauit, itaque author hîc agit historicum non præceptorem. Nimirum cùm ars medica ex philosophia & experimentis nascatur, perfectissimè videtur mihi hanc artem tradidisse, seorsum scribens de natura rerum omnium, præcipuè verò hominis: & de morbis, seorsum suas obseruationes, atque deinceps enucleatissimas sententias. Scripsit .s. & artis præcepta & principia ex quibus ea nata sunt, verùm quia præcepta non capi debent, ex his quæ cuidam homini aut paucis quibusdam, sed multis euenerunt, consentaneum fuit tempestatum insalubrium, in quibus fuerunt morbi communes multis hominibus, præcipuè meminisse, vnde etiam acceperunt nomen libri ἐπιδημιῶν siue de morbis populariter vagantibus. Nam tempestatibus salubribus accidere solent morbi rari, nulla enim adeò salubris est tempestas, vt nullos ægrotos habeat, sed quæ non est morbosa, habet raros: in insalubribus accidunt multi. Morborum quidam vocantur ab Hippocrate communes, quidam sparsim grassantes: communes sunt, quum omnes, aut plerique, ijque omnis naturæ & sexus, eodem morbi genere capiuntur: sparsi quũ varij homines variis morbis ægrotant: At qui sunt communes, aut regionis vrbisve naturam sequuntur, vocanturque ab Hippocrate Endemij, à nobis patrij aut vernaculi: aut sequuntur aliam causam, & vocantur Epidemij, siue populares. De morbis vernaculis, in libello de aëre locis & aquis, videtur mihi satis scripsisse, de sparsis in libris de morbis; in hoc opere de his omnibus agit, vt in ipsius operis decursu patebit, præcipuè verò de Epidemiis, quos nasci ex causa communi in libris de natura humana, & de flatu dicit Hipp. sparsos verò, non ex causa communi, sed ex cuiusque victu, in quo nihil potest esse omnibus regionis aut vrbis incolis commune præter aërem, non enim cibus, aut potus, aut somnus, aut vigilia, aut motus corporis, aut passiones animi, aut otium, aut venus, quia nulla re tali vtuntur omnes pariter, sed est suus cuique mos. Aëre verò vtcumque affecto omnes vtuntur eodem. Atque ita cùm aër putris est morborũ causa, epidemiales fiunt nunc magis nunc minùs mortiferi, vt deterior aut minùs mala putredo irrepsit in aërem. Victus facit tempestates insalubres, morbis tantùm vagantibus sparsim, atqui hoc genus insalubriũ tempestatum dicit solere accidere per caritatem annonæ, coactis hominibus prauo victu vti. Accidit quidem in his quoque tempestatibus, genus aliquod morbi commune esse præ aliis, quoniam euenit multos eodem modo errare in victu. Nullum verò esse morbi genus omnino commune hinc perspicies, quòd diuites & qui etiam in caritate annonæ cibis abundant, non adeò capiantur talibus morbis. Quòd si malum post caritatem annonæ adeò serpat, vt arripiat multos omnis naturæ, putandum est morbos

©BIUM

ſparſos in populares iam migraſſe, quod quidem fit, vel inquinamentis multorum ægrotantium aërem iam inficientibus, vel intemperie aeris, quæ fruges ſuſtulit, morbos afferente. Popularis tamen & commnis morbus non anteà eſt, quàm ſit cauſa in aëre. Nam ſiue frumentum putruerit, ſiue aquæ fontis venenatæ ſint, non eſt cauſa neceſſaria, & omnibus communis. Quidam enim eam euitabunt, aquam integram aut frumenta imputrida aſportantes ſibi, aërem verò nullus in oppido agens deuitare poteſt. Quare aër morbos parit omnibus communes, fortunis, naturis, ætatibus, ſexibus. Quamquam neque hic opus ſit, vt omnes æquè lædat. Nam occurrũt tempeſtates epidemiales quibus maximè ſenes, aliæ quibus maximè pueri, alię quibus iuuenes maximè læduntur. Nimirum quamquam omnes tempeſtates, quibus morbi epidemiales fiunt, aëris affectionem coniũctam habeant, non tamen omnes eandem, ſed variæ tempeſtates varias pariunt affectiones Quæ quidem variæ ſunt, nunc differentia effabili, vt ſi in hac tempeſtate eſt aër iuſtò ſiccior, in illa iuſtò humidior: nunc ineffabili, velut in varijs peſtilentiæ generibus accidere ſolet, inde enim naſcuntur peſtilentiæ genera longè diuerſa, nunc cum bubonibus, nunc cum vlceribus, nunc cum maculis: ex maligna quidẽ aëris putredine omnia producũtur, ſed vario putreſcendi modo, eóque indicibili. Illæ igitur variæ aeris affectiones, ſiue effabiles ſint, ſiue ineffabiles, ſi magnæ ſint, omnibus hominibus ſunt noxiæ (nulla enim natura gaudet extrema aliqua infectione aeris) tamen non omnibus pariter; ſed habent cum quibuſdam naturis, ætatibus, aut ſexibus ſympathiam, hanc etiam effabilem aut ineffabilem, Et quoniam longè maior differentia eſt diuerſorum animalium, quàm diuerſarum ætatum hominis, hæ ineffabiles differentiæ faciunt, vt quædam peſtes, hæc animalium genera inficiant, aut non inficiant, vt docet ipſemet Hippo. libello de flatibus. Dixi ſi magnæ ſint affectiones, non ob putreſcentias (putredo. n. aeris, ſiue magna ſit ſiue parua, omnibus hominibus plus aut minus eſt noxia) ſed ob intemperies, hæ enim ſi non ſint magnæ, non pariunt morbos communes, ſed illis hominibus proprios, cum quibus ea intemperies habet ſympathiam. Velut ſiccato aere mulieres & humidi viri ſalubriter degunt, bilioſi ægrotant, atque ita conſtat non omnes morbos qui ab aere procedunt eſſe communes, omnes autem communes eſſe ab aere. At qui quoniam ab aere naſcuntur, cùm inſalubrem tempeſtatem narrat Hipp. totus in eo eſt, vt deſcribat quo pacto fuerit affectus aer à ventis & pluuijs. His enim maxime afficitur, velut mox in ipſo operis initio videre eſt. Ego concedente Deo, eam commentariorum rationem obſeruabo, vt explicata narratione ſingulorum cauſas addam; tu interim memoria retine omnia quæ in hac prefatione à me dicta ſunt.

©BIUM

FRANCISCI VALLESII COVARRVBIANI,

IN SCHOLA COMPLVTENSI PROFESSORIS PRIMARII,

ET PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS ARCHIATRI.

COMMENTARIA,

In libros Hippocratis de morbis populariter vagantibus.

LIBER PRIMVS.

Sectio Prima, ſiue conſtitutio temporis Prima.

IN Thaſo Autumni tempore circa Æquinoctium & ſub Pleiadas pluuiæ acciderunt multæ, continuæ, & molles, vt flante Auſtro eſſe ſolent. Hyems Auſtrina fuit & raros habuit ventos Aquilonares, qui magnam ſiccitatem inducebant, ac in vniuerſum hyems veri ſimilis fuit. Ver autem Auſtrinum & frigidum fuit, & paruas habuit pluuias. Æſtas magna ex parte nebuloſa fuit & ſine plũuiis: Eteſiæ parùm, tenuiter, & diſperſim ſpirauerunt.

CVM ſint duo Æquinoctia, vernum & autumnale, hic ex adiunctis ſatis conſtat autumnale intelligere Hipp. cum dicat, autumni tempore, & circa Æquinoctium. Quod dicit & ſub peiadas, haud dubiè perinde eſt ac ſi diceret, vſque ad occaſum (intellige verò Hippocr. ac proinde etiam nos de coſmico ortu aut occaſu ſignorum loqui) pleiadum. Nam per pleiades indicatur ſydus quoddam locatum in tauro, quod oritur circa finem Aprilis, & occidit circa initium Nouembris.

A Nõ potuit tamen tempeſtas illa multarum aquarum continenter cadentium durare ab Æquinoctio autumni vſque ad ortum pleiadum, nam hyems (quæ hoc tempore continetur) ſine aquis fuit. Ergo intelligit accidiſſe pluuias multas, continentes, & molles à principio Autumni vſque ad occaſum pleiadum. Id tempus eſt ferè duorum menſium, Septembris, & Octobris. Hoc tempore accidiſſe dicit pluuias multas. Intelligit verò non confertas ac copioſas (tales enim vocare ſolet largas) ſed numero multas, hoc eſt, ſæpe cadentes. Pluuias verò continétes, hoc eſt, non ſæpè interciſas, ſed longiuſculas. Dicit etiam molles, & vt explicet quas vocat molles, addit, vt flante Auſtro eſſe ſolent. Nimirum flante auſtro ſolẽt cadere pluuiæ quædam blandę, ſine frigore atq; B vllo rerum rigore, ſed placidæ & ſine impetu vehementi aut ſtrepitu, tales ſunt molles pluuiæ. Itaque duobus illis menſibus hoc modo pluebat. Sed cur cùm duos hos menſes deſcripſiſſet, addidit ſtatim, hyems auſtrina? An intermiſit menſem vnum? videtur enim, ſiquidem autumnus, hyems, ver, & æſtas ternos habent menſes, & quatuor his temporibus æqualibus duodecim menſium annus conſtat: prætermiſit ergo Hipp menſem Nouembris, ſi hyems non incipit ante ſolſtitium hyemale, quod fit menſis Decembris exactis aliquot diebus. Sed non prętermiſit. Non enim Hipp. diuidit quatuor anni tempora vt Aſtrologi, qui rationem habent Solſtitiorum & Æquinoctiorum:

©BIUM

neq; vt grammatici, qui numerant menſes: ſed vt medicum decet, rationem habens mutationum, quę in aëris temperie contingunt, nimirum nobis tempus quod inſignitè frigidum & humidum eſſe ſolet, eſt hyems: quod calidum & ſiccum, ęſtas: quod temperatum, ver: quod inæqualiter calidũ & frigidum atque ſiccum, Autumnus. Quiuis verò videat has differentias temperiei non reſpondere partitioni aſtronomicæ, aut grammaticæ. Nam menſe Nouembris non minùs friget aër quàm menſe Februarij, imò verò fortaſſe aliquantò plꝰ: neq; minùs calet menſe Maij quàm Auguſti, neque ergo per menſem Maiũ durat vernalis mediocritas, neque per Nouembrem autumnalis. Quare meritò Hipp. adiungit menſem Nouembris hyemi: æſtati verò Maium, facitq; ver & autumnum, menſium binorum; hyemẽ & ęſtatem, quaternorum. Incipit enim apud Hipp. autũnus ab exortu arcturi, finitur occaſu pleiadum. Hinc incipit hyems, quæ durat vſq; ad Æquinoctium vernũ. Hinc incipiens durat ver vſque ad ortum Pleiadũ. Hinc incipit æſtas, cuius prima pars eſt vſque ad ortum Canis, qui Compluti fit 19. Iulij: ſecunda pars eſt ab hoc ortu vſq; ad ortum Arcturi. Hanc partitionem ſcripſit idem Hipp. lib 3. de diæta dicens. Annum certè in quatuor partes diuidunt, quas omnes ferè nouerũt, hyemem, ver, æſtatem, & autumnum. Et hyemem quidem, à pleiadum occaſu vſque ad ęquinoctium vernum: ver autem ab ęquinoctio vſque ad pleiadum exortum; ęſtatem verò à pleiadum ortu vſque ad ortum arcturi: Autumnum ab arcturi ortu vſque ad pleiadum occaſum. Eandem partitionem ſecutus eſt Plinius, qui libro 18. c. 29. ita ſcripſit, ortus vergiliarum ęſtatem inchoat, & occaſus hyemem. Ab ortu Caniculæ flant venti, qui vocantur Eteſiæ, qui vt Ariſt. 2. meteororum c. 5. dicit, ſunt aquilonares, flãtes interdiu, ceſſantes noctu, quia generantur illis diebus exuſtâ terrâ, & geminato calore Solis & Caniculæ. Ceſſant ergo noctu ceſſante vſtione. Fumigat verò illis diebus Septentrionalis plaga, quia illa retinet tunc quoque humorem, qui ad generandum fumum eſt ſatis. Eteſiæ igitur hi venti ſunt, & his diebus flant. Quamquam Plinius & plerique Aſtronomi à Prodromis vocatis diebus (ſunt hi octo ante Canem) incipere dicunt. Mihi videtur hic Hipp. non aliter ac Ariſtot. intelligere nomine Eteſiarum ventos flantes poſt Caniculæ ortum, quandoquidem magnam æſtatis partem deſcripſerat, antequàm Eteſiarum mentionẽ faceret. Sed redeo ad hyemem. Hyems, inquit, auſtrina fuit & raros habuit ventos Aquilonares, qui magnam ſiccitatem inducebant. Et in vniuerſum hyems veri ſimilis fuit. Sed ſi auſtrina fuerit hyems, quo pacto flauerunt venti Aquilonares? aut quo pacto fuerunt εὖχυροι? aut ſi hi fuerunt, quo pacto fuit hyems tota viri ſimilis? Certè non ſimul fuit hyems Auſtrina, & Aquilonia ac ſicca (neque enim potuit) ſed diuerſis temporibus. Narrat vero Hippocrates rem velut eſt acta, prima hyemis pars eaque maxima fuit Auſtrina, extremo menſe hyemis, Februario ſcilicet, flare cœperunt Aquilones, non hi quidem magni, ſed quia tota hyeme non pluerat, potuerunt facilè ſqualorem facere. Atqui ſi quis interroget, qualis fuerit extrema hyems, Aquilonarem dicemus: ſi verò nullius partis mentione facta, quis iubeat reſpondere, qualis fuerit hyems, reſpondebimus, quod & Hipp. in vniuerſum hyems hoc eſt tota ſimul hyems veri ſimilis fuit; Scilicet eo anno haud fuerunt magna frigora. Ver dicit fuiſſe Auſtrinum & frigidum, additque, & pluuias habuit paruas, rarum eſt Auſtrinum eſſe & frigidum. Quia flante hoc vento: ſolent remittere frigora, rarum quoque parùm pluere. Nam in tota Europa (eſt vero Thaſus in Europa) flante Auſtro ſolent eſſe frequentes pluuiæ. Cæterum etſi rarũ ſit, ſic tamẽ accidit: ęſtas magna ex parte fuit plena nubibus, tamen non concreſcebant in pluuias. Eteſiæ flauerunt parum & tenuiter, paucis ſcilicet diebus, & non vehementer. Flabant διαπαμένως. hoc eſt nunc hac, nunc illac. Vnde intelligo Hippocratem deſcribere modò tempeſtatem, quæ fuit non in vrbe Thaſo vocata, ſed in tota inſula, quæ etiam ita appellatur. Conſtitutio itaque huius anni hæc fuit, morbi verò qui ſequuntur.

CVm autem vniuerſa hæc conſtitutio ad Auſtrina vergeret, ſed cum ſiccitatibus, ante ver quidem, quòd prior conſtitutio ſubcontraria & Borealis fuerit, paucis acciderunt febres ardentes, eæque omnino blandæ & mites, & paucis fluxus ſanguinis è naribus accidit, neque ex his moriebantur. Multis autem circa aures tumores in alteram partem vergentes contingebant, & in vtramque plurimis ſine febre erectè ambulantibus, quibuſdam etiam parùm incaleſcebant, ſed omnibus ſine noxa extincti ſunt, neque cuiquam ad ſuppurationem peruenerunt, velut ij qui ex aliis cauſis ortum ducunt. Illi autem erant naturâ laxi, magni, diffuſi, inflammationis & doloris expertes omnibus ſine vlla ſignificatione euaneſcebant. Accidebant autem hæc adoleſcentibus, iuuenibus, ætate florentibus, & horum plurimis qui in palæſtrâ & gymnaſiis exercebantur, mulieribus verò paucis contingebant. Multis tuſſes ſiccæ accidebant, quibus nihil expectorabatur, nec multò poſt voces rauceſcebant. Quibuſdam autem poſt aliquod tempus inflammationes cum dolore in alterum teſticulum vergebant, quibuſdam etiã in vtrumque. Quibuſdam febres aderant, quibuſdam non. Plurimis hæc moleſta fuerunt, in cæteris verò quæ ad Medicum opificium ſpectant, ſine morbo degebant.

Cùm incepiſſet aëris temperiem à principio autumni deſcribere, morbos tamen à principio veris incipit, eius ſcilicet veris, quod primum poſt illum autumnum ſecutum eſt. Atque cùm deſcriptionẽ temporis vſque ad æſtatis finem perduxerit, morborum narrationem vſque ad ſequentem perducit hyemem. Meritò quidem: nam veriſimile eſt, neque mox cum intemperie aëris incipere graues ob eam morbos (ſed tanto tempore poſt, quantũ ad permutanda corpora ſit ſatis) neq; mox ac tem-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 8 sur 489

peries aëris ceſſat, morbos ex ea natos extingui, ſed tantò plus durare quantò opus eſt vt corpora corrigantur. Cùm ergo (inquit) vniuerſa hæc conſtitutio ad Auſtrina vergeret, ſed cum ſiccitatibus, id eſt, cùm toto hoc anno flaret auſter, & non plueret. Dicitur verò vtrumque toto anno accidiſſe, quia vtrumque vix quadam anni particula defuit: nimirum autumni duobus menſibus ſolùm pluit, & vnico menſe hyemis flauit Boreas. Atqui ob huius particulæ hyemis ſiccitatem, dicit apparente iam vere quibuſdam, haud multis accidiſſe febres ardentes. Sunt hæ bilioſæ febres in genere tertianarum non intermittentium, has dicit fuiſſe blandas & mites, hoc eſt, non mali moris, neque inopinatum quicquam medico afferentes. Paucis accidiſſe fluxiones ſanguinis, quamquam multis per id febrium genus ſoleat fluere de naribus, ſanguine in ſuperna ob calorem rapto: denique fuiſſe ſalutares: neque ex his homines interijſſe. Aliis procedente vere circa alteram aut circa vtramque aurem facta dicit ἐπίμαλα, tales enim ſũt tumores laxi, magni, diffuſi, inflammationis & doloriſexpertes: multos verò non decubuiſſe ob hæc œdemata, ſed erectos obambulaſſe; quoſdam verò parum febricitaſſe: omnibus dicit extinctos tumores eſſe ſine alia noxa: neque enim ſuppuraſſe, vt tumores qui ex aliis cauſſis fieri ſolent (inflammationes ſcilicet quæ ex ſanguine generantur, aut œdemata quæ ex alia craſſiori pituita, aut etiam nonnunquam ſcirrhi, qui ex melancholico ſanguine) ſedeuanuiſſe inſenſibili reſolutione. Hæc ait accidiſſe viris & agentibus ætates calidas, & exercitatis, mulieribus verò paucis, aut frigidas ætates agentibus, aut degentibus in otio. Aliis etiam multis hoc ipſo tempore dicit accidiſſe tuſſes ſiccas, quas vocet tuſſes ſiccas explicans, addit quibus nihil expectorabatur, & non multò poſtquàm tuſſi corripiebantur, voces illis rauceſcebãt. quibuſdam verò horum ipſorum etiã poſt quoddam tempus, poſtquam tuſſi laboraſſent, accidebant inflammationes cum dolore (veræ ſcilicet inflammationes) in alterum aut vtrumque teſticulum, quibuſdam cum febre, quibuſdam ſine illa. Plurimis quidem (inquit) hæ inflammationes laborioſæ erant dum durabant. Nimirum dolebant vehementer, in cæteris verò ἀνόσους διὼγον, hoc eſt non indigebant manu chirurgica, quia ſoluebantur ſine vſtione aut ſectione, deniq; omnino ſine ferro & igne. Hæc dicit acta toto vere Cauſas horum omnium mox dicemus. Tumoris teſticulorum ex tuſſi cauſam eſſe in ſympathia vocalium cum genitalibus, ſectione 1. lib. 2. dicit ipſemet.

Antequàm autem æſtas inciperet, & per æſtatem, & per hyemẽ, multi eorum qui iam à longo tempore aliquantùm corrumpebantur, tabidi decubuerunt, quinetiam multis ambiguè ſeſe habentibus tabes tunc confirmata eſt. Nonnullis autẽ primùm incepit, quibus natura in tabem vergebat, moriebãtur autem ex his multi, imò plurimi, neq; ſcio an quis ex decumbentibus vel modico tempore ſuperfuerit. Celeriùs autem moriebantur quàm iſta tranſigi ſolent, Alia enim & diuturniora & cum febribus coniuncta facilè tolerabant, nec moriebãtur, de quibus poſteà ſcribetur. Solus enim & maximus morborum qui tunc graſſati ſunt, multos peremit tabes. Horum autem plurimis tales erant affectus, febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino quidem non intermittentes, figuram autem ſemitertianæ obtinebant, vno quidem die leniores, altero autem inſuper ingraueſcentes, & ſemper acutius incrementum capientes. Sudores autem continui, ſed non per totum corpus, multa extremorum refrigeratio, quæ vix recaleſcebant, alui turbatæ bilioſa, pauca, ſincera, tenuia, mordacia deÿciebant, & frequenter aſſurgebant. Vrinæ autem erant tenues, & crudæ, & decolores, & paucæ aut craſſitudinem habentes & paruam ſubſidentiam, nec probè conſiſtentes, ſed cruda quadam & intempeſtiua ſubſidentia. Tuſſiebant autem exigua, denſa, concocta parùm ac vix excreantes. Quibus verò violentiſſima contingebant, his ne vel parua concoctio adfuit, ſed perpetuò cruda expuebant. Plurinis verò horum fauces ab initio & vſque ad finem rubræ cum inflammatione dolebant, fluxiones paruæ, tenues, acres accidebant, celeriter conſumebantur, & malè ſe habebant, omnium ciborum faſtidio vſque ad finem tenebantur, nec ſitiebant, & prope mortem multi delirabant. In tabificis ergo affectibus hæc contigerunt.

Si modò morbos totiùs æſtatis & autumni & hyemis ſermone complectitur, quo pacto paulò poſt facit tranſgreſſionem ad morbos autumni, quaſi de ſolis morbis æſtatis dixerit? ſin minùs cur dicit modo, antequàm æſtas inciperet, & per æſtatem, & per hyemem? certè nunc dicere incipit de morbis, qui in fine veris inceperunt, & vſque ad vltimam æſtatis partem durauerunt; ſed quia vt procedente ſermone patere poterit, fuerunt illo anno duplices tabes, & extinctis his qui in prima æſtate ſunt facti tabidi, ſubcreuerunt aliæ tabes minùs lethales, quorum multæ per hyemem totam productæ ſunt. De tabidis incipiens dicere, dixit per æſtatem, & ad hyemem multi tabidi ſunt facti. Atqui, quia alij morbi præter tabes ſubcreuerunt ſecedente iam æſtate, finito ſermone de prima deterrimáque tabe, ad morbos vltimæ æſtatis & autumni & hyemis tranſgreſſus eſt. Ergo inquit multos eorum qui nondum decubuerant, ſed ſuperiori tempore corrupti erant, hoc eſt in thoracibus corruptionem cœperant contrahere, ex diſtillatione (hi erant tuſſiculoſi) tunc cum tabe decubuiſſe: atque his qui ambiguè habebant, hoc eſt, quorum tabes latebat adhuc (nam ſemper tuſſicula illa diutiùs durante quædam tabis ſuſpitio eſt, ſi ſimul videantur præter rationem extenuari) tunc primùm apparuit manifeſtè. Quibuſdam etiam dicit incepiſſe primùm, hoc eſt prius, cum ſcilicet aliis cepit tuſſis incepiſſe quibuſdam apertam tabem, his ſcilicet quorum natura vergebat ad tabem. Tales vocantur

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 9 sur 489

©BIUM

homines quibus thorax eſt anguſtus, & ſpatulæ eminentes alarum modo, & caput fluxionibus opportunum. Ex his facile conſtat, non eſſe probandam Gal. ſententiam qui putat, verba) hæc quibuſdam primum incepit, his natura vergebat ad tabem (interpoſita eſſe errore librarij, nec genuina Hippocratis. Non enim dicitur (vt ille intelligit) eos quibus natura vergebat ad tabem nunc primùm cepiſſe tabeſcere, antè nunquam læſos, ſed vt ego explicui, cepiſſe primùm tabeſcere, cùm alij tuſſi ſolùm corriperentur. Citaſſe etiam Galenum hæc verba falsò in commentariis Aphoriſ. corrupiſſeque alio loco indicaui. Sed redeo ad Hipp. Explicans quam periculoſa fuerit hæc tabes dicit, moriebantur citiùs quàm ſolent hæc tranſigi. Hoc eſt, citiùs etiam moriebantur quàm ex tabe mori ſolent homines. Nimirum ex tabe pauciſſimi euadunt, ſed tamen ægrotant longiuſculè antequàm moriantur. Cùm enim tabes non ſuccedit morbo acuto, ſed à principio fit, vel ex catarrho, ſolet durare quæ breuiſſima eſt, annum integrum. Nam aliam dicit ipſemet Hippo. lib. de internis affectionibus, quæ tres annos durat, aliam quæ etiam nouem. Verùm hæ tres ſpecies tabis ſunt, quæ non fiunt ex morbo acuto: quæ ex morbo acuto fit, vt ex peripneumonia, pleuritide, aut inflammatione viſceris cuiuſuis, quum longiſſimè, interimere ſolet intra quatuor mẽſes. Hæ verò quę hac tempeſtate acciderunt, etiam citiùs interemerunt. Nam inclinante vere cæperant, & plerique ante æſtatem mediam mortui ſunt. Quod tẽpus vix duorum menſium eſt. Itaq; dicit, ex multis morbis qui tunc fiebant, ſolam tabem multos homines interemiſſe, hoſq; citiùs ſolitò. Nam alios (inquit) morbos & diuturniores, & cum febribus coniunctos, de quibus ſcribetur ſtatim, meliùs ferebant, & euadebant. Sed dubitare continget hoc loco, cur dicat Hippoc. morbos, de quibus mox ſcribetur, fuiſſe diuturniores, & cum febribus coniunctos, quaſi tabes breuior ſit quàm febres, quarum longiſſimæ vix per alteram anni partem protractæ ſunt: atque quaſi tabes hæc ſine febre fuerit, quæ non tantùm habuit hecticam, vt alioqui ſolet, ſed etiam ſemitertianas, vt mox dicet. Verùm intelligi debet, non ſimpliciter illos morbos longiores fuiſſe tabe, quæ vt paulò antè diximus annum integrũ durare ſolet quum eſt breuiſſima, ſed duraſſe illos morbos diutiùs, quàm tabes quæ hac tempeſtate graſſata eſt, quia tabidi interierunt citiùs. Illos morbos etiam dicit fuiſſe coniunctos cum febribus, quia aut ipſimet erant febres morbi, aut ex febribus fiebant; tabes verò non ex febre fit ſed eam potiùs facit, aut cum ea complicata eſt, velut hæc tabes cum ſemitertiana. Erant (inquit) plurimis horum tales affectus, febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes. Obtinebant autem figuram ſemitertianę, vna quidem die leuiores, altera autem inſuper ingraueſcentes. Meritò quidem huiuſmodi ſunt febres ſemitertianæ, quia cùm ex quotidiana & tertiana compoſitæ ſint, altera die habent duas exacerbationes. Gal. ex hoc loco colligit, non dictam fuiſſe ab antiquis ſemitertianam quamcumque ex quotidiana & tertiana compoſitam, ſed eam ſolùm quæ continua, & acuta, & horrida ſit, eam verò ex quotidiana continua, & intermittente tertiana conſtare. Ego verò nihil moror, ſi quis velit dicere, quatuor eſſe ſemitertianarum ſpecies, continuas tres, quum ſcilicet continua eſt vtraque aut altera; vnam intermittentem, quum vtraque eſt intermittens. Hippocrates enim non intendit definire quæ ſint ſemitertianæ febres, neque hic erat locus, ſed refert quales ſemitertianæ illa tempeſtate cum tabe coniunctæ fuerint. Ego nihil minùs volo, quàm extorquere ab authoribus pluſquàm illi dicere volunt. Reliqua in tota narratione ſunt parùm obſcura. In vrinis vocat ſubſidentiam intempeſtiuã, eam quæ fit antequàm coctus ſit ſuccus, velut in pituitoſis morbis accidere ſolet. Solet enim fieri ex ſucco crudo, morbo etiam incipiente, quiddam bonæ ſubſidentiæ ſimile, quod adeò ſimile eſſe ſolet, adeóque incautis medicis imponere, vt appoſitè Hippoc. conſideret, non ſolùm an candida & læuis ſit, ſed etiam an tempeſtiua. Hoc enim ſigno appertiſſimè diſtinguetur cruda à bona ſubſidentia. Cùm enim ex aliorum omnium ſignorum concurſu conſtet morbum in principio eſſe, conſtat non eſſe ſubſidentiam benè concoctam. Sputa dicit fuiſſe cocta parum, craſſa, & denſa. Ego intelligo dici cocta parum, non quòd cocta verè ſint, ne tantillum, ſed quòd coctis hactenus ſimilia, quòd craſſa. Verùm eam craſſitiem vſtione non coctione comparatam eſſe ſatis conſtat, ſiquidẽ ſputa ſunt illa rotunda, de quibus in prognoſtico ſcriptum eſt, & quæ Hippoc. ipſe 6. epid. dicet delirium prænunciare. Fauces ſunt partes oris inter gulam & laryngem, erant multis illorum, vt ex deſcriptione patet, inflammatione Eryſipelatode affectæ.

AD æſtatem verò & Autumnum febres multæ, continuæ, non vehementes acciderunt, diu autem ægrotantes detinuerunt, qui in cæteris moleſtè ſeſe non habebant. Alui plurimis admodum placidè conturbatæ ſunt, nec quicquam effatu dignum leſerunt. Vrinæ plurimis quidem probè coloratæ & puræ, ſed tenues erãt, & tandem circa iudicationem concoctæ. Non valdè tuſſiebant, nec moleſtè extuſſiebant, nec cibos faſtidiebant, quinetiam offerre omnino licebat. In ſumma quidem ſub ægrotabant tabidi non tabido modo, in febribus horrorem incutientibus parùm ſudabant. Quidam aliàs paroxyſmis erraticè corripiebantur, nec febres omnino deſinebant, ſed in tertianæ modum exacerbabantur. Hi autem quibus breuiſſimi erant morbi circa vigeſimam diem iudicabantur, plurimi circa quadrageſimam, multi autem circa octogeſimam. Quibuſdam autem non hoc modo, ſed erraticè & ſine iudicatione deſierunt. Horum autem plurimis febres quæ non per multum tempus deſierant, rurſus reuertebantur, ex recidiuis verò in iiſdem periodis iudicabantur, multis autem eorum adeò producebantur, vt ſub hyemem ægrotarent. Ex omnibus autem qui in hac conſtitutione ſub-

ſcripti ſunt, ſolis tabidis lethalia acciderunt, in aliis verò febribus non contigerunt.

Hic deſcribit æſtatis vltimæ, & autumni, & hyemis morbos. Quo loco intelligebant quidam enarratores non dici aliòs morbos à prioribus diuerſos, ſed de eiſdem tabidis eſſe adhuc ſermonem: & illud vnum dici, quomodo inclinante iam æſtate habere cœperint tabidi. Gale. contrà putat ad alios morbos fieri tranſgreſſionem miſſis tabidis. Nam quod primò dicitur, haud poſſe ad tabidos referri dicit, quod verò deinde dicit, in ſumma quidem ſubægrotabant tabidi non tabido modo in febribus horrorem incutientibus, putat per errorem ſcriptorum ex margine fortaſſe eſſe inſertum. Ego verò non ita puto, neque enim eſt quod me cogat ita ſuſpicari; ſed Hippoc. hic deſcribere morbos, qui à declinante æſtate inceperunt, eos verò fuiſſe varios, magna ex parte febriculas quaſdam longas, quibus aderant accidentia quæ deſcribit, inter quæ quibuſdam tuſſes aderant cum excreatione facili. Rurſum etiam inter alios morbos, ſubcreuiſſe denuò tabes priorib⁹ ſimiles, mitiores tamen & ſalubriores. Quod vt ſignificaret, quaſi extenuatione vtens dixit; ὑπενόσεον οἱ φθινῶδεες, οὐ μὴν φθινώδεα πρόσω: his etiam dicit fuiſſe febres cum horrore, & ſudore ſed exiguo; atqui febrem pleriſque eſſe eiuſdem figuræ tertiano modo repetentem, aliis tamen alterius, & erraticas. Quod de iudicatione addit, ad omnes illos morbos qui varij fuerunt, referri debet. Nimirum illorum quidam iudicabantur vigeſimo, quidam quadrageſimo, vel circa quadrageſimum, quidam circa octogeſimum, quidam ſoluebantur paulatim, latenter, ἀκρίτως, καὶ παλιμβόως, hoc eſt incertis diebus, multi morbi poſtquam ſoluti videbantur, paulò poſt reuertebantur, durabantq; rurſum totidem dies, & eiſdem periodis iudicabantur. Quidam producebantur etiam per totam hyemem, hi morbi erant de quibus paulò ante dixit, alios longiores morbos, & cum febribus coniunctos facilè ferebant. Tota hæc conſtitutio ita habuit, & quod ad aëris mutationes & quod ad morbos attinet: Erit tamen operæpretium cauſas eorum quæ facta ſunt explicare, licebit verò hoc loco immorari, vt quædam ad totum hoc opus neceſſaria principia dicamus, hinc ſumpto principio. Cùm morbi qui quauis tempeſtate accidunt tales ſint; & cum talibus accidentibus fiant, non ob ſimplicem cauſam; ſed ob multarum concurſum, nequaquàm ſciri poteſt, qui ex quibuſuis tempeſtatibus nati ſint fieri, niſi in cauſas illas omnes reſolutio fiat, ſitque anteà perſpectiſſimum, quinam morbi familiares ſint cuilibet ſeorſum cauſæ. Cauſæ verò hic ſunt duplices, quędam quæ ad cauſam efficientem pertinent, hoc eſt ad ipſum aërem (monſtratum enim eſt prius communium morborum hanc eſſe cauſam) hæc ſunt, regio, anni tempus, pluuiæ, & ſiccitates, flatus, qui aut Boreales, aut Auſtrales ſunt: quædam quæ ad cauſam ſuſcipientem pertinent, hoc eſt ad ipſum apparatum, qui in hominibus ægrotaturis eſt. Hæ ſunt, naturæ propriæ illorum, ætates, & victus. Et in naturis, temperamenta, & compoſitio; in compoſitione quidam modi, cuius modi eſt is quem modò dicebamus in paratis ad tabem, & illæ præcipuè differentiæ, adſtrictio, & laxitas corporum. Qui morbi cuique harum cauſarum ſint proprij, alijs locis ſcriptum eſt ab Hippocrate, & à nobis explicatum, cuius rei breuis fiet nunc mentio. De naturis hominum generatim, illud ſciri expedit ſimiles in morbos ſimiles faciliùs incidere, difficiliùs in contrarios, calidos ergo in calidos, frigidos in frigidos. De ætatibus Hippoc. hæc in aphoriſmis ſcripſit, Per ætates hæc accidunt, paruis quidem & recens natis pueris aphthæ, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, timores, vmbilici inflãmationes, aurium humiditates. Iis qui ad tempus dentitionis accedunt, gingiuarum pruritus, febres, conuulſiones, alui profluuia, maximè quum edunt dentes caninos, & craſſiſſimis puerorum, & ijs qui duras aluos habent. Vbi ætate paulum proceſſerint, tonſillæ, vertebræ, quæ in occipitio eſt ad anteriora luxationes, aſthmata, calculi, lumbrici rotundi, & aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtrumæ, & alia tubercula, præcipuè verò prædicta. Grandioribus adhuc & ad pubem accedentibus, horum quidem multa, & febres chronicæ magis, & ex naribus ſanguinis fluxiones. Iunioribus ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & alij morbi, maximè autem prius dicti. Iis qui hanc ætatem exceſſerunt, aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides febres ardentes, diarrhœæ diuturnæ, choleræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides. Senibus accidunt difficultates ſpirandi, diſtillationes tuſſim afferentes, ſtillicidia vrinæ, difficultates vrinæ, articulorum dolores, renum mala, vertigines, apoplexiæ mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, ventris & oculorum & narium humiditates, hebetudines oculorum, glaucedines, difficiles auditus. Quod ad compoſitionem attinet, quacunque parte quiſque malè compoſitus eſt, ea eſt imbecillis, & proinde illius morbis opportunus. Velut qui anguſto eſt thorace, morbis thoracis: qui denſi ſunt corpore, inſalubriores ſunt, vt ipſe Hippoc. lib. de alimento ſcripſit, incidunt enim in omnes morbos ex putredine faciliùs, ſolùm externis cauſis quę ſola alteratione afficiunt, magis reſiſtunt quàm rari. Victus, ſi puros ab excrementis facit homines, ſalubres etiam facit: ſi impuros, ad tales morbos facit paratos, qualia ſunt excrementa quæ congeruntur. De regionibus lib. de aëre, locis, & aquis ſcriptum eſſe ab Hippocr. antea diximus. Quidam dicere auſi ſunt, regiones nihil facere ad morbos, neque Hippocratem hanc ob cauſam in initio narrationis dixiſſe in Thaſo, ſed ſolùm ſigni gratia, velut dixit Dromeadæ vxor, non quòd intereſſet aliquid eſſe Dromeadæ, aut Philini. Sed hi apertè falluntur. Nam ſi venti & pluuiæ aliquid faciunt, certè & regiones faciunt, cùm non omnes eiſdem ventis æquè expoſitæ ſint, neque æquè aſſiduis pluuiis, cumque aliis ſolum ſit aridum, aliis aqua redundans, quare ſit vt vni oppido, aut regioni eadem tempeſtas noxia, aliis ſit etiam vtilis. Velut quum anni conſtitutio eſt ſiccioribus vrbibus præ ſiccitate inſalubris, Complutenſes ob oppidi naturalem humorem ſolent ſalubriter degere, contrà humidioribus annis inſaluberrimè. Sed cur Hipp. non deſcripſit Thaſum, dicens ad quam partem mundi pertineat, & quem poſitum habeat? an ſatis putauit

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 11 sur 489

©BIUM

dicere in Thaſo, quaſi de nota prouincia ad notos ſuos & conterraneos diceret? velut ego modo ſatis putarem dictum Compluti, ſi quid huiuſmodi narrare vellem. Eſt verò Thaſus verſus meridiem, Thraciæ vicina, maritima, ac proinde temperata, paulò fortaſſe calidior. De anni temporibus ita ſcriptum eſt in aphoriſmis. Vere fiunt inſaniæ, & melancholiæ, & morbi comitiales, ſanguinis fluxiones, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tuſſes, & impetigines, & vitiligines & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulares morbi. Æſtate autem aliqui eorum, & febres continuę, & ardentes, & tertianę plurimę, & quartanæ, vomitiones, alui profluuia, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium putredines, & ſudamina accidunt. Autumno verò multi æſtiui morbi, & febres quartanæ, & erraticæ, & ſplenes, & hydropes, & tabes, & vrinæ ſtillicidia, læuitates, & difficultates inteſtinorum, coxæ dolores, anginæ, aſthmata, ilei, morbi comitiales, furores, & melãcholiæ. Hyeme autem pleuritides, pulmonis inflammationes, lethargi, grauedines, raucedines, tuſſes, dolores pectoris, laterũ, lumborum, & capitis, vertigines, & apoplexiæ. De pluuiis, & ſiccitatibus eodem lib. ſcriptum eſt. Ex anni conſtitutionibus in ſumma ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, & minùs lethales. Morbi per aſſiduos imbres magna ex parte fiunt, febres longæ, alui deiectiones, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ, & anginæ: per ſiccitates autem tabes, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia vrinæ, & dyſenteriæ. De flatibus libellus quidam nomine Hipp. circumfertur, quem ad hanc doctrinam perlegere non erit inutile. Sed & in aphoriſmis optimè eſt ſcriptum de morbis quos flatus pariũt. Auſtri, inquit, auditum hebetant, caliginem inducunt, caput grauant, pigros & languidos reddunt, cum illi pręualuerint, huiuſmodi in morbis patiuntur: ſi autem borealis tempeſtas fuerit, tuſſes, faucium morbi, ventres duri, difficultates vrinæ, horrores, dolores laterum, & pectoris, cum hæc pręualuerit, huiuſmodi in morbis expectare oportet. Hæc ſunt quæ ſingulis cauſis per ſe ſuccedere nata ſunt. Vt hę componuntur variè, ita varię morborum complicationes accidunt. Cum annus eſt tẽpeſtiuus, hoc eſt, cum ſuo quidque tempore fit, nulli morbi populares & cõmunes fiunt, ſed ſparſi, ijque non multi neque graues, & ſunt in eorum genere, qui cuique tempori ſunt familiares. Sed quum eſt intempeſtiuus, vt euariat à tempeſtiuo, ita à ſalubri, atque ſi in idem genus intemperiei totus annus euariat, communes & illi intemperiei analogi fiũt, velut ſi totus Auſtrinus, aut totus Borealis, totus pluuioſus, aut ſine pluuiis: ſi verò inęqualiter euariet à tempeſtiuo, variè etiam afficiuntur corpora. Velut in hac tempeſtate, cum plerique laborarent ob Auſtrum parotidibus, & tuſſi, & deinde tabe, nonnulli ob Aquilonem febribus ardentibus laborauerunt, quia magna ex parte annus fuit Auſtrinus, tamen quædam etiam pars anni fuit Borealis. Rurſum hic animaduertendum eſt, cùm res variè diſpoſitæ ab eadem cauſa efficiente afficiuntur, ſi cauſa quæ facit eſt vehemens, omnes eodem modo affici; ſi eſt debilior, afficiuntur variè, vt quæuis earum pati nata eſt. Quia quod ſit ſemper, refert naturam cauſæ efficientis & ma-

A teriæ, illius verò magis quod magis prævalet. Cum ergo aëris corruptio magna eſt, omnes ferè homines, vtcumque ſint variè parati, ad idem morbi genus trahit: cum exigua, facit quidem eos ægrotare, morbi verò nõ adeò retinent vnam ſpeciem, ſed cuiuſque hominis victum aut apparatum referunt, plus aut minùs, vt maior aut minor cauſa eſt. Hinc fit vt morbi communes ſemper incipiant à ſparſis, & in ſparſos finiantur. Nimirum cauſa omnis magna incipit à parua, & parua rurſum fit, quum finitur. Verùm neque hi ſparſi qui communes antecedunt, adeò varij ſunt, ac alij ſparſi ſolent, B ſed habent ſemper aliquid commune: neque communes ſunt adeò iiſdem, vt non habeant quædam ſymptomata diuerſa. Quia vtrique fiunt ab eadem cauſa, & vtrique in varie affectis hominibus. Rurſum cuiuſque temporis morbi non tam ob præſentem aëris conſtitutionem fiunt, quàm ob antecedentis temporis: quia non ſtatim ac aër à tempeſtiua mediocritate euariat, corpora ægrotant, ſed quum per aliquas moras malè affecta ſunt. Neque verò aëris quæuis temperies extrema, ſequenti tẽpore morbos affert, ſed quæ à ſequenti non emendatur. C Nam aliter ſemper eſſet tempus inſalubre. Quia hyeme ſemper eſt magnum frigus, & æſtate magnus calor, ſed corrigunt ſeſe mutuis viciſſitudinibus. Cum ergo ſequens tempus non corrigit intemperiem antecedentis, ſemper fiunt morbi referentes intemperiem vtriuſque, antecedentis verò magis. His ſemel intellectis, facilè intelligemus cauſas eorum, quæ præſenti tempeſtate contigerunt, & quæcunque aliâ contingere poſſunt. Toto autumno & tota hyeme nulli inſignes morbi acciderunt, corporibus nondum manifeſtè affectis, Apparente iam vere febres ardentes factæ D ſunt ob antecedentem tempeſtatem, quâ flauerunt Aquilonares venti, qui ſiccitatem & ſqualorem inferentes ſuccos bilioſos mouerunt. At dices, exigua certè cauſa fuit breuis tempeſtas Borealis poſt longam Auſtralem. Atqui proinde paucis, ijſque bilioſiſſimis factæ ſunt, neque malignæ, neque magnæ, ſed boni ſtatus, & per quas ſanguis non fluebat de naribus, vt ſolet per febres huiuſmodi, quia non erat tanta vehementia caloris, qui ſanguinem funderet per ſuperiora. Sed neque bilioſiſſimis factæ hoc tempore hac occaſione eſſent E febres ardentes, ſi hyems fuiſſet qualis conſueuit frigida & pluuioſa, vt congeſtam alioqui bilem cohibere poſſet; tamen quia æſtate congeſta fuerat in bilioſis multa bilis, vt ſolet, & eam hyems non extinxerat, ſed retinebatur in corporibus, mediocri illa hyemis temperie tantiſper cohibita, quòd tempeſtas vel modicè in ſicciorem mutaretur; bilioſis ergo hæc euenerunt. Hoc ipſo tempore pituitoſis acciderunt œdemata poſt aures & tuſſes: ſanguineis, inflammationes in teſticulis, ſed F omnia hæc fuerunt leuia, nimirum nondum cauſa erat magna, proinde neque magna, neque valdè communia mala faciebat, ſed varia in variis corporibus. œdemata verò erant laxa & flatuoſa, quia hyems neque multam, neque craſſam pituitam fecerat, & capita multis flatibus Auſtrinis repleuerat, proinde fiebant minimè apta ſuppurationi, vt alia œdemata, ſed reſolutioni inſenſibili. Sed quanquam varia ſparſaque erant hæc mala, habebant quiddam quo communem

cauſam iam referebant. Cauſa enim quæ maximè affecit illo anno fuit Auſter, proinde membra illa malè affecta ſunt, quę maximè flatibus implentur ſemper, caput ſcil. & thorax & genitalia. Caput enim & thorax in reſpiratione ſemper implentur aëre, genitalia ſunt fiſtuloſa & ſpirituoſa, inflantúrque facilè. Quoniam ergo flatibus erant admiſta quę tunc temporis abundabant excrementa, in hæc membra decubuerunt. Facit verò Auſter maiores repletiones ſpirituoſas quàm Aquilo, quia craſſus eſt, & non permeat violentiùs per corpora, ſed immoratur. Itaque illa tempeſtate pituita fuit neque multa neque craſſa, ſed quia hyems calida fuit & Auſtrina, fuit ſalſa. Tenuis ergo & ſalſa diſtillare cepit in pulmonem; tamen quia tenuis erat, non extuſſiebatur: nam craſſitie quadam indigent ea quæ ſunt tuſſi excreanda. Cùm hæc fierent, & tempeſtas Auſtrina adhuc duraret, certè duratione ingraueſcebat cauſa, ac proinde etiam morbi, vſque adeò vt incipiente iam æſtate, & quia auſter durabat (quo flante omnia ſolent putreſcere) & calor æſtatis accedebat, & corpora iam incipiebant corrumpi, fluxione illabente in pulmonem, multis eorum qui tuſſiculoſi fuerant, tunc pulmone apertè putreſcente, tabes confirmata eſt; quæ quidem paratis ad tabem prius etiam fuerat confirmata: atqui etſi tunc ſaltem Auſtrini flatus ceſſaſſent, magnę fuiſſent tabes: at verò quæ potuiſſent iuſtum ac conſuetum tempus expectare? cùm durauerit tota æſtate copioſa caligo, & multus Auſter: proinde adeo lethales fuerunt, vt omnes ferè tollerent, adeóque citiſſime, vt antequam æſtas inclinaret interierint: fuiſſe verò adeò pernicioſas tabes, ex his quę coniungebantur, accedebantque illis, facilè intelliges.

A B C D

Sectio ſecunda, ſiue conſtitutio temporis. II.

IN Thaſo ante Autumnum hyemes intempeſtiuæ, ſed repentè cum Borealibus & Auſtrinis multis humidæ proruperunt. Talia autem accidebant vſque ad Pleiadum occaſum & ſub Pleiadas; hyems autem Borealis, aquæ multæ, vehementes, magnæ, niues, quibus vt plurimùm ſerenitates admiſcebantur. Hæc quidem omnia accidebant, frigora autem non admodum intempeſtiuè. Iam verò poſt brumale Solſtitium, & quum Zephyrus flare incipit, poſtremæ brumæ frigora fuerunt magna, Aquilones multi, niues & pluuiæ continenter multæ, & cælum procelloſum & nubiloſum. Hæc autem perſeuerauerunt, nec vſque ad Æquinoctium remiſſerunt. Ver autem frigidum, Boreale, pluuioſum, nubiloſum, æſtas non admodum æſtuans fuit. Eteſiæ continenter ſpirauerunt; mox autem circa Arcturum flante Borea pluuiæ rurſus multæ acciderunt.

E F

Multa ſunt in ſuperiori ſectione dicta, ad omnia quæ toto hoc opere continentur neceſſaria, quæ ſemel dicta eſſe ad expeditam facilemque eorum quæ ſequuntur enarrationem, multùm refert. Quæ proinde memoriâ ſemper tenere oportet. Talia ſunt quæ de quatuor temporibus anni, & de eorum naturis dicta ſunt, ſcriptumque eſt non eſſe medicis quatuor anni partes æquales, ſed autumnum incipere ab ortu Arcturi, finiri occaſu Pleiadum, hincque incipere hyemem, durareque vſq; ad Æquinoctium vernum, ver ab hoc Æquinoctio vſque ad ortum vergiliarum, ab harum ortu æſtatem eſſe vſque ad autumnum: ac hyemẽ & æſtatem longiores anni partes eſſe, & in alias diuidi. Talia itaque & quæ de morbõrum vulgarium ſpeciebus, communibus inquam & ſparſis, & de morbis cuique tẽpori familiaribus dicta ſunt, ſcriptumque eſt communes à ſparſis ſolere incipere & in ſparſos finiri, & in tempeſtate triâ præcipuè conſideranda venire, an frigida ſit vel calida; an pluat aut non; an venti perflent vel non: hæcque cum eo quod tempori ſolet eſſe tempeſtiuum conferenda eſſe, vt conſtet an tempeſtiua ſint; an intempeſtiua. Et ex notitia morborum qui ex quacunque cauſa per ſe fieri nati ſunt, facile conſtare poſſe, quales exoriri debeant ex quacunque conſtitutione, quę quouis anno contigerit. Hæc inquam ſemel nobis dicta ſint. Nomen hyemis (eadem ratio eſt veris & eſtatis & autumni) nunc dicitur de tempore quo frigus ſolet vigere; hoc eſt vt diximus à Pleiadis ad Æquinoctium: nunc de tempore frigido, quodcunque contingat eſſe hyemi ſimile: in initio huius dictionis nomen illud χειμῶνες ſignificat frigora magna. Vbi dicitur, χειμὼν δὲ βόρειος, & rurſum ὑπὸ χειμῶνες, ſignificatur ſtatum illud certum tempus hyemis. Frigora verò illa autumni non acciderunt tempeſtiuè, quia multò antequam conſuetum eſt, ſed repentè, quia mox poſt æſtiuum calorem ſuperioris anni. Ea frigora dicit fuiſſe humida, hoc eſt cùm pluuiis, Boreâ & Auſtro flante, alternatè ſcilicet. Ea durarunt vſque ad occaſum pleiadum & ſub pleiadas, hoc eſt ipſis diebus pleiadum, velut in aphoriſmo dixit, ὑπὸ πύρα hoc eſt in diebus caniculæ. Conſtat verò illud ἢ ὑπὸ πλειάδα eſſe declaratiuum: nam quid aliud eſt dictu, durarunt ab initio autumni vſque ad occaſum pleiadum, quàm ſub pleiadas? Non enim poſſe illud, ſub, idem ſignificare, ac ſi diceretur, poſt pleiadas, vt forte quiſpiam poſſet ſuſpicari, ſequentia verba declarant, nam addit, hyems autem borealis, quaſi narratio ad occaſum pleiadum ſolùm peruenerit. Hyeme dicit flaſſe Boream, pluuias multas, largas & magnas, multas ſcilicet numero, largas, id eſt, copioſas & affatim ac largis imbribus cadentes, magnas verò tempore longas, ſcilicet non trium duarumve horarum. Has dicit fuiſſe non pluuias ſolùm, ſed admiſtis niuibus. Plerunque dicit admiſtas ſerenitates. Quod qua ratione fieri poſſit per pluuias multas largas & magnas, fortaſſe dubitabit aliquis. Sed hic nihil aliud ſignificatur, quàm inter pluuium tempus conſueuiſſe eſſe ſerenum, non nubiloſum. Velut poſt brumalem Solis conuerſionem, quæ à ſolſtitio fit, fuiſſe mox dicet. Frigora dicit prima hyeme non fuiſſe admodum intempeſtiua. Ni-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 13 sur 489

mirum etsi frigora essent magna, non erant tamen A
à naturâ tẽporis aliena. Videtur ergo prima hyems
à sua temperie, humiditate magis & ventis quàm
frigore recessisse, autumnus verò frigoremagis.
Vbi dicit post brumalem conuersionem & quum
Zephyrus flare incipit, legunt quidam, incepit,
intelligentes nimirum Zephyrum perflasse illa tẽ-
pestate: quod constat repugnare ijs, quæ mox se-
quuntur, hyemis postremę frigora magna, Aqui-
lones multi, & niues. Nimirum illud, ὁπαδοχειμῶνες
μεγάλοι non significat hyemem maiorem tempore.
Nam cùm sit tempus constitutum vsque ad Æqui- B
noctium, non potest esse maior minorve, sed signi-
ficat hyemem vltimam fuisse magnam hyemem,
hoc est valdè frigidam. Tamen si Zephyrus fla-
uerit, verisimile est frigora remisisse. Placida e-
nim tempora esse solent flante hoc vento. Est
verò hic qui flat ab occidente. Deinde si hic flare
ab eo tempore cœpisset, non fuissent multi Aqui-
lones eo tempore: sed revera Hippoc. non dicit
flare cœpisse Zephyrũ: sed quasi describens quod
tempus diceret, dixit post hyemalem conuersio-
nem, & addidit tunc quũ Zephyrus flare incipere
solet. Nimirum vt narrat Plinius, Zephyrus no- C
minatus ver inchoat, aperitque terras. Scimus
tamen ver inchoari, & terras aperiri, incipereque
herbas proferre vltima hyemis parte. Nimirum
hyems habet partes tres, prima est tempus mitten-
di semina ab occasu Pleiadum vsq; ad Solstitium:
secunda est tempus, quod vocatur Solstitium, sunt
duo menses mediæ hyemis, December & Ianua-
rius: vltima est tempus inserendi vocatum à Græ-
cis, mensis scilicet Februarij, & initium Martij vsq;
ad Æquinoctium. Hoc tẽpore inchoatur ver, aper-
iuntur terrę, inseruntur arbores, flat Zephyrus. D
Hipp. ergo nunc, quasi diceret tota reliqua hye-
me post Solstitium, non tantùm tempore sub sol-
stitio, sed vltima etiam parte hyemis, dixit, post
Solstitiũ, & tunc quum Zephyrus flare incipit, vl-
timæ hyemis frigora fuisse magna. Nimirum hîc
nomine vltimę hyemis intelligit duas vltimas par-
tes. Quod vt rursum explicaret, addidit, hęc perse-
uerauerunt, nec remiserunt vsque ad Æquinoctiũ.
Pluuias hac vltima hyeme dicit fuisse non minùs
quam primâ multas continenter. Videbitur autẽ
non posse fieri, vt essent multæ, & continenter E
fierent. Nam ξυνεχῶς hoc est continenter Græcis
authoribus significare solet, quod citra intermis-
sionem fit. Si verò pluuiæ non intermittebant, non
multæ, sed vna aut saltem paucę erant. Verùm
significatur fuisse multas pluuias toto illo tempo-
re, non citra intermissionem pluendi, sed citra in-
termissionem repetendi: velut solemus dicere la-
borasse hominem febre tertiana totum mensem
continenter. Ver quoque dicit factum simile vlti-
mæ hyemi; æstatem primam minùs vrentem quàm
solet; secundâ ęstate cõtinenter spirauisse Etesias, F
quod ad attemperandum calorem non parùm fa-
ciebat, atque adeò vltimis iam diebus æstatis pro-
pe Arcturum, superuenisse Aquilonẽ cum multis
pluuijs, Etesias enim esse flatus quosdam Boreales
diximus anteà, hoc est Boreæ proximos, non ipsũ
boream. Sed de Etesiis anteà dictum est satis.

*CVm autẽ totus annus esset humidus & fri-
gidus & Eorealis, per hyemem quidem sa-
lubriter sese habuerunt vt plurimùm. Ante ver
autem multi imò plerique morbis tentabantur.
Inceperunt ergo primùm ophthalmiæ cum flu-
xione, & dolore, humidæ, crudæ, lemæ paruæ,
& multis difficulter erumpentes, quæ plurimis
reuertebantur, & tardiùs ad Autumnum de-
sierunt. Iam autem per Æstatem & Autum-
num grassabantur dysenteriæ, & teneſmi, &
lienteriæ, & diarrhœæ biliosæ ex tenuibus, mul-
tis, crudis, & mordacibus, quibusdam etiam
aquosæ contingebant: multis etiam circumflu-
xiones adueniebant cum dolore biliosæ, aquo-
sæ, ramentosæ, purulentæ, vrinæ stillicidium
inducentes, non ex renum affectu, sed quòd
istis alia aliorum vicem supplerent. Vomitus
aderant biliosi, pituitosi, & ciborum crudorum
reiectiones, sudores omnibus, vndique mul-
ta redundabat humiditas. Multis autem hæc
contingebant qui febris expertes ambulabant,
multis etiam febricitantibus, de quibus scribe-
tur: in quibus autem omnia quæ descripta sunt
apparebant cum dolore, tabidi euadebant ad
Autumnam iam & sub hyemem. Febres con-
tinuæ aderant & paucis eorum ardentes, diur-
næ, nocturnæ, semitertianæ, exquisitæ, quar-
tanæ, erraticæ. Singulæ autem descriptarum
febrium multis contingebant, ardentes verò
& paucissimis obortæ sunt, atque hi ex ægro-
tantibus minimè laborarunt: neque enim san-
guis è naribus erupit, nisi paucus admodum
& paucis, neque delirauerunt, aliáquc omnia
tolerabilia erant. Iudicabatur autem eorum
plurimis febris ardens bene constituto admo-
dum ordine cum intermittentibus in septem-
dem diebus. Neque mortuum esse quemquam
noui ex febre ardente, neque phreniticum fa-
ctum esse. Tertianæ verò plures erant & ma-
gis laboriosæ quàm febres ardentes, & bene
composito ordine in his omnibus à prima acces-
sione quatuor habebant periodos, in septem ve-
rò perfectè iudicabantur, neque horum cuiquã
reuerterunt. Quartanæ autem multis ab initio
ex ordine quartanæ inceperunt, quibusdam ve-
rò non paucis ex aliis febribus & morbis seces-
sus in quartanas facti sunt, longæ autem prout
hæ solent, quinetiam longiores accidebant.
Quotidianæ verò & nocturnæ & errantes mul-
tæ multis & longo tempore perseuerarunt, tum
erectis, tum decumbentibus, horum plurimos
sub Pleiadas & vsque ad hyemem febres co-
mitabantur.*

Meritò quidem per autumnum & hyemem salubriter degerunt, quia nondum intemperies

©BIUM

affecerat adeò corpora, vt morbis corriperentur. Non enim putandum eſt, ſtatim ac tempeſtas aliqua incipit intempeſtiua, morbos multos accidere, ſed in poſteriorem aliquam tempeſtatem inciſuros, maximè quum tempeſtas alicui contrariæ ſuccedit. Tunc enim multò tardius in contrariam affectionem corpora transferuntur. Velut in hac narratione dicitur autumnus frigidus & humidus ſucceſſiſſe æſtati, quam certum eſt ſiccam & calidam fuiſſe. Cùm enim annus intempeſtiuus eſſe ceperit ab autumno, ſuperior æſtas fuit qualis eſſe ſolet. Igitur bona pars autumni & hyemis emendandis corporibus inſumpta eſt, manifeſtè autem læſa non fuerunt vſque ad finem hyemis, ab eo tempore toto reliquo anno ægrotauerunt. Atque morbi quidem nulla anni parte videntur fuiſſe omnino cõmunes, ſed ſparſi, tamen quia ex communi cauſa, putâ aëris intemperie nati ſunt, ſemper habuerunt quiddam commune: atque, quia vnica illa cauſa quædam faciebat per ſe, quædam ex accidenti, adimplebat vices multarum cauſarum. Quo factum eſt, vt illo ſaltem anno omnino ſparſi morbi in communem aliquem non migrauerint. Laborabãt omni fluxionum genere, in oculos quidam, alij in inteſtina, in vrinæ vias alij, aut in ventriculum: alij ſudabant, redundante multo ſucco in omnibus, neque quidem eodem ſucco in omnibus, ſed vario in variis, quouis hominum congerente multùm eius qui naturaliter in ſe congeritur. Quia frigus aëris retinet naturale effluuium in quocumque. Quare frigus replet frigidos frigidis ſuccis per ſe, & calidos calidis per accidens. Humiditas aëris replet quidem per ſe aqueis ſuccis, tamen ex accidenti bilioſos etiam ſuccos facit redundare in ijs qui alioqui ſunt bilioſi, dilutâ & effuſâ bile, vt ſcilicet aquæ potu ſolent bilioſiores reddi. Igitur cùm illo anno multus variuſque ſuccus in hominibus abundaret, meritò factum eſt, vt remittente nonnihil frigore (remiſit enim nonnihil, etſi ver quoque frigidum fuerit) & humiditate nimium iam perſeuerante, ſuccus regurgitauerit effuſus, his in hanc, illis in illam, vt cuique erat debilis hæc aut illa particula. Semper enim in redundantia ſuccorum, partes debiles excipiunt excrementa. Quamquam peculiari quadam & propria ratione, illo anno oculi, & venter ſupernus, & infernus, & veſica laborauerunt. Omnes enim has partes promptè lædi à Borea & frigore, idem auctor tertio aphoriſmorum docuit. Frigore ergo ſimul lædente has membranas, & cohibente effluuium naturale, & Borea mordente oculos, factum eſt vt in hos morbos homines diſponerentur. Neque tamen omnes in omnes, ſed in quem cuiuſque magis natura inclinabat, quemque aëris temperies nata erat facere. Factæ itaque ſunt multis ophthalmiæ, id eſt membranarum oculi & palpebrarum inflammationes, non quidem aridæ, vt ſiccis, & tantùm borealibus temporibus ſolent, ſed cum fluxione humidæ; quia multæ pluuiæ fuerunt: cum dolore, ob fluxionis copiam, & acrem aliquam aut ſalſam qualitatem, quam Boreas pepererat, præterquam quòd ipſe per ſe oculos mordebat. Erant etiam crudæ, hoc eſt ſolutu difficiles, coqui enim morbum apud Hippoc. idem eſt quod ſolui. Ergo coctu difficiles aut crudi ſunt qui nulla ratione ſoluuntur facilè, velut hæ ophthalmiæ, quæ non cedebant reſolutioni, quia cohibebat frigus cutem denſans, hanc ipsã ob causã lemę erant paruę, vix erumpentes. Quam ipſam ob cauſam multis cùm viderentur ſolutæ, reuertebantur (hoc enim ſolutu difficilibus plerumque accidit) & deſierunt tardiùs, ad autumnum ſcilicet ſequentem. Atqui ophthalmiæ vere factæ ſunt, quia eo tempore ſolent phlegmones fieri, reliquę autem fluxiones, quæ cum euacuationibus manifeſtis fiebant, æſtate iam & autumno, dyſenteriæ, teneſmi, lienteriæ, & diarrhœæ. Veriſimile eſt multis cepiſſe diarrhœas, ab illis dyſenterias & teneſmos proceſſiſſe, exulceratis inteſtinis: ab exulcerationibus autem læuitates. Nam in temporibus ſiccis, à principio ſolent incipere dyſenteriæ à ſiccitate fœcum, tamen in humidis profluuia antecedunt. Ita iis quibus ad veſicam & reliquas vrinæ vias ſucci decubuerunt, imprimis acciderunt πελίδροιαι cum dolore bilioſæ, aquoſæ, purulentæ, deinde ramentoſæ, & ſtrangu riæ. Hæc verò dicit Hippocr. non fuiſſe νεφριτικά, hoc eſt, non accidiſſe per propriam paſſionem renum, vel aliorum inſtrumentorum vrinæ, ſed πυπέοισιν ἄντ' ἄλλων ἄλλα, hoc eſt facta eſſe per permutationem aliorũ malorum, aut pro alijs malis quæ eueniſſent, niſi corpora per hæc membra fuiſſent expurgata. Vomitus etiam fuerunt varij, ob variam ſuccorum ſpeciem. Multis neque ea quæ ingeſta erant retinebantur vſque ad concoctionem, virtute retentrice ob humidam intemperiẽ debilitatâ (nihil enim eſt quod adeò virtutem eam debilitet) multis etiam acciderunt ſudores, denique omnibus vndequaque multa humiditas. Mirabitur quiſpiam, quomodo factum fuerit, vt tempore adeò frigido & cute denſatâ fluxerint multi ſudores. Cæterùm res ita euenit non immeritò, quia copioſa humiditas intus continebatur, neque per inſenſilem euacuationem effluebat, hanc enim frigus impediebat obturans poros minutulos, ſudor verò per maiuſculos fiebat, quos obturare non poterat. Hæc autem omnia accidebant nonnullis ſine febre, quibus ſcilicet ſucci abundabant, ſed non putreſcebant: nonnullis cum febre, quibus putreſcebant, de quibus mox ſcribetur ſeorſum. Vbi dicit Hippocr. ἐνίοισι δὲ ἐπιφαίνεται πάντα τὰ ὑπογεγραμμένα, μετὰ πόνου φθινώδεες. ἤδη δὲ φθινοπώρου, ἢ ὑπὸ χειμῶνα πυρετοὶ ξυνεχέες Gal. cenſet verba illa ἤδη δὲ φθινοπώρου ἢ ὑπὸ χειμῶνα cum antecedentibus, & cum ſequentibus coniungi, vt intelligatur, autumno quoſdam eſſe factos tabidos, & eodem tempore quibuſdam febres continuas eſſe factas: tamen mihi non eſt dubium cum ſolis antecedentibus debere iungi, ſignificarique, eos quibus vomitus aut diarrhœæ aut ſudores cum magnis doloribus acciderunt, æſtate, & incipiente autumno, autumno iam & ſub hyemem tabidos eſſe factos: non quidem exulcerato pulmone (neque enim oportebat) ſed corporibus extenuatis & arefactis præ dolore & euacuatione. Vt iam hinc conſtet, tabis nomen dici non de ea ſolùm quæ exulcerato pulmone fit, ſed de quacunque. Non tamen poteſt Hippo. hic dicere, autumno iam & ſub hyemem cepiſſe febres, quas recenſere iam hinc incipit, cùm ſtatim dicat, longiſſimas earum duraſſe vſque ad pleiadas. Quo-

©BIUM

modo ergo inceperint hoc ipso tempore? Narrare ergo incipit febres quibus illo anno homines laborauerunt, non quidem sequenti tempore, sed eo ipso, quo quidam sine febribus habebant dicta priùs mala, quidam habebant cum febribus. Febres veluti cacochymiæ eandem ob rationem erant variæ multiplicesque, & aliæ continuæ, aliæ intermittentes : atque vtræque, aliæ ex bile, aliæ ex pituita, aliæ ex melancholicis succis, aliæ ex multis simul, cuiusmodi multæ erraticæ, & semitertianæ. Ardentium febrium duplex genus esse Hippoc. ipse aliis locis docet, exquisitum ex bile, aliud ex falsa pituita. Porrò vtrúque genus est in febribus continuis. Est καῦσος febris ardentissima. Accidit quidem hæc nonnullis, quia bilis abundabat cohibito effluuio: hoc autem genus febrium præ aliis fuit in paucissimis : non enim nisi in summè biliosis, neque in his quidem erant in suo genere exquisitæ : quia causa ipsa efficiens, nempè aëris intemperies, erat huic morbo contraria, frigida cùm esset & humida. Quamquam ergo per accidens faceret, tamen quia per se resistebat, non poterat exquisitè ardentes generare. Neque quidem poterat, si diutius temperies durasset, non omnia ferè corpora hominum in frigidos & humidos affectus permutare : atque adeò mirum, si sequente anno non fuerint tales morbi multi. Proprium enim est iis, quæ ex accidenti quippiam faciunt, recidere tandem in id quod est per se. Causa ergo hæc meritò non valuit ardentes exquisitásque facere, tamen tertianas exquisitas valuit, quia etsi hæ eiusdem generis sint cum ardentibus, tamen ex maiori causa fiunt ardentes. Itaque causa meritò fecit plures tertianas, & magis exquisitas, & magis laboriosas in suo genere quàm ardentes. Non enim profectò satius fuit ardentibus quàm tertianis laborare, sed erant hæ exquisitæ & breues, laboriosæ verò vt solent, haud enim scio an febris aliqua laboriosior quàm tertiana sit, quæ tamen potior est, quia breuior & intermittens & tutior. Per diurnas & nocturnas intelligit Hippocrates quotidianas. Cum dicit semitertianæ, exquisitæ, quartanæ, nomine exquisitarum tertianas intelligit. Neque verò solum dicit ardentes non fuisse vehementes, tertianas verò fuisse exquisitas, sed etiam docet illud ex signis, quæ ardentibus non accidebant, & ex tertianarum constitutione. Differens de febre ardente laborantibus, dicit minimè ex ægrotantibus hi laborabant : neque enim sanguis his fluebat nisi paucus admodum, & paucis, neque delirabant : alia autem omnia erant tolerabilia. Intelligit autem per alia omnia, ea quæ sunt signa pathognomonica ardentis febris, sitim .s. & ariditatem, & ardorem : nimirum cuiusque morbi magnitudo cognoscitur ex magnitudine propriorum symptomatum, & quibusdam superuenientibus, quæ scilicet morbo magno iam facto superuenire solent, velut in febre ardente, quum est magna, ardor, ariditas, & sitis, magna sunt & vix tolerabilia : superueniunt autem fluxus sanguinis de naribus, & deliria. Cùm ergo hæc non adessent, & propria accidentia essent mediocria, constat ardentes haud multùm creuisse ; porro tertianas exquisitas fuisse ex earum constitutione constat. Nam tales vt in aphorismo dicitur, septem periodis iudicantur. Crescebant vero vsque ad summum vigorem intra quartum paroxismum, iudicabantur integrè intra septimum. Ardentes vero neque intra quatuordecim qui acutorum solet esse finis, neque perfectè iudicabantur, sed decimoseptimo die cum intermittentibus commutabantur (hoc enim significat dicens, ἐκρίνετο πυτίοισι ξὺν τῇσι διαλιπούσησι) neque mirum, tempus enim frigidum ineptum est ad perfectas solutiones, & alioqui morbi biliosi non exquisiti semper sunt difficilis iudicij. Quod dicit πάγυ θᾶσσον nihil aliud est quàm multis eodem modo euenire. Videlicet in multis eodem modo eueniebat, vt febris ardens in intermittentem abiret, in multis etiam tertianæ septimo periodo desinebant perfectè, neque reuertebantur. Hoc enim est perfectè iudicari integrè & tuto iudicari, vt morbus finiatur omnino, & non redeat. Quartanæ febres plerisque fiunt post alios morbos, aliis febribus primùm factis erraticis, deinde quartanis, vt in prognostico dicitur. Multis tamen fieri etiam solent à principio, nunquam errantes à propria figura. Vtrunque multis accidisse hac tempestate dicit : longas autem dicit fuisse vt solent, & adhuc longiores, quia vt dictum est æstate iam & autumno fiebant, quæ modo narrantur : autumnales vero quartanas esse longas in aphorismo dicitur. Accedebat porro totius anni frigida constitutio. Addit ἀμφημερινοὶ δὲ καὶ νυκτερινοὶ, febres nocturnas vocat, quæ singulis noctibus fiunt, vt sint quotidianarum species. καὶ πλανῆτις (inquit) multis, nimirum variis excrementis abundabant homines, & multis etiã, ac proinde multo tempore perseuerabant tum erectis, tum etiam decumbentibus. Explicans deinde quamdiu durauerint dicit, plurimis sub pleiadas & vsque ad hyemem, hoc est toto autumno, & vsque ad bonam partem hyemis productæ sunt, constat vero hunc autumnum & hanc hyemem non fuisse ea tempora, à quibus narratio incepit, quæ dixerat fuisse frigida & humida, sed sequentis anni.

Conuulsiones autem multos corripiebant, maximè vero pueros ab initio, & febricitabant, & febribus superueniebant conuulsiones. Hæc quidem plurimis diuturna erant, innoxia tamen, nisi ijs qui ex alijs omnibus pernicioſè ſeſe habebant.

Conuulsiones has verisimile est ex repletione fuisse, & factas esse redundantibus præ humiditate temporis succis, & neruis frigore læsis. Neque enim quæ in febribus fiunt statim censendæ sunt ex inanitione fieri, sed quæ post febres admodum ardentes, hominibus iam marcescentibus, hæ vero non erant tales. Sed succis pituitosis, quos temperies anni congesserat, à febrili calore liquatis & fusis, conuulsiones ex repletione oriebantur. Nihilominus has quoque in febribus fieri deterius erat, quàm si in conuulsionibus febres fierent, vt in aphorismo idem est auctor. Nam febris conuulsioni succedens ipsam soluet, conuulsio vero non potest soluere febrem. Et præterea

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 16 sur 489

©BIUM

graue eſt conuulſionem in febre ipſa fieri poſſe A
à qua ſi facta prius eſſet ſoluëretur Tamen neque
hoc erat lethale, niſi in quibus alia etiam erant
lethalia. Diximus enim in commentatione pro-
gnoſtici, multùm conferre in cuiuſcunque ſigni
viribus explorandis, ſi conſideremus, an reliqua
annuant aut renuant. Vix enim vllum adeò pernici-
oſum eſt, ex quo non aliquis conualuerit, vix-
que vllum adeò ſalutare cum quo non aliquis in-
terierit. Et omnino nullum adeò malum, vt ſit ſig-
num mortis ſatis firmum, neque adeò bonum,
vt ſalutis, ſi alia omnia renuãt. Nihilomin⁹ quod-
cumq; ſignũ appareat, quod valdè malum ſit, etſi B
ex alijs videatur homo eſſe ſalubriter affectus, ma-
lum magnum timeri debet (non enim ſine cauſa
ſit) quod in conualituro quid aliud ſit, quàm
morbi diuturnitas, & difficilis iudicatio? Merito
ergo erant hæc diuturna, & innoxia ijs qui ex alijs
ſignis videbantur non eſſe lethaliter affecti.

Febres autem erant omnino continuæ, nihilque intermittebant, ſed exacerbabantur C
omnes in modum tertianarum, vnâ die remittentes alterâ ingraueſcebant, vehementiſſimæ omnium quæ tunc contingebant, & longiſſimæ & maximos dolores inferentes, à leuibus initiis in totum perpetuò increſcentes & diebus decretoriis exacerbabantur & in peius procedebant. Vbi parùm remiſiſſent, celeriter rurſus ex remiſſione violentiùs ingraueſcebant, atq; diebus decretoriis vt plurimùm in deteriùs ruebant: rigores autem omnibus ſine ordine & erraticè contingebant, pauciſſimi quidem & mi- D
nimi in his erant, ſed in aliis febribus maiores, vt & ſudores multi, in his autem pauciſſimi, nihilque ſubleuantes, ſed contrà noxam afferentes. In his multa aderat extremorum refrigeratio, quæ vix recaleſcebant. Neque dormiebant quidẽ omnino, præcipuè hi, & rurſus comatoſi. Alui quidem in omnibus turbatæ erant & malè affectæ, in his verò multò peſ- E
ſimè.

Cùm hactenus omnes febrium differentias, quæ illo anno fuerunt, velut in quendam cumulũ congeſſerit, nunc ſeorſum deſcribit febres quaſdam, quæ tunc fuerunt grauiſſimę. Hæ vero fuerunt ſemitertianæ. Nam omnino non intermittentes, & vno die ingraueſcentes, non niſi ardentes vel ſemitertianæ eſſe poterant. Ardentes vero anteà dixit fuiſſe minimè graues. Quas ergo modo dicit F
grauiſſimas fuiſſe, ſemitertianę fuerunt. Et meritò quidem ſemitertianæ fuerunt vehementiſſimæ, & longiſſimæ, cùm ab eodem auctore dicatur alibi tales eſſe ſolere. Quædam eorum accidẽtium quę hicdicuntur, pertinẽt ad propriam figuram morbi, quædam ad periculum & magnitudinem, quędam ad vtrumque. Ad propriam figuram illa, ὑδὲν ἐκλείποντες, παροξυνόμενοι δὲ πᾶσι τεταυσφέα πρόπν, μίαν ἡμερὰν διακυφίζοντες, καὶ μιὰν παροξυνόμενοι, & illud, σμικρὰ διακυφίζοντες, καὶ ἔχω πάλιν ἐξ ἐπιοχέσιος βιαιοτέρως παροξυνόμενοι, & illud, εἶτα δὲ πᾶσι μᾶλλόν τε καὶ πεπλανημένως ἐγίνετο, ἐλάσσα δὲ καὶ ἧσσα πυτέουσιν. Ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἄλλων πυρετῶν μείζω. Ad periculum illa, παροξυνόμενοι ἐν κρισίμοισι, καὶ ἀναγόντες ἐπὶ τὸ κάκιον & rurſum, ἐν κρισίμοισι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κακούμενοι, & illud, ἰδρῶτες πολλοὶ, πυτέουσι δὲ ἐλάσσοι, κουφίζοντες ὀδὲν· ἀλλ' ὑπναιπόσον φλάβας φέροντες, & illud, κοιλίαι θερμώδεες καὶ καχαὶ, πολὺ δὲ τετέοισι κάκισαι. Ad vtrumque illa, μακρόταται καὶ μετὰ πόνων μεγίστων γινόμενοι, πρηέως ἀρχόμενοι, τὸ ὅλον ἐπιδίδοντες αἰεὶ, & illud, ῥῆξις πολλὴ ἀκρέων πυτέοισι, καὶ μόλις ἀναθερμαινόμενα, ὀδὲ ἄγρυπνοι τὸ σύμπολυ μάλιστα ἦσαν, καὶ πάλιν κωματώδεες. Nam ea eſt figura ſemitertianarum earũ quas ſolas Gal. ſemitertianas vocari vult, vt nihil intermittant, ſed continuæ ſint, & ingraueſcant in modum tertianarum, vno die remittentes, quo ſcilicet die vnica exacerbatio eſt ſolius quotidianæ febris: alio ingraueſcentes, quo ſcilicet eſt exacerbatio duplex, quotidianæ & tertianæ. Quare frequenter videntur remitti, & citò (ſequenti enim die) rurſum ex remiſſione ingraueſcunt violentiùs, quam die ſuperiori, accedente duplici acceſſione, & violentiùs quàm nudius tertius, quùm morbus tendit in ſummum vigorem. Accidunt illis rigores ſine ordine multi, hoc eſt, non vno quodam ordine quotidiano, aut tertiano, ſed videntur ſine ordine omnino fieri ob complicationem duarum febriũ, acciditque hodiè vnus, cras duo, vt nullus videatur eſſe ordo, Quinetiam præter hos, incidunt intempeſtiuè quibuſdam horis ſine ordines rigores, ob varium motum quem facit ſuccorum contraria natura. Rigores autem his non ſunt magni, quales qui propriè rigores appellari ſolent, ſed minimi, quales qui horrores vocantur. Rigores ergo veri his pauciſſimi, ſed qui erant, minimi erant, horrores nempè: in alijs autem febribus maiores rigores erant, putà in exquiſitis tertianis. Hæc ergo ſolam figuram ſemitertianarum ſignificant: illa verò figuram ſimul & grauitatem, longiſſimas, & maximos dolores inferentes. Nam familiare eſt ſemitertianis eſſe vehementes, & cum maximis doloribus, acutas, ſimulque longas. Vt ipſe Hipp. hoc ipſo lib. dicit his verbis. In febre quam ſemitertianam vocant, tum morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras hæc eſt lethalis, & qui tabe, & alijs longis morbis ægrotant, in hac maximè affliguntur. Verùm quamquam hoc familiare ſit ſemitertianis, non tamen æquè omnib⁹, ſed maximis, quales eo tempore graſſatæ ſunt. Familiare etiã eſt ſemitertianis incipere leniter, vt non ſtatim prodãt ſuã acutiem: deinde vehementiores sẽper fiunt, quàm fore in principio videbãtur, tũ quantò vehemẽtiores per ſe ſunt, tãtò hoc habent magis, vt vehementiores fiant. Refrigeratio etiam multa vix recaleſcens quæ his inerat, familiaris eſt ſemitertianis: quia multos habent rigores, ex his autem ob multam pituitam non facilè recaleſcunt, Hi autem recaleſcebant vix, quia ſemitertianæ erant graues. Neque quidem hic dicit illam refrigerationem extremorum, quæ lipyriam febrem aut extremam calidi extinctionem ſignificat (ex hac enim non recaleſcunt) ſed eam quæ per horrores longos & multos eueniebat. Vbi nos legimus, neque domiebant quidem omnino, præcipuè hi, in quibuſdam codi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 17 sur 489

©BIUM

cibus est, οὐδὲ ἄγρυπνοι τὸ σύνολον μᾶλλον ἦσαν, id est, neque vigilabant omnino præcipuè hi: tamen legendum esse οὐχ ὕπνοι τὸ σύνολον, id est, non dormiebant omnino, verba mox sequentia palam faciunt. Addit enim & rursum comatosi, hoc quoque signum figuram morbi & magnitudinem indicat. Nimirum semitertiana vno die solet afferre peruigilium commotâ bile, alio soporem commotâ pituitâ: quin & in ipsius tertianæ initio & inuasione nimiùs somnus sit, effumante cum bile pituita, & soluto horrore succedit peruigilium. Tamen tunc hæc contraria maximè fiunt, quum vtriusque succi magna signa sunt, & proinde magna semitertiana. Illa significant solùm febrium periculum, exacerbabantur diebus decretorijs, & in peius procedebant. Nam diebus decretorijs ingraueſcere malum signum est. Illis enim diebus mouetur humor, & congreditur cum facultate morbus, illis ergo videri facultatem obrui periculosum: maximè cùm in morbis salutibus magnam vim soleat facultas comparare, & adiuuari cœli aspectu, qui facultati solet esse faustus. Quibus ergo diebus solet facultas vincere, si debilitatis insignia accidentia percipiantur, pessimum est: vt meritò illud, quasi insigne quoddam periculi signum, bis dixerit Hippoc. repetens his verbis. In decretorijs plerumque diebus in deterius ruebant. Illud etiam est periculi signum, sudores qui in omnibus febribus illo anno erant multi, in illis fuisse minimos quantitate, itaque fuisse in his multos sed exiguos, nihil conferentes, sed contrà lædentes. Nam euacuationes omnes tentatæ, cuiusmodi crebræ & exiguæ, debilitatem facultatis indicant, decretoria autem omnia quæ nihil conferunt, ac multò magis quæ lædunt, aut mortem aut difficilem iudicationem significare ipsemet dicet. Illud quoque haud exiguum periculum indicabat, aluos, quæ illo anno turbatæ & malè affectæ, illis fuisse multò pessimè. Sunt enim valdè pessimæ alui, quum excretiones fiunt, quales in aphorismo & prognostico dicuntur esse nigræ, liuidæ, cruentæ, bilioſæ, sinceræ, fœtidæ, pingues, & variegatæ. Erant igitur illæ febres semitertianæ, magnæ, & periculoſæ.

VRinæ autem horum plurimis aut tenues erant, & crudæ, & decolores, & post aliquod tempus parùm concoctæ iudicatorie: aut crassitiem non habebant, verùm perturbatæ nihil consistebant neque subsidebant, neque concoquebantur: aut pauca quædam, & praua, & cruda subsidebant, pessimæ autem omnes erant.

Neq; hæ vrinæ differentiæ pertinebant ad speciem morbi, sed magnitudinem & periculum indicabant. Pessimè enim vrinarum differentiæ hæ omnes. Erant quibusdam crudę, tenues, & decolores (hæ sunt aquoſæ, siue albæ & perspicuæ aliis locis appellatę) quę quidem ex tanta cruditate procedunt, vt neque præsentis, neque futurę concoctionis signum quodpiam præ se ferant, & illę quidem non solùm tales apparebant in initio febrium, sed post tempus quoque, id est, procedente tempore, parum comparabant concoctionis signa decretorię, hoc est, parum recipiebant eas mutationes, quas solent vrinæ recipere, morbo eunte in iudicationem. Aliis erant vrinæ crassitudinem veram non habentes (vera crassities est, quæ concoctione comparatur) quæ tamen videbantur crassæ, quia perturbatæ erant, & nihil consistebant, neque subsidebant. Intellige hic quoque post tempus, hoc est, cùm à principio apparerent perturbatæ, tales multo tempore perseuerabant, neque procedente tempore consistebant, siue conquiescebant ab illa perturbatione: neque subsidebant, hoc est, neque separabatur in illis quidquam quod subsideret, neque coquebantur. Quod quidem multos & coctu difficiles succos significabat, quia nunquam subsidebat in illis quidquam, aut subsidebant pauca & mala. Pauca quidem subsidere cum tenuitate cruditatem significat, cum crassitie nimia cruditatem etiam & obstructionem. Ita enim fieri quum grumosa & pauca minguntur docuit Gal. Malæ subsidentiæ multæ sunt, quæcumque scilicet nigræ aut liuidę, aut grauiter fœtentes, quę quidem ob malam putredinem aut vitionem fiunt. Vbi nos legimus ἔχει πάχος μὴ ἔχοντα, in aliquibus codicibus legitur πάχος μὴδὲ ἔχοντα, id est, crassitudinem quidem habentes vrinæ, quibus verbis idem sensus fit. Nimirum dicit, crassitudinem quidem habentes non veram, sed per perturbationem. Non enim esse veram crassitiem eam quę turbatione fit, aliis locis diximus.

TVsses quidem comitabantur febres. Non habeo autem quod scribam, an lesionem aut vtilitatem tussis tunc attulerit.

Hoc accidens fuit in illis febribus assidens, non proprium morbi, neque superueniens in magno periculo, sed vt solent alia signa, quæ vocantur assidentia. Sed quoniam non obfuit manifestè, constat rursum quod nuper diximus, tabes illo anno factas esse non ob pulmonum vlcera, sed aliter marce scentibus corporibus.

DIuturna ergo erant & molesta, & omnino siue ordine, & erratice, & sine iudicatione plurima horum fieri perseuerabant, tum iis qui omnino lethaliter se habebant, & iis qui minimè. Si enim quibusdam eorum parùm intermisissent, rursus citò reuertebantur. Quibusdam autem iudicabantur circa octogesimum diem, sed eorum paucis, quibus celerrimè mouebatur morbus, horúmque nonnullis reuertebantur, vt multi illorum adhuc per hyemem ægrotarent. Pleriſque autem sine iudicatione desinebant. Hæc autem tum iis qui superstites manserunt, tum ÿs qui minimè, ex æquo acciderunt.

Omnia dicta accidentia perseuerabant fieri diuturna, molesta, & sine ordine, & sine iudicatione, id est sine solutione. Quod est, erant longa, molesta, erratica, & vix vnquam finiebantur. Quod ob multitudinem, contumaciâ, & varietatem succorum

©BIUM

rum, fiebat. Fiebat autem id & in iis, qui omninò le A
thaliter habebant, & in iis qui non. Habere autem
lethaliter aut non, ſiquidem hęc communia erant
vtriſque, ex aliis accidentibus omnibus agnoſcen-
dum erat. Quibus multorum & contumacium &
multiplicium ſuccorum notæ ſunt, ſi ex aliis ſignis
videantur eſſe ſalubriter affecti, liberantur, & ſu-
perſtites fiunt, non tamen citò neque cum bona iu-
dicatione, ſed poſt multum tempus, & cum paula-
tina ſolutione, aut permultas recidiuas: ſi non ſint
ſalubriter affecti, tamen facultas non ſit admodum B
debilis, moriuntur lentè & poſt longum tempus:
ſin facultas admodum debilis ſit, moriuntur bre-
ui. Illo anno, vtriſque & ſalubriter & lethaliter af-
fectis, fuerunt ſucci multi, varij & contumaces: vi-
res verò, quæ longo tempore morbũ ferre poſſent,
Proinde qui ſuperſtites manſerunt, per multas re-
cidiuas euaſerunt, & qui mortui ſunt, multo tem-
pore priùs ęgrotauerunt. Quibuſdam tamen, qui-
bus ſcilicet hæc minùs inerant, iudicati ſunt, qui ce
lerrimè octoginta diebus: & horum etiam, qui oc- C
toginta diebus iudicabantur, quibuſdam reuerte-
bantur, ita vt multi illorum per hyemem ægrota-
rent. Ex hoc loco rurſum fit manifeſtum, quod
anteà diximus, febres, quę deſcriptæ ſunt, non ince
piſſe autumno & ſub hyemem, ſed æſtatis parte vl-
tima. Quandoquidem durare potuerunt quibuſ-
dam octoginta dies, antequam hyems fieret.

Cùm autem multa quædam fieret iudicatio-
nis difficultas, & varia ex morbis, & maxi-
mum ſignum & peſsimum in fine ſuperuenie- D
bat plurimis, faſtidire cibos omnes, præcipuè
autem hos quibus & alia omnia lethaliter ha-
bebant. Sitientes non admodum intempeſtiuè
erãt in his febribus: cùm fierent autem longa
tempora, & dolores multi, & praua colliqua-
tio, in his abſceſſus fiebant, aut maiores quàm
vt ferre poſſet, aut minores quàm vt prodeſſe,
ſed celeriter recurrerent, & in peius courge- E
rent. Erant autem, quæ his fiebant dyſenteriæ,
& teneſmi, lienteriæ, & profluuia, quibuſ-
dam autem & hydropes, cum his & ſine his.
Quodcunque autem horum violenter fiebat,
celeriter corrumpebat, aut rurſum nihil pro-
derat. Exanthemata parua, & non pro digni-
tate excretionis morborum, & citò rurſum e-
uaneſcentia: aut poſt aures ædemata, quæ non
ſoluebantur, & nihil ſignificabant, quibuſdam
in articulos, præcipuè autem ſecundùm coxam F
Paucis decretorie deſinentia, & citò rurſum
inualeſcentia, in habitum qui à principio.

¶ Acriſia, ſiue iudicationis difficultas multa &
varia contigit, quia omnes difficulter iudicabãtur,
non tamen in eodem modo: ſed quidam per multas
recidiuas: quidam per ſolutiones paulatinas: qui-
dam per abſceſſus, atqui abſeſſus erant varij. Nam
quidam per decubitus humorum in vias euacua- G
tionum, vt quibus dyſenterię, lienteriæ, profluuia
& teneſmi: quidam per mutationes in alios mor-
bos [has enim etiam vocare Hippocrates ſolet ab-
ſceſſus] vt quibus hydropes, qui nonnullis acci-
derunt cum his, hoc eſt, cum fluxionibus è ventre,
nonnunquam ſine his: quidam erant abſceſſus in
quaſdem partes, vt quibus tumores [omnes enim
tumores vocat Hippocrates œdemata] poſt aures
& ad articulos, & ad coxam & exanthemata. Illis
itaque omnibus, qui ita laborabãt, dicit fuiſſe mul-
tam & variam acriſiam: iis autem qui lethaliter e-
rant affecti fuiſſe ſignum ſuperueniens maximè peſ
ſimum, inappetentiam omnium ciborum. Neque
profectò immeritò erat hoc grauiſſimum, nam ſi-
gnum malignæ eacochymiæ erat, & prętereà ma-
la cauſa: quia per morbos longos cibum non capere,
pernicioſum eſt. Dicit tamen non admodum ſi-
ticuloſos fuiſſe. Siquidem omnino nihil ſitiſſent
cum tanta febre, malum eſſet ſignum, verùm non
negat ſitiſſe, ſed admodum intempeſtiuè. Illud au-
tem multa humiditas illius anni fecit. Porrò dicit,
cùm fierent longa tempora, & dolores multi, &
multa colliquatio. Nimirùm anteà dixerat, Qui-
bus fluxiones illæ multæ per ventrẽ, & vrinæ vias
cum dolore fiebant, colliquationem & tabem acci-
diſſe, ìdq; quibuſdam ſine febre, quibuſdam cum fe
bre. Hoc ergo dicit modo, per illas febres quibuſ-
dam euenisſe. In his, dicit, fiebant abſceſſus, intelli-
git verò hìc abſceſſus nomine, omnes permutatio-
nes, aut decubitus ſuccorum, ſiue cum euacuatio-
nibus, ſiue ſine illis, vt cõſtat ex enumeratione eo-
rum, quæ acciderunt, dyſenteriæ ſcilicet, teneſmi,
lienteriæ, profluuia, hydropes, parotides, exanthe-
mata, tumores ad articulos, ad coxam præcipuè.
Verùm, inquit, abſceſſus pleroſque illo anno fuiſſe
maiores quàm vt ferri poſſent, vel minores quàm
vt prodeſſent. Nimirum in nimia ſuccorum redun-
dantia hoc periculi ſemper eſt, vt aut nimia eua-
cuatio fiat, cum qua virtus exoluatur, aut imperfe-
cta, & quæ ad expurgationem corporis nõ ſit ſatis.
Vt vel hac ſola cauſa, ſi ſecundũ artem fieri poteſt,
curandum ſit, vt cum multa ſubeſt in corpore co-
pia, minuatur. Hydrops poſt alios morbos fit, aut
hepate debilitato ipſa intemperie, aut morbi mate-
ria irruente in hypochondria, & abſcedente in re-
gionem ventris. Exanthemata illa parua, quæ ac-
ciderunt, veriſimile eſt fuiſſe, quæ variolas & mor-
billos vocamus. Quanquã enim nomine exanthe-
matum Græcis omnes maculæ, aut puſtulæ aut pa-
pulę in cute ſignificantur, ſed hæc malignè putre-
ſcentibus ſuccis fieri ſolent, in pueris præcipuè,
quos ex his exanthematis illo anno mortuos fuiſſe
dicet mox. Veriſimile eſt ergo pueros, qui ſemiter-
tianis laboraverant: in quibus pituita prævaluerat,
variolis: in quibus bilis, morbillis laboraſſe. Ea au-
tem, peſſimum eſt, pigrè & parùm exire, & rurſum
euaneſcere. Tumores poſt aures dicit factos, qui
non ſoluebantur, quia ex craſſis ſuccis erant, & ni-
hil ſignificabant, hoc eſt, ex quibus neque meliùs,
neque deteriùs habebant, vélut ex tuſſi dixerat,
abſceſſus in articulos ſolere fieri, quia laxæ partes
ſunt, & in coxam præcipuè, vt in articulum maxi-
mum, dictum in aphoriſmis eſt. Paucis quibuſdam
deſinebant tubercula decretoriè, hoc eſt, ſolue-
bantur, tamen citò rurſum (ita vt fit in iis, quæ ſunt
difficilis iudicationis) inualeſcentia, redibant in ha-
bitum priorem.

Moriebantur autem ex omnibus quidem,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 19 sur 489

©BIUM

plurimi autem ex his pueri iam ablactati, & maiores & octennes & decēnes, vsq; ad pubertatem. Fiebant autē his hæc, non sine priùs scriptis. Priora autem multis sine his. Solùm autē vtile & maximum signorum, quæ facta sunt, & multos liberauit cōstitutos in maximis periculis, quibus in stranguriam cōuertebatur, & in hoc abscessus fiebant. Accidit autem & plurimis strāguria, ætatibus his maximè. Fiebat autem & multis aliorum non decumbentibus, & in morbis, celeris autem & magna quædā mutatio omniū his fiebat. Ventres enim etsi essē contingeret humidos, malo more citò sistebātur. Ciboſq; omnes iucundè capiebāt: febreſq; mites post hæc. Strāguria autem his diuturna & laborioſa erat. Vrinæ autē his erant multæ, craſſæ, variæ & rubræ, & mixtæ pure, cum dolore. Superſtites autem fuerūt omnes hi, neq; quemquam horum mortuum noui.

¶ Ex abscessibus omnibus moriebantur multi, plurimi autem pueri. Ex exanthematis enim his multos pueros verisimile est, mortuos esse: quia habebant pueri cum illa morbi specie analogiam [familiaria enim sunt illa exanthemata pueris] & cum anni constitutione, quæ erat humida vt & puerilis ætas, vsque ad pubertatem. Multi ergo pueri exanthemata illa habuerunt. Quæ cùm illo anno lethalia fuerint, quia erant pauca, & citò euanescentia, multi pueri ex illis mortui sunt. Prætereà cùm causa eadem esset omnibus, putà aeris temperies, pueros magis ægrotare fecerit, quàm aliarum ætatum homines, paucique aliorum eo morbo correpti sint, pauciſſimi verò æqualiter: fiebant autem, inquit, his hæc non sine priùs scriptis: id est exanthemata fiebant pueris, non sine fluxionibus per ventrem, & dysenteria. Priora autem, hoc est, illæ fluxiones, multis, sine exanthematis. Certè nihil est magis obseruatum, neque magis rationi consonum, quàm variolis lethalibus accedere malignas deiectiones, & dysenterias, reconditis scilicet malignis excrementis in visceribus, & exeuntibus, per intestina, quæ debent in cutem emergere. Quò fit, vt & anxietates magnas ita affecti sentiant, & deliquia animi ob malignam succorum qualitatē. Quare exulcerant intestina, faciuntque dysenterias lethales, quales ex bile atra solent fieri. Verùm cùm omnes, quos dictæ semitertianæ exercuerant, grauiter affecti essent, solùm illud fuit vtile, & maximum signum, eorum quæ facta sunt, & quod multos liberauit, in stranguriam malum verti. Hoc enim tempore fiebat strangvria, vt anteà etiam dixerat, non per passionem propriam instrumentorum vrinæ, sed toto corpore per eas vias sua excrementa emittente. Accidit ergo tunc multos hac ratione liberari, perpurgatis corporibus per vrinam. Quare erat vtilis ea excretio, quibus accidebat, & maximum signum sanitatis. Atque adeò non eo rempore solùm ita contigit, sed sæpissimè aliàs febricitantes solent hac euacuatione iuuari magnoperè, vt vix sciam, an aliqua euacuatio sit ad eradicandum mala venarum tam idonea. Neque id immeritò: quia renes de ipsissima vena, omnium maxima, quà ex hepate oritur, sugunt. Accidit autem stranguria illa salutaris multis, maximè autem his ætatibus, de quibus nuper dixerat, pueris scilicet. Nam verisimile est contigisse quod semper solet, vt pueri ex grauissimis malis, & periculosissimis, crebriùs euaderent, quàm alij homines. Res est miraculo similis, è quantis desperationibus soleant pueri euadere. Quod fit, quia habent vires naturales, quibus vincuntur morbi, robustissimas: nempe commutatricem & expultricem. Nulla autem alia ratio pellendi morbum est, quàm commutando, aut pellendo materiam. Ergo hoc quoque anno plures pueri conualuerunt, cumque omnes ferè, qui liberati sunt, stillicidio vrinæ sint liberati, constat plures pueros stillicidium vrinæ habuisse. Nam etsi plures eorum, qui ex exanthematis mortui sunt, fuerint pueri, tamen fieri potuit, vt ex febribus sine exanthematis plurimi pueri cum stillicidio liberati sint. Fiebat (addit) & multis aliorum, & non decumbentibus, & in morbis. Hoc nihil est aliud, quàm quod ante à dixerat, & nunc obiter repetit: putà stranguriam accidisse multis cum febre, & multis sine febre. Quod qua causa cotingerit, suprà quoque dictum est, sed qua causâ vtile fuerit adeò stillicidium vrinæ illo anno partim à me est dictum nuperrimè, partim ex iis quæ Hippocrates narrat, intelligitur. Omnium enim dicit fieri consueuisse per illos morbos celerem & magnam mutationem. Nam si venter incipiebat fluere, malo modo citò sistebatur. Malo modo dicit, quasi intempestiuè, & antequam corpus expurgatum satis esset. Quare fiebat vt cibos tunc iucundè caperent, & febres mitiores fierent, tamen reuerterentur, &, vt dictum est, celeris & magna mutatio, rursum fieret in priorem habitum. Stranguria autem erat diuturna & laborioſa. Atqui quia diuturna, erat bona causa: expurgabat enim plenè corpus, quia laborioſa, erat bonum signum, euacuari enim praua significabat. Igitur quòd diuturna erat & laborioſa, multum idque malum, euacuabatur. Quare meritò pluſquam alia quæpiam euacuatio, contulit. Vrinæ autem erant his, qui ita mictu expurgabantur, multæ craſſæ & variæ & rubræ, & pure mixtæ. Multa quidem vrina ſingulo mictu esse non poterat per stranguriam, verùm poterat esse non omninò pauca, & mictu crebro fiebat, vt multa vrina emitteretur. Craſſæ autem erant & variæ urinæ, quia varii & craſſi ſucci expurgabantur: rubræ, quia multum ſanguinis crudi emittebatur: pure mixtæ, quia ex vlcere, quod corroſione ipſa faciebat vrina, aliquid puris corradebat, exibatque cum exiguo quodam pure. Quod vt ſignificaret, dixit Hippocr μιξόπυα id eſt, pure mixta. Omnes ergo, quibus hoc vrinæ profluuium accidit, ſuperſtites manſerunt: quia perpurgati ſunt.

In his autem qui ſine periculo erant, concoctiones exeuntium omnes omnino tempeſtiuas, aut bonos & decretorios abſceſſus conſiderare oportet.

¶ Hactenus ſemper egit Hippocrates hiſtoricum narrans ſolùm quæ illis annis acta ſunt. Nunc obiter diuertit ad præcepta, agitque, per quaſdam huius operis particulas præceptorum (quanquam profectò

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 20 sur 489

©BIUM

profectò hoc non admodum pertinet ad inſtitutũ) tamen acceptâ occaſione ex iis quæ narrauit ægrotis contigiſſe, ſcribit quaſdam ſententias, partim pertinentes ad prognoſticam, partim ad curatiuam. Illa verba, ἐκκαὶ δὲ ἀκριτίαι, in quibuſdam codicibus leguntur adiuncta ſuperioribus, mihi verò multò aptius videntur, cum ſequentibus congruere. Nimirum, inquit, quæcumque ſine periculo ſunt, vt quaſi dicat, conſiderare debes concoctiones vndequaque prodeuntium, & abſceſſus. Nam quæ ſine periculo ſunt hæc habent, omnium excrementorum vndequaque prodeuntium, velut deiectionũ, & vrinæ, & ſputi (omnia enim conſiderari per febres debent, & nihil negligi) concoctiones bonas, ideſt bona concoctionis ſigna, vera, non fucata, neque fallacia, & tempeſtiuas, hoc eſt, ſuo tempore apparentes, & ſecundum temporis rationem perſeuerantes, non inæquales, aut intempeſtiuè euaneſcentes. Habent præterea abſceſſus decretorios bonos. Vocat abſceſſus decretorios, euacuationes omnes, aut permutationes, aut decubitus ſuccorum in quaſdam partes. Habent ergo quæ ſine periculo ſunt mala, euacuationes, aut abſceſſus bonos. Euacuationes bonæ ſunt, quę per regionem conuenientem, & quæ morbo ſunt accommodatæ, & quæ cum conferentia & tolerantia aguntur. Abſceſſus boni, qui in ignobiles, & humiles, & externas partes fiunt, potius quàm qui in contrarias. Cùm ergo in morbo concoctionis ſigna tempeſtiuè apparent, & ſecundum rationem perſeuerant, & mutationes tempeſtiuas in melius recipiunt ſecundum morbi conſtitutionem, & ſi quæ euacuationes, aut qui abſceſſus fiunt, vt oportet fiunt, ſine periculo homo eſt.

Concoctiones celeritatem iudicationis, & ſecuritatem ſalubrem ſignificant.

Quantò citius apparent concoctionis ſigna, tantò breuiorem futurum eſſe morbum agnoſcimus, quod in Aphoriſ. etiam docuit Hippocr. dicens, & ex iis quæ mox apparent, velut in pleuriticis ſputum, ſi mox apparet poſt principium, contrahit, ſi autem poſtea appareat, producit: & vrinæ, deiectiones, & ſudores. Cauſam illo loco reddidimus. Securitatem etiam ſalubrem indicant. Eſt verò duplex ſecuritas ſalutaris. Dicimus enim ſecurum eſſe morbum, promittentes fore vt ſanus euadat homo. Dicimus etiam ſanitatem quam comparabit, fore ſecuram, dicentes non habiturum hominem recidiuam. Vtramque ſecuritatem ſignificant ſigna concoctionis, ſalutem certè, vſque adeo vt Galenus dicat cum ſignis concoctionis non poſſe hominem mori, niſi quidpiam, in victu, aut curatione peccetur, aut nouus morbus ſuccreſcat (atqui ego quoque ita cenſeo, ſi perfectæ concoctionis ſigna ſint) ſecuritatem quoque ſecundam ſignificant, cum ſunt bona, & tempeſtiua. Nam cum apparent non multò poſt morbi initium ſigna concoctionis, & nunquam amplius euaneſcunt, ſed mutantur in melius ſemper ſecundum rationem, per dies contemplatione dignos, maxima ſpes eſt fore iudicationem optimam & tutam, & ſine recidiuis, perfectam.

Cruda autem & incocta, & in malos abſceſſus conuerſa, aut acriſias, aut labores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem recidiuas. Quod autem horum magis erit, ex aliis conſiderandum.

Cruda maius quiddam ſignificant, quàm nomen incocta. Cruda enim ſunt, quæ omninò talia ſunt, & cocta nullatenus, incocta verò vocat, quæ ſegniter coquuntur, etſi non nihil incipiant. Crudas vrinas ſignificabat paulo ante, dicens, crudæ vrinæ, tenues & decolores: incoctas autem, addens, & poſt tempus parum concoctas. Contraria ergo ſunt duo hæc, cruda, & incocta, illis duobus, concoctiones bonæ, & tempeſtiuæ. Iam verò, mali abſceſſus contrarii ſunt iis, quos vocabat decretorios: malæ ſcilicet euacuationes, quia non ſunt per conuenientes regiones, aut non ſunt morbo accommodatæ, ac proinde aut ſtatim virtutem deiiciunt, aut rurſum nihil proſunt, vt illis ægrotis, ea tempeſtate quam deſcribit, accidiſſe dixit: vel abſceſſus in quaſdam partes noxii, quia in internas, aut nobiles: aut maiores quam vt ferri poſſint, aut minores quam vt proſint. Igitur ſi concoctiones bonæ & tempeſtiuæ, & decretorii abſceſſus, ſignificant celeritatem iudicationis, & ſecuritatem ſalubrem; cruda & incocta, & mali abſceſſus, ſignificabunt omninò contraria. Contraria autem ſunt iudicii celeritati, diuturnitas: & iudicio, acriſia, hoc eſt in iudicatio, quam declaratum eſt à me antea, eſſe difficile iudicium, aut ſolutionem ſine iudicio. In difficultate iudicii ſunt dolores. Securitati ſalubri contraria ſunt mors, & recidiua: ſiquidem dictum antea eſt, duplicem ſecuritatem illo nomine ſignificari. Ergo hic cui hæc aderunt, aut morietur, aut cum difficili iudicatione vel acriſia, vix tandem euadet. Vtrum horum futurum ſit, ex aliis conſiderandum. Quod & in prognoſtico ipſe Hippocrates fuſiùs docuit. Nimirum ſi hæc adſint, & ſalubriter affectus homo ſit, euadet longo tempore, ſin lethaliter, morietur. Eſſe ſalubriter aut lethaliter affectum, cognoſces, conſideratis aliis omnibus ſignis ſalutis aut mortis, in quibus ea quæ conſtantiam aut langorem vitalis facultatis indicant, tenent primas.

Præterita diſcito, præſentia cognoſcito, prædicito futura. Hæc meditator.

Ad medicum pertinere arte prognoſtica vti, circa præſentia, præterita, & futura in initio prognoſtici libri dixit. Rectè autem dicit modò, vt hæc magnoperè commendet, hæc meditator. Non quidem quod hæc meditari ſolum debeat medicus, non etiam exercere, ſed quod nulla ratio diſcendi quidpiam, præſtantior ſit meditatione. Non enim ea quæ legimus ſolum, aut audimus, ſed quæ multum & diu meditamur optimè callemus. Quare quæ magni momenti in artis operibus futura eſſe ſcimus, non vtcumque legere, ſed meditari etiam debemus.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 21 sur 489

Exercere in hoc circa morbos, vt prosis, aut non noceas.

Non est leue quòd hic præcipitur, sed magnum prudentiæ præceptum. Cùm curamus, multa occurrunt dubia, & ambigua, id quod assiduæ altercationes medicorum, nunc de morbi essentia, nunc de causa, nũc de occasione vtendi aliquo auxilio, aperte indicant. Non enim solum altercari contingit imperitos & proteruos, sed doctos etiam & probos non rarò. Atqui nos ipsi nobiscum nonnunquam altercamur, videntes quædam signa, quæ in hanc, quædam quæ in illam sententiam trahũt, vt res quidem sit dubitatione plena. Tunc temporis quid agendum sit Hippo. docet. Agendum quidem erit iuxta coniecturam, quæ videtur probabilior, non ita tamen vt si coniectura nos fefellerit, salutem hominis læserimus, multùm lædentes, sed cautè incipientes à leui aliquo auxilio, vt si res ita tentata minus benè videatur cedere, liceat consilium mutare, vt multum non lædamus. Denique ita operari, vt prosis, aut si non profueris, non noceas tamen, aut, quàm minimum fieri possit, noceas.

Ars ex tribus constat. Morbo, ægroto, medico ministro artis. Aduersari morbo ægrotum cum medico oportet.

Cum tria hæc sint in omni curatione, morbus, ægrotus, & medicus, qui est minister artis, quia exequitur quæ iubet ars: ægrotus & medicus debent conspirare aduersus morbũ. Quia vt alio loco dicitur, nõ solum oportet medicũ præstare se prõptum ad faciendum quæ expedit, sed & ægrotum. Fiet hoc ægroto iuuante medicum, & medico ægrotum: contrarium fieri possit ægroto conspirante cum morbo contra medicum, aut medico cum morbo contra ægrotum: ægrotus iuuat medicum, cùm ei paret, vt oportet; contra, cùm non paret, sed contraria prorsum facit iis quæ iubet medicus, conspirat cum morbo contra medicum. Medicus iuuat ægrotum, cùm benè vtitur sua arte, contraria præstans morbo, & naturæ similia: si verò malè arte vtitur, præstans morbo similia, aut naturæ contraria, conspirat cum morbo contra miserum ægrotum.

Dolores circa caput, & ceruicem, & grauitas, cum febribus, & sine febribus accidunt. Phreneticis quidem conuulsiones portendunt & viridium vomitum, & quidam horum celeriter moriuntur.

Nunc redit ad abscessus. Cùm enim dixisset paulo antea, considerandos abscessus bonos aut malos, nunc quorundam abscessuum, qui cuidam passionis generi solent succedere, mẽtionem facit: velut quædam abscessuum bonorum & malorum exempla proferens. Proinde duos bonos abscessus refert in primis, deinde duos alios malos. Volens autem dicere, quæ soleant succedere dolori grauanti capitis, & ceruicis, dicit, velut propositione quadam vtens, eum dolorem solere cum febre, aut sine febre fieri: cum verò qui per morbos acutos fit, in quibus sequentes abscessus fiunt cõstat cũ febre esse. In hoc genere sunt phrenetici: nam tametsi cùm iam delirant non solent grauitatem capitis sentire, tamen à dolore grauante (repleto nimirum capite) phrenitis incipit. His duo solent superuenire, ambo lethalia, conuulsio & vomitus viridis, conuulsos solere phreneticos mori, & omnia ferè signa, quæ in illis lethalia sunt, conuulsionem imminentem significare, facilè intelliget, qui prognosticum Hippo. legerit, & nostra in illud commentaria. Bilis viridis vomitus, & pessimum signum in eis est, & causa. Signum quidem, quia maxima pessimæ bilis redundantia significatur, cum adeo vsta per os regurgitet: causa autem, quia laborante ore ventriculi, multum læditur per consensum caput. Quod cum alioquin adeo laboret, non potest nouam læsionem, sine magno, citõque periculo sustinere. Conuelluntur ergo plerumque ex hoc malo, vt ex helleboro nõnunquam purgati mori solent. Meritò ergo celeriter moriuntur. Nonnulli quidem repentè in ipso vomitu, nonnulli vno aut duobus diebus.

In febribus ardentibus & aliis, quibus colli dolor, & temporum grauitas, & caligo in oculis, vel hypocondrij contentio sine dolore fit, his sanguis è naribus fluit. Qui autem grauitatem totius capitis sentiunt cum morsu ventriculi & fastidiõ, ij vomunt pituitosa & biliosa, quibus in casibus maxima ex parte pueris conuulsiones contingunt, mulieribus autem, & hæc, & dolores ex vtero. Senioribus autem, & quibus iam calidum vincitur, aut paraplexiæ, aut maniæ, aut priuationes oculorum.

In prognostico eadem ferè scripta sunt, quæ hic, de fluxu sanguinis, & de vomitu. De vomitu quidem his verbis. Si quis per febrem non exitialem „ dixerit caput dolere, aut tenebrosum quiddam „ ob oculos versari, aut si oris ventriculi dolor in „ eo extiterit, biliosa vomitio aderit, sin frigus „ quoque prehenderit, & inferiores hypocondriorum „ partes frigidæ fuerint, adhuc citius vomitio „ aderit. Si quid verò bibat, efitetque sub hoc tempus, per quam cito deuomet. De sanguinis fluxu „ dicit hæc. Quibus per talem febrem dolet caput „ & pro tenebris ob oculos effusis hebetudines „ subeunt oculorum, ac splendor obuertitur, & „ pro oris ventriculi dolore, circa hypocondria, aut „ sinistra parte aut dextra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, „ sanguinem de naribus in his fluere pro vomitione expectandum est. Magis verò & hic, in adolescentibus „ sanguinis fluxum expectari oportet. „ Agentibus verò trigesimum annum, aut etiam „ adultioribus, minus, sed vomitionẽ in talibus expectari oportet. Ex his locis constat, hic cum dicitur, in febribus ardentibus & aliis intelligi debere non exitialibus, quia in exitialibus, mors potius succedet illis signis, quam fluxus sanguinis, aut vomitus: & vbi dicitur, neque cum dolore, intelligi debere, neque cum inflammatione. Nimirum non quiuis dolor tollit imminentis fluxionis sangui-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 22 sur 489

nis ſignum, ſed ille ſolùm qui cum ardore, ſignificare poſſit, contentionem hypochondrii à phlegmone fieri. Signis etiam vomitus addi debent, quæ hic omiſſa, & in prognoſtico ſcripta ſunt. Verum ex his non ſemper fit vomitus, etſi omnia adſint, ſed quibuſdam alii mali abſceſſus, vt pueris cum hæc adſunt, ſolent conuulſiones accidere irruentibus ſuccis qui commoti ſunt, & non euacuantur, in neruos. Nimirum pueris familiarem eſſe conuulſionem antea etiam dictum eſt, & in aphoriſmis, & prognoſtico. Mulieribus verò hæc eadem accidit, & dolores vteri. Quia patienti ori ventriculi citiſſimè conſentit vterus, ob vicinitatem arbitror, & congenerem ſubſtantiam, & communem continuitatem per venas, & arterias, & quia vtraque pars accipit neruos ex ſexto pari eorum quæ oriuntur è capite. Nihil ſane magis eſt experimento compertum, quàm laborante vtero, ſtatim pati ventriculum, & nauſeare, ac euerti, & cum ventriculus dolet, niſi exiguus admodum dolor ſit, vterum etiam paulo poſt dolere. Vt non inutiliter neque ſine ratione, ſoleant mulieres quacunque parte circa totum ventrem doleant, vtero ſtatim proſpicere. Solet enim plerumque, aut primaria, aut ſecundaria paſſione, laborare. Seniores verò qui repletionem habent capitis, quia calidum iam in eis vincitur, non poſſunt expellere fluxu ſanguinis neque vomitu, tentat autem expellere eorum natura, facitque, vt abſcedat in alteram capitis partem, & patiuntur paraplexiam, aut trudit in oculos, & cæcitatem contrahunt: aut ſanguis craſſus & ater in eorum cerebro detentus, perturbat mentem, facitque maniam. Intelligi autem debet hic nomen maniæ, de quauis inſania ſine febre, dici. Senibus enim veriſimilius eſt melancholias, quam furores fieri.

TEMPESTAS III.

IN Thaſo paulo ante arcturum, & in arcturo, imbres multi, magni flante borea. Circa æquinoctium autem, & vſque ad pleiadas, pluuiæ auſtrinæ, paruæ, paucæ. Hyems borealis, ſqualores, frigidi venti, magnæ niues. Circa æquinoctium autem frigora maxima, verboreole, ſqualores, pluuiæ, paucæ, frigidæ. Circa conuerſionem autem æſtiualem Solis, pluuiæ paucæ, magna frigora, vſque ad canē, poſt canem autem vſque ad arcturum æſtas calida, æſtus magni, non paulatim creſcentes, ſed perpetui & vehementes. Pluuia non accidit, eteſiæ ſpirarunt, circa arcturum autem pluuiæ auſtrinæ, vſque ad æquinoctium vernum.

In multis codicibus hæc tempeſtas non eſt ſeparata à proxima, ſed coniuncta quaſi ſit illius pars: tertia verò incipit ab illis verbis, morbos dignoſcimus. Mihi tamen melius videtur hoc loco ſeparare tertiam tempeſtatem à ſecunda, & reliqua totius huius primi libri, ad hanc tertiam referre. Quia vnicam tempeſtatem continet totus liber ex hoc loco, eamque longè diuerſam à duabus prioribus. Hac tempeſtate non ſolùm narratur quid integro anno contigerit, velut in duabus ſuperioribus, ſed altera etiam parte ſequentis anni. Nimirum narratio incipit vnde prius etiam, ab ortu arcturi, & producitur vſque ad arcturum ſequentis anni, & præterea vſque ad ſequentis ver, vt tota narratio contineat annum, & alteram anni partem. Nam primo arcturo acciderunt pluuiæ flante boreâ, & prima hyems fuit borealis, & cum ſqualoribus, ſequenti autem arcturo & ſequenti hyeme, acciderunt multæ pluuiæ auſtrinæ. Primus narrationis annus magna ex parte fuit frigidus & ſiccus, atque quanquam inæqualitatem magnam quædam partes attulerunt (ni mirum in prima parte autumni acciderunt multæ pluuiæ, & magnæ, & in tota ferè æſtate ingens æſtus) tamen totus annus appellationem frigidi & ſicci, ob id, quod magna ex parte fuit, accipere poteſt. Sequentis anni pars cõtraria omninò fuit, calida enim & humida, quia habuit pluuias auſtrinas. Age ergo omnes narrationis partes percurramus. In duas partes diuidit autumnum, primam intelligit, cùm dicit paulo ante arcturum, & in arcturo (ea autem eſt vltima dies Auguſti, aut prima Septembris, vſque ad dimidium ferè:) ſecundam partem autumni intelligit, dicens, circa æquinoctium autem, & vſque ad pleiadas (occaſum ſcilicet pleiadum) eſt id tempus à dimidiato Septembri vſque ad primos dies Nouembris. Contra omninò accidit in his duabus autumni partibus, ac frequenter ſolet: nam in prima flauit boreas, tamen pluit ſæpè & multum: in ſecunda flauit auſter, & pluit rarò & parum. Hyems tota fuit borealis, atque ſi qui alii venti flauerunt, illi omnes fuerunt frigidi. Meritò ergo habuit ſqualores. Boreas enim cum non multum pluit, ſqualores facit. Atqui quanquam ea hyeme niues magnæ fuerunt, non fuerint tam multæ, quin magna ex parte fuerint ſqualores. Addit, circa æquinoctium autem frigora maxima: Vbi conſiderandum, in duas illum partes diuidere nunc ver, primam & ſecundam; & nunc ver vocare, non vt antea vſque ad ortum pleiadum. ſed vſque ad ſolſtitium æſtiuale, quod eſt ferè in medio menſis Iunii. Nam cum dixiſſet, ver boreale, ſqualores, pluuiæ paucæ, frigidæ, addit, Circa conuerſionem autem æſtiualem, quaſi ver ſit vſque ad hanc conuerſionem. Dicit accidiſſe à conuerſione Solis, ſiue à ſolſtitio vſque ad canis ortum, paucas pluuias, & magna frigora. Ego verò non intelligo fuiſſe frigora magna, vt per hyemem (neque enim opinabile eſt) ſed intempeſtiua, ideſt maiora multò quàm eo tempore ſolent. Æſtatem diuidit hic Hippo. in duas partes, primam ante canem, ſecundam poſt canem. Canis verò eſt duplex, vt in commentariis aphoriſmorum diximus fuſiùs, maior eſt, quem vulgò vocant caniculam (Græcis dicitur Sirius:) minor eſt, qui ante canis nobis, Græcis procyon vocatur. Sydus hoc eſt in Leone, oriturque cum Sole, menſe Iulii, canis quidem circa medium, procyon, ſiue antecanis, decem ferè dies ante canem, vtetque poteſt appellari canis. Nunc non explicat vſque ad cuius canis ortum dicat, fuiſſe paucas pluuias, & magna frigora, haud multum refert. Sed cum antonomaſiè nomen canis de Sirio dicatur, ad hũius vſque ortum putet quis illum dicere. Poſt canem vſque ad arcturum, æſtatem calidam, & vſtiones magnas fuiſſe dicit,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 23 sur 489

non ex adiectione, ideſt non paulatim ingruentes, & per partes facta adiectione, ſed repentè: & fuerunt continentes, ideſt, citra intermiſſionem, & fortes. Pluuia non accidit (quæ cauſa maioris ardoris erat) eteſiæ ſpirarunt, ſed cum non attemperarent, conſtat fuiſſe flatus quoſdam calidiſſimos. Reliqua dicit fuiſſe pluuias auſtrinas, vſque ad ſequentis anni ver.

In hac conſtitutione per hyemem quidem cœperunt paraplexiæ, & multis accidebant, & quidam illorum moriebãtur celeriter. Etenim hic morbus valde popularis erat. Cætera autem tranſigebant ſine morbo.

Magna ex parte annus hic fuit frigidus & ſiccus, tamen fuit mirè varius, proinde lõge diuerſos morbos attulit: per hyemem primam, paraplexias: ſequenti vere & æſtate febres ardentes. Paraplexias quidem fecit multus humor, qui collectus per autumni pluuias eſt in capitibus hominum, & ſequenti borea, & frigore denſatus, ac velut concretus. Veriſimile eſt autem hoc ipſo tempore, quo multi paraplectici fiebant, aliis congeneres morbos accidiſſe, iis qui plus læſi ſunt apoplexias, iis qui minus corizas & vertigines. Paraplexia autem rarò ſoluitur perfectè, & tutò, ſed duos habet exitus, bonum quidem, cùm in partis cuiuſdam, vt brachii, aut cruris paralyſim finitur. malum, cùm in apoplexiam, quod multis euenit illa tempeſtate, qui repentè moriebantur. Nimirum erat magna ægrotandi cauſa, ac proinde, & ægrotatio. Cætera, inquit, tranſigebant ſine morbo. Hoc eſt, tota illa hyeme non fuit aliud morbi genus, præter paraplexias ſcilicet & congeneres illos morbos.

Ante ver autem incœperunt febres ardentes, atque ab æquinoctio ad æſtatem vſque perdurauerunt, quicumque autem vere, & æſtate ineunte, ſtatim ægrotare cœperunt, plurimi ſeruati ſunt, & pauci quidem interierunt, autumno autem iam, & cum pluiſſet; lethales erant, & plures interierunt.

Febres illæ ardentes fieri potuerint, & ex pituita ſalſa, & ex bile. Nam hyems, quia frigida, congeri fecerit pituitam in pituitoſis, quia ſicca, ſalſam: & in biliioſis fecerit bilem congeri, cohibito effluuio per frigus: & per ſiccitatem, fecerit eam eſſe acrem. Veniente ergo calore, bilis cohibita putreſceret, & pituita quæ cum frigore obſtructiones & deſtillationes faciebat, cum calore faceret putridas febres: eas dicit ab æquinoctio ad æſtatem vſque perduraſſe. Non tamen intelligit cœpiſſe vere, & æſtate ineunte extinctas eſſe, ſed per totum ver, & totam æſtatem duraſſe: non quidem eas ipſas febres, quæ ineunte vere ortæ ſunt, eſſe productas vſque ad autumnum (non enim tam longæ erant: cùm quibus longiſſimæ erant, quadraginta diebus iudicari, mox dicat) ſed hoc genus febrium graſſatum eſſe per totum ver, & æſtatem. Qui vere & æſtate ineunte febricitarunt, minus lethaliter affecti erant, ſed plurimi ſeruabantur, pauci moriebantur. Nimirum illud morbi genus quum incipiebat, non erat adeo graue, ac poſtea effectum eſt: autumno autem iam & cùm pluiſſet, lethales erant febres. Nam tales etiam eſſe ſoient in autumno, & tunc ob auſtrinum ſtatum, & multam pluuiam, maligna putredo fiebat: æſtatis vltimam partem præterit: tamen veriſimile eſt in ea fuiſſe febres magis lethales prioribus, & minus poſterioribus. Quia cauſæ earum febrium iam intendebantur, cùm duratione, tum etiam nouo, magnoque eius partis æſtu, & humor pluuiæ cum auſtrino tempore, nondum venerat.

Fuerunt autem febribus ardentibus hæ affectiones. Quibus benè & largiter ſanguis ex naribus fluebat, & ob hanc cauſam maximè ſeruati ſunt, & nullum ſcio benè ſi ſanguis fluxiſſet, in hac conſtitutione mortuum eſſe. Nam Philiſco, Epamenoni, & Sileno, quarto & quinto die parum de naribus deſtillauit, & mortui ſunt.

Febres ardentes ſemper ferè ſolent afferre fluxum ſanguinis de naribus, ſanguine ſurſum lato præ calore, & admiſta bile: & ea euacuatio in illis maximè prodeſt, quia ipſius venas & arterias per ſe vacuat putreſcente ſucco, & eo, qui paratus eſt putreſcere, & feruorem extinguit. Meritò ergo ſeruabantur quibus ſanguis fluxiſſet benè, decretoriè ſcilicet, & tempeſtiuè. Largiter, id eſt, pro multitudinis ratione. Stillas ſanguinis de naribus, partim vituperauit antea, partim poſtea in hoc ipſo opere vituperabit non ſemel. Narrabuntur etiam hiſtoriæ Philiſci & Sileni.

Plurimi ergo ægrotantium circa criſim rigebant, & maximè quibus ſanguis non fluxiſſet, ſuperrigebant autem iidem, & ſudabant.

Pleriſque eorum qui liberati ſunt fluxit ſanguis, neque tamen omnibus, ſed quidam alias iudicationum ſpecies habuerunt, velut quidam, rigores quibus ſucceſſit ſudor. Cuius ſpeciei iudicationis in Aphoriſmo etiam meminit. dicens, à febre ardente rigore ſuperueniente ſolutio: dicit autem nunc, non eſſe iudicatos, quibus ita contingit vno rigore, ſed riguiſſe iterum atque iterum vſque dum exudarũt, in tanta enim ſuccorum copia, & corporum denſitate quam anni frigus fecerat, non potuit fieri aliter.

Quibuſdam morbus regius ſexto die accidit. Sed hos aut per vrinã purgatio, aut aluus turbata iuuabat, aut magnum profluuium ſanguinis. Vt Heraclidæ accidit, qui iuxta Ariſtoclidem decumbebat. Atqui huic & ex naribus fluxit ſanguis, & venter turbatus eſt, & per veſicam eſt purgatus. Iudicatus autem eſt ſexto die, non vt Phanagoreon ſeruus, cui cùm nihil horum euenifſet, mortuus eſt.

Multis dicit accidiſſe morbum regium ſexto die, qui deinde purgatione per vrinã, aut turbata aluo, profluuio ventris, iuuati ſunt, aut omnibus his euacuationibus factis, quod accidit Heraclidæ. Illi enim qui morbum regium habuerunt, nullam autem de-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 24 sur 489

incepsillarum euacuationum, mortui sunt, velut Phanagoreon. Pœ febres ex bile factum esse regium morbũ, haud est mirum, cæterũ facto regio morbo die sexto, seruatos esse, alicui videbitur magis mirandum, cum idem Hippoc. in Aphorismo damnauerit ante septimum diem factum regium morbum. Sed mirari desiner, qui quæ de hac quæstione lib. 10. cont. à me sunt scripta, legerit. Vbi monstrauimus Hippocratem non dixisse illud esse lethale, nedum admodum lethale, sed malum, ita tamen malum, vt possint multi cum eo signo liberari. Quod quidem Hippocratem & intellexisse, & vidisse, hic locus facit palam, quem constat, neque Auerroem, neque Plinium legisse. Ambo enim Hippocratem carpũt, quasi dixerit, nullum cum eo signo liberari posse.

Profluuia autem sanguinis plurimis, maximè autem adolescentibus, & ætate vigentibus, & moriebantur plurimi horum, quibus sanguis non fluxisset. Senioribus autem in morbos regios, aut ventres turbati, aut dysenteriæ, vt Bioni, qui prope Silenum decumbebat. Populariter autem grassabantur dysenteriæ per æstatem: & quibusdam ægrotantium, quibus profluuia etiam sanguinis facta sunt, in dysenterias finita sunt. Vt Eratonis puer & Mylus, magno fluxu sanguinis facto in affectionem dysentericam inciderunt.

Profluuia sanguinis meritò calidis ætatibus acciderunt, quia his per se est familiaris ea euacuatio, cùm autem his qui robusti sunt natura, fit fluxus sanguinis, senibus qui sunt debiles, pro fluxu sanguinis fit morbus regius, aut diarrhœa, aut dysenteria. Cùm autem accidebat iuuenes & adolescentes tam esse debiles, vt non possent sanguinem effundere, constat grauiùs affectos eos esse quàm senes, longius enim à sua natura aberat ea debilitas. Proinde moriebantur plurimi horum, quibus sanguis non fluxisset. Neque mirum est per ætatem vulgatam esse dysentetiam, neque quibusdam, quanquam fluxisset sanguis, accidisse; nihilominus redundante omnes per partes bile.

Multus ergo hic succus, & maximè abundabat. Quandoquidem & quibus circa crisim non fluxit sanguis, tamen tubercula secundum aures excitata euanuerunt. Hæc autem cum euanuissent, secundum ilium sinistrum grauitas, & summam coxam. Doloribus autem per crisim factis, & vrinis tenuibus exeuntibus, cœperunt sanguinem exiguum effundere. Circa vigesimumquartum fiebant in fluxum sanguinis abscessus Antiphonti Critobuli. Qui vbi sedatus est, iudicatus est perfectè circa quadragesimum.

Multum fuisse hunc succum, sanguinem scilicet biliosum, probat, quia quibus sanguis circa iudiciũ non fluxit copiosè, multos deinde habuerũt abscessus, & multas euacuationes, & tandem vltra fines omnes acutorum progressi, finẽ acutorum ex decidentia, qui est quadragesimus dies, attigerunt.

Mulieres autem ægrotauerunt multæ, pauciores autem quam viri, & mortuæ sunt pauciores. Difficilem autem partum habuerunt plurimæ, & post partum ægrotarunt, & mortuæ sunt hæ præcipuè, vt Telebuli filia mortua est sexto à partu. Pluribus itaque in febribus muliebria apparuerunt, quibusdam autem ex naribus sanguis fluxit, & virginibus multis tunc primum accidit. Nonnullis autem cum hæmorrhagia etiam & muliebria apparuerunt, vt Dætharsidis filiæ virgini apparuit primum, & ex naribus largè sanguis profluxit. Et nullam scio mortuam earum quibus horum aliquid benè euenit. Quibus autem accidit, vtero gerentibus ægrotare, Omnes, quas ego noui, fœtus corrupuerunt.

Dicit ægrotasse pauciores mulieres viris, & pauciores mortuas esse. Verisimile est illud accidisse ob menstruam illam euacuationem eis adeò consuetam, quæ à multis morbis, & magnis periculis liberare solet. Fluxit copiosè sanguis hac tempestate, mulieribus etiam, vsque adeo, vt quibusdam menstruæ euacuationes fluerent, quibusdam que virginibus febre correptis, tunc fluerent primum, cum nunquam antea fluxissent, quibusdam simul hæc, & de naribus, sanguis fluxit. Et nullam cui horum aliquid bene, idest pro multitudinis ratione, euenerit, dicit Hipp. scire se, esse mortuam: nimirum erat euacuatio satis congruens morbi speciei, & magnitudini. Vtero gerentes dicit hac tempestate periclitatas esse. Eas enim quæ peperierunt, ægrotasse post partum, & mortuas esse, eas autem quæ ægrotauerunt antequam parerent, corrupuisse fœtus. Quod quidem cum aeris alteratione, & iis quæ in sententiis scripta sunt, satis est consentaneum. Nam frigiditas temporis faciebat exiguam expurgationem per partum, quare & partum difficilem, & post hũc, morbus ille qui tunc erat epidemialis, qui cùm alioqui esset acutissimus, partus labori superueniẽs lethalis euadebat. Ver autem siccum & boreale facere ad abortum, tertio libro aphoris. dixit ipsemet Hipp. quod verò Telebuli filiam sexto à partu die mortuam dicit, apertè insinuat, quod in prognostico docuit, in muliere quæ peperit, computationem dierum decretoriorum incipere debere à partu, & non ab ipsa febre: quatenus illud verum sit, libro decimo controuersiarum à me dictum est, in quo caput proprium habet ea disputatio.

Vrinæ autem plurimis, boni coloris quidem, tenues autem, & sedimenta exigua habentes cum deiectionibus tenuibus & biliosis. Multis autem iam iudicatis in dysenterias desiit morbus, vt Xenophani, & Critiæ. Vrinæ autem aquosæ, multæ, purè, tenues post crisim fuerunt cum multo sedimento, & aliis benè iudicatis. Memini quibus acciderit: Bioni qui decumbebat iuxta Silenum: Critiæ, qui iuxta Xenophanem: Aretonis puero, Mnesistrati mulieri. Post hæc autem dysenterici facti sũt hi omnes,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 25 sur 489

quod quidem vrinas reddiderunt aquoſas, conſiderandum.

Dicit quales vrinæ apparerent in plurimis illa tempeſtate per morbos, boni coloris, inquit, & tenues. Has crudum morbum ſignificare in prognoſtico ſcripſit, maximè cum ſedimenta haberent, exigua, appareretque cum deiectionibus tenuibus & biliosis. Verum hæc narrat, vt quæ morbo eunte in iudicationem apparerent. Multis autem aliis dicit iudicatis iam, hoc eſt, cum febres ardentes tempus ſuæ iudicationis exceſſiſſent, morbum eſſe in dyſenterias finitum, vt Xenophani & Critiæ. Quia ſcilicet reliquiæ excrementorum biliosorum decumbentes in inteſtina, ea radebant. Quibuſdam etiam accidit poſt criſim, ideſt poſt ſummum vigorem, alia ratio euacuationis, multa vrina aquoſa, pura, tenuis. Talem autem ſolere iuuare, Aphor. 69. particulæ 4. dictum eſt, multo ſedimento exiſtente, & aliis benè iudicatis, hoc eſt, poſtquam multùm boni ſedimenti aparuerat, id quod ſummum vigorem fuiſſe iudicauerat, & aliis benè iudicatis, hoc eſt, ſecundum rationem factis aliis mutationibus per dies decretorios, & contemplabiles. Hoc, inquit, accidiſſe Bioni, Critiæ, Aretonis puero, Mneſiſtrati mulieri. Hos verò dicit tandem factos eſſe dyſenteticos, atque vt huius dyſenteriæ cauſam ſignificet, dicit, quod vrinas reddiderunt aquoſas conſiderandum. Si enim biliosas reddidiſſent, eſſet expurgata bilis, cum autem aquoſas reddiderint, retenta eſt, quæ deinde in inteſtina incidens, ea exulcerauit.

Circa Arcturum autem multis iudicium accidit vndecimo die, & his non ſecundum rationem accidentes recidiuæ, reuertebantur. Erant autem etiam comatoſi hoc tempore, plures autem pueri, atque hi moriebãtur omnium minimè.

Non narrat quæ eo autumno, à quo tota narratio incæpit, euenerunt, ſed quæ autumno ſequentis anni, qui in tota narratione fuit ſecundus. Multos dicit iudicatos eſſe vndecimo die, atque his factas recidiuas. Mirum autem quod videtur dicere, eas recidiuas præter rationem fieri, cum nihil ſit frequentius in Autumno, illo præcipuè, qui tantæ intemperiei ſuccedens, ipſe quoque inſignem quandam intemperiem afferebat. Verùm quod Hippo. dicit, hoc eſt. Recidiuas tam multas illa tempeſtate accidiſſe, vt illis etiam morbis, qui videbantur eſſe perfectè iudicati, tunc, præter expectationem medicorum, recidiuæ fierent. Itaque perinde eſt, ac ſi diceret, morbis etiam illis, qui ita ſoluti eſſe videbantur, vt ſecundum rationem nullæ recidiuæ viderentur euenturæ, recidiuæ fiebant. Multi hoc tempore fiebant comatoſi, ob humiditatem, arbitror, auſtrinam, atque hac ipſa cauſa, maximè eo morbo ſunt correpti: & ob calorem, & naturalium virium robur, maximè liberabantur fluxione ſanguinis, arbitror, quia adoleſcentes, quibus ſanguis non flueret, maximè mortuos eſſe illo anno, paùlo ante dixit. Puerorum autem natura naturæ adoleſcentium vicina eſt, vt ætas ætati.

Circa æquinoctium autem, & vſque ad Vergilias, & ſub hyemem, producebantur etiam febres ardentes; tamen & phrenetici tunc temporis plurimi fiebant, & moriebantur horum plurimi. Fiebant autem & æſtate pauci.

Durabant etiam febres ardentes per autumnum & hyemem, quia ea hyems cùm eſſet calida, non extinxit bilis feruorem. Phrenetici autem, & comatoſi facti tunc ſunt, quia auſtrina conſtitutio omnia excrementa ad caput conuocauit. Plurimi ergo hac ratione fiebant, plurimi autem moriebantur, quia inſalubris conſtitutio longa, iam vires debilitauerat, & multum creuerat. Nimirum in omni conſtitutione inſalubri, illi maximè ſolent euadere, qui primi, cùm nondum cauſa inualuit multum, corripiuntur, aut qui vltimi, cum iam langueſcit. In æſtate etiam fiebant phrenitici nonnulli, quibus ſcilicet ob ſolam feruoris vehementiam bilis in caput effebatur.

Ergo cum febres ardentes inciperent, ſignificabant quibus lethalia impenderent. Statim enim incipientibus, febris acuta, parum rigebant, inſomnes, anxii, ſitibundi, faſtidioſi, paulum exudantes circa frontem, & clauiculas, ſed nullus per totum. Multùm delirabant, timores, triſtitiæ, extrema ſubfrigida, pedes extremi, præcipuè autem manus. Acceſſiones in diebus paribus, plurimis autem quarto die dolores maximi, & ſudores plurimum ſubfrigidi, & extrema non iam recaleſcentia, ſed liuida, ſubfrigida, neque ſitiebant. Adhuc his vrinæ nigræ, tenues, paucæ, & alui ſiſtebantur, neque fluebat ſanguis ex naribus vlli eorum quibus hæc accidebant, ſed paucus ſtillauit, neque ad recidiuam vlli horum res venit, ſed ſexto die mortui ſunt cum ſudoribus.

Refert quæ ſigna apparuerint in iis qui per febres ardentes mortui ſunt, ea verò ſunt, quæ in prognoſtico lethalia eſſe dicit. Quædam verò eorum quæ refert, erant aſſidentia, aut mox apparentia, cuiuſmodi, febrem ſtatim fuiſſe acutam, parùm riguiſſe, inſomnes, & anxios fuiſſe, & ſitibundos, faſtidioſos, parùm ſudantes circa frontem, & clauiculas, multum deliraſſe, timidos, triſtes fuiſſe, pedes & manus præcipuè frigus habuiſſe, & acceſſiones fuiſſe diebus paribus, quædam autem erant ſuperuenientia, quæque hominibus propè mortem iam conſtitutis eueniebãt, à quarto die vſque ad ſextum, quo mortui ſunt, cuiuſmodi, quarto die dolores habuiſſe maximos, & ſudores plurimum duraſſe ſubfrigidos, & extrema non iam recaleſcentia, ſed liuida, cum frigore, & ſine ſiti eſſe factos, cum prius ſitiſſent, & vrinas fuiſſe nigras, tenues, & paucas, & ſuppreſſam eſſe aluum, neque fluxiſſe, ſed ſtillaſſe ſanguinem. Atque hæc omnia lethalia eſſe, & qua etiam de cauſa, in noſtris commentariis in prognoſticum Hippocratis ſcripſimus, præter pauca quædam, quæ neceſſe eſt, vt hoc loco dicantur. Parùm riguiſſe incipientibus febribus, non proinde malum eſſe dicit, quia multum riguiſſe melius foret, ſed quia omninò riguiſſe per febrem ardẽtem, cuius figuræ rigor non congruit, & ante tempus quo poſſet rigor eſſe iudicatorius, nihil aliud poterat indicare, quam mali-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 26 sur 489

©BIUM

gnam ſuccorum qualitatem. Acceſſiones diebus paribus accidere per febres ardentes, & bilioſas, deterius multò eſt, quàm imparibus. Nam cum tales febres habeant tertio quoque die acceſſiones, diebus paribus habent, cum ſecundo, quarto, ſexto, & octaue, exacerbationes; primo autem, tertio, quinto, & ſeptimo, remiſſiones habent. Sed quo pacto remiſſio eſſe poſſit die primo, cùm nondum creuerit? videtur enim omnis febris intermiſſio, aut remiſſio, ex intenſione fieri: certè in his non ita, ſed primo die febris acuta incipit, & tamen ſemper creſcit vſque ad finem ſecundi diei, ita vt in ſecundum diem acerbiſſima totius periodi pars incidat. Fitque ita, vt primo die remiſſior febris fuerit, non quòd iam remiſerit, ſed quòd nondum creuerit, eodem modo fiunt ſequentes periodi, vt ex primo & ſecundo, ita ex tertio & quarto, & ex quinto & ſexto, hoc verò conſtat multò grauius eſſe, quàm diebus imparibus acceſſiones eſſe, quantò ſe licet grauius eſt, incremẽtum longum eſſe, quàm inclinationem. Accedit alia ratio ex dierum decretoriorum vi. Cùm enim magna ex parte impares ſint magis iudicatorii: iudicatoriis autem diebus facultates naturales multum iuuentur ab aſtris, fit, vt qui habent acceſſiones paribus diebus, minus adiuti, deterius ferant. Vt autem diebus paribus deterius habere malum eſt, ita quarto die grauiſſimum. Quia hic idem eſt par, & decretorius. Grauiſſimum autem eſſe diebus decreriis habere deterius, dictum eſt ſuperiori Tempeſtate. Non ſitire, cùm febris ardens veniſſet ad ſummum, dictum etiam antea eſt, eſſe grauiſſimũ. Corruptionem enim facultatis, aut delirium ſignificat. Vrinas nigras poſſe eſſe tenues, quidam negant, nos in controuerſiis affirmauimus, & probauimus. Hippocrates his ægrotis fuiſſe ciuſmodi narrat. Stillicidia, cùm deberet fluere ſanguis, aut omninò retineri, millies Hippo. vituperat. Mirum verò, quòd dicat, non habuiſſe homines recidiuas, qui ſexto die mortui ſunt. Quo enim pacto haberent mortui? Verùm Hippocrates innuit homines qui ita affecti eſſent, ſi omninò euaſiſſent, fuiſſe recidiuas habituros. Nam cum tam grauibus ſymptomatis, ſi adeo facultas reſtitiſſet, tamen non potuiſſent niſi cum difficili iudicio, & cum recidiuis liberari. Ergo quaſi diceret. nullus liberatus eſt, ſed omnes perierunt, dicit nulli horum res venit ad recidiuam, ſed ſexto die mortui ſunt cum ſudoribus. Sexto quidem die, quia hic dies peſſimus eſt, & morbus erat acutiſſimus, quique ſi per impares moueretur, attigiſſet ſeptimum, ſed quia mouebatur per pares, attigit ſextum ſolùm. Cum ſudoribus, quia id moriendi genus familiare eſt iis, quibus innatum calidum langueſcit, & euolat.

Phreneticis autem acciderunt etiam, quæ antea ſcripta ſunt omnia, iudicabantur autem hi magna ex parte vndecimo, quidam autem & vigeſimo. Quibus autem ſtatim non à principio phrenitis incæpit, circa tertium aut quartum diem. Sed mediocriter habentibus in primo tempore circa ſeptimum, in acutiem morbus euaſit.

Quidam illa tempeſtate facti ſunt phrenetici à principio ægrotationis, quidam aliquandiu febricitantes, poſterius phrenetici euaſerunt. Verùm perrarum eſt, vſque adeo vt non meminerim modo an aliquando viderim, à primo febris die, ac multo minus, à primo inſultu phreneticum fieri. Proinde Hipp. illud à principio inuadere phrenitim, explicuit, dicens, circa tertium vel quartum diem. Atque hoc loco Hippo. ita vtitur nomine principii, vt à principio fieri dicat, quod intra primos quatuor dies. Quod ergo hic dicit, hoc eſt. Phreneticos habuiſſe omnia quæ antea dicta ſunt, hoc eſt, mortuos eſſe plurimos, & eos habuiſſe lethalia ſigna, quorum nuper facta mentio eſt. Cæterum non tam cito interiiſſe, quam eos qui ardente febre tenebantur; eos enim ſexto die mori dixit, hos vndecimo, ac nõnullos etiam vigeſimo eſſe iudicatos: cœpiſſe autem phrenitides quibuſdam à principio intra primos febricitandi dies, aliis verò ſeptimo die, cum antea mediocriter viderentur habere, eò quòd ſine delirio, & ſæuis eſſent accidentibus.

Multi itaque morbi fuerunt, ex laborantibus autem moriebantur maximè pueri, adoleſcentes, vigentes ætate, glabri, ſubalbidi, rectis capillis, nigris capillis, & nigris oculis, qui in otio & ſocordia vixerant. Altam habentes vocem, & qui gracilem, & qui aſperam. Balbi, iracundi, & mulieres plurimæ huiuſce generis peribant.

Multos morbos dicit fuiſſe, multos ſcilicet & varios. Refert autem quales mortui ſint maximè. Vt autem morbi fuerunt varii, ita ex illis variæ naturæ homines mortui ſunt, non quidem ex omnibus omnes qui referuntur, ſed hi ex his, alii ex aliis. Velut ex aliis pueri, adoleſcentes, vigentes ætate: ex aliis glabri, ſubalbidi, rectis capillis, & reliqui. Hi enim omnes frigidi ſunt, illi calidi. Calidi ergo ex febribus ardentibus, & phrenitide: frigidi ex paraplexiis & aliis frigidis morbis moriebantur. Nam ætates quas memorat, calidas eſſe, in confeſſo eſt apud omnes: reliquos qui in hac narratione continentur, eſſe frigidos, dictum, monſtratumque eſt à Gal. lib. artis medicinalis, & à me in commentariis. Glabros dico, ſubalbidos, rectos habentes capillos, & nigros oculos, & balbos, & mulieres, degenteſque in otio, & ſocordia. Sed quod nigros capillos, & habentes altam vocem, & gracilem, & aſperam, & iracundos, inter frigidos commemorat, oportet conſiderare: Nam nigros capillos caloris eſſe ſignum lib. citato docuit Gal. eſtque ab omnibus receptum. Alta autem vox (quidam etiam legunt magnam) robur videtur ſignificare in inſtrumentis vocis, quare & calorem. Iam verò iracundia multò magis videtur naſci ex calore: cùm ira feruor ſanguinis ſit. Cæterum quòd ad nigros capillos attinet, cenſeo, quod alio etiam loco memini me dixiſſe, non eſſe ab Hippocr. ſcriptum μελανότριχες, id eſt, nigros capillos, ſed μεγαλότριχες, id eſt, magnos habentes capillos, ὑψόφωνοι autem, id eſt, altam vocem habentes, dicuntur, qui habent, qualem eunuchi, & mulieres, & pueri, hoc tamen anguſtæ viæ, ac proinde frigoris eſt, ἰσχνόφωνοι autem, ideſt, gracilem vocem habentes, dicuntur, qui habent debilem, quod debilitatis inſtrumentorum ſignum eſt. Aſpera autem vox aſperitatem arteriæ ſequitur: hæc

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 27 sur 489

©BIUM

autem in excrementosis, ac frigidis non raro fit, ὀργίλον autem est, id est, iracundi, dicuntur, non qui animosi sunt, sed qui leui de causa, atque sæpe, irascuntur, quod frigidorum esse, mulieres indicant. Causa autem est in calidi innati debilitate, quod facilè à quauis causa molestiam subit. Verùm hoc quoque, loco citato artis medic. dictum est fusius.

In hac verò constitutione: ex quatuor præcipuè signis seruabantur. Quibusdam enim ex naribus sanguis fluebat, aut per vesiccam multa vrina, & multum sedimentum & bonum habens procedebat: aut perturbatâ aluo biliosa tempestiuè exercebant, aut dysenterici fiebant. Multis autem contigit non ex vno suprascriptorum signorum iudicari, sed plurimis per omnia excurrere, & videri habere grauius. Seruabantur autem omnes, quibus hæc contigerunt. Fœminis autem & virginibus contigebant etiam omnia antea scripta signa. Quibus autem aut horum aliquid bene fiebat, aut muliebria largiter apparebant, per hæc seruabantur, & iudicabantur. Et nullam noui mortuam earum quibus horum aliquid bene fiebat. Phylonis enim filiæ ex naribus largiter fluxit sanguis, cum autem septimum iam attigisset diem, cœnauit intempestiuius; mortua est.

Ipsas euacuationes vocat signa decretoria. Erant autem simul signa & causæ. Nam & faciebant, & futuram significabant sanitatem. Erant autem quatuor, quæ dicit, sanguinis è naribus fluxio, & vrinæ per vesicam, & biliosorum (biliosa vocat omnes putredinem præ se ferentes succos) fluxio per turbatam aluum, quæ quidem dysenteriam multis afferebat, & menstrua fluxio, quæ muliebria vocat. Cùm dicit purgatos esse multos vrina multa, multum & bonum sedimentum habente, non intelligit sedimentum illud, album, læue, & æquale, quod maximè probari potest. Illud enim non solet ad expurgationem esse satis, sed quod post hoc venit, multum, etsi in matula resideat, & crassum, aut varium sit. Tale enim fieri solet, cùm homo purgatur per vesicam, etiam salubriter. Bonum autem hoc loco est, quod est, quale euacuari oportet: velut in aliis euacuationibus decretoriis. Vt si piruitosa sit febris, & post concoctionis signa multum succi crudi mingatur, aut si sit melancholica, & mingatur multum nigrum post concoctionis signa. Hoc enim etiam est necessarium: nam hoc est tempestiuam esse euacuationem: scilicet, quæ ante concoctionis signa, intempestiuè: quæ post illa, tempestiuè euacuantur. Vtrumque autem necessarium esse, apertè dicit ipse Hippo. addens, aut per turbatam aluum, biliosa, tempestiuè. Nimirum biliosa ideſt qualia oportet euacuari, tempestiuè, post signa concoctionis. Verùm, inquit, accidisse multis, quod sæpe solet. Nimirum non iudicabantur benè, cùm primum hæc eueniebant, sed quanquam eueniebant omnia simul, aut eorum quædam, videbantur incipere habere grauius, nihilominus multo deterior conditio erat eorum, quibus nihil tale eueniebat; hi enim moriebantur: illi autem etsi perdifficilem iudicationem habebant multi, liberabantur tandem omnes, & nullus mortuus est eorum, quibus horum aliquid bene fiebat, nisi magnoperè in victum peccaret. Velut Phylonis filia, quæ etsi fluxum largum sanguinis habuit, tamen mortua est, quia septimo die, cœnauit lautè, intempestiuius inquit, quia cœnauit quo die maximè debuit abstinere.

Quibus in febribus acutis, maximè autem ardentibus, spontaneæ lachrymæ erumpunt, his ex naribus fluxum sanguinis expectare oportet, nisi alia lethaliter habeant. Quandoquidem male habentibus non fluxum sanguinis, sed mortem significant.

Quamquam narrare tantum ea, quæ circa ægrotos obseruabat Hippoc, hoc libro cœperit, tamen nonnunquam occasione arrepta ab historia, per digressionem quædam ad artem pertinentia docet, velut antea non semel fecit, atque modo facit. Lachrymas spontaneas dicit significare imminentem fluxum sanguinis de naribus: non tamen vtcunque, sed adhibitis quibusdam distinctionibus: nimirum non in quibusuis febribus, sed in acutis, atque inter has maximè in ardentibus, quia in his maximè solet fieri hoc genus iudicationis: sed neque in his semper, sed cum ex aliis signis videtur homo esse salubriter affectus. Nam si non ita affectus sit, possint esse signum mortis. Quod quidem ab Hippo. ipso in prognostico cap. 2. dictum est, & à me eo loco explicatum.

Quibus febre iudicatorie desinente, tumores circa aures in febribus erumpentes neque sedantur, neque suppurantur, hos diarrhœa biliosa, aut dysenteria, aut crassarum vrinarum subsidentia soluit. Quale quid Hermippo Clazomeno contigit.

Velut in Aphorismo dictum est, surditatem superueniente diarrhœa solere solui. ita modo dicit, tumores quosdam qui ex febribus relinqui solent, neque resoluti, neque suppurati, solere solui diarrhœa, aut vrina copiosa. Est autem eadem ratio soluendi surditatem & ea tubercula, & solutionis quæ superueniente diarrhœa, aut vrinæ profluuio fit. Vtrumque enim fit facultate succos in partem cõtrariam, & in vias euacuationis detrudente. Huius Hermippi Clazomenii morbus narrabitur paulo infra. Hic enim est ægrotus decimus illorũ quatuordecim, quorũ historiæ narrantur in huius primi libri calce.

Quod ad iudicationes, ex quibus dignoscimus, aut similia, aut dissimilia. Velut duo fratres, qui habitabãt propè theatrũ simul eadem hora cæperunt ægrotare, erãt Epigenis fratres. Horũ natu maiori iudiciũ fuit die sexto, iuniori autẽ, septimo. Rediit ambobus simul eadẽ hora. Intermisit dies quinque. Ex recidiua autẽ iudiciũ fuit vtriq; simul omninò, decimo septimo. Iudiciũ autẽ erat plurimis quinto die. Intermisit septẽ dies, à recidiuis autẽ iudiciũ erat

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 28 sur 489

©BIUM

quinto. Quibus autem erat iudicium ſeptimo, intermiſit ſeptem, à recidiua autem iudicabãtur tribus. Quibuſdam autem erat iudicium ſeptimo, habentes autẽ intermiſſionem tres, iudicabãtur ſeptem. Quibuſdam autem deſijt ſexto, & intermiſſiones habẽtes ſex, arripuit eos tres. Quibuſdam autem deſijt primo, arripuit & iudicatus eſt vnica, Vt Euagonti Depharſidis. Quibuſdam autem iudicium erat ſexto die, deficiebat ſeptem, a recidiua autẽ iudicabantur quatuor diebus, vt filiæ Aglaidæ. Plurimi ergo ægrotantiũ in hac conſtitutione hoc modo ægrotabant, & nullum noui eorum qui ſuperfuerunt, cui non contigerint recidiuæ ſecundum rationẽ aduenientes. Et ſeruabãtur omnes quos ego noui, quibus recidiuæ hac forma factæ ſunt. Neq; ægrotantiũ hoc modo cuiquam ſcio recidiuam accidiſſe rurſum. Mortui autem ſunt ægroti multi ſexto die vt Epaminondas, Silenus, & Philiſcus Antagorei.

¶ Nunc redit ad narrationem. Narratq; quibus diebus contigerit illa tempeſtate pleroſq; iudicari: Dicit ipſa tempora, & modos iudicationum [hæc enim vocat quę circa iudicationes, ex quibus dignoſcimus, partim fuiſſe ſimilia in multis partim diſſimilia] plurimos enim liberatos eſſe omnino à morbis decimo ſeptimo die, eoſq; omnes cum vna recidiua, variè tamen id in illis factum eſſe, quibuſdam his, qnibuſdam illis diebus, facta intermiſſione, & recidiua. Sunt in hac dictione quędam adeo difficilia in ipſo verborum contextu, vt Galenus ſenſum ſolum explicans, dictionem corruptam eſſe cenſeat, & culpam reiiciat in librarios. Mihi tamen videntur aptè ſatis omnia explicari poſſe. Velut (inquit) duo fratres Epigenis, quorum natu maiori iudicium fuit die ſexto, iuniori autem ſeptimo, & ambobus rediit ſimul eadem hora, & intermiſſio fuit dierum quinq; [cui ſcilicet minima] nam non potuit eſſe ambobus eadem, ſed ſi iuniori fuit quinque, natu maiori fuerit ſex dierum, nam iudicium fuit perfectum ambobus decimo-ſeptimo, à primo ſcilicet die totius morbi Quare recidiua quinq; dies ambobus durauit. Aliis hoc idem alia ratione euenit, iudicabantur imperfectè quinto, erant in intermiſſione ſeptem dies, rurſum tenebantur recidiua quinq; iudicabantnrq; perfectè decimo ſeptimo die. Aliis aliter etiam prima febris durabat ſeptem, intermiſſio totidem, recidiua tres: fiebantque ex his omnibus decem & ſeptem. Aliis erat primum iudicium ſeptimo, durabat intermiſſio tres, recidiua ſeptem, vt hic quoq; ex bis ſeptem, tribus additis, fierent decem & ſeptem. Quibuſdam (inquit) deſiit ſexto, & intermiſſiones habentes ſex, arripuit tres, verum hoc minus videtur dictis congruere Nam ex bis ſex & tribus fiunt tantum quindecim, ſed hic Hippocratem dixiſſe, non quidẽ ἐκρινε τριταίοισι id eſt tertio iudicati ſunt, vt in aliis narration. ſed ἐλάμβανε τριταίους id eſt arripuit, aut male affecit tres, innuens ſcilicet, ſe non dicere, habuiſſe eos homines recidiuam quæ tres dies durauerit, ſed quæ tribus diebus arripuerit, hoc eſt habuerit tres acceſſiones. Conſtat autem in tres tertianas acceſſiones, quales in acutis ſunt, quinq; dies inſunt, quinq; verò duodecim additis, faciunt decem & ſeptem. Difficilius aliquanto eſt quod mox addit. Quibuſdam (inquit) deſiit primo, arripuit & iudicatus eſt vna. Sed ſi quis attentè conſideret, ipſa rei difficultas aperit locii legitimum ſenſum. Nam primo die quo pacto deſierit febris, ardens, aut ſi primo die deſiit, & vnum intermiſit, rurſumq; uno alio ſoluta eſt, quid aliud fuit quàm tertianæ, duos tantùm paroxiſmos fuiſſe? Sed quid hoc ad acutos morbos? Imo verò quid ad morbos mentione dignos? Ergo cum primò dicit & vnam, aliud quiddam intelligit, quàm diem. Quid illud ſit conſiderandum. Certè in diſputatione hac de diebus decretoriis, nunc numerãtur dies, velut hoc loco in enarratis iã hiſtoriis, nũc ſeptimanæ, velut ibi dicit. ἑτέρης ἑβδόμαδος id eſt, alterius ſeptimanæ. Nunc impetus, velut in prognoſtico vbi dicitur ἡ μὲν οὖν πρώτη ἔφοδος αὐτέων ἕως τελευτᾷ, ἡ δευτέρη ἐς τὸν ἑβδόμην περιάγεται id eſt, primus igitur impetus eorũ ita finitur, ſecũdus autẽ in hebdomadam perducitur. Eſt itaq, impetus vnus, quaternarius vnus, vna ſeptimana ſeptẽ dies, dies vnus, viginti quatuor horæ. Neq; ſcio an ſit aliud cui numerorum ſigna, in hac diſputatione dari poſſint. Ergo quod mihi videtur poſſe dicere, hoc eſt, quibuſdã febris defuit primo impetu, hoc eſt quarto die, arripuit rurſũ eos vna ſeptimana exacta, vndecimo inquam die, à quo rurſum vna ſeptimana exacta, morbus perfectè iudicatus eſt, decimo ſeptimo. Alij iudicabantur imperfectè ſexto, tranſigebant dies ſeptem ſine febre, febricitabant rurſum alios quatuor dies, iudicabanturq, perfectè decimo ſeptimo. In tota hac dictione illud eſt obſeruandum Hippocratem vnicam dierum computationem facere à principio totius morbi vſq, ad finem recidiuæ, ac nõ potius duas, quaſi duo ſint morbi. Atqui hanc eſſe legitimam rationem computandi, in controuerſiis à nobis demonſtratum eſt. Plurimos itaq, in hac cõſtitutione dicit hoc modo ægrotaſſe, hoc eſt habuiſſe febres huius conſtitutionis, & nullum nouiſſe ſecorum qui liberati ſunt, cui non contigerint recidiuæ ſecundum rationem factæ. Vocat ſecundùm rationem factas recidiuas, eas quæ intra hos termi nos, his numeris, aut aliis ſimilibus fiebant. Dico autem aliis ſimilibus, velut Herophon, cuius poſtea in ſingularibus hiſtoriis mentionem faciet, nouem dies febricitauit, quinq, intermiſit, rurſum febricitauit tres: et ſi qui alii fuerunt, qui aliis numeris febricitantes, & intermiſſionem habentes, decimo ſeptimo iudicati ſunt. Ergo omnes qui decimo ſeptimo iudicati ſunt bene & rutò iudicatos dicit: neq, enim habuiſſe alias recidiuas. Iis itaque qui liberati ſunt ita euenisſe, mortuos autem eſſe multos ſexto die. Neq, mirum, ſi quidem hic dies ſemper vituperatur. Hæ autem febres, vt antea dictum eſt, paribns diebus fiebãt grauiores. Philiſci Antagorei hiſtoriam ſtatim ſcribit ſeorſum Hippocr. inter hiſtorias ſingulares. Silenus hîc non eſt ille, cuius paulò poſt mentio fit inter ægrotos quatuordecim. Ille enim obiit die vndecimo, hîc ſexto, ambo autem hi ſunt illimet, quorum non ita pridem, in hac ipſa ſectione facta eſt mentio, quibus quarto & quinto ſanguis ſtillauit.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 29 sur 489

©BIUM

Quibus autẽ fiebant parotides vigeſimo iudicabãtur, ſolutæ ſunt omnibus, quibus nõ ſuppurabant, ſed ad veſicam conuertebãtur, Cratiſtonactæ iuxta Heracliũ, & pictoris ancillæ ſuppurarũt. Obiit Scymni pictoris ancilla. ſuppurauit. Quibuſdam autem iudicium fuit ſeptimo, intermiſit nouẽ, repetiit. iudiciũ fuit à recidiua. Fuit iudicium ſeptimo Phanocrito, qui decumbebat iuxta Gnatonem pictorem.

¶ Refert nunc alios, qui aliter iudicati ſunt. eos quibus parotides fuerunt, dicit magna ex parte iudicatos eſſe vigeſimo. Refert autem & ſpeciem iudicationis. Quibuſdam enim ſuppuraſſe, & horum quoſdam mortuos eſſe, velut Cratiſtonactæ & pictoris ancillæ ſuppurario fuit. Obiit autem ancilla maiori abſceſſu quam vt ferri poſſet, & lethaliter computreſcentibus quibuſdã particulis (hoc enim innuit repetẽs illud verbum, ſuppurauit) quibuſdam non ſuppuraſſe dicit, hiſque bene ſolutas eſſe parotidas, facta conuerſione excrementorum ad veſicam. Nimirum vt ſolet ſurditas alui profluuio ceſſare. Ceſſarent verò & parotides alui profluuio & ſurditas profluuio vrinæ, vt nuperrimè dictum eſt. Mox dicit quibuſdam fuiſſe recidiuas, vt nuper relatis, aliter tamen, hoc eſt, aliis diebus, habuiſſe enim iudicium prius ſeptimo, intermiſiſſe nono: quod ex ipſa phraſi qua anteà etiam ſæpe vſus eſt intelligimus non aliud eſſe, quàm intermiſiſſe nouem dies. Repetiſſe ergo, & à recidiua iudiciũ perfectum habuiſſe, non in omnibus eiſdem diebus, ſed variis, Phanocrito quidem qui decumbebat iuxta Gnatonem ſeptimo die à recidiua.

Hyeme ſub ſolſtitium hyemale, & vſque ad æquinoctium, durabant quidem & cauſi & phrenitides, & moriebãtur multi. Iudicia qui dẽ variarunt, & iudiciũ fuit plurimis quinto die ab initio, qnatuor intermiſit, redyt, ex recidiua autem iudicabãtur quinto, omnino autẽ quatuordecimo. Iudicabatur autem & pueris hoc modo plurimis atq; ætate maioribus. Erãt quibus iudicium erat vndecimo, reuertebatur quatuor decimo, iudicabatur perfectè decimo octauo, Si qui autem rigebant decimo octauo, his iudicium erat quadrageſimo. Rigebant autẽ plurimi circa iudicium quod ab initio, quidam verò rigebant & circa iudiciũ à principio & in recidiuis ſimul cum iudicio. Rigebant autem pauciſſimi vere, æſtate plures, autumno plures adhuc, hyeme autem longè plurimi. Hæmorrhagiæ autem ceſſabant.

¶ Adhuc perſtat Hippocr. explicare illud, quæ circa iudicationes ex quibus dignoſcimus ſimilia, aut diſſimilia. Narrat enim multorum iudicationes, eaſq; varias, & à dictis ante diuerſas. Hyeme inquit, & ſub ſolſtitium hyemale (ſecundam hyemem huius totius conſtitutionis intelligit) durabant cauſi, & phrenitides. Scilicet incœperant vere ſuperiori, durabant verò vſq; ad æquinoctium ſequentis veris, & moriebantur multi. Dictum enim etiã antea eſt, ab autumno cœpiſſe mori multò plures. Variarunt autem iudicia: plurimis enim à principio fuit iudicium imperfectũ quinto, quarto poſt hoc iudicium redibat febris: iudicabantur rurſum perfectè à recidiua quinto, omnino autem & à principio morbi quatuordecimo. Et hæc quidem erat optima breuiſſimaq; iudicatio earum quę illo tempore contigerunt. Proinde iudicium huiuſmodi cõtingebat pueris & ætate maioribus, adoleſcentibus ſcilicet & iuuenibus. Quibuſdam erat iudicium primum vndecimo, redibat febris quatuordecimo, & iudicabãtur perfectè decimo octauo. Decimus octauus quidem non eſt inſignis inter iudicatorios, tamen quiuis dies poteſt nonnullos iudicare perfectè. Atqui, ſi quid valet numerus à die recidiuæ (videtur autem valere hoc quoque nonnihil) erat quintus. Quidam horum hoc die, qui à principio erat decimus octauus, rigebant, neque iudicabantur perfectè. Atqui cum hoc die, qui fere eſt terminus acutorum ſimpliciter non poſſet eos natura perpurgare, decidebant morbi ex acutis. Quare quadrageſimum attingebãt, qui talium eſt finis. Hunc autem motum, quem rigorem vocamus, dicit accidiſſe multis circa iudicium à principio, hoc eſt circa imperfectũ illud iudicium quod ante recidiuam fiebat, quibuſdam & circa hoc iudicium, & in recidiua, circa iudicium vltimum. Neq; mirum, multas enim ardentes febres rigore ſolui, in aphoriſmo dictum eſt. Rigebant autem, inquit, pauciſſimi vere, æſtate plures, autumno plures adhuc, hyeme autem longe plurimi, hæmorrhagiæ autem deficiebant. Ergo vere quo erant pauciſſimi rigores, erant plurimæ hæmorrhagiæ, nimirum à vere in æſtatem & autumnum bileſcente ſanguine, bile per hyemen retenta, & aliis euacuationibus præ aeris frigore ſuppreſſis.

Quoad verò affectiones ex quibus morbos dignoſcimus, diſcemus ex communi omnium naturâ & cuiuſque propria, ex morbo, ex egroto, ex iis quæ offeruntur, ex offerẽte. Facilius enim & difficilius ex his, ex tota conſtitutione & ſecundùm cœli partes, & cuiuſq; regionis, ex conſuetudine, ex victu, & vitæ genere, & cuiuſcunque etate, ſermonibus, moribus, taciturnitate, imaginationibus, ſomnis, peruigiliis, inſomnijs quibus & quando, euulſionibus, pruritibus, lacrymis, ex paroxyſmis; deiectionibus, vrinis, ſputis, vomitibus. Et quæ ex quibus, in quæ, ſucceſſiones morborũ, & abſeſſus in mortem, & in vtilitatem. Sudor, rigor, frigus, tuſsis, ſternutamẽta, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus ſilẽtes, ſtrepẽtes, hæmorrhagiæ, hæmorrhoides, ex his autẽ & quæ cum his accidunt conſiderandum.

¶ Nunc per digreſſionem docet Hippocr. ſigna omnia, quibus vti ſolemꝰ in morbis ad dignoſcendum, ſumma capita, breui quadam diſtinctione comprehendens, eorum quæ diffusè aliis in locis ſcripta ſunt. Sunt autem multa in morbis quæ dignotione indigent. Nimirum qui ſit morbus, & quàm

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 30 sur 489

©BIUM

quam periculosus, & quæ sit morbi constitutio. Quædam signorum, quæ nunc commemorat, vnum horũ, quædam duo, aut omnia significare possunt. Velut hæc prima: Ex communi enim omnium natura, & cuiusque propria, ex morbo, ex ægroto, & ex iis quæ offeruntur, & ex offerente, cognoscere possumus facilius an difficilius affectus sit homo, hoc est, quàm grauiter ægrotet. Nimirum affectiones omnes, per quas videtur homo longe abesse ab eo, quod est secundum naturam, cùm communem omnibus hominibus, tum vel maximè sibi propriã, graues sunt: per quas longè non abest, sunt leues. Atqui hoc idem est, quod in initio libri κατ' ἰητρεῖον dixit, similia ne sint, an dissimilia. Si possemus singulorum naturas nosse, haud multum laboraremus in dignoscenda communi, sed quia non possumus, communem nobis proponimus, quam intuentes, de signorum magnitudine censemus. Memini autem me alibi docuisse modum, quo possimus ex multis communibus proximè accedere ad notitiam naturæ singularis, cuiusque hominis, etiam ignoti; iam verò ex ipso morbo dignoscitur periculi magnitudo. Sunt enim quidam per se graues, quidam leues. Phrenitis enim, pleuritis, aut peripneumonia, & febris ardens, vel ipso nomine nos perturbant, tertiana autem, & quartana, ac multo magis coriza, aut diaria febris, statim contemnuntur. Sed & ægrotus, & quæ offeruntur, & qui offert medicus, significare non parum possunt. Si quis enim videt robustum hominem, & laborum, dolorumque patientissimũ, iacere, aut magnopere angi, timet, ne lethalis morbus sit: si vero in delicata muliere hæc eadem videt, haud multum curat. Quinimò terretur magis, si hanc subito nunc in morbis tacitam, & plus solito quietam, considerat, tam potest ipse ægrotus indicare. Quod si ad ægrotãtem iam aliquãtò post accersimur, & interrogantes agnoscimus, nulla remedia esse adhibita, statim contingit opinari, morbum quidem per se non esse adeo grauem, sed per negligẽtiam fieri, vt duret, atque adeo leuissimum esse putamus, si etiam sine remediis mediocriter fertur. Si verò multa adhibita sunt, & homo videtur parum aut nihil iuuãtus, siquidem medicum peritissimum esse putamus, imputamus id morbi magnitudini, sin imperitiorem agnoscimus, imputamus fortasse medico. Quare tanto magis timemus homini, quanto plura acta esse videmus: tanto minus, quanto pauciora (hocque est ex oblatis dignoscere) & tanto timemus plus, quanto nobilior est medicus, tanto minus, quanto ignobilior. Quod quidem est dignoscere ex offerente. Ex his ergo agnoscimus, facilius an difficilius homo laboret. Ex iis quæ mox sequuntur, & hoc, & constitutionem, speciemque morbi, nam ex tota constitutione aëris, hoc est, ex modo quo aër affectus sit, siue eam affectionem afferat anni tempestas, siue pars cœli. Velut, si in Libia, aut Delo simus; siue cuiusque regionis temperies, & in quacumque regione, oppidi: quæ vel ex regione nascatur, vel ex ipso oppidi situ, siue locatum est in humili, siue in alto loco, siue spectat meridiem, siue septentrionem, siue orientem, siue occiduum Solem. Sed quo pacto hæc speciem morbi significant? an quia eius morbi suspicio statim subit non immeritò, qui ea constitutione grassatur, vel illi anni tempori, aut regioni, aut omninò vrbi familiaris est? Sed & consuetudini hominis, victui, & vitæ generi, & ætati, sunt quidam morbi familiares. Si quis enim iracundi consueuit crebrò multumque, aut vociferari, aut inordinatè, & intempestiuè moueri, si etiam calido victu vsus est, & quod ad vitæ genus attinet, est faber ferrarius, aut cursor, & ætates calidiores agit, profectò biliosis febribus facilè corripietur, statimque timetur in huiusmodi homine id genus febris. Contra, si placidissimus, mansuetusque homo, frigido victu vtens, & piscatoriam artem exercens, & qui calidiores iam ætates excesserit, febre corripiatur, ex frigidioribus succis eam pendere statim suspicamur. Speciem ergo morbi ita agnoscimus. Constitutionem verò, eodem ferè modo. Quia iidem specie morbi, calidioribus temporibus, & locis, & victui, & vitæ generi, & ætati, breuiores: frigidioribus, longiores fiunt. Sed & periculum maius aut minus ex his agnoscimus, agnita prius morbi specie, considerantesque an is sit congruens, an non. Nam vt in Aphorismo dicitur, in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, aut regioni, congruit morbus, quam quibus affinis non est. Ex iis etiam quæ sequuntur significationes fiunt, ex sermonibus, ex corũ moribus, ex taciturnitate. Nimirum ex sermone. Quo in genere est loquacitas, aut taciturnitas, atque in loquacitate modi. In his considerantes, quod secundum naturam inest, & quod præter naturam, non minimum argumentum capimus magnitudinis ipsius affectionis. Velut si qui taciturnus est natura, modò multa loquatur: aut contra, qui verbosus, modo semper sileat, vtrumque est insaniæ genus, & grauis mali nota. Si verò loquax loquatur, aut taceat taciturnus, nihil mali est. Sed quod ad mores attinet, explicemus. Si quid de Deo semper, & rebus ad pietatem pertinentibus loqui consueuerat, repente nunc ad lenonum verba translatus sit, aut philosophus nunc repentè totus in armis, aut re mercatoria, sit, aut leno de vita monastica, & miles de dialecticis loquatur, mente commoti esse ii omnes videantur. Siquidem nullus loquitur suo modo. Imaginationes partim ipsis sermonibus agnoscuntur, partim aliis signis. Velut qui vociferabatur, pelli è cubiculo tibicines, imaginationem sermone prodebat: nutibus prodit, qui muscas frustra venatur, aut festucas colligit. Atqui imaginationes vanæ, ac falsæ, cum superueniunt, mortem, cum à principio adsunt, phrenitidem indicant. Somnum & vigiliam indicare in morbis posse, multis in locis ab Hippocrate est dictum, generatimque in Aphor. Somnus & vigilia vtraque si modum excedunt, malum. Sed addit, in somnus quibus & quando. De præsagatione ex insomniis seorsum est scriptum ab Hippocrate, Aristotele, & Galeno. Hic breuissimè perstringit, quæ sint in illis considerandа. Considerandum, inquit, est, quæ sint, & quando. In primis illud, quæ sint, species & partitionem insomniorum continet, quando autem, tempus quo fiant. Insomniorum enim quædam sunt diuina, quædam naturalia. Diuina sunt, quæ inspiratione aliqua dæmonis fiunt. dæmonis autem, boni aut mali. Quæ fiunt sine inspiratione, sunt naturalia. Possunt autem vtraque significationem certam continere, aut esse vana. Nam nonnunquam à bono dæmone per insomnia rerum quarundam vtilium admonemur. Vt accidit Danieli, & Iosepho: illudimur autem sæpè à malis dæmonibus, per insomnia repræsentantibus

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 31 sur 489

©BIUM

vana quædam. In naturalibus eodem modo, quædam ex quibuſdam corporis affectionibus, aut paſſionibus, quas ab externis cauſis accepit, naſcuntur, quædam caſu quodam, & cauſa inopinabili. Non aliter, ac expergefactis nonnunquam, inſperatò per mentem obuerſantur: atqui, velut inter colloquia ſolet quorundam nunquam expectata mentio incidere, vt ipſi collocutores mirari ſoleant: inſomnia ergo, quæ non ſunt vana, certas ſignificationes habent. An autem vana ſint, intelliges, conſiderans, quæ ſint, & quando. Si enim ad res turpes pertineant, aut inutiles. Certum eſt, non eſſe à bono dæmone, ſed vel à malo, vel naturali quapiam cauſa. Neque verò ſi ad res honeſtas, aut etiam ad diuinum cultum pertineant, ſtatim à bono dæmone eſſe putandum eſt. Poſſunt enim eſſe etiam à malo, vel naturalia. Conſiderandum ergo omni ratione, an ſub illa boni ſpecie poſſit malum aliquod, aut deceptio ſubeſſe: neque, etſi non videatur ſubeſſe poſſe, ſtatim à bono dæmone eſſe, confide, ſed cautè ſuſtine, vſque dum quid velit, Deus manifeſtè declaret. Ita verò te compara, vt cures numen exoratum, ne te tua culpa falli permittat. Si tunc quidem non repetant, naturalia eſſe puta. Ad quæ, in conſiderationem adhibe, quando fiant. Si interdiu talia quædam locutus, noctu illud ſomnies, vanum ſomnium eſt, nihil ſignificat. Nam accidit in his, quod in aliis ſignorum generibus. Nimirum ſi ex manifeſta cauſa naſcuntur, nullam habent ſignificationem. Neque ſi poſt multos cibos, aut multam ebrietatem ſomnium accidat, ſignificare quidquam putandum eſt, quidquid ſomnietur. Sed ſi ſobrio iam homine, & cocto magna ex parte cibo, ſomnium accidit, non exiguam præſtat ſignificationem, quarundam corporis affectionum, & morbi exitus, an inquam morte, an ſalute finiendus ſit. Sunt horum multa exempla apud Hippocratem, & Galenum citatis libris, quæ non refert hoc loco perſequi. Addit euulſionibus, pruritibus, & lachrymis. Euulſiones autem ſunt, velut palpebræ, labii, aut naſi euerſio, & genitalium, & reſtium reuulſio. Pruritus autem ſunt, vel totius corporis, vel partis cuiuſpiam, vt in naribus fieri ſolet. Lachrimæ ſunt, vel voluntariæ, vel ſpontaneæ. Hæc autem quid poſſint ſignificare, in prognoſtico ab ipſo Hippocrate ſcriptum eſt. Quæ nunc addit, conſideremus. Ex paroxyſmis „ dicit. Ad hoc genus ſigni pertinet illa ſententia. „ Febres quæcumque non intermittentes tertio „ die vehementiores fiunt, periculoſæ: & quæ„ dam quas mox, de febrium figuris, hoc ipſo „ ſermone ſcribit. De deiectionibus, vrinis ſputis, & vomitibus, propria capita ſcripta ſunt in prognoſtico. Et quæ (inquit) ex quibus, in quæ ſucceſſiones morborum. Quid dicat, quæ ex quibus ſucceſſiones morborum, non eſt obſcurum. Eſt enim conſiderandum in permutationibus morborum, qui morbi ex quibus fiant. Sed quod dicit, in quæ, aliquanto eſt obſcurius. Videtur enim dicere, quæ in quæ, ideſt, qui morbi in quos morbos. Sed ſi hoc dicit, quid aliud ſit dicere, quæ in quæ, quàm quæ ex quibus? Verum aliud eſt, illud in quæ. Quod vt explicaret, addidit, & abſceſſus in mortem & vtilitatem. Nimirum vt antea explicauimus, abſceſſus vocat Hippocrates omnem morbi in morbum mutationem, ea verò nonnunquam fit cum magno malo hominis, & lethaliter, velut pleuritis in peripneumoniam, peripneumonia mutatur in tabem: nonnunquam fit cum vtilitate, cum ſcilicet, ſequens morbus liberat à priori, velut de quartanis febribus, mox dicet. Atqui de his abſceſſibus bonis & malis, antea in hoc ipſo opere diſſeruimus. Ergo, inquit, conſiderandum quæ affectiones ex quibus affectionibus fiant, in quæ, hoc eſt, in mortem aut vtilitatem. Addit, ſudor, rigor, frigus, tuſſis, ſternutamenta, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus ſilentes, ſtrepentes. Sudorem cum dictis euacuationibus coniungere poſſet, habet enim etiam hic, velut illæ, in prognoſtico proprium caput. De ſignificatione quam præſtare poſſet rigor per febres acutas (præterquam quòd quarundam intermittentium febrium ſpeciem indicat) ſcripta ſunt ſparſim multa: velut „ illud, in febre perpetua ſi ſexto die rigores „ fiant, lethale. Et illud, ei qui à febre ardente te„ netur, rigore ſuperueniente, ſolutio. Cum dicit frigus, intelligere poteſt illam refrigerationem, quæ inuadentibus quibuſdam acceſſionibus fiunt, aut omninò frigus, vtcumque incidat. Vtroque enim modo ſignificat ſpeciem febris, aut periculi magnitudinem. Eſt enim frigus circa extrema in intermittentibus pituitoſis, & in perpetuis lypiriis pathognomonicum, in aliis acutis, mortis ſignum. Velut in prognoſtico, & Aphoriſmis, non ſemel ſcriptum eſt. Atque adeo in hiſtoriis huius libri cui nunc incumbimus, crebra mentio fit, ſudoris, rigoris, & frigoris. Quin & tuſſis poteſt ſignificationem præbere, nunc paſſionis, vt in pleuritide, nunc periculi, aut ſecuritatis. Sternutamentum perinde, & ſingultus. & ſpiratio. Nam in prognoſtico inter bona ſigna refert Hippocrates bene ſpirare, & facilè extuſſire, inter mala verò ſpirationem magnam eſſe, & crebram, & difficilè extuſſire. De reſpiratione ſeorſum in eodem libro multò plura, multarum diſpneæ ſpecierum dicens cauſas, & generatim magnam vim habere facilem ſpitationem in omni morbo acuto. De ſternutamentis quoque in eo libro ita ſcripſit. „ Sternutamenta per morbos circa pulmonem, „ præſte & ſubſequi malum eſt, ſed ex aliis mor„ bis exitioſis ſternutamenta vtilia ſunt. Singultus multas, peſſimaſque ſignificationes, in Apho„ riſmis docuit. Ab ileo, inquit, vomitus, vel ſin„ gultus, deſipientia, vel conuulſio, malum. Rurſum, in hepatis inflammatione ſingultus, malum: & à vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum. Addit, ructus, flatus ſilentes, & ſtrepentes. Ad prognoſticum ex ructu, pertinet illa ſententia. Ex longis læuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui antea non erat, bonum. Sed & illa. Acidum eructantes, pleuritide non admodum capiuntur. De flatibus, qui cum crepitu, aut ſine crepitu excernuntur (hos enim vocat ſilentes, & ſtrepentes) in prognoſtico ita diſſeruit. Si flatus ſine crepitu excernitur, optimus eſt. Melior verò eſt, cum erumpit cum crepitu, quàm cum reconditur ac reuoluitur. Quòd ſi ita excernitur, indicat hominem dolorem tenere, aut delirare, niſi ſponte flatum emiſerit. Ex hæmorrhagiis omninò, præcipuè

autem ex hæmorrhoydibus, multa docet Hippocrates præsentire. Velut in prorrhetico. Sanguinis ad diuersum latus eruptiones, malæ. Et rursum. Post „ sanguinis eruptionem deiectiones nigræ malæ. „ Et rursum. Ex hæmorrhagia rigores multi. Et „ multa alia ad hoc signi genus pertinentia libro illo. Et de hæmorrhoydibus illud in Aphorismis. Ab „ atra bile, & phreneticis hæmorrhoydes super- „ uenientes, bonum. In quibusdam codicibus inter „ verbailla, strepentes, & hæmorrhagiæ, interiectum est χολάδες id est, bilioſi: tamen ſuppoſititium esse puto significat, flatus strepentes bilioſos', hoc est, qui ipso sonitus modo significant, multam bilem fluuosam in intestino contineri. Vocat hos sonitus βρεχουγμούς. Ex his, & quæcunque ex his accidunt, considerandum. Hoc est, considerationes prognosticæ capi debent ex his, & ex omnibus, quæ ex eis sequuntur. Quæ verba nolim sine consideratione præteriri. Continent enim partem quandam prædictionis vtilissimam. Ea verò est, ex iis quæ ex quocunque signo nascuntur. Multa enim sunt signa, quę nunc mala, nunc bona sunt, aut nunc lethalia, nunc non adeo, provt hæc, aut illa ex eis nascũtur. Nimirum ad præsagii firmitudinem, semper sunt adiungenda alia signa, & in multis expectandum est, quid superueniat. Velut in hæmorrhagiis, de quibus nũc dicebamus, si post multum sanguinis fluxum, singultus, aut conuulsio fit, malum. Si verò sine his, fit febris solutio, nihil fluxu sanguinis melius est. Sed & in aliis signis considerandum, quæ ex quibus fiant. Velut in singultu, sternutatio superueniens, libe- „ rat. Et à longo alui profluuio, vomitus sponta- „ neus superueniẽs, soluit; & à vomitu singultus, & „ oculorum rubor, malum. Et à sudore horror, nõ „ bonum. Et ita in aliis omnibus signis fit, vt quædam ex quibusdam deteriora, aut meliora sint. Nimirum ea quæ antecedunt, aut sequuntur, signorum quorumcumque causam declarant. Sed quia hæc multis aliis in locis pertractantur, hic de eis hactenus.

Febres quædam sunt continuæ, quædam interdiu tenent, nocte intermittunt, aut nocte tenent, die intermittunt, sunt & semitertianæ, & quartanæ, quintanæ, septimanæ, & nonanæ.

Cum digredi cæperit Hippocrates ad disputationes quasdam ad totam artem necessarias, atque generatim de signis omnibus dixerit, nunc de febribus generatim dicere incipit. Quia ii morbi, maximè, qui cum febribus fiunt, populares esse solent. Incipit ergo à partitione febris, quam quidem accipit à propria earum figura. De febrium differentia seorsum scripsit Gal. multa, in quem etiam librum iam ego edidi commentaria, atque adeo ego libellum quendam seorsum scripsi de febribus, præter multa quæ in controuersiis, & aliis locis. Proinde nunc satis erit Hippocratis verba explicare. Nisi suppleantur quædam, non possit partitio hæc non videri parum dialectica. Cęterum in Hippocratis enarratione, meritò petimus permitti nobis suppleri quędã, quę tacuit ille, vt semper esset breuiloquus. Possimus quidem censere hanc partitionem febrium omnium esse, quamquam possimus etiam censere ad solas eas, quę ex succis fiunt pertinere. Sed pertineat ad omnes. Nam duo genera, hęcticę, inquam & diarię in continuis sint. Ergo hęc est partitio. Febres quędam continuę sunt, velut hęcticę, diarię, & quędam putridarum: quędam intermittentes. Intermittentium, quędam quotidianę, quędam tertianę, quædam quartanæ, quædam quintanæ, quędam septimanæ, quædam nonanæ. Quotidianarum, quædam nocturnæ, quædam diurnæ. Tertianarum, quædam simplices tertianæ, quædam semitertianæ sunt. Sed cur nocturnas aut diurnas quotidianas solum intelligit, cùm tertianis etiam, & quartanis, accidere possit, vt nocte teneant, aut die? porrò cur semitertianarum mentionem facit inter differentias simplices, cùm sint compositæ? aut si ad compositas quoque voluit partitionem ducere, cur non meminit quartanæ cùm tertiana, aut quotidiana? videntur enim aut deficere multa in partitione, aut redũdare quædam. Sunt multi, qui non satis capientes methodum Hippocratis, censent illum fuisse dialecticæ ignarum. Ego verò censeo habuisse illum dialecticam quandam, vulgari vtiliorem. Nimirum non persequebatur omnia vsque ad minima, sed nullam vtilem partitionis rationem omittens, in singulis ea tantum scribebat, velut exempla, quædam, quorum mentio maximè ad vsus artis videbatur esse necessaria: vt reliqua supplerentur, vtilissimorum autem haberetur ratio maxima. Velut modo oportet nos ita persequi partitionem. Febres quædam sunt continuæ, quędam intermittentes; hæ quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, aut nonanæ. Rursum hæ omnes nocte aut die inuadentes, porrò ex his simplicibus, compositæ fieri possunt multis modis. Velut semitertianæ, & aliæ multæ. Tamen nulla compositarum, tam insignem differentiam, & mentione dignam habet, quam semitertiana. Quia, vt mox dicetur, in semitertiana vocata, morbi accidunt acuti, & aliarum omnium hæc est maximè lethalis. Atque, interdiu teneãt an noctu, in nullis adeo refert, atque in iis, quæ quotidie affligunt. Quia hæ aut omni die, aut omni nocte laborem inferunt. Hæc est methodus Hippocratis quam alibi etiam aperuimus.

Sunt autem acutissimi & maximi, & grauissimi morbi, & maximè lethales in continua febre.

Satis erat dicere acutissimi, nec opus addere maximi, & grauissimi. Nam quamquam illud nomen acutissimi, per se solam celeritatem, & breuitatem motus significet: tamen medici, vt acutum morbum vocent, non sunt contenti hac acutie, sed magnitudinem præterea morbi, & periculum adesse volunt. Hippocrates tamen modo singulis nominibus propriè vtens, expressit omnia, quæ morbis acutis adesse debent. Nimirum debent esse acuti, ideſt breues, & magni in essentia propria, & graues. Atque vt explicaret rem magis, addidit, & maximè lethales, hi autem sunt, qui grauissimi. Hos dicit fieri in febre continua, hoc est, cum continua febre semper, siue in ipsa febre continua habeat essentiam morbus, vt febris ardens, & semitertiana: siue febris sit morbi accidens, vt in pleuritide, & phrenitide, & aliis inflammationibus internis. Non intelligo autem hæc dicere Hippo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 33 sur 489

©BIUM

eratem, quòd nunquam ſine febre acutus morbus fieri poſſit (nam ſyncope, carus, & apoplexia acutiſſimi, maximi, & maximè lethales ſunt, tamen ſine febribus plerumque fiunt) ſed quòd plerumque cum febre fiat, tuncque cum continua. Nam quæ intermittit, quia periculo vacat, ſimpliciter acuta eſſe non poteſt, ſed tantum conſtitutione, vt tertiana exquiſita.

Securiſſima autem omnium quartana, & facillima, & longiſſima. Hæc enim non tantum ipſa per ſe ipſam, talis eſt, ſed ab aliis morbis magnis liberat.

Securiſſimam dicit omnium. Cum tertianis, & quotidianis, quæ ſunt febres crebrò occurrentes, collationem fieri intelligo. Nam ſeptimana, & nonana, videtur ſecurior. Facillimam dicit curatu, quàquàm vulgus hominum incurabilem dicit. Verum non eſt breui curabilis. Sed facillima, & longiſſima. Quod eſt, intra ſuam conſtitutionem, quæ quidem longiſſima eſt omnium crebrò occurrentium (nam nonana longior etiam eſt) facillimè curari. Nam victu liberari, & rariſſimis euacuationibus, & vſu longo quarundam rerum, haud multùm medicamentoſarum. Quod ſi dicas, hoc non eſſe curari quartanam, perinde eſt, ac ſi dicas, non curari febrem ardentem, quæ non tam breui, quàm angina finitur. Nimirum vt non eſt omnibus eadem conſtitutio, ita neque æquè longa ratio curationis. Atque longè aliud eſt, breuem eſſe curationem, aut facilem. Nam vt anginæ eſt difficillima, & breuiſſima curatio, ita quartanæ facillima & longiſſima.

In ſemitertiana vocata accidit acutos morbos fieri, & eſt reliquarum hæc maximè lethalis. At qui tabe & aliis morbis longis ægrotant, in hac maximè affliguntur.

Non parum comprobant, ea quæ modò affirmat de ſemitertiana febre, illa, quæ prima tempeſtate huius libri, accidiſſe dicta ſunt. Nimirum multi ægrotauerunt ſemitertianis lethalibus, quorum plerique tabe laborabãt. Atqui quod dicit eſt, ſemitertianã eſſe acutum morbum: neque hoc quidem dubium eſt, cum ſit altera ex parte continua febris. & præter eam, habeat aliam intermittentem. Dicit etiam eſſe maximè lethalem: quod fit, quia nulla febris acuta eſt, quæ tàm crebro, & tam continenter, variis ſymptomatis facultas affligatur. Et tabidi, atque qui aliis longis morbis laborantes in acutam febrem ex longa incidunt, in hanc maximè incidunt. Quia per debiliratem facultatum congerunt cruda, & per hecticum calorem, aut longam febrem, congerunt bilem. Atqui, ob diuturnitatem ægrotationis contingit varia membra variè laborare. Ex duplici autem hoc ſucco, in variis membris redundante, contingit hæmitritæo corripi. Porrò quoniam hæc habet ſemitertiana febris, diximus ſeorſum illius factam mentionem hoc in loco, in febrium partitione.

Nocturna non valde lethalis, longa tamen diurna longior: quibuſdam autem in tabem vergit.

Omnem quotidianam longam eſſe dicit: ſiquidem nocturnam longam, & diurnam longiorem. Porrò diurnam dicit longiorem nocturna, & magis lethalem, adeò vt quibuſdam in tabem inclinet. Hic tabis nomine ſignificatur extenuatio magna, quacumque cauſa fiat, non ea ſolùm, quæ ex ſordido vlcere pulmonis naſcitur. Duplex cauſa eſt, qua diurna deterior eſt. Primùm quia magis ſecundum rationem eſt, febres fieri maiores noctu, cum corpora denſiora, & minor diſſipatio, & maior confluxio excrementorum ad interna, quàm diu, cum ſunt his contraria; affectionibus autem omnibus, accidit eſſe grauioribus, tempore, ſecũdum quod non congruunt, quam eo ſecundum quod congruunt. Deinde, quia minus opportuna eſt curationi diurna, quàm nocturna: quia tempus diurnum occupat paroxyſmus, nocturnum ſolum ſupereſt cibis, & medicamentis. Quare nullum quieti & ſomno. Et auocantur ægroti multum à communi hominum conſuetudine, laborandi & capiendi cibos inter diu. Accedit (quod eſt maximi momenti) febres diurnas minus venire ad infebricitationem quam nocturnas, quia earum inclinatio incidit in veſperam, qua hora morbi omnes exacerbantur, vt lib. 4. dicit his verbis. Quale eſt ad veſperam exacerbari, tale in omni morbo.

Septimana longa, non letbalis, nonana longior adhuc, non lethalis. Tertiana exquiſita, celeris iudicationis, non lethalis. Quintana verò omnium peſsima, etenim ante tabem, & iam tabidis ſuperueniens interimit.

Quartana, & quæ longiora interualla habent, longiſſimæ ſunt, tertianæ breuiſſimæ. Qua cauſa quintana ſit omnium febrium intermittentium peſſima, & ante tabem (extenuationem hic quoque intelligit) & tabidis iam ſuperueniens interimat, non dixit Galen. fortaſſe, quia talem febrem non viderat, ſed neque ego adhuc vidi vnquam manifeſtè. Vidi certè quam dubitaui, quintanam, an quartanam tardantem appellarem. Tentabo nihilominus dicere cauſam, quam eſſe ſuſpicor probabiliſſimam, longo tempore inueſtigatam. Hippo. non dicit ſimpliciter, quintanas eſſe peſſimas, ſed eas quæ tabeſcentibus, aut iam iam in tabem caſuris, contingunt. Non ſunt autem, arbitror, tales, quæ à principio hominem, ſanum antea, inuadunt, ſed vbi quis quartana prius, aut longiſſima tertiana debilitatus eſt, & minorem iam materiæ copiam plenè non valet pellere, in quintanam incidit, atque eadem cauſa, qua cùm eſſet iudicandus quintana corripitur, tabeſcit ob habitualem ſcilicet facultatum debilitatem. Sextanæ verò, aut ſeptimanæ, aut etiam rariores febres, affligunt iam, vt vitia potius naturalia, quàm vt morbi, atque adeo qui illis laborant, videntur eſſe homines alioqui ſani, gaudentes ea febre, vt euacuatione conſueta.

Sunt autem modi, & conſtitutiones, & paroxyſmi ſingularum harum febrium, æquè continuarum & intermittentium. Eſt enim continua, quæ ſtatim vbi incipit, floret, & & viget maximè, & in grauius tendit: circa iudicium autem; & ſimul cum iu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 34 sur 489

©BIUM

dicio, extenuatur. Quibuſdam autem incipit molliùs, & ſummiſſiùs; accreſcit autem, & exacerbatur in dies: circa criſim autem, & ſimul cum criſi, abundè emicat. Quibuſdam autem incipiens mitiùs, accreſcit & exacerbatur, & quadantenus aucta, rurſum remittit circa iudicium, & vſque ad iudicium.

Perſequitur rurſum febrium partitionem ſecundum figuras. Retulit enim hactenus differentias intermittentium. Nunc referre incipit differentias continuarum. Dicit ergo modos, conſtitutiones, & paroxyſmos, id eſt, modos conſtitutionum, & paroxyſmorum accidere cuique harum febrium, què ſcilicet continuis & intermittentibus. Intermittentium enim fere dicti ſunt modi. Continuarum autem, quædam eſt, quæ ſtatim ac incipit, viget ac floret maximè, & in grauius tendit, hoc eſt in ſummo periculo hominem conſtituit: circa iudicium autem, & ſimul cum iudicio, hoc eſt morbo iam eunte in ſummum vigorem, & vſque ad totam declinationem, extenuatur. Huiuſmodi ſunt continentes, quæ vocantur Galeno decreſcentes. Quædam eſt, quæ molliùs incipit, creſcit autem & exacerbatur in dies, & circa iudicii tempus, ac per totum iudicium abundè elucet, vſque dum videtur repentè tolli. Huiuſmodi ſunt continenter creſcentes. Sunt autem aliæ continentes inter has mediæ, neque creſcentes, neque decreſcentes, ſed ſemper æquales, quas ex prioribus intelligi Hippocrates voluit. Alia eſt febris, quæ incipiens mitius, creſcit & exacerbatur, & aucta quadantenus, ſcilicet per totum tempus incrementi, & vſque ad ſummum vigorem, rurſum ſubſiſtit circa iudicium, hoc eſt, ſtatim ab incepta iudicatione, & vſque ad iudicium perfectum, hoc eſt, vſque dum integrè, atque omninò ſoluitur. Huiuſmodi ſunt omnes febres continuæ, præter continentes: nam hæ omnes habent principium, & incrementum, & vigorem ſummum, & declinationem. Qua ratione fiant febres continenter creſcentes, decreſcentes, & ſui ſemper ſimiles, in meo commentariolo de febribus, dictum mihi eſt. Sed continget hoc loco dubitare, qua ratione fieri poſſit, vt febres quædam circa iudicium, & ſimul cum iudicio extenuentur, ſiquidem iudicium in morbi vigore fit, cùm verò conſiſtunt morbi, omnia quæ præter naturam ſunt, morbus ſcilicet ipſe, & ſymptomata ſunt vehementiora. Summa autem ratio eſt hæc. Duo ſunt in interna cauſa febris, quæ febrem ipſam faciunt, fouent, & augere poſſunt. ipſe materiæ ardor, ſiue putredine, ſiue vſtione, ſiue quodam ſeruore fiat, & quantitas. Atqui alterationem materiæ neceſſe eſt creſcere, ac per eam ipſam febrem vſque ad ſummum vigorem, tamen quantitatem non eſt neceſſe. Minui enim poteſt ſuccus morbo adhuc creſcente, vel arte, vt miſſo ſanguine, aut magna alia facta euacuatione, vel natura, velut per inſenſibilem euacuationem, vel per paulatim factas euacuationes ſpontaneas. Ergo materia ipſa quæ intra corpus manet, ſemper magis ac magis, præter naturam accreſcit, atque calorem partium, quantum in ipſa agitur, auget, ſit tamen nonnunquam, vt decreſcente copia, videatur hæc alteratio minui. Neque tamen proinde putandum eſt, non eſſe morbum in incremento. Creſcit enim reuera ardor, in ardente materia, & in iis animantis particulis, quas contingit.

Accidit autem hæc fieri in omni febre, & in omni morbo.

Nihil eſt aliud quod dicit quàm hæc quæ dicta ſunt, vt accidit fieri in febribus, ita accidere, fieri, & in omni morbo, qui ſine febre ſit. Sed quæ ſunt dicta? febrium quædam eſſet intermittentes, quædam perpetuas, atque harum quædam continuas tantum, quædam continentes etiam. Hoc ergo idem accidere dicit, omnibus aliis morbis: intelligi autem debet omnibus pendentibus ex quibuſdam ſuccis, cuiuſmodi ſunt omnes fluxiones, & omnes tumores præter naturam. Eſt autem hoc veriſſimum: in podagra enim, & cheiragra, hemicrania, & ventriculi, ac inteſtini, ac, vt ſemel dicam, quibuſcumque aliis doloribus, experimur quoſdam affligi ſemper, ſine intermiſſione, quoſdamque horum, ſemper eodem modo, quoſdam remittente ſenſim, quoſdam augeſcente dolore: quoſdam quidem citra intermiſſionem, tamen cum quibuſdam exacerbationibus, per viciſſitudines recurrentibus: quoſdam etiam cum intermiſſione ex quibuſdam interuallis, dolere, omni dolore non raro carentes. Atqui hæc interualla nonnunquam certa, nonnunquam incerta eſſe videmus. Ophtalmiis etiam, & cryſipelatis quarundam partium id videmus ſæpe accidere. Quin etiam mihi contigit videre pleuritidem, veriſſimam quidem, & omnia pathognomonica ſigna habentem, intermittentem tamen, ita, vt homo alternis diebus pleuritide, alternis nullo morbo teneri videretur. Hoc ergo eſt conſideratione dignißimum in omni morbo. Similes enim in omnibus accidunt modi, & conſtitutiones, & ſimilibus ex cauſis, atque in febribus. Nimirum ophtalmia quotidie affligens, pituitoſa; alternis diebus, biliosa haberi debet.

Oportet autem victum ex horum conſideratione offerre.

Ex conſtitutione & figura morbi, magnas indicationes naſci, offerendi cibum, diſertè aliis locis ab Hippocrate ipſo dictum eſt, præcipuè prima particula Aphoriſmorum.

Multa etiam alia opportuna ſigna ſunt his cognata, de quibus quædam iam ſcripta ſunt, quædam ſcribentur, quæ animo reputans, expendere & conſiderare debes, quid horum acutum & lethale, aut ex quo ſupereſſe poſſint, & cui prorogetur morbus, aut non. Et quando, & quantus, & cuinam offerendus ſit cibus.

Multa alia ſigna ſunt præter hæc, præter figuras, ſcilicet, & conſtitutiones febrium, quæ non aliter quàm hæc, ſignificant euentum morbi, & ad ciborum exhibitionem, indicationem præſtant. Quod autem ad euentum morbi attinet, hæc oportet præſentire, an moriturus, an ſuperfuturus homo ſit: atque vtrumque, an brem, an poſt longam ægrotationem. Hæc autem omnia

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 35 sur 489

©BIUM

distinguere signis, Hippocrates in prognostico docuit. Atque summa ratio est, coniectari ex signis, vt habent virtus & morbus: nam quæ cum debili virtute magnum morbum indicant, breui futuram mortem, quæ cum robusta facultate, exiguum morbum citò futuram sanitatem; quæ cum robusta facultate magnum, aut cum debili exiguum morbum significat, tardiùs futuram sanitatẽ, aut mortẽ, provt alterũ videbitur altero magis pollere, virtutis robur, aut morbi exiguitas: vel contra magnitudo morbi, aut debilitas virtutis. In cibi oblatione considerandum, cui sit dandus, & cui non, (quibusdam enim per totum morbum non est dandus) & quando, & quantum. Considerandum etiam est, quale sit dandum. Nam illud, omnis victus humidus febricitantibus conuenit, ad qualitatem ciborum pertinet. Cæterum quia constitutio & figura febris ad qualitatem nihil indicat; sed tantum ad consultationem an dandum, an non, & quantum & quando, hic non fecit mentionem qualis: sed tantũ quanti, quando, & cui.

Quæ in diebus paribus exacerbantur, in paribus iudicantur, quorum autem paroxysmi in imparibus fiunt, iudicantur in imparibus.

Quia paroxysmus similis motus est ei, per quem iudicatio fit, nimirum vterque fit natura expellente excrementa, & si ob vim causæ alicuius supernæ in diem paroxysmi iudicium casurum esset, rapitur à proxima accessione. Quo fit, vt qui mouentur per impares, imparibus iudicentur, & qui per pares paribus. Neque verò solum hac causa fit, vt in diem accessionis iudicium plerumque incidat, sed etiam, vt cæteris paribus, tunc melius fiat, cum in eundem diem incidit. Quia incidentibus in eundem diem ambobus motibus, perfectius agitur expurgatio. Ne tamen intelligas, moueri per impares, eos qui tertio quoque die habent accessiones, per pares autem, qui quarto quoque, aut singulis, nam omnes ferè acuti mouentur, tertio quoque. Tamen hi, si prima accessio finitur prima die morbi, mouentur per impares, quia secunda redit tertio: si producitur vsque ad secundum, mouentur per pares, quia secunda redit quarto. Quo fit, vt tanto deterius sit moueri acutum morbum per pares, quanto deterius est, quamcumque exacerbationem esse longiorem.

Est autem primus decretorius, circuituum per pares iudicantium, quartus, sextus, octauus, decimus, decimus quartus, vigesimus octauus, trigesimus, quadragesimus octauus, sexagesimus, octogesimus, centensimus: circuituum verò in imparibus iudicantium, primus, tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigesimus primus.

Plus aut minus dies omnes sunt decretorii. Iudicant autem plerumque, pares pares, & impares impares, vt dictum est. Proinde facit modo seorsum enumerationem parium, & imparium, non numerans omnes, sed multos in vtroque genere. Sunt verò in vtroque genere quidam ob causam aliquam supernam, siue motum aliquem cæli, vim decretoriam habentes, quidam ob infernam causam. ob paroxysmum dico. qui in eos dies incidit. Velut inter pares, quartus, & decimus quartus, & vigesimus: inter impares, septimus, & vndecimus, & decimus septimus, supernam causam habent: infernam verò, inter pares, sextus, octauus, & decimus octauus, inter impares, tertius, & decimus tertius. & decimus nonus. Hæc autem, vt ita habere intelligas, oportet legeris, quæ de diebus decretoriis à nobis scripta aliis locis sunt, maximè autem in enarratione prognostici. In Græcis codicibus legitur τῶν δὲ ἐν τοῖσι περιττοῖσι κρινόντων περιόδων ἁ. γ'. ἑ. atqui si ita legitur, apertè significatur, primum decretorium in imparibus, tamen hoc falsum est. Nam primus & secundus non sunt decretorii, cum nullus morborum, quorum concoctionem, & iudicationem expectamus fieri vno die aut duobus possit. Quamquã profectò mori contingit eadem die, vt ex angina, aut secunda, vt soror Coi. tamen decretorii vt sint, oportet, vt habere possint vtramque mutationem. Legendum ergo ibi, ἁ πρώτη, vt sit sensus, primus dies impar est, tertius. Non numerauit decimum quintum inter impares, quia raro iudicat, cum ei ob supernæ causæ vim, soleat 14. præripere iudicationem. Atque ita haud scio an occurrent iudicati ea die, nisi Hiero. 2. lib. tempestate. 2. & mulier Burdagoræ. 4. lib.

Videndum autem quòd si quid aliter iudicetur extra præscriptos dies, futuras recidiuas significare, & posse lethale fieri.

Hoc est, quod confert dies decretorius iudicationi, vt scilicet plerumque bona sit, & sine recidiua: nam vis diei iuuat naturam. Quare quæ aliter, hoc est, præter dies decretorios, iudicantur, aut lethaliter, aut non sine recidiua iudicantur. Sed quamquam hæc sit dierum decretoriorum vis, & fides, non proinde videtur Hippocrates debuisse dicere, si aliter iudicentur extra præscriptos dies, hoc est, nisi iudicentur aliquo præscriptorum dierum, futuras recidiuas, aut mortem. Nam multi dies præscripti, non sunt iudicatorii. Non est ergo quòd in præscriptis benè, extra eos malè res agatur: sed in quibusdam illorum benè, in quibusdam malè. Nam dictum est in Aphorismo, febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare. Tamen multi modo præscripti sunt pares, & rursum, sudores febricitanti sit incœperint boni, tertio, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quatuordecimo, & decimo septimo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto: Hi enim sudores iudicant morbos. Quæ verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam. Ergo qui sexto, aut octauo, aut decimo fient, non liberabunt à recidiuis. Maximè cum sextus toties sit per se vituperatus, & ab Hippocr. & ab aliis ferè omnibus, qui de diebus decretoriis, scripserunt. Cæterum quanquã hæc omnia videntur esse contraria, si benè perpendatur. quid quoque loco Hippocrates velit, non continent certam repugnantiam. Nam quod in Aphorismo quartæ sectionis dicit, nihil est aliud, quã nisi febris diebus iudicatoriis soluatur, futuram recidiuam, dicit verò nisi diebus imparibus, quia, vt alio loco explicuimus, maior vis iudicandi est im-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 36 sur 489

©BIUM

paribus quàm paribus diebus. Cùm verò de ſudore diſputans, enumerat dies decretorios, enumerat certè alia ratione quàm hic. Illic enim eos qui ſimpliciter, ac per ſe, & ob cauſam aliquam ſupernam decretorii ſunt, enumerat: hic non ita. ſed eos, qui ad quoſdam morbos ſunt decretorii. Horum verò multi, vt dictum eſt, quanquam ad quoſdam morbos ſint, ſimpliciter non ſunt decretorii. Sed ſi morbi qui mouentur per pares, melius iudicantur paribus: qui per impares imparibus, cur præferantur impares paribus? aut quid ſit illud, ſimpliciter eſſe decretorios illos, hos non? Certè, vt dictum eſt, qui mouentur per pares, non tantum iudicantur paribus crebrius, quam qui mouentur per impares: ſed etiam iudicantur melius. Nam virginem Lariſſæ dicet tertio huius operis libro, liberatam ſexto, caruiſſe recidiua, quia habebat labores diebus paribus. Cæterum hi ipſi morbi, non iudicantur tutius diebus paribus, quàm ſi imparibus iudicarentur. Non enim minus tutò, ſeptimo quàm ſexto virgo Lariſſæ iudicata eſſet. Nam dies impares, quia ſimpliciter ſunt boni, omnibus ſunt boni, quamquam iis qui per impares mouentur, meliores, quia in eoſdem dies incidunt ambæ cauſæ, ſuperna & inferna velut pares, ſunt minus mali, iis qui mouentur per pares ob alteram cauſam. etiam ſi ſint per ſe ignobiles. Quidam enim etiam, ſunt pares, & oprimè iudicantes, velut 14 & 20 qui quidem iis qui mouentur per pares. erant multò meliores, concurrentibus dictis cauſis.

Oportet autem mentem aduertere, atque ſcire, in his temporibus iudicationes futuras, in ſalutem aut mortem: aut mutationes, in melius, aut deterius tendere.

Quatuor iudicationum ſpecies fieri poſſunt. Solent autem omnes diebus decretoriis fieri, vel in ſalutem, vel in mortem facta mutatione (atqui hæ ſunt iudicationes integræ, alia optima, vel peſſima) vel in melius aut deterius, facta mutatione repentina, vt quam dies vnus affert. Nam paulatim factæ mutationes, neque iudicationes dicuntur (niſi cum latiuſculè vtitur Hippo. eo nomine pro omni ſolutione) neque quibuſdam diebus decretoriis fiunt.

Eraticæ autem febres, & quartanæ, & quintanæ, & ſeptimanæ, & nonanæ, quibus circuitibus iudicentur, conſiderandum.

Cur erraticas, quartanas, quintanas, ſeptimanas, & nonanas, dicit conſiderandum, quibus circuitibus iudicentur? An non aliarum quoque oportet conſtitutiones conſiderare? certè. Sed quia (arbitror) harum conſtitutiones, non ſunt tam certæ, quàm tertianarum & quotidianarum, proinde monet non omittendum: ſed conſiderandum. Tertianæ enim certam conſtitutionem ſcripſit Hippo. dicens, exquiſitam ſeptem periodis, cùm tardiſſimè, iudicari. Quotidianæ etiam conſtitutionem certam ſcripſerunt alii, dicentes iudicari duobus ferè menſibus. Tamen quartanæ, quintanæ, ſeptimanæ, aut nonanæ, nullibi dicit certam. Sed illud vnum dicit, longiſſimas omnes, & alias aliis longiores. Nimirum quanto morbus eſt longior tanto minus certam habet conſtitutionem. Erraticæ multò magis habent conſtitutionem incertam, ob diuerſam naturam. Hac ergo cauſa, difficile eſt ſcire, quot circuitibus hæ iudicentur. Accedit alia ratio, qua non potuit inter autores adeo conſtare, quæ ſit conſtitutio harum, quàm tertianæ, & quotidianæ, quòd non potuit tanta eſſe obſeruatio, quia ſunt rariores morbi. Nam præter quartanam, quæ aliquanto frequentior eſt, adeo raræ ſunt, vt quintanam, & quæ per longiora interualla fiunt Galen. nunquam viderit. Sed ſi non ſunt harum febrium conſtitutiones certæ, quà ratione conſiderandum, quibus circuitibus iudicentur? Certè conſideratis mutationibus, quæ ſecundum concoctionem in excrementis fient, quamquam in variis ægrotis, variæ admodum conſtitutiones contingant. In quouis homine non multum errabimus à vera conſtitutionis præſenſione.

QVATVORDECIM ÆGROTI, primi Epid.

Ægrotus I.

PHILISCVM, qui propè mirum decumbebat, primo die febris acuta inuaſit; ſudauit per noctem laboriosè, ſecundo omnia exacerbata ſunt. Veſperi verò poſt clyſterem benè habuit, noctem quietè tranſegit. Tertio mane & vſque ad meridiem videbatur eſſe ſine febre. Ad veſperam verò febris acuta inuaſit cum ſudore & ſiti, exaruit lingua. Minxit nigrum. Nox laboriosa. Non dormiuit. Omnino delirauit. Quarto omnia exacerbata ſunt, Vrinam nigram reddidit; noctem habuit minus moleſtam & vrinas melioris coloris. Quinto circa meridiem, parum de naribus ſtillauit ſyncerum. Vrinæ autem variæ, habentes pendentia quædam, rotunda, ſimilia ſemini, ſparſa. Non ſudauit. Appoſito autem balano, exigua & flatuoſa exierunt. Noctem laboriosè tranſegit. Somni exigui, verba cum delirio. Omnia extrema frigida, non amplius recaleſcentia. Minxit autem nigra, dormiuit parum. Sub diem obmutuit, ſudauit frigidum. Extrema liuida: ad meridiem obiit ſexto die. Huit autem ſpiritus ad finem vſque velut recordanti, rarus & magnus. Splen intumuit tumore rotundo. Sudores frigidi vſque ad finem, Paroxyſmi paribus diebus.

Non contentus Hippoc. generatim docere, quæ illa tempeſtate acta ſunt, ſingulares quaſdam hiſtorias ſcribit, maioris exercitationis gratia. Philiſcus hic, vnus eorum aperte eſt, de quibus paulo anteita ſcripſerat. Ergo cum febres ardentes inciperent, ſignificabant quibus lethalia impenderent: & reliqua, omnia enim quæ illic dixit, multos per febres ardentes euenisse, hic dicit accidiſſe Philiſco, qui vt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 37 sur 489

©BIUM

ex ipsa narratione palam fit, laborauit febre ardente, pernicioſa, & acutiſſima, & quæ per dies pares mouebatur (eſt hic ille Philiſcus Antagorei filius, cuius nuper meminerat, die ſexto mortuum dicens) quia ergo ardens ex bile erat, alternis diebus fiebat grauior, & quia per pares mouebatur, ſecundo, quarto, & ſexto magis: primus autem, & tertio, & quinto, leuior videbatur. Quia lethalis morbus morte finitus eſt ſexto die, quia acutiſſimus, & per pares mouebatur. Nam ſi moueretur per impares, attigiſſet ſeptimum, qui acutiſſimorum finis eſt. Sed percurramus omnia verba. Primo die fuit febris acuta, ita enim dicebatur antea, iis quibus lethalia impenderent, ſtatim incipientibus febris acuta. Sudauit in noctem, hoc eſt per totam noctem primi diei, laboriosè. Sudor ſanè omninò malus, & prauam affectionem ſignificans. Nam intempeſtiuus, cùm primo die, & tam longe à tempore iudicationis fieret, & ſine tolerantia (laboriosè enim dicit) & ſine conferentia, cùm dicat, ſecundo omnia exacerbata ſunt. Eſſe autem omnia ſecundo die exacerbata, & veſperi poſt clyſterem benè habuiſſe, & tertio vſque ad meridiem videri factum ſine febre eſſe, nihil eſt aliud, quàm eſſe febrem tertianam continuam, & diebus paribus habere exacerbationes. Diximus enim prius eas febres moueri per pares, quarum periodi ſingulæ ſummos vigores habent paribus diebus, antecedentibus autem imparibus incrementa longa, & in fine ipſorum parium, & initio impariū ſubſequentium, decrementa breuiora. Dico autem impares antecedentes, vt primus antecedit ſecundum: ſubſequentes, vt tertius ſecundo ſuccedit. Primus ergo circuitus Philiſci acerbiſſimam partem ſecundo die habuit ad meridiem, cœpit inclinare veſperi (quare Hippocrates clyſtere vti iuſſit, vt in inclinationibus fit) duravitque ea inclinatio vſque ad meridiem diei tertii, qua hora veriſimile eſt febrem, primo die incepiſſe (quamquam Hippocrates horæ non meminerit) à meridie tertii diei cæpit febris acuta cum ſudore, vt à principio. Fuit homo ſiticuloſus, lingua areſcebat. Nimirum creſcebant iam cum febre ardente propria illius ſymptomata. Habuit enim hæc febris in primo circuitu totum principium vniuerſale. Quo proinde veriſimile eſt, vrinam cruditatis ſigna habuiſſe, in ſecundo, incrementum. Proindeque incæpit vrina habere ſigna contraria concoctioni, fierique nigra. Nox tertii diei fuit laborioſa, velut primi, & aliquanto plus, quia creſcebat iam malum. Quare non dormiuit, & delirauit omninò aperteque, hactenus enim imminentis delirii notas habuerat, magis quam apertè delirauerat. Quarto ſunt omnia exacerbata. Dixerat enim paulo ante, de ſignis quibus hac tempeſtate moriebantur, ediſſerens, quarto die dolores maximi: vrinam nigram tunc quoque reddebat, noctem tamen diei quarti habuit minus moleſtam, & primas quinti diei vrinas melioris coloris, & mox ſtillas ſanguinis de naribus. Quæ mutatio, quem non eorum, qui non ſunt admodum periti, deciperet, putantem, ſeptimo die futurum bonum iudicium, ſiquidem quartus mutationem excrementorum in melius fecerat? Cæterum medicus prudens, & non inexpertus, conſiderans totius morbi figuram, haud multum fideret quieti illius noctis (reſpondebat enim quieti ſecundi diei) neque quidem, conſiderans reliqua omnia, quæ lethaliter affectum hominem indicabant, fideret meliori vrinæ colori, recordatus illius ſententiæ. Non oportet multum fidere bonis, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim horum durare non ſolent. Expectaret ergo medicus mutationem, quam mox meridies diei quinti cæpit afferre. Stillauit parum de naribus ſyncerum. Stillas huiuſmodi vituperat millies Hippocrates, & in prorrhetico ſtillas quarto die factas, quales hæ fuerant. Nam ante meridiem quinti. Dies autem incipiebant à meridie: ſed quod merum dicit ſtillaſſe, intelligit Galenus nigrum, quia rubrum, qualem merum ſanguinem eſſe oportet, non putat ſignificare grauem affectionem. Ego verò intelligo Hippoc. dicere, quæ dicit. Stillare autem ſanguinem puriſſimum, nihilo melius erat tunc temporis, immò verò fortaſſe etiam deteſius. Quia præterquam quod euacuatio erat quantitate & tempore mala, nō euacuabantur qualia oportebat, ſed qualia non oportebat. Vrinæ variæ ſunt factæ, colore, & ſubſtantia, vt varia iam excrementa ſignificarentur: quædam ſimilia ſemini, ex ſuccis crudis: rotunda, ex vrente calore: pendentia & ſparſa, ex flatu fieri cæperunt. Non ſudauit eo die, vt primo & quinto fecerat, ſed appoſito balano, exigua & flatuoſa exierunt. Nimirum illo die, non tam bilioſa, quàm cruda, & flatuoſa viſa ſunt. Accidit enim in omnibus ferè illa tempeſtate ægrotantibus, duplicia excrementa moueri. Noctem quinti diei habuit grauiſſimam, reſpondentem ſcilicet nocti primi, & tertii, & grauiorem, vtpote homine iam debiliori, & morbo facto maiori. Quare ſomni exigui, verba cum delirio. Hoc eſt, per totam noctem loquebatur multa, & delirabat: quod quidem eſt, multum delirare. Omnia extrema frigida (hoc eſt caput, manus, ac pedes) nō recalebant iam ob debilitatem naturalis coloris. Apparente iam diluculo, minxit nigra, & dormiuit parum, ſub diem obmutuit. Quod quidem propè mortem iam conſtitutis accidere cōſueuit, etſi morbus non ſit eorum aliquis, qui ad neruos aut muſculos pertinent: ſed illud fieri ſuſpicor, per extremum lapſum eius facultatis, quæ thoracem mouet, & per magnam conturbationem hominis, vt ſolent quidam, ex repentino timore, aphoni fieri. Die ſexto ad meridiem obiit, quia ea fuerat ſemper omnibus diebus paribus grauiſſima, atque difficillima hora. Huic dicit fuiſſe ſemper ad finem vſque ſpiritum magnum, & rarum, velut recordanti, hoc eſt, velut ſolet eſſe ei, qui velut oblitus raras facit, & velut recordatus, magnas reſpirationes. Nimirum hic delirauit toto morbo, ſi quando enim videbatur ſapere, tamen tunc quoque erat velut attonitus, ſui oblitus. Quod quidem etiam genus quoddam delirii eſt, & illum ſpiritum facere poteſt. Nam ſi quis febre carens, cogitans tamen attentius aliquid, rarius ac vix reſpirat, velut ſolet mihi legenti accidere, cur non febricitanti ſine manifeſto delirio, ob obliuionem nonnunquam accidat? Splen (inquit) intumuit tumore rotundo. Quid autem eſt aliud, cum magna febre, quæ deſtitutis extremis vrebat viſcera, tumorem rotundum ſplenem habere, quàm phlegmonem? atqui, quandoquidem figura tumoris manu agnoſcebatur, magnus phlegmō fuit, alioquin ſuperpoſitæ partes prohibuiſſent. Itaque Philiſcus non tantum habebat febrem ardentem, ſed phlegmonem etiam in hypochondrio ſiniſtro. Neque proinde febris erat accidens, (erant enim in

excrementis multa putridæ febris signa) sed laborabat duplici morbo, febre, & phlegmone. Neque quidem fuit hæc lipiria. Fuisset enim extremorum frigus non superueniens, sed pathognomonicũ. Sed erat hæc febris maligna, in genere earum quæ vocabantur à veterrimis elodes (sudabat enim assiduè magno cum periculo) & typhodes, succendebantur enim viscera. Verùm considerari hoc loco velim (quod verissimum esse puto) perrarum esse febres huiusmodi acutissimas, & pernicioſissimas fieri, sine interna aliqua affectione. Quare nunquam omittenda cura hypochondriorum, & thoracis, capitis, & uteri, & renum & vesicæ, vt omni ratione inuestigemus, quæ harum partium insigniter laboret, & ei, quoad fieri possit, subueniatur.

Ægrotus II.

Silenum qui apud Platamonem propè Eualcidem habitabat, ex laboribus, & potationibus, & exercitationibus intempestiuis, febris corripuit. Cœpit autem lumborum dolore & capitis grauitate laborare cum ceruicis distentione: Ex aluo autem primo die biliosa sincera, spumosa, abundè colorata, & multa effluebant. Vrinæ nigræ, nigram hypostasim habentes. Siticulosus, lingua arida, nocte nihil dormiuit. Secundo febris acuta, deiectiones plures, tenuiores, spumosæ, vrinæ nigræ. Noctem difficulter tulit, parum delirauit. Tertio omnia exacerbata sunt, hypochondrij contentio, ex vtroque protensa vsque ad vmbilicum, submollis. Deiectiones tenues, subnigræ, vrinæ turbatæ, nigræ. Nocte nihil dormiuit: sermones multi, risus, non poterat se continere. Quarto cum eisdem. Quinto deiectiones meræ, biliosæ, leues, valde pingues, vrinæ tenues, pellucidæ, paucæ, mente constitit. Sexto circa caput parum sudauit. Extrema frigida, liuida, magna iactatio. Ex ventre nihil exibat. Vrinæ suppressæ sunt. Febris acuta. Septimo die sine voce. Extrema non amplius recalluerunt. Minxit nihil. Octauo sudor frigidus emanauit è toto corpore. Exanthemata cum sudore, rubra, rotunda, parua, velut vari permanebant, nec faciebant abscessum. Ex aluo irratione parua stercora tenuia, velut cruda multa, reddebantur cum dolore. Mingebat cum dolore, mordacia, syncera, pauca, recalescebat. Somni leues, comatosi, obmutuit. Vrinæ tenues, perspicuæ. Nono cum iisdẽ. Decimo potum non capiebat. Comatosus, somni autem tenues erãt, & à ventre similia prodibãt. Mingebat confertim, crassum, subsidens. Sedimentum farinæ simile, album. Extrema rursum frigida. Vndecimo obiit. A principio huic vsque ad finem spiritus magnus & rarus, hypochondrii palpitatio perpetua, circiter vigesimum etatis annum agebat.

Hic Silenus laborauit, quantum intelligo, febre ardente habente exacerbationes diebus imparibus. Quanquam id obscurè, ob morbi magnitudinem nunquam parum affligentis. Habuit cum febre magnum erysipelas in toto hypochondrio, à septo transuerso vsque ad vmbilicum, per vtrumque latus. Cœpit autem apparere non primo morbi die, sed à tertio. Hoc enim est, quod dicit. Hypochondrii contentio ex vtroque latere vsque ad vmbilicum, submollis, hoc est, sine duro tumore, quem possemus manu inuenire. Erat enim potius ardor cum fluxione, quam tumor: faciebat autem tensionem erysipelas, partim fluxione, partim siccatione, quam iis locis faciebat bilis. Ardorem illic maximum, vrentemque fuisse, palpitatio perpetua hypochondrii indicabat. Vocat enim, vt multis aliis in locis, palpitationem, non quam Galenus motitationem ab incluso flatu, sed pulsum, de quo in prognostico dicit: Si pulsus in hypochondriis appareat, perturbationem, aut furorem significat. „ Erat ergo pulsus arteriæ incumbentis spinæ apparens, ob ingens eius loci incendium. Delirium verò, & tentio, significabant serpere etiam erysipelas in septum transuersum. Hæc erat essentia huius morbi, quo multi hoc anno Compluti laborauerunt. Neque mirum, fuit enim apud nos, huc vsque, huius sexagesimi primi anni constitutio, ei quam nuper descripsit Hippocrates similima: fuitque proinde duplex succi idea in morbis, pituitæ, & bilis. Ergo in ætatis initio cœperunt biliosa irruere in quasdam partes, cùm autem in supremas suo more reperent, depressa à pituitosis, hypochondriis hæserunt. Habebant omnes hoc morbo laborantes hæc omnia, quæ Silenus, & præter hæc, vomitum etiam, tenente (arbitror) erysipelate etiam ventriculum. Sed percurramus omnia quæ acciderunt Sileno. Febre correptum dicit, exercitationibus nimiis, & intempestiuis, & porationibus. Narrat occasiones, sine causas manifestas febricitandi, nõ inutiliter. Multum enim præstat huiusmodi causarum cognitio, ad effectus cognitionem. Natæ certè erant hæ causæ facere crudorum succorum, & biliosorum redundantiam, simul cum obstructionibus. Labor quidem bilem auxerit, præcipuè in tam calida tempestate, potationes, cruditates, intempestiui motus, obstructiones, cùm per totum corpus, tum vel maximè in hypochondrio. Meritò ergo cœpit febricitare cum dolore lumborum, capitis grauitate, & colli tentione, multis excrementis per partes effusis. Ex aluo primo die, biliosa, sincera, & spumosa, copiosè multa, effluebant. Euacuatio tempore & qualitate pessima. Nam in prognostico scriptum est, Si admodum flaua, aut spumantia deiiciatur, hæc omnia mala sunt, Vrinæ verò fuerunt longè pessimæ, nigræ enim, & nigram habentes subsidentiam. Siticulosus (inquit) erat & lingua arida. Nimirum hæc sunt febris ardentis signa. Nocte nihil dormiuit. Incipiebat, scilicet, cerebrum iam affligi à bile, qua afflictione crescente, secundo die fuit pervigilium cum delirio, & deiectiones plures etiam quàm primo die, similes tamen, vt & vrinæ. Tertio omnia exacerbata sunt. Quia præterquàm quòd crescebat iam morbus, per impares mouebatur. Cœpitque

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 39 sur 489

©BIUM

iam hypochondrii erysipelas apparere, & deiectiones, atque vrinæ, fiebant deteriores. Deiectiones enim pro biliosis & spumosis, tenues, & subnigræ; vrinæ, pro nigris tenuibus, turbatæ nigræ. Dico autem has esse deteriores, quia multo maiorem nigrorum succorum copiam iam indicabant. Nocte nihil dormiuit. Multa loquebatur, quod insaniæ est. Ridebat, vt non se posset continere. Si hic risus per dementiam fiebat, profectò secura videbatur esse hæc dementia, siquidem cum risu fiebat. quare cùm tam longe abesset homo à secura affectione, suspicor non tam fuisse risum ex motu animi natum, quàm impotentiam quandam continendi septum transuersum, ob calorem partium ad eam regionem pertinentium, aut ob motum conuulsiuum ipsius septi. De qua risus specie lib. 5. controuersiarum cap. 9. disseruimus. Hoc symptoma est, quod vt significet Hippocrates dicit, risus, non se poterat continere. Atqui hoc quoque symptoma nascebatur ex calore circa hypochondrium, & septum. Cui loco proinde admouenda erant tunc temporis frigida epithemata. Quartũ diẽ transegit cum his eisdem. Quinto deiectiones meræ, biliosæ, læues, valde pingues. Leuitas & pinguedo magna, colliquationem magnam significabant, atque adeo declarabant, spumosa, quæ primo die apparere cæperunt, vi caloris esse facta, vt solet in feruentibus ollis. Vrinæ huius diei fuerunt tenues, & pellucidæ, & paucæ. Quod ex turbatis nigris qua ratione fieri potuit, nisi rapta bile in superiores partes? mirum autem quòd cum his vrinis cæpit mente constare, cum soleat iis apparentibus, quod non est, fieri; & quod est, augeri, delirium. „ Quid enim aliud sibi vult Hippocrates, dicens, v„ rinæ albæ, perspicuæ, malæ, maximè si in deliran„ tibus appareant? Sed tamen qua ratione fieri in Sileno coniectem, audi: cum bilis, atque adeo, maligna omnia excrementa, per debilitatem facultatis, & malo in deterius eunte, sursum raperentur, tamen ab inflammatis hypochondriis, in media via intercipiebantur. Proinde apparere cæperunt vrinæ perspicuæ, & homo nihilominus mente constitit. Tamen aucto magnoperè malo, quod obsidebat hypochondria, omnia lethalia signa ab ea die aucta magnoperè sunt, & mortuus esset homo celerrimè, nisi quædam exanthemata varis similia (vocant variolas) oborta, liberare omninò non valentia, mortem retardassent. Nam die sexto sudauit parum circa caput. Quod genus sudoris magnoperè in prognostico vituperatur: extrema fuerunt frigida, & quod est multò grauius, etiam liuida. Fuit magna iactatio. Ex ventre nihil exibat: & vrinæ suppressæ sunt: & febris acuta. Atqui ex his symptomatis cõiecto varis similia exanthemata hac sexta die orta esse. Nam referens, quæ octauo die conrigerunt, dicit, exanthemata permanebant. Hoc autem verbum apertè significat non esse facta tunc primum, sed aliquot ante dies. His autem nascentibus, nihil magis sentitur, quàm anxietas quædam maxima, & iactatio. Atqui supprimi euacuationes consuetæ solent, cum natura in partem aliam tentat nouum motum. Febris autem, cùm hæc excerni incipiunt, mirum in modum crescit. Septimo die obmutuit, & extrema non amplius recaluerunt, & nihil minxit. Atqui si meminimus eorum, quæ Philisco acciderunt, mirum est, quòd hoc die septimo non sit extinctus, tamen verisimile est durasse hominem vsque ad vndecimum, quia cum robusta facultate ægrotare cæpit, & quia maxima pars biliosorum excrementorum, quæ malignam habebant qualitatem, ad cutem abscessit, quo factum est, vt reliquo morbo symptomata, pituitæ motum magis quam bilis, significauerint. Nimirum octauo sudauit frigidum per totum corpus, quod quidem commotis cum bile pituitosis, factum puto: velut & somnos comatosos, vrinas, nunc tenues & perspicuas, nunc habentes multum sedimentum farinaceum. Dicit, simile farinæ, album, quia est aliud farinaceum rubrum, quod & orobinum dicitur. Verum non omninò conquieuit post septimum diem bilis, alioquin fortasse liberatus esset homo: sed ipsa exanthemata præ se ferebant signa vtriusque succi, bilis quidem, quia rubra: pituitæ, quia rotunda, & velut vari: pituitæ autem contumacis, quia non faciebant abscessum: & bilis non propè euntis, sed recurrentis, signum præbebat irritatio illa, & excretio cum dolore stercoris tenuis ob cruditatem, & mictus syncerus cum mordacitate. Cum his productus est morbus vsque ad vndecimum, quo obiit. Hunc dicit habuisse à principio ad finem, spiritum magnum & rarum. Dictum autem est à me antea, esse hoc mentis alienatæ, & si sine manifesto delirio fieri possit. Pulsus magnus in hypochondrio, incendium illius loci significat. Vituperatum autem est id signum magnoperè ab Hippocrate in prognostico.

Ægrotus III.

Herophontem corripuit febris acuta, à vẽtre pauca, qualia per tenesmum solent, inter initia egerebantur. Post hæc autem tenuia deiecit, biliosa, copiosa. Somni non aderant. Vrinæ nigræ, tenues. Quinto die mane surditas. Exacerbabantur omnia, lien intumescebat. Hypochondrij contentio. Ex aluo pauca nigra exibant. Desipuit. Sexto delirauit: sub noctem sudor, refrigeratio, delirium permanebat. Septimo circumfrigebat sitiens, desipiebat. Ad noctem rediit in mentem, dormiuit. Octauo febricitabat, lien subsidebat. Intelligebat omnia. Doluit ad bubonem, primúmque tumor ortus est secundum rectitudinem lienis: deinde dolores in ambas tibias deciderunt. Noctem facile tulit. Vrinæ melioris coloris, subsidentiam habebant exiguam. Nono sudauit, iudicatus est. Intermisit. Quinto repetiit. Statim autem splen intumuit. Febris acuta. Surditas sursum. Post recidiuam autem tertio splen subsedit. Surditas minor. Crura dolebant. Noctu sudauit. Iudicatus circa decimum septimum: neque delirauit in recidiua.

Herophon hic, vnus quidam eorum est quos nuper dixerat, ex febre ardente, decimo septimo die cum recidiua iudicatos fuisse secundum rationem, & liberatos. Mouebatur hæc febris per impares. Talibus enim diebus exacerbatur, & iudicata est,

©BIUM

cum imperfectè, tum etiam perfectè. Habuit vsque ad nonum diem signa quæ timorem magis afferebant, quàm spem. Nam cum euacuationibus tentatis in primis (vt solent per tenesmum) deinde fluentibus, tamen tenuibus, biliosis, & intempestiuis, & cum perui gilio, vrinæ erant nigræ & tenues: quæ mortales esse solent. Tamen quia nonus dies attulit signa concoctionis manifestæ (vrinas enim melioris coloris cum exigua subsidentia) meritò factum est, vt homo euaderet, atque adeo secundum constitutionem legitimam. Euasit enim decimo septimo, ad quem à nono, tantum tempus est, quantum ad nonum à primo. Sed quia alia ex parte difficillimi morbi erant signa, alia ex parte salubriter affecti hominis, contigit, vt difficili iudicio, & non sine recidiuis, ac cum multis abscessibus, homo euaderet. Abscessus autē decurrerunt, vt oportuit, quibus homo liberaretur. Nam à supernis ad inferna semper, & à nobilioribus ad ignobiliora semper permutatio procedebat. Nam imprimis fuit surditas. A surditate tumor lienis, ab hoc dolor inguinis sinistri (quę rectitudo ad purgationem lienis multum fecit, & cursum quem cœperat natura tenere apertè iudicauit) deinde dolores in ambas tibias. Atqui non in alteram solum. Nam ambo crura, & ambæ manus, ob ignobilitatem sunt vtriusque lateris viscerum emunctoria; quanquàm non æquè vtrorumque. Cōstat autem illum lienis tumorem in Herophonte: nō fuisse phlegmonem. Alioqui si ex phlegmone eius visceris fuisset tantus tumor, non tam facilè subsedisset, & recurrisset. Sed succus per lienem, cursum cepit, & fecit abscessum, atque adeo cum hoc factū sit, minus iam est mirandum, etsi vrinæ nigræ tamdiu durauerint, seruatum esse hominem. Nam crassi melancholicique succi verisimile est fuisse multum, cuius redundantia, sine maligna corruptione potest tales vrinas parere. Neque scio an in omnibus ægrotis, quorum in epidemiis mentio fit, aut alibi, ab Hippocrate fit, qui cum habuerit vrinam nigram, superfuerit, quin causam nigritiei præstiterit species succi. Mirumque quòd Herophonti durus tumor in liene non super fuerit ex crassa succi parte, cùm tenuis dissipata sit, cùm sudore noni, tum etiam eo, quem hic indicauit aduenisse decimo septimo, qui omninò febrem substulit.

Ægrotus IV.

IN Thaso Philini vxorem quæ filiam pepererat, & secundum naturam purgatione facta, & cùm alia leuiter transegisset, exactis quatuordecim diebus à partu, febris ardens corripuit cum rigore. Dolebat autem cor in initio, & dextrum hypochondrium. Dolores muliebriū. Purgatio cessauit. Appositio autem balano hæc leuiora sunt facta. Capitis autem & colli, & lumborum dolores permanebāt. Somni non aderant. Extrema frigida, siticulosa. Venter vri videbatur. Pauca deiecit. Vrinæ tenues & decolores, in initiis. Sexto die ad noctem delirauit multa, & rursum ad mentem rediit. Septimo siticulosa. Deiectiones biliosæ, coloratæ. Octauo riguit. Febris acuta: conuulsiones cum dolore. Multa delirabat. Surgebat. Appositio balano multa deiecit cū fluxu bilis. Somni non aderant. Nono conuulsiones. Decimo nonnihil sapuit. Vndecimo dormiuit: omnium recordata est: cito autem rursum delirauit: minxit autem cum conuulsionibus confertim multum, & rarò (nisi admonita) crassum, album, quale sit in vrinis subsidentibus, cum perturbantur. Repositum per multum tempus, non subsidebat. Color & crassities qualis sit in iumentis: Talia mingebat, quæ ego vidi. Decimoquarto die palpitationes occuparunt per totum corpus. Verba multa. Paululum mente constitit: cito autem rursum delirauit. Decimo septimo obmutuit, vigesimo obiit.

Non dubium est vxori Philini supernenisse causam aliquam manifestam febricitandi. Alioqui, cum per quatuordecim dies secundum naturam processisset expurgatio, non febricitasset. Partus enim naturalis, bonusq; fuit, si quis alius: nā sine symptomatis, quæ non ferrentur leuiter, dicit ritè esse expurgatam. Meritò ergo cōputat dies decretorios à febre, quanquam in prognostico à partu fieri debere affirmet. Verum explicuimus in controu. illud intelligi, cum videtur partus causam febricitandi præstitisse. Quāquam autem à principio partus nō fuerit malus, tamen cum in medio partu (torum tempus naturalis expurgationis partum voco) febre correpta fuerit, non potuit non habere, quæ per malos partus febricitantes habere solent. Ab eo enim die partus bene procedere desiit. Habuit ergo in vtero erysipelas, id quod dolores muliebriū, & vitio in ventre, significabant. Hęc autē facta sunt, quia purgatio cessauit. Recurrente autē sanguine in hepar, doluit dextrum hypochondriū, quod quia doluit, febris erat ardentissima, & mulier siticulosa, consentaneū est phlegmonē habuisse: fuisseque in mulieres duas affectiones internas, phlegmonē in hepate, & in vtero erysipelas. Atqui illorum symptomatum, quædam affectionem vteri, quædam hepatis, quædam vtriusq; partis indicabant. Rigor enim, & cordis, hoc est, oris ventriculi dolor, iis quæ febricitant à partū, familiares sunt, ob consensum ventriculi, & neruorum cum vtero. Capitis, & colli, & lumborum dolores, retentis, aut malè erumpentibus menstruis purgationibus, fiunt. Sitis, vehementiam febris, & phlegmonis, sequebatur. Frigus extremorum, magnitudinem phlegmonis, & naturalis caloris extinctionem. Peruigilium & delirium, læsionem magnam cerebri. Quoniam verò morbus non erat vera phrenitis, neque delirium fuit perpetuum, sed quibusdam diebus incidens. Conuulsiones autem, quæ nono die cœperunt multum iam progredi, cerebri læsionem, & neruorum omnium, declarauerunt. Maximè cùm octauo antecessrit rigor ille intempestiuus (quia neque cocto morbo, neque in die decretorio) qui malignam materiæ qualitatem, & neruos tentari, ostendit. Habere se hanc mulierem grauissime, illa erant maxima signa, quæ lethalia apparebant, velut deliria magna, & conuulsiones perseuerare, ac crescere indies, ac si quando viderentur recessisse, statim recurrere: & ab euacuationibus spontaneis, & ab euacuatoriis auxiliis,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 41 sur 489

©BIUM

quibus inter initia iuuari cœperat, à procedente iam morbo nihil iuuari. Nam in primis diebus appoſito balano (balanum enim intelligit, vbi dicit, appoſito autem hæc leuiora ſunt facta) iuuari viſa eſt. Octauo tamen die, cum appoſito rurſum balano multa bilioſa deiecerit, adeo non eſt iuuata, cùm ea nocte non dormiuerit, & nona conuulſa rurſum ſit. Fuerant autem ſeptimo etiam deiectiones bilioſæ coloratæ. Quod vndecimo euenit, minxiſſe ſcilicet cũ conuulſionibus, multum, rarò niſi admonita, nihil eſt aliud, quam eo die habuiſſe duo hæc ſymptomata, conuulſiones, & mictum, rarum, & copioſum, & tunc ſolùm cum admonebatur. Hoc verò erat, conuulſio, & delirium. Nam quia mens ægrotabat, non ſentiebat veſicæ dolorem & pondus, ac proinde non mingebat niſi admonita, tunc verò multum, quia per interuallum longum, multum congeſtum erat. Conuulſiones autem cum tanta mentis alienatione, vide quam malè affectum eſſe cerebrum ſignificarent. Species autem vrinæ, capitis etiam laborem monſtrabat. Nam in Aphoriſmo dictum eſt, v-
„ rinas perturbatas, quales in iumentis eſſe ſolent,
„ dolorem capitis, præſentem aut imminentem ſi-
„ gnificare. Oportet autem ob vires dierum decretoriorum, conſiderare, per quaternarios accepiſſe morbũ mutationes inſignes, decimoquarto enim, & decimo ſeptimo: atqui, quia quod decimo ſeptimo euenit, grauiſſimum fuit (obmuteſcentia enim, quæ niſi cum ob paralyſim fit linguæ, vicinis iam morti ſolet accidere) non potuit vltra vigeſimum viuere. Hunc enim diem decimus ſeptimus indicat, vt in controuerſiis dictum eſt. Vbi illud etiam generatim iudicauimus, Intra vigeſimum, omnes quaternarios, eſſe eorum, qui proximè ſequuntur indices. Excrementa in hac muliere habuerunt, quod & in pleriſque ægrotis huius tempeſtatis, bilis & pituitæ ſignificationem, deiectiones enim, bilis: vrina pituitæ.

Ægrotus V.

Epicratis vxorem, quæ decumbebat prope Archegetem, vicinam iam partui, rigor fortis apprehendit. Non incaluit, vt ferebant, & ſequenti die, eadem ad. fuerunt. Tertio autem die, peperit filiam, & alia omnia proceſſerunt ſecundum rationem. Secundo die poſt partum, apprehendit eam febris acuta, cordis dolor, muliebrium locorum. Inſomnis erat; ſubdito quidem preſſo hæc facta ſunt leuiora. Capitis autem & colli, & lumborum dolor inuaſit. A ventre autem pauca, bilioſa, tenuia reddidit, ſyncera, vrinæ tenues, ſubnigræ. Sexto autẽ poſtquàm eam febris arripuit, ſub noctem delirauit. Septimo omnia exacerbata ſunt, ſine ſomno delirauit, ſiticuloſa: deiectiones omnes bilioſæ, ſubrubræ. Octauo riguit, dormiuit copioſius. Nono cũ iiſdem fuit. Decimo crura cum labore dolebant, cordis rurſum dolor inuaſit cum capitis grauitate, non delirauit, dormiuit magis, venter reſtitit. Vndecimo ſudauit. Minxit vrinas melioris coloris, ſubſidentiam habentes copioſam, melius ſe habuit. Decimo quarto riguit, febris acuta. Quindecimo vomuit bilioſa, flaua, ſubcrebra, ſudauit, ſine febre fuit, per noctem autem febris acuta, vrinæ craſſitiem habentes, ſubſidentiã albã. Decimo ſexto exacerbationem nocte habuit, & cum difficili tolerantia, non dormiuit, delirauit. Decimo octauo ſiticuloſa: lingua exaruit, non dormiuit: delirauit multùm, dolebant ei crura. Ad diem autem vigeſimum, manè parum riguit, comatoſa, quieta dormiuit, vomuit bilioſa, pauca, & nigra: Sub noctem ſurda facta eſt. Circa vigeſimum primam autem lateris ſiniſtri grauitas vndique cum dolore infeſtauit, parum tuſſiit, vrinæ autem craſſitiem habentes, turbidæ, ſubrubræ, repoſitæ non ſubſidebant: Cætera autem leuiùs habebat, non ſine febre. Statim à principio in larynge dolorem, & raborem habuit, & gurgulionem reuulſum, fluxio ácris, mordax, ſalſa, vſque ad finem perſeuerauit. Circa vigeſimum ſeptimum ſine febre fuit. Vrina habuit ſedimentũ. Latus nonnihil dolebat. Circa trigeſimum quartum, febris eam corripuit, Venter bilioſis turbatus eſt. Quadrageſimo vomuit pauca bilioſa. Iudicata eſt perfectè & à febre liberata octogeſimo.

Cum diceret vxorem Epicratis duobus diebus ante partum correptam eſſe rigore, ex quo non febricitauerit poſtea, addidit, vt ferebant: quæ verba dubitantis eſſe putat Galen. qui ſcripſerat alibi, mala porro ſuper mala eueniunt, vt poſt rigorem febris: inſinuans, ſcilicet, non poſſe rigorem fieri, cui febris non ſuccedat. Ego verò non arbitror, Hippoc. affirmaſſe id omnino nunquam fieri poſſe, ſed non niſi rarò, & quibuſdam ex cauſis. Inter quas præcipua eſt crudorum ſuccorum redundantia: addidiſſe verò illud, vt ferebant, veritatis cauſa, quòd non viderit: ſed audiuerit à familiaribus mulieri. Veriſimile eſt enim, non eſſe accerſitum medicum vſque ad diem ſecundum poſt partum, quo febre eſt correpta. Quamquam morbus non tantum à die quo eſt enixa, initium habuit motus, ac proinde etiã computationis: ſed & à die quo riguit. Nam ab eo die cœpit iam parere, cum ſymptomatis partus grauioris, & minimè naturalis. Indicatum autem eſt à me in controuerſiis illud à die quo peperit, eſſe à die quo cœpit parere. Ergo dies quo primo febricitare cæpit, erat iam quintus totius morbi. Non enim febricitauit ſequenti die poſt partum, ſed poſt diem partus ſecũdo. Quare iudicatus putetur octogeſimo quarto, quia à febre octogeſimo. Atqui, quaſi inſinuet non eſſe eundem ſextum à febre, & totius morbi, dixit, ſexto poſtquàm febris eam corripuit ſub noctẽ delirauit. Si enim legitima computatio eſſet à febre, vt in aliis, non ſemper in his diceret à febre, ſed taceret. Apertiſſimè hæc quoque habuit ſigna affectionis vteri, & multitudinis excrementi multiplicis, pituitoſi ſcilicet, & bilioſi: quare & ſalſi,

quia

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 42 sur 489

quin & melancholici. Habuit enim dolores muliebrium, & oris ventriculi, quod antiqui vocabant cor, quæ pars cum vtero ſtatim conſentit. Habuit etiam dolores capitis, colli, & lumborum. Quod partium earundem paſſioni atteſtatur, & multitudinem indicat. Iam verò horrores quibus febres nõ ſuperuenerunt, & coma, quod vigeſimo die factum eſt, crudos ſuccos: peruigilium, delirium, & bilioſæ deiectiones, bilem indicabant, & dolor & rubor gurgulionis, qui fuit à principio per totum morbũ erat bilis & ſalſæ pituitæ progenies. Vomitus niger, & vrinæ craſſæ, & turbidæ, ſubrubræ, & grauitas totius ſiniſtri lateris cum dolore, ſignificabant craſſum & melancholicum ſanguinem. Nam dolor hic grauans, ad lienem præcipuè pertinet, excrementis ſibi familiaribus refertum. Vſque ad vndecimum diem exigua erat ſalutis ſignificatio: nam ſigna paſſionis erant magna. In excrementis erant, partim cruditatis, partim contraria concoctioni ſigna. In genere ſignorum ſalutis, aut mortis, nullum video fuiſſe omninò bonum: & fuerunt multa valde mala. Itaque affectio videbatur lethalis: ſed quia, vt conſentaneum eſt, facultas fortis fuit, & ſymptomata fortaſſe ob laborem partus fuerunt, quàm pro morbi magnitudine, maiora, & vrinæ, quàm pro corruptione ſuccorum, deteriores, ob admiſtionem melancholici excrementi, euaſit mulier: ſed cum difficili iudicatione, & morbo producto vſque ad cõſtitutionem longorum. Vndecimo habere cœpit ſigna concoctionis in vrina, obſcura tamen (tantum enim melioris coloris) fuerant autẽ ſubnigræ, quare haud multum erat, eſſe melioris coloris. Subſidentiam habebant copioſam, qualis ex crudis ſuccis fieri ſolet, nihilominus hæc fuit mutatio in melius. Decimoquarto fuerunt iam in vrina ſigna manifeſtæ concoctionis. Vrinæ enim (inquit) craſſæ cum ſubſidentia alba. Multo autem plus eſt habere craſſitiem ſubſtantiæ, quàm colorem meliorem. Nam cum Hippoc. dicit craſſas, non addens perturbatas, coctas intelligit. Meritò ergo iuxta legem conſtitutionis legitimæ, iudicata eſt febris vigeſimo ſeptimo: ſed, ob dictam cauſam, iudicium non fuit perfectum. Imò quia ſymptomata quædam durarunt, vt lateris dolor, repetiit exacta alia ſeptimana, trigeſimo quarto, quo etiam deiectiones bilioſas habuit, & quadrageſimo vomuit. Nihilominus febris eſt producta ad octogeſimum. Non mirum, ſi quiſquam vigeſimo ſeptimo primo die pleuritidem ſuperueniſſe ſuſpicaretur. Habebat enim febrem perpetuam, & accidit lateris dolor cum tuſſi. Tamen non eſſe veram pleuritidem, planè intelligeret ex doloris ſpecie. Grauans enim erat, non pungens. Atque quia ad totum latus pertinebat, non tantum ad thoracis partem, manifeſtum fiebat, aut ad hypochondrium cui omnia alligata ſunt, pertinere, aut per totum latus cauſam eſſe effuſam.

A *quales ex laſſitudine accidunt. Febriles exacerbationes ſubinde & ſine ordine inuadebant. Sudores quidem nunc aderant, nunc minimè. Maxima ex parte incidebant paroxyſmi in dies decretorios præcipuè. Circa vigeſimum quartum autem doluerunt ei extremæ manus; vomuit flaua, bilioſa, ſatis multa, paulò poſt virulenta, quibus omnibus ſubleuatus eſt.*

B *Circa trigeſimum diem cœpit ſanguis fluere ex vtraque nare, & hæc erraticè & paulatim vſque ad iudicium. Non abhorruit autem à cibo, neque ſitiit per totum tempus, neque ſomno caruit. Vrinæ tenues non ſine colore. Quadrageſimo autem minxit ſubrubra ſedimentum multum ſubrubrum habentia. Subleuatus eſt. Poſt hæc autem variarunt vrinæ: nunc quidem ſedimentum habebant, nunc non. Sexageſimo vrinis ſedimentum multum, & album, & læue adfuit. Remiſſa ſunt omnia. Febres intermittebant. Vrinæ autem rurſum tenues, ſed boni coloris. Septuageſimo ſine febre fuit. Intermiſit dies decem. Octogeſimo riguit. Febris eum arripuit acuta, ſudauit multùm. Vrina habuit ſedimentum rubrum, læue. Perfectè iudicatus eſt.*

C

D Hæc febris fuit erratica continua vſque ad ſexageſimum, quo facta eſt intermittens. Erratica autem cõtinua eſt, quæ exacerbationes habet erraticõ modo. Habuit autem vt paroxyſmos, ita euacuationes erraticas, ſudorem ſcilicet, & fluxiones ſanguinis. Dolor ſiniſtri lateris non erat pleuritis, quædã enim alia ſymptomata adfuiſſent, ſed ex adiunctis coniecto ad ventriculi os cruditatibus refertum, eũ dolorem pertinuiſſe, ſæpiſſimè enim id latus ob

E ventriculum dolet. Nimirum collocatum eſt eo loco eius os. Atqui ex huius paſſione ſtatim dolet caput, ob malos fumos, quos recipit: quin & totum corpus dolet, vt quod eſt de fatigatum, & laſſatum labore, debilitatis ſcilicet partibus omnibus. Atqui quod 24. factum eſt, hoc quoque indicat. Leuati enim ſunt omnes dolores vomitu bilioſorum, & virulentorum. Quæ quidem partim fuerunt bilioſa, quæ ob debilitatem partis confluxerunt, par-

F tim malè corruptus chylus. Neque mirum non ante vigeſimum quartum eſſe euacuata, quæ in ventriculo putruerant. Scimus enim poſt multò plures dies ſolere, quædam in ventre congeſta, expelli. Atqui non abhorruiſſe à cibo, neque ſitiiſſe, neque caruiſſe ſomno, multus & crudus ſuccus faciebat, & frigidus. Neque verò quoniam bilioſa euomuit è cauo ventris, non habuit intra tunicas pituitoſa. Dolor manuum extremarum, abſceſſus quidam fuerit,

G quales ſolent eſſe per febres longas, maximè per quas aſſiduæ à principio, & variæ euacuationes ſunt. Velut in hoc. Id enim multitudinis ſignum eſt. Accidunt autem maximè abſceſſus ad articulos per febres laborioſas, cuiuſmodi eſſe hanc, illa totius corporis laſſitudo declarauit. Cheiragra ergo cenſeo tentatum eſſe Cleonactidem: 24. habuit vrinas tenues boni coloris, quales crudo morbo fieri alibi dixit, vſque ad 40. circa quem cœpit habere conco-

Ægrotus VI.

CLeonactidem, qui ſupra Heracleum decumbebat, febris ardens corripuit incertã periodo. A principio autem dolor capitis, & ſiniſtri lateris adfuit, & membrorum laberes

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 43 sur 489

©BIUM

ctionis manifestæ notas. Subrubra enim minxit, cum multo sedimento subrubro. Quare vsque ad octogesimum est productus morbus. Vt hoc quoque sit exemplum legitimæ constitutionis morborum. Quanquam enim ante octuagesimum habuit nonnullas iudicationes imperfectas, perfectas tamẽ non habuit anteà. A sexagesimo cæpit fieri intermittens. A septuagesimo intermisit vsque ad 80. quo die cum rigore, & sudore iudicatus est perfectè. Videretur autem medicis. 80. die superuenisse tertiana intermittens: facto enim rigori superuenit febris, febri sudor, & integra solutio: quæ ipsissima tertianæ figura esse videtur, tamen non ita erat. Sed facultas expultrix mouere incipiens, fecit rigorem. Quia autem hæc non fuit adeo fortis, vt statim rigenti sudor superueniret, hærentibus excrementis per aliquot horas, arsit, vsque dum nouo facultatis impetu facto, sudauit, & iudicatus est.

Ægrotus VII.

Erasinum, qui prope Bootæ torrentem habitabat, febris ardens post cœnam corripuit, noctem perturbatè transegit, diem primum quietum, noctem molestam habuit. Secundo omnia exacerbata sunt sub noctem, delirauit. Tertium laboriosè transegit, delirauit multùm. Quartus fuit molestissimus. Nocte autem nihil dormiuit. Insomnia aderant & cogitationes. Deinde peiora, & magna, & periculosa, timor, difficilis tolerantia. Quinto mane recreatus est, intelligebat omnia. Multum autem ante meridiem furiit. Continere se non poterat. Extrema erant frigida subliuida. Vrinæ crudæ. Mortuus est sub Solis occasum. Huic febres vsque ad finem cum sudore erant. Hypochondria sublimia. Contentio cum dolore. Vrinæ autem nigræ habentes suspensiones rotundas, nec subsidebant, ex ventre autem reddebat stercus. Sitiebat vsque ad finem, non tamen vehementer. Conuulsiones multæ cum sudore circa mortem vsque ad finem.

Hic Erasinus habuit secundum vtrumque hypochondrium phlegmonem magnam, & multam cõpatientibus cerebro & neruis, tentabatur delirio & conuulsione, adeo vt tandem conuulsus mortuus sit. Atqui quanquam ob acutiem morbi, in dies capientis maximum incrementum, videbatur sequens dies semper fieri deterior hesterno: tamen per pares dies moueri, ex molestia maxima, quam attulit quartus dies, & ex signis, quæ attulit sextus, iudicatũ est. Habuit semper vrinas nigras, quas crudas vocat, quia non erant coctæ. Non enim tantum crudæ erant, sed contraria etiam concoctioni signa. Quod non admodum sitiebat, nihilo erat melius, præter rationem enim erat. Fuit verò hic Erasinus singulare exemplum, illorum, de quibus dixerat antea, plurimos hac tempestate sexto die mortuos, his ferè signis.

Ægrotus VIII.

Metonem febris vehemens corripuit cum lumborum grauitate & dolore. Secundo cùm multùm aquæ biberet, aluus benè egessit. Tertio, capitis grauitas: deiectiones tenues, biliosæ, subrubræ. Quarto omnia exacerbata sunt. Fluxit à dextra nare sanguis, paululùm, bis. Noctem laboriosè transegit. Deiectiones quales tertio die, vrinas subnigras habebat, in quibus pendebãt subnigra, sparsa. Nõ subsidebant. Quinto copiosè sanguis fluxit sincerus ex nare sinistra. Sudauit. Iudicatus est. A iudicio insomnis erat, delirabat: vrinæ tenues subnigræ. Capitis perfusione vsus est: dormiuit, mente constitit, morbus non repetiit, sed fluxit sanguis sæpe post iudicium.

Hæc Metonis febris ex nullo succo mihi videtur pependisse minus, quàm ex pituita. Nam pituitæ nulla habuit signa, sanguinis nonnulla. Siquidem habuit diebus, tertio & quarto, subrubras deiectiones. Flauæ bilis habuit multa, nam biliosas, & tenues deiectiones: melancholiæ autem habuit, plurima. Nam eius delirii, & peruigilii, quod post febrem solutam habuit, constat causam fuisse melancholiam. Nam sine febre non fuerit phrenitis. Sed consumpta per deiectionem & sudorem, cum bile, tum parte melancholiæ putrescente, relicta est multa fex, quæ illorum symptomatum, vt solet, causam præstitit. Hæc ergo, quæ soluta febre subsequuta sunt, aperte declararunt ex nigra bile, magna ex parte, febrem pependisse. Quare consentaneum est, vrinas quoque, factas esse subnigras, ob nigrum succum. Quare non est admodum præter rationem, cum vrina nigra liberatum esse hominem. Fuit enim ea vrina, in hoc, non mortis, sed passionis signum. Hoc idem euenit mulieri morosæ in Thaso, cuius in tertio libro mentio fit. Nimirum cum vrina nigra, à melancholica passione liberata est. Verum quamquàm nigra bilis præcipuè erat causa, affectus locus hepar erat magis quàm lien. Alioquin fluxio de nare dextera non adeo iuuisset. Est dignum hic consideratione quod dicit, secundo die cùm multùm aquæ biberet, aluus benè egessit, nam quasi reddens causam id dixit. Nimirum aluus benè egessit, quia aquam multam ille bibit. Quod quidem potuit fieri casu, aut medici consilio. Sed vtcumque, non dubito iuuisse. Nam deonerando aluum, soluit lumborum grauem dolorem. Ego quidem sæpè hac parte grauiter dolente, cum ob redundantiam in intestinis dolorem ortum coniecto, do bibendam multam aquam cum multo saccharo, aut admixto oxymelite, & aut sola hac, aut immisso clystere, molior deiectionem. Fecit autem arbitror ita Hippocrates in Metone, dixitque, vt nos imitaremur. Velut illud, capitis perfusione vsus est. Non enim profectò ipse sua sponte

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 44 sur 489

vſus eſt, ſed Hippocrates iuſſit: neque in illa occaſione excogitari melius auxilium potuit. Quia balneum, vt humida cauſa, melancholicæ intemperiei per ſe occurrebat, & conciliabat ſomnum (quo in melancholicis nihil eſt vtilius) & laxando vias, fluxum ſanguinis de naribus, à quo adeo iuuati omnes ſunt, mouebat. Meto certò eo fluxu, adeo iuuatus eſt, vt cum ſigna concoctionis non antecesſerint, tamen quia ſæpè fluxit ſanguis poſt iudicium, ſine recidiua tranſegerit.

Ægrotus IX.

CRitoni in Thaſo, erecto & ambulanti pedis pollex vehementer dolere cœpit. Decubuit eodem die, horreſcens, faſtidioſus, parùm incaleſcens. Nocte delirauit. Secundo tumor per totum pedem, & vſque ad talum ſubrubẽs, & cum contentione. Puſtulæ nigræ. Febris acuta: inſaniit, à ventre autem mera bilioſa, copioſa, effluxerunt. Mortuus eſt à principio ſecundo die.

Acutiſſimus exacte, ac pernitioſiſſimus fuit hic morbus, quo mortuus Crito eſt ſecundo die, ex quo febre acuta teneri cepit; tertio autem, ex quo dolore digiti pedis correptus eſt. Nihil mirum, ſi hic homo podagra ſe tentari primo illo die ſuſpicatus eſt. Nam ambulanti adhuc recto, dolor pedis accidit fortis. Tamen illud malum non eſſe mite, neque fieri, vt ſolet, ob virtutis robur detrudentis ad articulos, quæ redundant in intimis partibus, ſed ob venenatam quandam ſuccorum qualitatem, ſuſpicionem ſtatim præbere cepit, horridum, & faſtidioſum fieri hominem. Maximè autem ſuſpicionem auxit, delirium primæ noctis. Cum illo die, non eſſet homo occupatus, niſi exigua febre, parum ſcilicet ſubcaleſcens. Quod nomen ſignificat, ex aſſiduis eius diei horroribus, vix poſſe calidum innatum, ad corporis habitum redire? accedens autem faſtidium, ad intima confluere, aut in intimis hærere malignos ſuccos. Summè verò iam aperta fuit veneni ſignificatio, cum facto maiore pedis tumore, puſtulæ nigræ cum contentione, hoc eſt, ampullæ quædam bullis diſtentis ſimiles, eruperunt. Nam ſcimus exãthemata nigra per febres acutas erumpentia, tam eſſe lethalia, vt vix quemquam cum iis ſeruari contingat. Certè anno 57. quo pernitioſum quoddam genus febrium cum exanthematis graſſatum eſt, cũ rubeis multi ſeruabantur, cum nigris, vnius ſolùm, videor mihi meminiſſe, ſeruati. Quominus autem expectaret medicus Critonem abſceſſu cum puſtulis facto iuuari poſſe, febris acuta, & inſania fecerũt. Nimirum illis erumpentibus facta ſunt omnia grauiora, pro ſubcalefactione febris acuta: pro delirio, mania, ſiue furor: & pro faſtidio, copioſæ dieiectiones, meræ, bilioſæ, quæ cum adeo lethaliter affectum hominem iuuare non poſſent, vires prorſus deiecerunt. Cùm ergo pernitioſa ſigna adeo properarent, factum eſt, vt perierit homo intra triduum. Hic certè homo à multis putatus ſit venenum acceptiſſe, tamen ſcimus ſolere multos venenum intra ſeſe, ex prauo victu generare, & repentè mori, non aliter ac qui acceperit.

Ægrotus X.

CLazomenium, qui decumbebat iuxta puteum Phrinichidæ, febris vehemens corripuit. A principio dolebant illi caput, & collum, & lumbi. Statim ſurditas accidit, ſomno carebat. Febris acuta corripuit eum. Hypochondrium attollebatur cum tumore ſed contentione exigua. Lingua arida. Quarto per noctem delirauit. Quinto cum dolore omnia ſunt exacerbata. Circa vndecimum autem nonnihil remiſſa ſunt. Ex ventre autem ab initio, & vſque ad decimumquartum multa tenuia, aquei coloris reddebat. Quod ad deiectiones attinet, cum bona tolerantia tranſigebat. Deinde venter reſtitit. Vrinæ vſque ad finem tenues quidem, boni autem coloris, & multam habebant ſuſpenſionem, diſperſam. Non ſubſidebant. Decimo ſexto minxit paulo craſſius, quod habebat exiguam ſubſidentiam. Subleuatus nonnihil eſt, melius ſibi conſtitit. Decimo ſeptimo rurſum tenues fluxerunt. Secundum vtramque aurem tumor cum dolore ortus eſt, ſomno carebat. Delirabat. Crura illi dolebant. Vigeſimo ſine febre, iudicatus eſt. Non ſudauit. Omnia intelligebat. Circa autem vigeſimum ſeptimum, coxæ dextræ fortis dolor ortus eſt, qui citò ſedatus eſt. Qui autem ad aures tumores neque ſubſidebant, neque ſuppurabant, dolebant tamen. Trigeſimo primo, ex diarrhœa multa aquoſa prodierunt cum excrementis dyſentericis. Vrinas craſſas minxit, ſubſederunt qui circa aures tumores. Quadrageſimo autem doluit dexter oculus. Videbat obtuſius: rediit ad ſtatum.

Hic Clazomenius eſt ille Hermippus, cuius pridem facta mentio eſt, vbi dicebatur. Quæ circa aures in febribus erumpebant cum dolore, quibuſdam deficiente iudicatorie febre, neque ſedantur, neque ſuppurant. His diarrhœa bilioſa, aut dyſenteria, aut craſſarum vrinarum ſubſidentia ſoluit. Vt Hermippo Clazomenio. De hoc etiam, & qui eodem modo laborarunt illa tempeſtate, dixit antea, quibus fiebant parotides, vigeſimo iudicabantur. Solutæ ſunt omnibus, quibus non ſuppurabant, ſed ad veſicam conuertebantur. Laborauit hic febre ardente cum inflammatione in hypochondrio. Habuit autem à principio ſigna magni periculi, & magnæ cacochymiæ. Nam dolores capitis, colli, & lumborum, iis qui cum materiæ redundantia febricitare incipiunt, ſolent accidere: euacuationes præterea ſymptomaticæ: maxima febris à principio, & delirium. Tamen ſigna cruditatis, producta longius ſũt, quam pro tanta febris acutie. Conſtante ergo virtute factum eſt, vt euacuationes vtiles eſſent, & homo ſalubriter affectus, tamen febris produceretur vſque ad quadrageſimum: qui finis eſt decidentium

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 45 sur 489

©BIUM

ex acutis. Atqui cum signa concoctionis non cæperint apparere ante decimum septimum, meritò iuxta legem constitutionis legitimæ, vltra trigesimum productum est malum. Rarum autem est, huiusmodi morbos, qui ex acutis fiunt, non habere intermissiones, & recidiuas, & multos, varioſque abscessus. Habuit hic primam iudicationem in vigesimo, vt alii, qui illa tempestate per febres, habebant parotidas. Vsque adeo, cùm morbus aliquis epidemialis grassatur, refert quam multum, considerare omnia, quæ ægrotantibus contingunt. Talia enim, in iis, qui similiter ægrotare incipiunt, oportet expectare. Ferè enim eodem morbo, cum eisdem signis laborantes, eisdem diebus iudicantur. Nimirum est communis causa omnium horum, quo fit, vt curatio etiam similis congruat. Atqui iuuat hæc obseruatio adeo, vt multò melius soleant medici, cum multum iam processit tempestas, curationem suscipere morbi popularis, quam cum incipit. Vt propter medicos melior conditio sit, eorum, qui progressa iam tempestate ægrotant: quamquam ob ipsos morbos, sit deterior, nisi plurimum iam tempestas inclinet. Omnes abscessus quos Clazomenius habuit, frequenter solent per morbos occurtere. Maximè autem occurrunt nobis hoc anno sexagesimo primo, qui, vt quem Hippocrates describit modò, fuit siccissimus.

A Cur Hippo narrat vxorem Dromeadæ peperisse filiam: an quia filiam peperisse, multo deterius est; & ex filiæ, quam ex filii partu, sæpius, & grauius ægrotatur. Nam & Epicratis vxorem, narrauit prius, filiam peperisse. Nimirum si omnes quæ pepererunt, & non sunt multum expurgatæ, paratæ sunt grauiter ægrotare, ob multitudinem excrementorum quæ nouem mensibus congesserũt, multo magis quæ pepererunt filias. Quia enim magis excrementosæ sunt, plerunque filias concipiunt. Hæc verò cum filiam peperisset, lethaliter febricitauit, adeo vt mortua sit septimo à partu, sexto ab acuta febre. Totus autem affectus hic, fuit ex purgatione intempestiuè suppressa. Multa excrementa maligna & varia, partim pituitosa, sursum recurrerũt, affecerũtq; ita imprimis hypochondrium, & ventriculi os, deinde caput, in quo, vbi semel firmata sunt; cum conuulsione mortua est mulier. Laborauit verò caput ob ascendentes vapores, per consensum, antequam firmatum in eo omninò malum est. Sed mirum est, quòd dicit, aliis omnibus secundũ rationem procedentibus. Si enim omnia ita facta sunt, naturalis fuit partus. Quomodo ergo potuit proximo die febricitare febre acuta? sed illud nihil aliud est, quam quæ illo die agenda fuerunt, secundum rationem fuisse facta, hoc est, mox post fœtum emissas fuisse secundinas. Rigor non erat signum morbi, sed malitiæ excrementorum, & passionis neruosarum partium. Quamquàm non mirum si quispiam considerans, tertio die ab hoc quo primum rigut, rigere rursum, & ex rigore factam rursum febrem acutam, hoc est, creuisse febrem denuò in magnam; putarit esse febrem tertianam, & ob coniunctam aliam continuã, totum morbum esse semitertianã. Cæterum quamquàm primis illis diebus non habebat facilem distinctionem (nam horrore correptã quoque fuisse post rigorem dicit) tamen sequens figura aperte docuit, non esse hunc morbum. Nullus enim rigor quinto factus est, sed sexto. Itaque rigor hic non morbi speciem: sed succi malitiam indicabat. Successit febris acuta, hoc est ardens: vt per paroxysmos solet, putrescentibus quæ erant agitata. Deinde his decumbentibus in hypochondria, cæperunt dolere. Fastidiosa fuit laborante ore ventriculi: horrore correpta, ob malignam qualitatem succorum membris omnibus molestam: & hæc quoque causa, inquieta. Hoc verò est anxiam esse, modo quodam indicibili malè habentem. Peruigilium, & spiritus magnus, & rarus, compatientis cerebri, & incipientis deliri. Hypochondrium doluit imprimis, statim factum est velut suspensum à septo, & superioribus partibus: quod succis per illud cunctibus in caput, fit. Quem etiam raptum in caput, portenderunt vrinæ, quæ secundo die apparuerunt, crassæ scilicet, albæ, & turbidæ, quales fieri solent, quæ multo tempore repositæ perturbantur. Fiunt autem ex iis, quæ antequam perturbarentur, subsidebant. Hæ enim sunt, quas alibi vocat, velut iumentorum, vbi dicit, vrinas quales iumentorum dolorem capitis significare, qui adest, aut aderit. Tales etiam vrinas dicit fuisse die tertio. Quo etiam die fuisse dicit hypochondrii dolorem cum fastidio, & nocte difficilem tolerantiam, & peruigilium. Ego quidem video mihi intelligere contraxisse iam hypochondrium dextrum aut sinistrum (id enim non distinguit) aut fortasse vtrumque

Ægrotus XI.

Dromeadæ vxorem, quæ filiam pepererat, & aliis omnibus secundum rationem procedentibus, secundo die rigor accepit. Febris acuta. Cepit autem primo dolere circa hypochondrium; cum fastidio, horrore & inquieta corporis iactatione. Sequentibus diebus non dormiuit. Spiritus magnus, & rarus. Subitò reuulsus & retractus. Secundo ab eo quo riguit, ex aluo bene processerunt stercora. Vrinæ crassæ, albæ turbidæ, quales fiunt ex subsidentibus quum repositæ per multum tempus perturbantur: non subsidebant. Noctu non dormiuit. Tertio circa meridiem cum rigore febris acuta corripuit. Vrinæ similes: hypochondrij dolor. Fastidiosa. Noctem difficulter tulit. Non dormiuit. Sudor accidit per totum corpus frigidus: cito autem recaluit. Quarto circa hypochondrium non nihil sublevata est: capitis autem grauitas cum dolore. Leui sopore detenta est. Pauci è naribus sanguis stillauit. Lingua aridà, sticulosa erat, vrinæ tenues, oleosæ parum dormiuit. Quinto sitibunda, fastidiosa, vrinæ similes, ab aluo nihil deiecit. Circa meridiem multùm deliraut, & rursus citò parùm rediit ad mentem. Surrexit, mox sopore correpta est, refrigeratio exigua, nocte dormiuit, deliraut. Sexto mane riguit, cito autem recaluit, toto corpore sudauit, extrema frigebant, deliraut, spiritus magnus & rarus. Paulò post conuulsiones à capite ceperunt, subitò mortua est.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 46 sur 489

phlegmonoſum affectum, ex confluxu ſcilicet, qui in eam partem à principio fieri cœperat. Quod ſudauit per totum corpus, non erat malum: malum autem, quòd frigidum: quamquàm leuius, quia cito recaluit. Frigidi ſudoris duplicem eo die fuiſſe cauſam puto, admiſtionem pituitæ cum bile, & debilitatem innati calidi malè ſe iam diffundentis. Quarto die, peſſima mutatio facta eſt. Id quod omnibus, qui illa tempeſtate ſexto die mortui ſunt, cõtigiſſe, antea dixit. Nam quid aliud fuit, circa hypochondrium nonnihil ſubleuatam eſſe: capitis autem dolorem grauem, & ſoporem accidiſſe, & pauca è naribus exiſſe, quàm tranſlatam eſſe magnam materiæ partem, ab hypochondrio in caput? dolor quidem hanc permutationem indicabat, grauitas autem & ſopor craſſam, & pituitoſam fuiſſe materiam magna ex parte. Atque adeo pituita in caput impigit, bilis hæſit magis in ventriculo. Quare facta eſt lingua inſigniter arida, & mulier ſiticuloſa. Vrinę quoque ex craſſis & turbidis, factæ paucæ, & tenues, indicabant raptum materiæ in caput. Sed oleoſas quoque fuiſſe dicit. Galenus in enarratione hiſtoriæ Parii tertio libro dicit, oleoſas vrinas non dici, quæ oleum contineant: ſed quæ ſubſtantiæ modo & colore ſimiles oleo ſint. Cæterùm hoc loco conſtat oleoſas non ita dici: eſſent enim craſſæ: at verò dicit, vrinæ tenues, oleoſæ. Non ergo ſubſtantiæ modo ſimiles oleo: ſed velut oleo plenas intelligit. Quæ quidem colliquationis ſoboles ſunt. Sed quid mirum, tam acutam febrem fuiſſe etiam colliquantem? itaque quidquid, in hiſtoria Parii, nomen ſignificet, huius mulieris vrinæ oleum continebant innatans. Quinto die omnia fuerunt ſimilia, & præter hæc aluus eſt ſuppreſſa, expultrice facultate iam ceſſante. Atque hoc tempore omnia fuerunt iam repentè cõuulſa. Accidit enim in hoc moriendi genere, ita mori, vt paulo ante, iis qui adſunt, non viderentur morituri.

Ægrotus XII.

HOmo quidam incaleſcens largiùs cœnauit & potauit, nocte vomuit omnia, febris acuta corripuit cum Hypochondrij dextri dolore: Phlegmone ſubmollis ex externa parte. Noctem difficulter tulit. Vrinæ autem initio rubræ, craſſitiem habentes. Repoſitæ non ſubſidebant. Lingua arida. Non valde ſiticuloſus. Quarto febris acuta corripuit cum omnium membrorum dolore. Quinto minxit læue, oleoſum, multum. Febris acuta perſeuerauit. Sexto veſperi multum delirauit. Neque nocte dormiuit. Septimo omnia exacerbata ſunt. Vrinæ miles. Verba multa proferebat nec ſe continere poterat. Ab aluo autem cum irritatione exierunt humida, turbata, cum lumbricis, nox ſimiliter laborioſa. Manè autem poſt rigorem febris corripuit acuta. Sudauit multum, ſine febre fieri viſus eſt. Non multum dormiuit. Ex ſomno refrigeratio accidit & ſputatio. Veſperi multum delirauit. Paulo poſt autem vomuit nigra, pauca, bilioſa: nono refrigeratio: Delirauit multùm non dormiuit. Decimo ei crura doluerunt. Omnia exacerbata ſunt. Delirauit. Vndecimo mortuus eſt.

Nullum eſt erratum tam exiguum, quod non poſſit magnoperè lædere, eum qui ad morbum paratus iam ſit. Tantum momentum habet occaſio, vt non ita pridem in hiſtoria Philonis filiæ animaduertimus. Hic cum iam febricitare inciperet, fortaſſe id non agnoſcens, aut tanti mali initium eſſe non timens, cœnauit lautè, atque adeo, vt eſt veriſimile, potauit largius. Læſus multum eſt, & continere non potuit cibum, ſed vomuit omnia, & nocte plurimum creuit febris, & phlegmonem contraxit in hypochondrio dextro, in partibus internis. Hoc enim eſt, quòd dicit, ſubmollis, ex externa parte. Hoc eſt, fuit inflammatio, quæ in externa parte tenuiter ſentiebatur. Erat itaque in interna eius hypochondrii. Quam proinde ad hepar pertinuiſſe conſtat. Habuit proinde dolorem, & ardorem eo loco, febrem ardentem, linguam aridam, excuntia quoque vſtionem referebant. Vrinæ imprimis rubræ, craſſæ, ex feruente ſanguine, deinde habere cœperunt multum oleoſum, læue, hoc eſt, multam pinguedinem. Hinc difficilis tolerantia. Hinc peruigilia, deliriaque: cum his non erat admodum ſiticuloſus. Nihilo tamen id erat melius, delirii enim, aut corrupti ſenſus. Quod ſeptimo die exierunt ab aluo cum irritatione humida turbata, inflammationis etiam fuit ſoboles. Bilioſa enim & yſta erant, cum irritarent. Lumbricos autem genitos cum his eſſe, mirum eſt, necari enim ſolent à bile, generationem autem accipere ex crudis cum quadam concoctione, adeo vt morbis ſalutaribus euntibus in iudicationem, excerni ſoleant, vt in prognoſtico dicitur ab eodem Hippoc. hic verò expediens non fuit, quia morbus non ibat in iudicationem. Quare conecto hunc non ſolum ex phlegmone, ſed etiam ex ſatietate in ventre febricitaſſe. Coquendis ergo crudis in ventre genitos eſſe lumbricos, & ab exeunte bile necatos, & expulſos eſſe. A ſeptimo die habere capit ſigna mortis, è ſuperuenientium genere, velut ex ſomno frigus, quod ſuffocatio caloris naturalis facit. Patiuntur verò ita dormientes, qui in eo ſtatu conſtituti ſunt, de quibus in Aphoriſ. dixit, vbi ſomnus laborem facit, mortale. Tale etiam fuit ſignum, delirium magnum. Longè autem peſſimum fuit, vomere pauca, & nigra. Hic enim vomitus poſtridie morituris accidere ſolet. Dolor crurum quibuſdam fieri ſolet, cùm in ea abſceſſus fit, tam in extremo autem iam conſtitutis, non ita, ſed ob ſummum facultatis langorem; ſentiente iam facultate ex ipſis membris pondus. Quòd vndecimo die mortuus eſt obſeruari debet, & ob huius diei vim, & quod ſeptimus, qui eius eſt index, inſignem attulerat mutationem.

Ægrotus XIII.

MVlierem quæ decumbebat in lectore, trimeſtri fœtu grauidam febris vexe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 47 sur 489

©BIUM

mens inuaſit, ſtatim autem cœperunt dolere lũbi. Tertio die doluit collum & caput ſecundùm clauiculam & dextram manum. Citò autem lingua priuata eſt voce. Dextra manus languit cum conuulſione apoplectico modo. Deliravit omninò. Noctem difficulter tulit. Non dormiuit. Venter turbatus eſt, bilioſis, paucis, ſinceris. Quarto lingua priuata eſt voce. Conuulſio eorundem. Dolor omnium membrorum permanebat, circa hypochondrium tumor aderat cum dolore. Non dormiuit. Delirauit omninò. Venter turbatus. Vrinæ tenues, non boni coloris. Quinto febris acuta corripuit cum hypochondrij dolore. Delirauit omninò. Deiectiones bilioſæ. Per noctem ſudauit, & febre liberata eſt. Sexto mente conſtitit. Omnia ſubleuata ſunt. Circa clauiculam autem ſiniſtram dolor permanebat. Siticuloſa. Vrinæ tenues. Non dormiuit. Septimo tremor accidit, leui ſopore & delirio detenta eſt paruo. Dolores ſecundum clauiculam, & brachium ſiniſtrum permanebant. Alia autem ſubleuata ſunt. Omnia intelligebat. Tribus autem diebus eam reliquit febris. Vndecimo rediit. Et rigore ſuborto febris eam corripuit vehemens. Decimo quarto autem vomuit bilioſa, flaua, copioſa. Sudauit. Sine febre. Iudicata eſt non ſine dolore, ex eiſdem paſſionibus.

Omnem acutum morbum in vtero gerentibus eſſe lethalem, in Aphoriſmo dixit Hippocr. Verum ſi quod tempus non eſt admodum periculoſum in huiuſmodi, eſt à quarto menſe vſque ad ſeptimum. Quia iis maximè curationem admittere poteſt. Itaque, quamquam graue fuerit, hanc mulierem gerentem vtero, acuto morbo teneri, quia tamen vicina iam erat quarto menſi, liberari potuit. Mirandum autem magis, etiam ſine ſignis concoctionis, liberatam eſſe perfectè: quamquàm cum difficili iudicio. Non enim ad iudicialem diem ſine recidiua venit. Febricitauit hæc quoq; ex bilioſis, & pituitoſis aſcendentibus ſurſum verſus, pituita verò repetente in caput, & neruos. Dolores ergo habuit imprimis lumborum, deinde colli, & capitis, & clauiculæ, & brachii è regione clauiculæ, poſiti: multis irruentibus, & in caput, & in collum, & in eam partem, quà ex ceruice, neruí brachium mouentes, naſcuntur. Cum autem neruos tenere pituita inciperet, citò malum proceſſit, & lingua reſoluta eſt, & voce priuata, quarto ſcilicet die. Sed quid eſt quod dicit. Tertio manum dextram languiſſe, cum conuulſione, apoplectico modo. Si apoplectico modo, certè reſoluta eſt, ſi autem reſoluta, non videtur cũ conuulſione languiſſe. Nàm reſolutio, longe differt à conuulſione. Verum quod contigit, hoc eſt, quod etiam contigit quarto die linguæ. Pars reſoluta eſt, tamen ante quàm reſoluta omninò caderet, motus habuit conuulſiuos, vt ſcilicet fieri ſolet, ſucco ingrediente neruos, & facultate repugnante, vt membrum in figura contineat. Sed & cerebri læſio inſignis apparuit nocte tertii diei. Delirauit enim omninò, & vigilauit, & noctem difficulter tulit. Huic difficultati noctis ſucceſſit turbatio ventris, exeuntibus pancis, bilioſis, ſinceris. Quæ euacuatio mala fuit, & quia intempeſtiua & exigua, & quia ſinceri excrementi. Vbi dicit, ſecundum clauiculam dextræ manus, & rurſum, dextra manus languit, coniecto vitiatum eſſe codicem Græcum & Latinum, legendumque fuiſſe, pro dextra ſiniſtra, & pro dextræ ſiniſtræ. Nam paulo poſt, hos ipſos dolores, & labores narrans, dicit circa clauiculam autem ſiniſtram dolor permanebat. Et rurſum, dolores ſecundum clauiculam & brachium ſiniſtrũ permanebant. Hoc autem verbum permanebant, apertè ſignificat de eiſdem doloribus eum dicere, qui à principio cœperunt, non de nouis. Succedentibus itaque ſimilibus ſignis ſemper malis, cum ſignis autem concoctionis manifeſtæ, ſeptimo ſoluta eſt febris. Non tamen ita, vt quiſquam expectare poſſet, non redituram. Manebant enim multi dolores. Vndecimo facta in deterius mutatione, decimo quarto liberata eſt: præter expectationem profecto, ſi quis alius tota hac tempeſtate. Nam quantumuis viderentur conſtare vires, tamen futuras recidiuas admodum erat conſentaneum.

Ægrotus XIV.

Melida quæ decubuit iuxta templum Iunonis, capit caput, & collum & pectus vehementer dolere. Statim autem febris acuta corripuit eam. Menſtruus ſanguis paucus apparuit, dolores omnium horum continui erant. Sexto ſopor occupauit cum faſtidio, horrore, & malarum rubore, parum delirauit. Septimo ſudauit. Febris intermiſit. Permanebant dolores. Reuerſa eſt. Somni pauci. Vrinæ vſque ad finem boni quidem coloris ſed tenues. Deiectiones tenues, bilioſæ, mordaces, valde paucæ, nigræ, fœtidæ erupuerunt. In vrinis ſubſidentia alba leuis. Sudauit. Iudicata eſt perfectè vndecimo.

Haud dubiè mulier hæc ob ſuppreſſionem menſtruorum laborauit peripneumonia. Nam aliquantò ante febrem, capitis, colli, & pectoris dolorem habebat fortem. Si quæ autem pars ante febrem doluit, in ea ſolet morbus firmari. Veriſimile ergo erat, hunc morbum firmatum iri in capite, aut parte aliqua thoracis. Tantum refert ad morbi exactam cognitionem, percontari, vt haberet homo, antequam manifeſtè febricitare cœperit. Atqui propriæ phrenitidis non ſunt in hac conſecuta ſigna (non enim delirium perpetuum) ſed paraphrenitidis per conſenſum cum alia parte, ſexto die. Laborare verò pulmonem inflammatione, omnia quæ ſubſecuta ſunt indicarunt, febris acuta, rubor maxillarum, coma, & delirium. Hoc enim conſenſionis cerebri genus, familiaris peripneumoniæ eſt. Hippocrates nunquam ſolet pulſus meminiſſe; habuerit verò hæc moiles. Faſtidioſa fuit, ob viciniam oris ventriculi cum pulmone, & ob fluxionẽ, & intemperiem. Dolor quidem pectoris, ob pulmonis affectum non ſo-

let esse fortis, sed surdus quidam. Cæterum hic fortis fuit, antequam in ipsum pulmonem fluxio est recepta, dolentibus aliis partibus, quæ illum circumstant, per quas fluxio fiebat. Malo autem procedente, verisimile est, hunc dolorem commutatum esse cum alio tardiori. Hæc inflammatio ob partis calorem, & viciniam cum corde, acutissima esse solet. Ita huic contigit, finita est intra septem dies, nam & febris est extincta. Sed quia permanebant dolores, capitis scilicet, colli, & pectoris, quod non esse insumptam totam fluxionem indicabat, rediit inflammatio, ac cum ea febris, quanquam in recidiua malum fuit multo magis biliosum, in prima febre multo magis pituitosum. Indicant id symptomata. Habuit enim paucos somnos, deiectiones tenues, A biliosas, mordaces, nigras, fœtidas, & exiguas. Quæ quidem, & ob qualitatem, & quia exiguæ, malæ erant, tamen quia vrinæ vsque ad finem apparuerunt, tenues, boni coloris, quæ partim crudæ, partim coctæ sunt, in fine cum subsidentia alba leui, iudicatæ est perfectè cum sudore, vndecimo. Oportet hic animaduertere non esse per inflammationes quarundam partium, negligendam vrinarum inspectionem, in hac ægrota maximè, in qua excrementa indicabant, febrem non esse tantum accidens, sed putridam etiam in venis. Non minus considerare oportet, vim septimi, & vndecimi, esseque sudorem accommodatam iudicationis speciem in peripneumonia. B

LIBER SECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

CARBVNCVLI in Cranone æstiui grassabantur. Pluebat per æstus affatim & continenter, accidit que id præcipuè ab Austro. Nascebatur quidem sub cute sanies, quæ intus concluſa, calescebat & puritum excitabat. Deinde bullæ quales in ambustis erumpebant, ægrique sub cute vri videbantur.

Febres omnes cum bubonibus malæ sunt præter diarias, vt in Aphorismo ab eodem dictum est, tamē non omnes æquè malæ, sed quædam deterioris succi notas habent: Hinc fit, vt in iis febribus, quæ præcipuè pestilentes sunt, carbunculi quidam, aut carbunculis proximæ inflammationes, in aliqua adenosarum partium mox appareant: quibus non rarò succedit, gangrena, & mors. Raro autem incipit pestis mox à carbunculis, sed antecedere solent febres mali moris, interimentes plurimos, fortasse sine vitio aliquo cutis imprimis, deinde cum maculis morsibus culicum similibus, aut vibicibus, aut bullis similibus iis, quæ fiunt in combustis: tandem confirmata peste, apparent carbunculi; innascentibus simul aliis maculis per totam cutem: nam magna significatio est malignitatis materiæ intempestiua expulsio. Quare mox apparent in malignis, quæ Græci vocant phlyctenas, aut exanthemata, aut phymata. Sunt verò hæc bullæ, aut maculæ, aut tumores: & accedunt his sæpe malignæ vomitiones, aut profluuia alui, sudores copiosi, intempestiuè hęc omnia, & sine conferentia, & tolerantia. Accedunt præterea symptomata alia malignitatis, vt deliria, & syncopes, & pulsus diuersi, & febriles. Ita factum est in Cranone, Ciuitate Thessaliæ, quam pestis pessimè afflixit. Fuerunt carbunculi, non quidem omnes abscessus, qui eo anno in cute apparuerunt, sed qui æstiui. Verisimile est autem à principio veris, quod ab æquinoctio incipit, febres malignas solas, aut cum C aliis abscessibus fuisse, ineunte autem æstate circa ortum vergiliarum cepisse apparere carbunculos. Ita enim fieri solet, & ita factum esse hoc anno Cæsarauguſtæ scimus. Atqui profectò meritò. Nulla enim incipiunt à maximis. Meritò ergo alii morbi pestilentes, cum aliis minus malignis abscessibus facti fuerunt in initio; facto iam maximo aëris calore, cum carbunculis. Non enim tantum qui hos habent, sunt pestilentes, etsi hi maximè ita vocentur, D sed quicumque populares, & adeo pernitiosi, vt plurimos interimant. Accidit verò his omnibus vt sint contagiosi. Carbunculi autem, vt docet Galenus lib. de tumoribus præter naturam, fiunt ex sanguine vsque ad naturam atræ bilis feruente. Communes morbi, vt in initio primi libri indicatum est, necessariò habent causam in aëris infectione. Quia sola ea est omnibus hominibus communis causa. Contagiosi autem non possunt esse, nisi ob putredinem, neque admodum mortiferi, nisi ob malignam. E Pestes ergo semper habent causam in maligna putrescentia aëris. Putredinis verò causæ, quod ad tēperamentum attinet, sunt calor, & humiditas, altera vt faciens, altera vt patiens. Merito ergo Hippocrates dicit, cùm hoc loco, tum multis aliis, pestilentem aëris constitutionem esse calidam, & humidam: velut & Galenus pluries quàm vt referri possit. Insinuans ergo causam, quaillo anno tam maligna pestis tenuit Cranonem, dicit, pluebat per æstus affatim F & continenter, accidítque id præcipuè ab Austro. Hæc tota est descriptio maximè calidæ, & humidæ constitutionis. Calidiorem enim, aut frigidiorem, humidiorem, aut sicciorem annum anno facit, non accessus aut recessus Solis (hic enim æqualis semper est) sed pluuiæ multæ, aut paucæ, & ventorum species præcipuè. Vt quidem hæc sint, aut non sint, sintve plus aut minus, consentaneum est varios astrorum aspectus facere, quorum secundum singulos annos mira est differentia, cum hæc inferna à supernis illis lationibus gubernentur. Nam si omnia haberent se eodem modo in superioribus illis corporibus, cur non eodem modo etiam hic haberent, G

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 49 sur 489

©BIUM

ſe aut fierent? Cæterum hæc ipſa afferunt hanc, aut illam temperiem pluuias aut flatus afferendo, aut contraria. Quod ad pluuias attinet quo plus pluit, eo annus humidior eſt, quo minus, eo ſiccior. Pluere autem contingit continenter, & pluuia copioſa, ideſt plurimum (velut nunc, pluuia, inquit, larga, idque fiebat per totũ tempus ſcilicet) aut pluuia copioſa, ſed cũ intermiſſionibus, & hæc, tunc eſt magna pluuia, cum imbres ſunt magni, & interualla breuia, (velut in Thaſo dixit ſectione 2. primi, pluuiæ multæ, largæ, magnæ, niues, plerumque miſta aëris ſerenitas) aut pluuia exigua, ſed continenter cadente, velut prima ſectione dixerat, pluuiæ multæ, aſſiduæ, molles. Atqui hæc etiam eſt valde humida cõſtitutio. Quia cauſa quæcumque continenter afficit, multum id valet efficere. Imbres largi, ſed ex longis interuallis, non admodum poſſunt humiditatem afferre, quia ſequens temporis pars, priorem ſemper emendat: minimè verò, cum neque crebri, neque magni imbres ſunt. Flatus omnes in quatuor genera diſtribuuntur, in quatuor partes facta terræ diuiſione. In his verò maximè inſignes & qui maximè naturis differunt, ſunt auſter, calidus, & humidus: & boreas, frigidus & ſiccus. Proinde illo flante, crebro ſolet pluere: hoc flante, non niſi raro. Et pluuiæ cum auſtro, ſunt, quod ad putreſcentiam attinet, nocentiores, quia calidæ. Merito ergo tam multæ & malignæ putredines fuerunt illo anno: quia pluebat: illud verò pluebat perſeuerantiam quandam ſignificat, cum ſit præteriti infiniti) in ardoribus, ideſt, durantibus imbribus per æſtiuos ardores. Nam cum finiuntur pluuiæ, antequam calor magnus ingruat, etſi illæ per hyemem, & ver fuerint copioſæ, non eſt tam periculoſum. Et pluebat per totum tẽpus, ſiue flaret auſter, ſiue eteſiæ, maximè autem flante auſtro. Eſt qui hoc loco legat, pro, maximè flante auſtro, maximè in dorſo, vultque id referri ad carbunculos. Fortaſſe reperit in ſuo codice, καὶ μᾶλλον νότῳ: habetur vero νότῳ, id quod ex dictis conſtat melius congruere. Cum dictum ſit in adenoſis partibus ſolere fieri peſtilentes carbones, non in dorſo.

In ardoribus ſine pluuia febres maxima ex parte abſque ſudore contingunt. In his autem ſi tenuior pluuia ſtillauerit, copioſiores ſtatim accidunt ſudores. Hæc tunc difficiliora iudicatu manent, quam ſi aliter contingerent, tamen minùs, niſi illud eueniat non propter hæc, ſed ob morbi naturam.

Quidam verba illa in ardoribus ſiccitatis coniungunt cum ſuperioribus, quaſi noua ſententia incipiat ab illis. Maxima ex parte abſque ſudore. Verum eam lectionem nemo probabit, qui quæ dicta ſunt intellexerit, & quæ mox dicentur. Dictum mihi antea eſt, febres malignas habere ſolere inter cætera, euacuationes ſymptomaticas, nihil conferentes. Nunc ergo Hippocrates per inſinuationem dicit, multis in illa peſtilenti conſtitutione, fuiſſe ſudores mox ab initiis febrium. Nam dixerat, fuiſſe in ardoribus pluuiam largam. Nunc dicit, in ardoribus ſiccitatis, ideſt, cum maximus calor ſine pluuiis, maxima ex parte contingere febres abſque ſudore (quia ſcilicet corpora ſiunt, vt ipſa tempeſtas vſta eſt, arida) in his autem, id eſt in ardoribus, ſi ſuperrorauerit, (ſuperrorare vocat pluere raris guttis, vt per ardores ſolet) magis ſudatorias fieri, ob hanc ſcilicet externam cauſam. Id verò fit in principiis ſymptomaticè, quia in ſummis febrium vigoribus fit decretorie, non ob externam cauſam, ſed robore facultatis naturalis fiunt copioſi ſudores. Hoc obſeruauit Hippocr. in Perintho, vt narrat ſectione tertia huius libri, dicens, Sub roribus autem qui æſtate deciderunt, apparuit ſudor in febricitantibus, & quidam ſudores ab initio ſtatim facti ſunt. Hæc mala, quæ cum ſudoribus à principio fiunt, difficiliora iudicatu manent, quam aliter, id eſt, quam ſi nulli apparerent. Nam paulo poſt dicet. Quæ benè iudicatura ſunt, neſtatim appareant. Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicationis. Non eſt autem ſemper mala febris magna per huiuſmodi tempeſtates, quam ſudores comitantur ab initio, ſed nonnunquam, cum ſcilicet fit maligno modo, vt loco citato ex conſtitutione tertia huius libri dicit. Sunt hæ quas antiqui vocabant febres elodes, pernicioſum genus febrium: vt pernitioſæ, & ſiccæ, dicebantur typhodes. Docet id Galen. lib. quem contra Lycum ſcripſit. An maligno modo ſudor fiat, an non, quo pacto cogneſci debeat audies in commutatione tertiæ ſectionis, ſeu conſtitutionis. Interim tamen ſcias, ex conferentia, aut tolerantia, de quibus prima particula aphoriſmorum dictum eſt, dignoſci. Cæterum, ſiue maligno modo fiant, ſiue non, ſudores à principio apparentes, difficilis iudicationis febres ſignificant. Multo autem minus, ſi non ob hæc (ob intemperiem inquam aëris) ſed ob morbi naturam fiant ſudores, ante tempus iudicationis, velut in tertianis, tertio quoque in inclinatione, ſiue intermittens, ſiue perpetua tertiana ſit, aut ſingulis diebus in quotidianis. Fiunt enim in his ſudores, ob propriam morbi figuram, ac nihilominus multitudinem excrementitiæ humiditatis ſignificãt, hãc enim ob cauſam omnes ſibi perſuaſerunt, ſudorẽ in tertiana diuturnitatem prænũtiare, tamẽ minus quam in aliis morbis. Quia vt morbi, naturæ hominis congruentes, minus mali ſunt, quam qui non congruunt, ita ſymptomata cõgruentia naturæ morborum. Velut hi ſudores in tertianis ſequuntur morbi figuram, in aliis malignitatem epidemialem.

Febres ardentes æſtate magis graſſantur, etſi in aliis quoque temporibus. Exſiccantur autem magis æſtate. Autumno magis accidunt lumbrici & cardialgia: etſi hæc minùs maligna ſint, ipſo morbo tali exiſtente.

Febres ardentes meritò fiunt magis in æſtate, ſed & in aliis temporibus, quia vt dicitur tertio aphoriſmorum, morbi omnes in omnibus temporibus fiunt, quidam tamen magis in quibuſdam ipſorum, & fiunt, & exacerbantur. Fieri ergo ob victus prauitatem in quouis tempore, etiam hyeme media, poſſunt ardentes febres: ob naturam autem ipſius temporis, in æſtate imprimis; ſecundo loco, & in autumno. Nam referre morbos autumnales inci-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 50 sur 489

©BIUM

piens Hippocrates citato lib. apho. dicit in autumno autem, & ex æſtiuis multi. Sed cum vtroque tempore fieri ſoleant tales febres, æſtate ſiccantur magis, ideſt minus ſudatoriæ fiunt, quàm in autumno. Quia, vt dictum eſt nuperrimè, in ardoribus ſine pluuia (huiuſmodi ſunt æſtiui) febres maxima ex parte abſque ſudore contingunt: in autumno autem frequentes pluuias eſſe ſolere, experimento didicimus, & Gale. dicit in commen. primi epidemion in ipſo principio. Autumno fiunt magis ferinæ, ideſt, cum vermibus, aut cum fœdis cutis maculis, vel vlceribus: & cardialgia, id eſt dolor oris ventriculi, etſi hæc minùs maligna ſint ipſo morbo tali exiſtenti, hoc eſt ferino, & autumnali, quam ſi non eſſet. Id enim, eſt pathognomicum ipſorum vermium, aut familiare tempori, aliter eſt inditium malignæ, & venenoſæ materiæ. Hanc eſſe legitimam huius loci enarrationem facilè intelliges, conſulens Galen. in enarratione contextus decimiquarti ſectionis primæ ſexti epidemion, quo ita dicitur ferinum autumno, & cardialgia, & horrores, & atra bilis. Præterea idem Gal. libello obſoletarum Hippocratis vocum dicit, ferinum apud Hippocratem ſignificare vermes, & fœua vlcera. Cauſas porrò quibus in autúno hæc fiunt, Gal. docet illo loco ex ſexto epidemion eſſe mali ſucci tunc temporis abundantiam, & intemperiei aëris inæqualitatem. Multa præterea ad hanc rem facientia nos de autumni vitiis in commen. tertiæ particulæ aphoriſmorum diximus, & rurſum paulo poſt dicemus.

Aſcarides veſperi infeſtant ad Autumni ſimilitudinem, & illæ eâ potiſſimum diei parte mouentur non ſolùm propter dolorum exacerbationem, ſed proprio ipſorum motu.

Diei partes analogiam quadam habent cum partibus anni, non immeritò. Quia vtrumque tempus finitur, vna Solis circuitione: dies quidem circuitione totius cœli, annus propria ipſius Solis. Reſpondet verò meridies æſtati (vtraque enim eſt pars temporis maximè Solis ad nos acceſſionis) nox media hyemi (quia vtraque parte harum, maximè à nobis Sol recidit) horæ circa ortum Solis veri: circa occaſum, autumno. Quia his horis mediocriter à nobis diſtat Sol, matutinus aceedens, veſpertinis recedens. Manifeſta eſt analogia, ob quam morbi, qui quouis anni tempore fiunt, ea diei parte, quæ illi reſpondet, ſolent exacerbari: Velut æſtiui in meridie: hyemales, in nocte media: autumnales, veſperi. Sed nunquid & vernales mane? videtur enim, ſi quis omnium de ea re conceptæ opinioni, & communi experientiæ velit credere, nullis morbis eſſe aurora inutilis, niſi forte alicui febri, cuius exacerbationes contingunt in eas horas incidere: id verò non ob morbi naturam, ſed caſu, ob materiam. Certè ita eſt. Nam neque ver habet morbos aliquos, qui per ſe, & ob eius temporis naturam, fiant; cum ſit id tempus maximè moderatum, & proindè ſaluberrimum, vt ipſemet mox dicet: ſed per accidens, ob eum qui eſt in corpore apparatum, quidam morbi eo tempore fiunt. Itaque hac cauſa, nulli morborum eſt familiare exacerbari ſummo mane: contra veſperi exacerbantur omnes, quia ea eſt deterrima hora, vt reſpondet deterrimo tépori, autumno ſcilicet. Velut ergo autumno quidam morbi fiunt, magis quam aliis temporibus, omnes autem fiunt eo tempore deteriores, quia eſt omnium temporum inſalubertimũ, ita veſperi exacerbant ut omnes ob horæ malignitatem: quidam verò etiam peculiari quadam ratione, quia ſunt autumnales. Hoc eſt, quod dicit Hippocrates aſcarides veſperi fatigant, ſimiliter huic, ideſt eadem ratione quam hoc tempore, ideſt autumno. Quia vt nuperrimè dictum eſt, vermium generatio eſt autumnalis morbus, & illi eam potiſſimum diei partem perturbant. Non ſolum quod magis laboretur. Ideſt non ſolum qood omnes morbi eo tempore magis exacerbentur, ſed ipſi per ipſos. Ideſt ratione peculiari, quia eſt autumnalis morbus. Non autem ſoli aſcarides, ſed etiam omnium vermium genus. Meminit autem aſcaridum, vt ſolet, vtens vt exemplo, vna aliqua re, earum in quibus eſt ratio aliqua communis. Quod ergo prius dixerat nomine communi. Autumno magis ferinæ, dicit nunc in exemplo. Aſcarides veſperi ad autumni ſimilitudinem magis infeſtant.

Autumno acutiſſimi morbi, & maximè lethales accidunt. Vniuerſim ſimile ipſi veſperi exacerbari, tanquam ipſo anno periodum habente morborum, vt dies morbi. Quale eſt veſperi exacerbari, tale ipſius morbi, & cuiuſque conſtitutionis ad ſe mutuo. cum nihil mouetur in ſuperiori ſpecie, alioqui alterius conſtitutionis hæc principium fuerint.

Acutiſſimi morbi fiunt in autumno, & æſtate. Nam & in aphoriſmis cum recenſuiſſet morbos æſtiuales, adiecit, Autumno & multi ex his. Verum vt æſtiuales acutiores, ita autumnales magis lethales. quia ſucci autumnales craſſiores, ſed deterioris ſpeciei, atrabiliarii enim, ob vſtionem maximam, quæ antecеſſit. Ob quam eandem cauſam, & ob propriam temporis mæqualitatem, facultates ſunt debiliores, & morbi difficilioris iudicii, & vix vnquam ſine productione morbi, aut malis abſceſſibus, aut permutationibus, aut recidiuis, relinquentes. Quo fiet vt etſi acutas habeant primas inuaſiones, tamen multi ex acutie decidant. Sunt enim autumnales, mortales, aut difficilis iudicii. Fit etiam, vt qui acutis correpti autumno moriuntur, moriantur nihilo tardius, ſed citius etiam quam qui æſtate: qui euadunt, euadant tardius. Simul ergo acuti, & mortales magis in autumno, quam alio quopiam temporum. Ex his & iis quæ nuperrimè diximus, intelligi poteſt facilè tota ferè hæc dictio. Autumno (inquit) acutiſſimi morbi, & maximè lethales: vniuerſim, ideſt ſecundùm totum annum, ſeu totius anni rationem habendo. Simile quiddam eſt, quod autumno accidit, ipſi veſperi exacerbari, tanquam ipſo anno periodum habente morborum, vt dies quicumque habet periodum morbi. Quia quale eſt veſperi exacerbari magis quam aliis horis diei: tale eſt ipſius morbi; & cuiuſque conſtitutionis ad ſe inuicem. Ideſt tale eſt, morbos autumno fieri graniores, quàm aliis anni temporibus, & conſtitutionum omnium anni, & ſpecierum morborum, quæ eas conſequuntur, proportio quæda-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 51 sur 489

©BIUM

& ratio eſt, velut ipſarum horarum diei, & diurnarum cuiuſque morbi mutationum ad ſeipſas. Quæ proportio eadem ſemper ſeruatur, niſi quid in ſuperiori ſpecie nouatum ſit. Ideſt niſi tempeſtas nouam aliquam, & inſperatam mutationem faciat. Velut ſi procedente hyeme, rurſum fiat autumni tempeſtas: aut incipiente vere, antequam iuſtam longitudinem obtinuerit, æſtas incipiat. Tunc enim alterius conſtitutionis hæc, principium fuerint: ideſt morbi tunc quoque mutabũtur, fientque non quales tempeſtas, quæ præcedebat, afferre erat nata, ſed quales ea, quæ tunc incipit. Nam & ipſa mutatio fuerit, vt initium alterius tempeſtatis. Cum morbi non fiant ob hunc, aut illum menſem, ſed ob hanc, aut illam temperiem. Vt curandum nobis non ſit, quotus dies huius menſis agatur, ſed quæ temperies aëris ſit.

Quare & annum ad ſe ipſum ita habere neceſſe eſt. In temporibus conſiſtentibus, & tempeſtiuè tempeſtiua reddentibus annis, conſtantes, & boni iudicii morbi. In inconſtantibus verò, difficilis iudicii. Vt in Perintho accidit, cùm ventorum flatus vel ab iis ceſſatio, aut imbres aut ſiccitates, aut æſtus aut frigora deficiunt vel redundant.

Annum dicit ad ſeipſum ita habere debere, vt tempora ſint conſiſtentia: ideſt non recipientia mutationes niſi naturales, & tempeſtiuas, ideſt, talia, qualia eſſe ſecundum naturam ſolent, ſuam quocumque tempore temperiem afferente. Quia cum tales anni ſunt, morbi fiunt conſtantes (ideſt ſuas naturas, quas habent à principio, retinentes, neque facientes mutationes non naturales) & boni iudicii, ideſt, qui perfectè iudicari ſolent. In inconſtantibus verò annis fiunt morbi difficilis iudicii, ideſt, qui vix iudicantur, & cum abſceſſibus, permutationibus, aut productionibus inſperatis. Sed quia non appoſuerat Hippocrates exemplum anni tempeſtiui, neque id ſatis explicuerat, apponit exemplum intempeſtiui, vt inde illius & huius notitia comparetur, velut rectum indicat obliquum. Vt (inquit) in Perintho, cum aliquid deficiat, aut redundet, ventorum, aut non ventorum, imbrium, aut ſiccitatum, æſtuum, aut frigorum. Ergo tempeſtiuus eſt, cum nihil horum nimium ſit, aut minus quam oporteat, ſed tantum, taleque ſit cuiuſque horum quantum, & quale, iuxta cuiuſque regionis naturam, quocũque tempore eſſe conſueuit. Qualia verò eſſe ſoleãt hæc, quocumque in loco, habent incolæ obſeruantiſſimum. Sed cur nunc Perinthi meminit? an non, vbique eſt intempeſtiuus annus, in quo redundat, aut deficit aliquid ventorum, pluuiarum, aut caloris? certè. Sed venit nunc in mentem fortaſſe ea Perinthi conſtitutio, quam narrabit in parte tertia huius libri. Sed huius dictionis Hippocraticæ longiuſculam enarrationem inuenies apud Gal. in initio commentariorum primi libri Epidemion.

Ver autem in vniuerſum eſt ſaluberrimum eſt, & minimè lethale.

Ver, vt nuper cepimus dicere, nullos morbos affert per ſe, quia ad nullam intemperiem inclinat: ſed quia multorum ſuccorum motum cohibebat frigus hyemis, quos ſoluto frigore, ver fluere ſinit, quidam in eo morbi ex accidenti fiunt. Proinde ſaluberrimum eſſe dicit, minimè autem lethale: quia qui fiũt morbi, minus mortales eſſe conſueuerunt, quam aliis temporibus illi ipſi, ob clementiam cœli, & facultatum robur. Sed vtrumque horum ineſt veri in vniuerſum. Nam quoddam ver, nihil prohibet inſalubrius, & pernicioſius eſſe, quodam autumno, ob intempeſtiuas aliquas aeris conſtitutiones.

Circa initia morborum conſiderandum, an ſtatim vigere debeant. Manifeſtum autem fit ex incremento: ipſa autem incrementa ex periodis, & indicationes cognoſcuntur ex ipſis ſcilicet in periodis, ex acerbationibus, num maturius nècne, num diutius nècne, atque num magis affligant nècne. Omnium autem continuorum, & intermittentium quæ longa, & vulnerum, & ſputorum cum dolore. Et tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia apparent poſterius. Forte autem & aliarum rerum communium, quæ celerius, breuiora, quæ autem tardius, longiora. Et in periodis, quod prius, & aliud incrementum reiiciente morbo.

Non dubium eſt multa verba in hac dictione, atque adeo in toto hoc libro eſſe vetuſtate ſublata, alia etiam tranſpoſita, alia corrupta. Quod ipſe ſermo carens nonnunquam congruentia, iuxta grammaticæ regulas, ac nonnunquam mutilus, & varietas lectionum, quæ occurrit in Græcis exemplaribus, indicat. Ferè continet tota hæc dictio eandem ſententiam, quam aphoriſmus duodecimus primæ particulæ, & ſi quædam illic dicuntur diſtinctius quam hic, quædam hic, quam illic. Nam in aphoriſmo docet agnoſcere paroxyſmos & conſtitutiones, ex natura morbi, & temporis, & circuituum incrementis, & ex mox apparentibus; cuiuſmodi ſunt ſputum, vrinæ, & deiectiones, & ſudores. Hic ſolas conſtitutiones (non etiam paroxyſmos) cognoſcere docet, nulla naturæ morbi, neque temporis anni facta mentione: ſed ex circuitum incremento, & ex mox apparentibus, & præter ea ex communibus ſignis, quorum in aphoriſmo non meminit. Dicit ergo circa initia morborum conſiderandum. Significat verò hic nomen initii, neque ipſum primũ inſultum, neque tempus creditatis: ſed primos dies, ſiue primo, ſiue ſecundo, ſiue tertio, ſiue etiam alio quocumque, medicus ad ægrotum accedat. Quaſi diceret, mox ac curam ſuſcipimus ægrotantium, cõſiderare oportet ipſos morbos. Conſiderare verò oportet, an ſtatim vigeant. Significat verò illud, ſtatim, non ipſum principium (non enim vigent morbi in principiis) ſed quod citò, quaſi diceret, an citò morbus venturus ſit ad ſummum vigorem, velut in aphoriſmo dicitur, quibus ſtatim vigor eſt. Oportet itaque conijcere quantum temporis ſuperſit, vſque ad ſummum vigorem (idem at tem eſt hoc, atque conſtitutionem morbi inueſtigare) nam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 52 sur 489

©BIUM

aliter nulla ratio eſſe poteſt inſtituendi victum neque curandi morbos. Manifeſtum autem (inquit) hoc fiet ex incremento, ideſt ex tempore, quod vſque ad incrementum inſumitur, & ex celeritate, aut tarditate creſcendi. Nam quò citius venit ad incrementũ, eò citius finitur morbus: cum ſit ea morborum legitima proportio, vt tantum temporis ſuperſit à die, quo primum apparent ſigna concoctionis manifeſtæ, quantum à primo die ad eum vſque exactum eſt. Præterea tantò citiùs via pertranſitur, quantò celerius: quare & morbus veniet ad ſummum tantò citius, quantò celerius creſcet. Hoc eſt, quod dicit, ipſa incrementa periodis: hoc eſt, circuitus indicant, an morbus venerit ad incrementũ, & quanta celeritate creſcat. Obiter docet, quid ex hac notitia boni eueniet, dicens, iudicationes hinc manifeſtæ, id eſt, hinc coniecturam facies, an futura iudicatio ſit, & quàm citò. Nam acuta ſic iudicantur, & quæ cito veniunt ad vigorem, cito etiam iudicantur. Explicat deinde quo pacto circuitus hæc iudicent, dicens. Ex ipſis in periodis, exacerbationibus. Periodus conſtat paroxyſmo, & interuallo. Paroxyſmus eſt tempus difficillimum interualli, ſeu ipſa exacerbatio. In exacerbationibus ergo tria dicit conſideranda, ſi prius an non, ideſt, ſi anticipent horas priorum, quæ ſequuntur, an non: ſed eiſdem fiãt, aut tardent etiam plus, & an plus temporis, an non, id eſt, an longiores ſint prioribus, an non: ſed æquales, aut breuiores: atque, ſi magis an non, id eſt, ſi magis affligant (id quod agnoſcitur magnitudine ſymptomatum, quæ afferunt) an non: ſed æquè, aut minus. Nam ſi anticipant, & longiores fiunt, & magis affligentes, morbus creſcit: ſi contraria omnia, decreſcit: ſi omnia æquè accidunt, ſtat. Si autem quædam talia, quædam contraria, creſcet, decreſcet, aut ſtabit, vt hæc illis, aut illa his, præſtant, aut æqualis momenti ſunt. Velut ſi febris anticipet (ne ſit autem natura anticipans, aut tardans. Nam hoc neque incrementum, neque decrementum ſignificat: ſed naturam morbi) fiat autem tanto minor, ſiue accidat aliud quod æquiparari poſſit anticipationi, neque creſcet, neque decreſcet. Ex his itaque tribus conſiderationibus conſtat notitia incrementi, aut decrementi. Quæ omnia complexus eſt illis verbis aphoriſmi, & circuituum inuicem incrementa. Mox addidit in aphoriſmo. Sed & ex ſuperuenientibus, vt in pleuriticis ſi mox apparet ſputum. In hanc ipſam ſententiam, addit nunc. Omnium autem continuorum, & intermittentium, quæ longa, vt vulnerum, & ſputorum cum dolore, & tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia apparent poſterius. Quæ ſanè verba nullum idoneum ſenſum continent, neque congruam orationem conflant, libuit tamen ea ita exprimere, vt in meo codice reperi. Sũt tamen haud dubiè ita reſtituenda, vt legit Petrus Iacobus Steue. Omnium autem morborum, tum cõtinuorum, tum intermittentium, longorum, vrinæ, excretiones, & ſputa conſideranda ſunt, & vulnerum dolorificorum, & tuberculorum inflammationes, & quæcumque alia poſt apparent. Hæc verba dignam Hippocratis ſententiam continent, & aptè hærent cum his quæ ſequuntur. Forte autem & aliarum rerum communium, quæ celerius breuiora, quæ verò tardius, longiora, & in periodis, quod prius, & aliud incrementum reiiciente morbo. Nimirum ſigna quædam ſunt pathognomonica, his deſſinitur propria morbi ſpecies (quare neceſſariò accident ſuis morbis ſemper) quædam ſunt ſuperuenientia, quæ ſuperuenire ſolent morbis, adeſſe autem à principio nunquam. Huiuſmodi ſunt ſigna concoctionis, & contraria conçoctioni. Nam incipiunt febres à crudis: cocta, aut contraria ſuperueniunt iam creſcentibus. Quædam ſunt aſſidentia: hæc ſunt quæ adeſſe & non adeſſe poſſunt quocũque morbi tempore, vt capitis dolor, anxietas, delirium, faſtidium, & alia huiuſmodi. Porrò quæ ſuperuenientia dicuntur conſiderantur, non indiſtinctè, in quibuſuis morbis, ſed quædam in quibuſdam, velut ſputum in morbis thoracis, vrina in febribus, deiectiones in affectionibus alui: hæc ſane in his, aut ſolum, aut præcipuè. Quæ autem dicuntur aſſidentia, communia ſunt multis morbis. Nam in omnibus, quæ dicta ſunt, & aliis quamplurimis, conſideranda ſunt omnia. Proinde referens genus ſuperuenientium, appoſuit genera morborum, in quibus conſideranda, dicens omnium morborum, tum continuorum, tum intermittentium longorum, ideſt, omnium febrium, ſeu morborum cum febribus (vt intelligantur etiam febres accidentes) continuorum, qui etiam magna ex parte ſunt acuti: & intermittentium, qui longi, aut ſaltem non ſunt acuti. Vrinæ, excretiones, & ſputa, conſideranda ſunt, & in vulneribus dolorificis, & tuberculis, conſiderandæ inflammationes. Ideſt an cito & multum inflammentur partes vlceratæ, & tuberculo maior ardor (qualis in ſuppuratione ſolet) accedat. Nam hæc in his ſuperuenientia ſunt: quia incrementi eorum morborum ſunt ſigna. Conſideranda ergo, hæc, & quæcunque alia poſt apparent. Quia ea omnia ſunt ſigna incrementi morborum: cognoſcitur verò cõſtitutio ex incremento. Referens deinde genus ſignorum aſſidentium, & communium [quorum in aphoriſmo non meminit] dicit, forte autem, & aliarum rerum communium, quæ celerius, breuiora. Nam ſi concurſus omnium ſignorum, aut multorum eius generis, malorum cito apparet, cito moriturum: ſi bonorum, cito euaſurum ægrotum, ſignificatur. Vt in prognoſtico dictum eidem Hippocrati eſt. Si ergo inſignia eius generis ſymptomata, ſeu bona, ſeu mala, tardius appareant, longiora mala ſignificantur. Si ſimul in periodis quod prius, & aliud incrementum reiiciat morbus, ideſt. Si ſimul abſit anticipatio paroxyſmorum, & prorogatio, & exacerbatio maior. Nam ſi hæc adſint, tam firma inditia ſunt incrementi, vt ſignificent breui finiendum morbum, vtcunque habeant aſſidentia. Hæc enim dictum eſt poſſe adeſſe, & non adeſſe. Sed dices, maiores paroxyſmi, & longiores, & interualla breuiora, non ſunt ſigna breuitatis morbi, ſed contrarii. Nam ſunt ſigna maioris morbi, & maioris cauſæ, morbus autem cæteris paribus, quantò maior, tantò fuerit longior, vt & quiuis alius motus. Falsò ergo dicit Hippoc. hæc ſignificare morbum ſtatim vigorem obtenturum. Hic quidam allucinantur magnoperè, & incautè incidunt in contrarias aſſertiones. Sed oportet ſcire, anticipationem, magnitudinem, & longitudinem paroxyſmorum fieri poſſe ob multitudinem materiæ, aut morbi magnitudinem, aut ob celeritatem, anticipationem quidem magis ob celeritatem: magnitudinem & longitudinem, æquè ob celeritatem, & magnitudinem: omnia autem hæc ob celeritatem & magnitudinem ſimul. Quia

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 53 sur 489

©BIUM

cæteris paribus, quod ad celeritatem attinet, quantò maior morbus, tantò hæc magis accident & cæteris paribus quod ad magnitudinem, quantò morbus celerior, tantò hæc magis accident. Itaque quicunque morbus tanto finietur citiùs, quanto paroxysmus magis anticipabit, & longior, ac maior fiet: non inquam tanto finietur citius quàm alius quiuis, cui hæc non insint, sed quam ipsemet, aut quam alius illi æqualis, cui hæc non inessent.

A

B

Nam eorum qui breui tempore morituri sunt, celeriores sunt iudicationes, quod labores sint celeres, continui, & vehementes. Quæ autem iudicant in melius, ne statim appareant. Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis. Quæ præmaturiùs iudicantur, si quum cruda sunt omnia, iudicentur, recidiuas portendunt, sin minùs acrisiam. Lethalia quoque euadunt, quum modum excedunt.

Quia dixerat, iudicationum tempus ex notitia constitutionis morborum agnosci, dicit nunc quo tempore agantur iudicationes. Est verò summa rei, bonas iudicationes non agi ante coctum morbum. Quia quæ vigore naturæ aguntur, tempestiuè, & cum ordine aguntur: malæ verò intempestiuè. Ergo in morituris celeres iudicationes, id est, quocumque tempore, & antequàm morbus venerit ad summum, fieri solent. Nam cum mala iudicatione, mors quocumque tempore morbi lethalis, accidere potest: & si salus, non nisi exacta morbi inclinatione. Atque adeò & si in summo vigore morbi moriatur homo, potuerit habere prius multas euacuationes malè iudicantes, vel à principio, nam tales sunt natura non ferente iudicationes. Quia labores celeres, id est cum celeritate quadam vrgentes, continui, & vehementes, esse solent. Quæ verò iudicant in melius, ne statim appareant, id est non ante actam concoctionem, quia tantò minus bona sunt, quantò citius fiunt. Tantò enim maior irritatio, & naturæ impotentia significatur Atque adeo, & si possint aliquando parte mali succi euacuata vtiles esse, tollere tamen morbum nunquam possint. Iudicatoria autem non iudicantia, id est quæ non tollunt, aut magnopere minuunt morbos, partim sunt lethalia, partim difficilis iudicationis. Itaque semper sunt signa mala: quia aut mors succedit, aut difficile iudicium. Est difficilis iudicationis morbus, qui per multos abscessus, & multas permutationes finitur, quod vocatur discrisia. Sed quædam iudicari videntur, atque adeo integrè solui, cruda adhuc materia, non sunt soluta tamen perfectè, ac tutò, quia recidiuæ fiunt. Sin autem iudicationes accidunt, id est euacuationes, & febres manent, accidunt acrisiæ, id est iniudicationes, quod est produci plurimum febres, vt vix vnquam finiendæ videantur. Hæc verò fiunt, si paruæ sint illæ euacuationes, vt scilicet ferri possint. Non raro enim hæ cum per impotentiam fiant, profusæ adeò sunt, vt homines dissolutis viribus intereant: fiuntque hæc lethalia, quia non parua. id est quia maiora quàm vt ferri possint.

C

D

E

F

G

Quacumque decretoria esse debent, si hæc talia non fiant, difficile iudicium: Si verò contraria significent, malum denunciant: non solum si recurrant sed etiam si ad contraria primariæ naturæ vergant, sicut etiam malorum signum est ad contraria transire.

In omni agnostica doctrina, siue ad cognitionem prætetium, & præteritorum, siue ad persensionem futurorum spectet, optimum argumentum est, ab iis quæ adsunt. Quia quæcumque adsunt, significãt aliquid, illa si non adsunt, significatur contrarium. Velut si in morbo acuto nubeculam in vrina fieri septimo die, boni iudicii suo tempore futuri est iudicium: hoc idem non apparere, difficilis iudicii est. Si igitur ita affecto, septimo, octauo, aut nono, nulla manifesta concoctio in vrina fit, fiat autem aluus lubrica, difficilis iudicationis fore morbus agnoscitur: ab eo quod adest, à ventris in quam fluxu, qui adest, cum adesse non deberet: & ab eo, quod non adest, à concoctione, inquam, quæ non adest cum adesse deberet. Sed in decretoriis, id est in euacuationibus, quæ soluere solent morbos, hoc euenit manifestè. Nimirum sunt quædam effluxiones, & quibusdam viis factæ, quibusdam morbis congruentissimæ, quibusdam aliis minus (enarratum mihi hoc fusius est lib. 10 controuersiar.) velut inflãmationi gibbæ partis, hepatis: mictio, simæ, deiectio. Rursum hepatis inflammationi, fluxus sanguinis ex nare dextra: lienis, ex sinistra, Igitur cum fluere sanguinem ex nare dextra in inflammatione hepatis bene, iudicatorium sit, hoc omnino non fieri, aut non fieri idem, sed aliud, difficilis iudicij est. Velut si pro iis euacuationibus, quas morbi natura amat, contrariæ fiant, vt si in inflammatione hepatis fluat sanguis ex nare sinistra, & in inflammatione lienis, ex dextra. Quæ enim contraria significant, id est decretoria significantia contrarios motus iis qui sunt bene iudicatorii, malum. Id quod fieri potest recurrente materia ad interna: aut ad partem malè affectam. Vt si abscessus qui benè fieri cæpit retrocedat. Id enim significat contrarium motum, quod quidem est valde periculosum. Sed non ita solum mala sunt, quòd significant contrarium: non solùm, inquam, si recurrant, sed etiam primariæ naturæ contra repentia: id est, repentia contra pristinam naturam morbi. Velut si à principio morbi videantur adesse signa motus materiæ deorsum, & nunc subito mutato eo impetu, qui huic morbo videbatur esse naturalis, apparere incipiant signa raptus contrarii, in caput facti. Quemadmodum mala signa, quæ in contraria repunt, in contraria scilicet ei motui, quem per conuenientem regionem tenere cæperant succi: & ei quem natura morbi amabat. Difficilis enim iudicii hoc est, quia secundum rectitudinem quandam naturę familiarem fieri debent naturales euacuationes, bonę vt sint. Et quę aliter fiunt, naturam non satis vincere materiam morbi, significant. Sed vt hac prędicendi regula, quæ est pulcherrima, possimus vti, oportet, tenere notas, quibus nosse possimus, impetum succorum, quamcumq; in partem fiat, & in contraria mutatum. Proinde Hippocrates, qui nihil eorũ, quæ vtilia sunt, omisit, apponit eas notas dicens.

Considerare

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 54 sur 489

Conſiderare vero ſic oportet in coloribus, compreſſionibus venarum, tumoribus hypochondriorum, & motibus ſurſum aut deorſũ vergentibus. Sed & multa ſunt huiuſcemodi. Velut cum abortiẽtium mammæ graciles fiũt, neque hic contrarietas eſt, neque quum tuſſes diuturnæ intumeſcente teſte ſedãtur, & teſtis tumor orta tuſſi ſubſidet, & ſubleuatur. Quæ res admonet nos communionis pectorum, mãmarum, genituræ, vocis.

Id eſt, agnoſces in quam partem vergant ſucci, & ab mutatus impetus in aliam partem ſit, ex coloribus. Nam rubor nimius faciei, impetum in ſuperna ſignificat, maxime ſi ſimùl venę tumentes ſint. Velut contra, mediocris candor, & venarum compreſſio, ſignificat in aliam partem ſanguinem ferri. Quare ſi cui facies rubebat, & tumebant venæ frõtis, nunc repente mutetur color in candidum, & & detumeſcant venæ, intelligimus in contrariam partem moueri iam ſuccos. In quam autem, intelligemus, ex iis, quæ parti ſuperueniunt: Velut ſi tũc incipiant eleuari in tumorem venę crurum, & cutis rubere. Sed & ex tumoribus hypochondriorum ſurſum vergentibus, deorſum vergentibus: id eſt, cum tumores hypochondriorũ adſunt, cõſiderãtes in quam partem vergant, ſurſum, an deorſum, intelligemus, quò inclinent ſucci. Nam cum tumida, & ſurſum retracta videntur hypochondria, ſurſum eunt, (quia hepar ſuam multitudinem in venas ſurſum tendentes refundit, quibus tumentibus ille retrahitur) contrà, cum retrahi deorſum videntur. Explicat deinde hęc exemplis, præcipuè quod de compreſſionibus partium, ex quibus recedunt ſucci, dixerat, & quod de tumoribus partium, in quas feruntur, inſinuauerat. Multa, inquit, ſunt huiuſmodi. Velut abortientium mammæ graciles fiunt (dicitur hoc idem Aphoriſ. 37. particulæ quintæ) reddens huius rei cauſam dicit, neque enim contrarium eſt rationi, quia eſt magna communio mammis & vtero, id quod alio etiam exemplo explicat. Neque enim rationi contrarium eſt quod in tuſſi diuturna euenit. Nimirum tuſſis diuturna ſolet ceſſare ſuperueniente tumore teſticulorum, & hic tumor, ſuperueniente tuſſe. Obſeruauit hoc Hippocrates conſtitutione prima lib. 1 vbi dixit, multos eorum, quos tuſſis ſicca fatigabat, alterius aũt vtriusque teſticuli inflammationem incurriſſe. Horum autem omnium cauſam eſſe dicit, communionem pectorum, mammarum, genituræ, vocis. Id eſt inſtrumentorum genitalium, quæ ſunt vterus, teſtes, & virile membrum: & vocalium, quæ ſunt imprimis larynx, & nerui recurrentes: deinde, & thorax, & omnia inſtrumenta reſpirationis. Horum conſentio, & communio multis ſignificatur indiciis. Mutatione vocis ex vſu veneris & ex teſtium defectu: intumeſcentiam mammarum ex ſuppreſſione menſtruorum, & iis, quæ hic refert, gracileſcentia mammarum in abortu, & mutua paſſione thoracis & teſtium, qua ſcilicet, ex tuſſi ſicca, & antiqua intumeſcit teſtis, & ex illius intumeſcentia fit tuſſis. Illa vocalium cum genitalibus communio eſt manifeſta, in venis quę de mammis deſcendunt per muſculos rectos abdominis, & committuntur cum aſcendentibus ex vtero: & in neruis ſextæ coniugationis, eadem enim mittit ſurculos quoſdam in teſtes, & producit neruos recurrentes. Cum ergo habeãt thoracis partes vias cõmunes cum genitalibus, nõ mirum tenacem ſuccum, qui non poteſt excreari, & difficilem & ſiccam tuſſim facit, per eas in teſtes abſcedere, & contra, qui non poteſt in teſtibus reſolui, nonnunquam in thoracem repete.

Abſceſſus fiunt aut per venas, aut per oſſa, aut neruos, aut cutem, aut alios ſeceſſus vtiles autem ſunt, qui infra morbum fiunt, quales ſunt varices & lumborum grauitates ex ſupernis partibus demiſſæ. Optimi verò præcipuè ſunt, qui ad infernas partes fiunt, & maximè intra ventrem ſitas, & remotiſſimè à morbo, & qui per effluuium fiunt. velut ſanguis è naribus, pus ex aure, ſputum, vrina, quæ per effluuium fiunt. At ſunt abſceſſus qui eodem modo non fiunt, velut dentes, oculi, naſus, ſudor. Sed & quæ in cutem abſcedunt foras tubercula, velut tumores putreſcentes & purulenti, aut vlcus, aut eiuſmodi exanthemata, aut ſquamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ, aut eiuſmodi, quæ repentino confluxu abſcedunt, non interrupto, & quæcumque alia dicta ſunt. Atque ſi non ſint pro ratione excretionis morbi indigna. Velut Temeni nepti, ex morbo graui quiddam decubuit ad digitum, qui cùm non ſufficeret ad ſuſcipiendum morbum, recurrit. Mortua. Abſceſſus fiunt aut per venas, aut per aluum, aut per neruos, aut per cutem, aut iuxta oſſa, aut ſecundum ſpinalem medullam, aut ſecundùm alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares.

Per quas partes agi ſoleãt abſceſſus, & qui quibus meliores aut deteriores ſint, hac dictione docet, apponens quędã exempla. Vtitur verò quibuſdam repetitionibus, vt ipſe ſermo indicet non ſatis eſſe hũc librum expolitum. Hippocrati abſceſſus eſt quæcumque abſceſſio ſuccorũ, vt dictum mihi iam antea eſt non ſemel, ſiue cum effluxione extra corpus, ſiue ſine ea fiat. Narrat per quas partes fieri ſoleat, illud verò per quas, ſignificat, per quas ſolet egeri extra corpus, vt per os, nares, aures, aluum, pudendum: & per quas vias abit de parte in partem, vt per venas de mammis ad vterum: & in quas decumbunt, velut dic mu-, per cutem expurgari viſcera oborta ſcabie. Dicit ergo abſceſſus, aut per venas, effluente ſcilicet ſanguine, vt de naribus, de hæmorrodibus, de vtero, aut non effluente, ſed abſcedente in partem, vt ſuppreſſis menſtruis intumeſcũt.

©BIUM

mammæ, & lac habent, aut etiam inflammantur: aut per oſſa, hoc eſt, quod mox, eundem ſermonẽ repetens, dicit, iuxta oſſa, Nimirum decurrunt ſæpe ſucci per perioſtium iuxta oſſa, & nonnunquã in ipſa oſſa ſubeunt, corrumpuntque ea. Nonnunquam per abſceſſus: aut (inquit) διὰ τόνων. Hic quidam tonorum nomine neruos recurrentes ſolũ intelligi volunt, quia ſcilicet ſectione quarta huius libri differens de recurrentibus, dicit, duo verò toni à cerebro. Sed quòd illi toni ſunt, rectè intelligunt: quod illi ſoli, non rectè, Ita enim intelligere poſſis eos ſolos neruos eſſe, ſi dixero, ſunt duo nerui à cerebro Satius ergo ſit putare, tonos dici neruos. Nam mox in repetitione ſcripſit abſceſſus aut per venas, aut per neruos, quaſi eadem res ſit neruus, & tonus. Quamquam toni nomen non videtur proprie dici, niſi de neruis motus, quia illis continentur partes in tono. Itaque quod dicit eſt, abſceſſus fieri per neruos motus, eos ſcilicet, qui inſerti muſculis, tendines fiunt. Per hos autem ſolere ſecundum rectitudinem fibrarum deriuari ſuccos. & per tales abſceſſus reſolui nonnunquam crura, aut brachia, ac nonnunquam corruptione eorum clauditatem afferri, idque fieri ſæpe deriuatis ſuccis per ſpinalem medullam aut ſecundum alterũ, aut ſecundum vtrumque latus, res eſt expertiſſima. Proinde mox, repetens dixit, per neruos, aut ſecũdùm ſpinalem medullam. Exemplo eſt Fullo, de quo lib 4. occurret ſcriptum, fullo collum, caput; ſeptima manus ſtupida: nona, crus ſtupidum. Tuſſis ceſſauit. Aut cutem inquit (quod etiam mox repetit) nimirum per cutem fiunt abſceſſus omnes cutanei [quorum etiam enumerationem facit in hac dictione] & inſenſilis euaporatio, & ſudor. Sed quia nondum fecit omnium viarum perquas abſcedunt ſucci, enumerationem, addit, & ἐκ τρόπεων ἑτέρων, id eſt per alios ſuccorum receſſus à partibus affectis. Deinde docet dignoſcere bonos & malos abſceſſus. boni inquit, ſunt, quia infra morbum fiunt, id eſt infra partem primariò affectam, velut cum fiunt varices, & lumborum grauitates ex ſupernis. Sed quia tantum dixerat, bonos eſſe eos qui infra morbum, poſſunt autem eſſe infra morbum, & tamen in nobilem partem, velut ſi ex hepate fiant in renem, aut vterum, qui abſceſſus nõ erunt optimi, cùm afficiant partes minimè viles: atque adeò poſſit aliquis abſceſſus fieri in partem inferiorem ex primariò affecta, qui tamen erit malus velut ſi ex collo in pulmonem abſceſſus fiat, addit, optimi verò præcipuè ſunt inferni, idque non vtcumque, ſed longiſſimè infra ventrem poſiti, & remotiſſimi à morbo. Nam infra ventrem ſunt tantùm crurum partes, omnes quidem externæ, & humiles Dictum autem ei eſt in prognoſtico, eos abſceſſus maximè optari debere, qui ad exteriora ferantur & ad humiliorem partem fiant. Sed vt abſceſſus qui ſine effluxione fiunt, tantò ſunt meliores quantò longius ab affecta parte ſuccus pellitur, ita qui cum effluxione fiunt, meliores ſunt, quàm qui ſine ea Nimirum ita abſcedunt etiam magis. Scribit mox exempla abſceſſuum cum effluxione, deinde ſine effluxione. Cum effluxione ſunt, vt ſanguis è naribus, pus ex aure, ſputum, vrina. Sed cur addit, quæ per effluxionem fiunt? nunquid hæc, quæ dicta ſunt aliquando ſine effluxione fiunt? certè illud, quæ per effluxionem

A

B

C

D

E

F

G

fiunt, poteſt intelligi appoſitiuè, aut intelligi de ſputo, & vrina. Hæc ſcilicet eſſe tales abſceſſus, cum fiunt cum effluxione decretoria. Nam quotidiana mictio, & ſpuitio, non eſt abſceſſus. Scribit deinde exempla abſceſſuum ſine effluxione, dicens, at abſceſſus, quibus hæc non fiunt, ideſt, qui non fiunt cum effluxione, ſunt, velut dentes, oculi, naſus, ſudor. Ideſt, vt qui ad dentes, oculos, naſum, aut ſudore, fieri ſolent. Nimirum ſolent in has partes aliarum excrementa decumbere, & ita his affectis alios morbos iudicare. Exemplum abſceſſus in dentem facti, accommodatiſſimum eſt in calce 4. lib. huius operis, vbi deſcribens tempeſtatem quandam inſalubrem, dicit, quibuſdam etiam dens corroſus eſt, tertius præcipuè ex ſupernis, præ omnibus autem hic reperitur corroſus. Hunc abſceſſum cum huiuſmet dentis corruptione iam ego vidi, ſæpius autem ad oculos, facta ex dolore capitis opthalmia, aut acri lacryma, & nonnunquam oculi corruptione, aut procidentia: & in naſum, factis Ozenis, aut Polypo. Iam verò ſudor creberrimus abſceſſus eſt. Sed cur ſudorem ponit in iis, qui ſine effluxione fiunt? An quia non effluit affatim, vt ſanguis è naribus aut ex veſica vrina, ſed magis erumpit ad cutem, atque inde detergetur. Sed & omnia, quæ in cutem abſcedunt per corpus, ſunt in hoc genere abſceſſuum. Hæc verò ſunt tubercula, aut vlcera, aut maculæ, aut habentia horum quædam. Tubercula quidem dicuntur omnes tumores præter naturam & omnes quidem poſſunt fieri abſceſſu aliorum malorum, crebriùs verò ſoluuntur alii morbi tuberculis putreſcentibus & purulentis, ideſt inflammationibus, quæ emolliuntur, & ad ſuppurationem perueniunt. Vlcera etiam multiformia fieri ſolent abſceſſu; & maculæ, vt vitiligines, & albæ & nigræ, & lentigines. Atque adeo comitari tales abſceſſus ſolet defluuium capillorum, ſiue alopecia, ſiue ophiaſis. Siquidem ſuccis qui ſub cutem capitis abſcedunt, corrumpentibus eorum radices, fit. Fiunt etiam abſceſſu ex aliis morbis exanthemata omnia, in quibus eſt omne genus ſcabiei cum ſanie, & ſquammæ (ſunt verò ſquammæ, vt magni furfures. ſicca quædam ſcabies) neque ſolum ſimplex ſcabies, ſed etiam quæ lepra dicitur, ſolet abſceſſu fieri (hæc omnia ſunt partim tumores, partim vlcera, partim maculæ) eſt lepra tetra quædam ſcabies, tamen non tam altè tenens carnes, quàm affectus qui dicitur elephas. Proinde lepra bonus abſceſſus eſſe poteſt: elephas non poteſt. Non tamen hæc ſemper ſunt aliorum morborum abſceſſus. Nam ſi cui per febrem lõgam naſcitur ſcabies, febre nihilominus detinente, non eſt abſceſſus. ſed eſt alius morbus, vt ſi alius quiuis morbus acceſſiſſet. Quando ergo hæc abſceſſus ſunt? ſi (inquit) ſunt non interruptè ſed confertim fluentia, atque ſi non ſint pro ratione excretionis morbi indigna. Ideſt ſi non fiant ἡμιτρόπως quod duobus modis fieri contingit, aut quod incæperint erumpere, non eruperint tamen benè, aut quòd etſi eruperint, minori tamen quantitate, quam pro morbi magnitudine. Et quæcumque (inquit) alia dicta ſunt. Quæ ſcilicet dictum eſt in bono abſceſſu deſiderari, ne ſcilicet mox appareat, neque cum cruditate, ne fit lethale, quia paruum, ne fiat in contraria primariæ na-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 56 sur 489

turæ, ne recurrat. Hæc itaque neceſſaria ſunt, vt bonus ſit abceſſus, & ne minor quàm pro morbi magnitudine. Velut Temeni nepti ex morbo graui quiddam ad digitum decubuit, qui abſceſſus cùm non ſufficeret ad ſuſcipiendum morbum, id eſt ad ſuſcipiendam totam morbi cauſam, recurrit, & mortua eſt. His dictis facit repetitionẽ partiũ, per quas abceſſus fiunt, mentionem nouã faciens quarundam, vt alui, per quam fieri ſolent crebri abſceſſus. Pro tonis dicit nunc neruos, vt hinc palam fiat, neruos anteà dictos eſſe tonos. Egò verò motus tantùm neruos, dixerim tonos. Addit & ſpinalem medullam, & os, pudendum, aures, & nares. Per hæc quidem cum effluxione ſolere abſceſſus fieri res eſt notiſſima: ſed & per ſpinalem medullam deriuari excrementa, & ita ſolui grauiſſimos morbos capitis vidimus. Quin & altera capitis pars, cũ altera ſpinalis medullę ſolet totius capitis morbos excipere, vt paraplexia ſolet finire apoplexiam.

Vterini affectus qui octauo menſe iudicantur, poſtridie velut in lumbos aut femur decumbunt.

Hæc dictio variè admodum ſcripta occurrit. Et nata eſt varietas, partim ex varietate Græcorum codicum, partim ex ſententię difficultate, diuerſis diuerſa coniectantibus, & variè proinde mutantibus dictionem. Quidam legunt vt vtero menſes: finiuntque ibi ſuperiorem orationem: moxque aliam exordiuntur, dicentes iudicationes poſtridie fiunt ad lumbos, aut ad femur. Sed hæc ſententia, aut falſa, aut omnino imperfecta eſt. Non enim omnes iudicationes fiunt poſtridie, neque omnes quæ fiunt poſtridie, fiunt ad lumbos aut femur. Non explicat autem quas iudicationes dicat, neque à quo die ſit illud poſtridie, an à primo morbi, an ab aliquo ſuperueniente ſigno. Alii proinde ita legunt, ex vtero octomeſtri poſtridie iudicia facta ſunt, quaſi in lumbos, ac coxas malum repetet. Dicunt hi eſſe narrationem hiſtoriæ. Sed malè vbi dicitur, aut in coxas, ſeu in femur (nam μηρον vtrumque ſignificat) illi, pro aut, legunt &. Quomodo autem narraret poſtridie illi mulieri factam eſſe iudicationem ad lumbos, aut femur? diceret enim diſtinctè in quam partem. Præterea hic dicens τὰ τῆς χρίσεως euacuationem videtur ſignificare. Nam abſceſſus cæperat vocare ἀπόστασις, euacuationes verò vteri, neque per lumbos, neque per coxam, neque per femur, fieri poſſunt. Proinde ego hanc meam lectionem, & aliã ſententiam ſequutus ſum. Ea eſt, ex vtero menſes fieri ſolere, & iudicationes, ideſt euacuationes illas menſtruas, ſolere fieri poſtridie, ex quo in lumbos aut femur dolor decumbit. Id verò eſt expertiſſimum, fitque & in iis quibus morbi talibus euacuationibus iudicantur, & bene valentibus, quibus non omninò facilè hæc euacuationes erumpunt. Cauſa eſt, quia incumbente in vterum ſucco antequam reſeratis oſculis in cauum illius ſubeat, intumeſcunt venæ, aut quæ ex lumbis in vteri fundum tendunt, aut quæ recurrentes è femoribus in illius os, aut vtræque.

Et in teſtes aliquando ex tuſſi, & teſtis ipſe in ſe ipſum.

Hæc quoque eſt repetitio dictorum antea. Dixerat enim, tuſſes diuturnæ, vbi teſtis intumuit ceſſant, & teſtis tumor ceſſat, à tuſſi. Nunc dicit, aliquando tumere teſtem ex tuſſi, aliquando per ſe, ipſo congerente materiam, aut ſaltem non per paſſionem ſecundariam. Quo quidem caſu, non laborat per conſenſum cum thorace. Sed ille potius ſolet in conſenſum trahere thoracem, & tuſſes afferre.

Tuſſiculoſi abſceſſus, qui ſupra ventrem fiunt non æquè perfectè ſoluunt.

Tuſſiculoſi abſceſſus ſunt illi, in quos tuſſes inueteratæ finiuntur. Si ergo rectè dictum nuper eſt, optimi verò præcipuè ſunt inferni, & longiſſimi infra ventrem, & remotiſſimi à morbo: hi quoque perfectiùs ſoluent, infra ventrem ideſt, infra cauum thoracis facti, quàm ſupra. Sed & peculiari ratione hi ſoluent perfectiùs. Nam vtcumque ex thorace deſcendant ſucci liberabitur, & expediuntur magis inſtrumenta vocis, & reſpiratus, quàm ſi ſurſum petunt. Vix enim eſt aliquã ſuperiorum partium, quæ non ſoleat tuſſim ipſa mouere, etiam cum primaria affectione tenetur, nedum cum ab ipſo thorace malum excæperit. Non ergo æquè perfectè liberabitur pulmo, aut thorax à tuſſi euntibus ſuccis ſurſum, atque quum deorſum tendunt.

Fluxus ſanguinis largi ex naribus ſoluunt multa, vt Heragoræ. Non agnoſcebant medici.

Non ſolum fluxus ſanguinis, ſed aliæ multæ euacuationes, quarum antea facta mentio eſt, ſolent ſoluere multos morbos, non quidem vtcunque, ſed cum fiunt copioſè, & largè. Nã tentatæ euacuationes, quæ ne minuunt quidem morbos, aut difficilis iudicii, aut lethales eſſe ſignificant. Quod quidem de omnibus decretoriis non iudicantibus nuper dictũ eſt, ſpeciatim vero de ſanguine guttatim ſtillante, non ſemel hoc ipſo opere dicit Hippoc. Sed cur ſeorſum fluxus ſanguinis ex naribus nunc meminit, cum illum inter alias euacuationes iam numeraſſet? Certè vt admoneret, hunc ſolere ſæpè ſoluere morbos acutos, vt febres ardentes, & inflammationes internas, in quibus maximè expectantur iudicationes, & ſolere medicos ſæpè falli, putantes malum noxiumque eſſe fluxum, cum tamen ſit bene iudicatorius, & optimus, atque adhibentes medicamenta, quibus cum maximo hominum malo, naturæ repugnant, quod medicis qui Heragoræ aderant, dicit accidiſſe. Sed & hoc etiam in aliis euacuationibus poteſt contingere, minus tamen ſolent medici imperiti, terreri multitudine deiectionum, aut copia ſudoris, quàm ſanguinis, vtpote in quo animam eſſe hominibus videtur. Nihilominus ſi per bonam iudicationem exit, non ſine magno

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 57 sur 489

©BIUM

peccato cohibebitur. Neque verò ſolùm hoc modo peccari hac in re poteſt, ſed etiam ex contraria opinione: ſi quis omnem fluxum fieri ſinat, decretorium eſſe putans. Sæpè enim etiam ob vitium ſanguinis, aut retentricis debilitatem, aut venæ ruptuam, fit fluxus mortiferus. Quid ergo faciendum? certè curandum vt teneamus methodum dignoſcendi ſalutarem & noxium fluxum. Ea eſt, vt Hippocr. breuiſſimè omnem euacuationis ſpeciem cõplectens, dixit, ex conferentia, & tolerantia. Quoniam autem tolerantia, quæ ex pulſu, & colore, & viribus animalibus ſpectatur, non admodum exercitatos, & eos qui veros facultatum lapſus & non reparabiles, à leuibus diſtinguere neſciunt, poteſt fallere, ſatius eſt in conſiderationem adhibere omnia, quæ Galen. tertio de criſibus ſparſim ab Hippocr. ſcripta collegit, magnitudinem, & ſpeciem morbi, naturam diei, iudicationem, & ſigna decretoria, & concoctiones, quæ anteceſſerunt, aut non.

Qui aſperas voces habent naturâ, iis etiam linguæ ſunt ſubaſperæ, & quæcumque aſperitates à morbis procedunt, eodem modo ſe habent. Hoc ergo habent quæ naturâ duræ ſunt non ex morbo. Quæ verò molles & tardiores in peccatum, non bonum: aut prior natura talis fuit: conſiderandum & quæ à victu tales ſunt.

Corruptionem loci huius, quæ in pleriſque Græcis exemplaribus, & in verſione Iani Cornarii eſt, facile notabit quicumque perpenderit, vt à Petro Iacobo Steue primũ, deinde etiam à me reſtitutus eſt: nam hæc lectio, ſenſum continet Hippocrateũ, illa nullum aut abſurdum. Sed quid contineãt hęc verba enarremus. Dictum eſt à Gal. 4. de locis affectis cap. 8. & à me in ſcholiis, quæ ſint vocis differentiæ, & quas habeant cauſas vtque cauſæ nonnunquam in compoſitione inſtrumentorum, nonnunquam in temperamento, eo maximè quod ſecundum humidum & ſiccum ſint variæ. Raucam enim vocem humiditate, clangoſã ſiccitate gutturis & aſperæ arteriæ fieri. Clangoſa vero eſt etiam aſpera. Nam fit ob aſperitatem arteriæ. Aſperitas verò contingit in ſiccitate, quia eſt vitium figuræ in ſuperficie, figuram autem retinere ſiccum natum eſt, humidum minimè. Et quia ſiccitas parit duritiem, & humiditas mollitiem. Meritò ergo clangoſa eſt etiam aſpera, & vtraque differentia ſiccitatem & duritiem inſtrumentorum indicat. Ergo qui aſperas voces habent natura, aſperitatem habuerunt naturalem, qui ex morbo, præter naturam. Sed ſi vox aſpera vocalium inſtrumentorum vitium indicat cur in aſperitatem linguæ id reiicit Hipp. cum lingua in inſtrumentis ſermonis ſit, non vocis? Certè quia laryngi & epiglottidi, quæ vocalia ſunt organa, eſt affixa lingua, & fieri non poteſt, quin illis ſiccatis, & aſperitatem habentibus, lingua quoque ita affecta non ſit. Hæc verò poteſt à nobis melius agnoſci, vt quæ in cõſpectum venit. Quæ ergo linguæ ſunt natura duræ, & ſine morbo hoc habent, voces ſcilicet aſperas, (hic debet ſuppleri) quę verò non ſunt natura tales, non habent clangoſas voces & aſperas, niſi cum præter naturam, duritiem, ſiccitatem, & aſperitatem acceperint. Docet deinde præſagire ex contrariis: hoc eſt ex mollibus quæ vero (inquit) molles, & proinde tardiores in peccatum, i deſt balbutientes (nam qui ſunt humida lingua, loquuntur pigrius, & peccant in prolatione, mutantes quaſdam literas) non bonũ. Significat enim imminentem paralyſim, aut prior natura hominis talis erat: & conſiderandum quæ à victu, id eſt malum eſt, niſi hoc ſit homini naturale, aut nũc ſuperueniat ex prauo victu, vt ſi ebrius balbutiat. Si ergo neque ebrius, neque id natura habẽs homo, incipit pigrius loqui, & peccat in prolatione, non bonum, nam paralyſis ſignificatur.

Conſiderandum qui ſint magno capite, & magnis ceruicibus ab inclinationibus, & venarum magnitudo, & amplitudo ab eadem cauſa fit: vt anguſtiæ, & craſſities, & breuitates, & tenuitates à contrariis. Quorum venæ latæ ſunt, & ventres, & oſſa etiam lata, hi ſunt graciles: pingues autem his coutraria habent. Et in ÿs qui fame macerantur, mediocritates horum reperiuntur. Ab his conſideranda ſunt incrementa cuicunque, quæ minuũt: & diminutiones, quæ augent, & in incrementis qualia ſimul augentur, & qualia ſimul roborantur, & quales ſint communes venarum diſtantiæ.

Quia caput & ceruix occurrentium nobis hominum facilè perſpiciuntur, vt pote quæ in conſpectum mox veniunt, docet Hipp. ex his agnoſcere totius hominis robur, & firmitudinem, indicat enim magnum caput, cum quo etiam ſe prodit magna ceruix, hominis capite in humerum aut pectus inclinante, robur hominis ſecundùm facultatem animalem per ſe quidem & manifeſtè, quia caput radix neruorum eſt, & illud cum ſpina quæ à ceruice incipit, eſt radix oſſium: oſſibus verò & neruis firmatur, & agitur motus animalis: ſed & ſecũdum naturalem etiam & vitalem. Nam magnitudo & amplitudo partium, cum eſt cum bona figura, & bona partium concinnitate coniuncta, robur formaticis facultatis indicat. Ergo magnitudo capitis concinna, & cũ idonea figura (nam ſi malè formatum ſit, quod magnum caput, redundantiam materiæ potius indicabit) ſignificat non ſolum animalis, ſed & naturalis facultatis robur: illius, quia eius facultatis origo eſt: huius, quia ab ea eſt formatum. Si vero ambæ hæ robuſtæ ſunt, vitalis etiam robuſto, quæ calorem naturalis illis impertitur: calore enim aguntur omnia, & calor omnia dilatat. Cum ergo orta atteſtentur ſuis principiis, calidum hepar eſſe indicabunt amplę venæ: calidum cor, amplæ arteriæ. Igitur qui magno capite cum magna ceruice ſunt, & robuſti, & venarum (intelligit vero Hippo. nomine venarum etiam arterias) magnitudinem & amplitudinem habent, hoc eſt venas magnas & ampliter cauas. Nam hæc omnia, ab eadem cauſa fiunt, & anguſtiæ venarum, & craſſities tunicarum, & denſitas, quæ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 58 sur 489

©BIUM

coniunctam habet ſtructuram viarum, & breuitates, & tenuitates, hoc eſt, exiguitates ſecundum omnes diſtantias in membris quibuſuis, ex contrariis, putà ex frigore. Sed qui amplas venas habent, habent etiam mox amples ventres, ideſt, omnes corporis cauitates amplas, vt thoracem, ventriculum, & veſicam, & magna oſſa, non tamen ſtatim & craſſum corpus. Quin potius tales eſſe ſolent, graciles carnibus, & abundantes ſanguine. Quod quidem eſt temperamenti vehementer calidi & ſicci: pingues, obeſique contraria habent, ſunt enim anguſtis venis, & ventribus omnibus, & exiguis oſſibus, tales. n. ſunt frigidi, & humidi. Nam frigidi & ſicci omnia hæc habent exigua, & præterea graciles ſunt. Inter hos ſunt alii neque tam calidi, neque calidi vt illi, neque frigidi vt hi, neque vt hi graciles aut obeſi, ſed bene corporati, bene craſſi, & habentes vaſa bene magna. Quia calidi ſunt cum quadam mediocritate ſanguinis, & temperamenti. Hinc fit, vt aliorum nulli ſuſtinere poſſint multam inediam: graciles, qui ſunt amplis venis, quia ſicci & bilioſi cum ſint, facilè exoluuntur: obeſi, aut vtcumque exiguas habentes venas, quia ſunt debiles cum penuria ſanguinis. Soli illi, qui benè temperati, & mediocriter carnoſi ſunt, poſſunt in victu tenui cõtineri, quia robuſti, & ſatis abundantes ſanguine. In quam ſententiam dixit Hippoc. facta mentione gracilium, & obeſorum, & qui fame macerantur, id eſt qui famem ſuſtinere poſſunt, mediocritates horum, ideſt, ſunt quibus hæc mediocriter inſunt, calor ſcilicet, & amplitudo vaſorum, & corpulentia. Sed contigit dubitare, cùm dictum ſit generatim, magnitudinem & amplitudinem partium ab eodem, & gracilitates & breuitates, ac omninò exiguitates à contrario, quo pacto, qui ſunt magnis oſſibus, venis & arteriis, ſint graciles, & qui anguſtis venis & arteriis ſunt obeſi, & valde corpulenti? Huic dubitationi occurrens Hippoc. addit, ab his conſideranda ſunt incrementa cuicumque, quæ minuunt, & diminutiones quæ augent, & qualia ſimul augentur, & qualia ſimul roborantur. Quaſi diceret, etſi magnitudo, ac amplitudo omnium inſtrumentorum, & omnium partium ſolidarum, ab eadem cauſa fiant, & anguſtia & exiguitas à contraria: non tamen omnia quæ in homine ſunt augentur ſimul, aut minuuntur: ſed quædam ſunt, & in quibuſdam naturis, quæ ſimul augentur, & roborantur, quædam, & in quibuſdam naturis ſunt, quæ creſcentia afferunt aliorum imminutiones, & imminuta, aliorum incrementa: Velut quantum pinguedinis augetur, tantum minuitur ſanguinis (docet Ariſ 2. de partibus anim. cap. 5.) & ita quibus craſſeſcentibus, aut ob mutationem ætatis, aut victus, totius corporis carnoſa moles creſcit, venæ & arteriæ fiunt anguſtiores, quia exhauriuntur ſanguine, & fiunt denſiores, quia pinguescentibus tunicis fiunt minora caua: quibus contrà, denuò exercitatis, aut ad calidiorem regionem translatis, aut ad totum victum calidiorem, in venis incipiunt ſanguis & ſpiritus augeri, carnea moles incipit minui. Quibuſdam autem ſimul augentur, & roborantur omnia hæc. Velut ſi quem velis, frigidum natura & ſiccum, & proinde gracilem, & membris omnibus & partibus ſimplicibus, cum penuria ſuccorum, transferre ad meliorem naturam, calido & humido victu, exercitationibus, frictionibus, & iniunctionibus ideneis, omnia ſimul augebuntur, & roborantur. Oportet verò hæc omnia noſſe, & conſiderare ad agnoſcendum temperiem, & robur hominum. Sed quorſum, Hippo. de abſceſſibus & decretoriis euacuationibus diſſerens, ad magnitudinem capitis, & diſputationem de temperamentis nunc diuertit? Profecto tam difficile ſit vnum quendam ductum, & ordinem, in hoc ſecundo libro inuenire, vt in quibuſdam ſententiis omninò fieri non poſſe videatur: tamen nunc videtur locus hic alteri, libri ſexti, ſectionis ſextæ, reſpondere, & ratio ordinis loci huius ex illo intelligi. Illic enim ita dicitur. Quibus ſanguis multus ex naribus fluit, quibus quidem colorum priuationes exactæ his parum proſunt, quibus autem rubri colores, non ſimiliter, & quibus capita bonæ tolerantiæ, proſunt, minimè autem, quibus non. Hæc duo loca ex ſe ipſis explicantur mutuò. Nam illic dixit capita firma bene ferre fluxionem ſanguinis: ſed quæ eſſent firma capita tacuit, hic explicuit, dicens eſſe magna cum magnis ceruicibus. Ergo cum dixiſſet ſanguinis fluxum multos iuuare, quoſdam autem lædere, addidit firma capita eſſe talia, vt ſcilicet intelligamus, quod illic explicuit, qui talibus ſunt capitibus ſolere iuuari fluxu ſanguinis. Hac occaſione venit mentio firmitudinis capitis. Hinc verò nata eſt diſputatio fuſior de habitu corporum & temperamentis: docuitque graciles eſſe latis venis, & magnis oſſibus, obeſos contra, anguſtis venis, quoſdam in quibus ſimul augeſcant hæc. Noſſe verò oportere hæc plurimùm, quòd exangues & pingues, fluxu ſanguinis lædantur: ſanguinei ſiue graciles, ſiue bene carnoſi, iuuentur. Addit conſiderare etiam oportere, quales ſint diſtantiæ communes venarum, hoc eſt, deciſiones communes venarum, & quo modo in quamcumque partem corporis deſtribuantur venarum rami. Nam ita conſtare poterit quæcumque pars, cum qua habeat venas communes. Iuuantur verò quibus ſanguis fluit ſecundum rectitudinem, ſiue ſponte ſiue arte fluxio fiat: non iuuantur, quibus ex contrariis. Vt ſi cui calido hepate, aut in flammatione tentato, fluit ſanguis de nare dextra, benè fertur, ſin de ſiniſtra, non ita refert, ergo multum refert noſſe, & quæ ſimul augentur, aut non, & diſſectionem venarum, cum ad alia multa, tum vel maximè ad iudicandum, an ſanguis vtiliter fluat, an cum noxa.

Abdominis rupturæ, quæ quidem circa pubem ſunt, plerumque ſunt ſtatim innoxiæ. Quæ verò parum ſupra vmbilicum in dextra parte, dolorem & corporis iactationem afferunt, & vomitum ſtercoris inducunt, quale quid Pittaco accidit. Fiunt autem hæ, aut plaga, aut diſtentione, aut alterius inſultu.

Abdomen eſt id, quod tegit totum ventrem inferiorem, conſtat, cute, pinguedine, & octo muſculis, huic deſubter hæret peritonæus, ad medium quidem ventris ſecundum longitudinem concreſcens cum tendonibus muſculorum. Rupturæ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 59 sur 489

©BIUM

possunt fieri hac in parte, aut discisso abdomine secundùm altitudinem: cute, inquam, & musculis, ac peritonæo simul: velut cum vulnera penetrantia inferuntur telo, aut gladio: aut incipientes ab interiori parte, cute quidem sana, dirupto autem peritonæo, vel solo, vel simul cum musculis, aut eorum aliquo. Fieri autem hoc solet, distentione facta motu aliquo vehementi, vt clamore, aut saltu, aut casu, aut incidente re aliqua, aut vtcumque illata plaga. Solum peritonæum dirumpi supra inguina leue est, nisi attingat diruptio eam partem, qua concrescit cum tendonibus musculorum. Si autem ea parte rumpatur, aut in inguine, aut superioribus lateribus, aut qua nascitur scrotum, excidunt locc suo; quæ intra illud natura continentur, faciuntque ita conspicuũ tumorem: in inguinibus quidem, aut superioribus partibus, per solam ruptionem: in scroto per hanc, aut laxitatem. Vocanturq; hæ omnes, herniæ. Quin quæcumque magnæ intumescentiæ scroti, etiam si per dilatationem externæ cutis, internis omnibus partibus sua loca tenentibus fiant, aut multa aqua in eo collecta. aut flatu, vt sit velut eius partis ascytes aut tympanites: atque adeo si ipsa testiculorum carne plurimum aucta, scrotum intumuerit: vocantur herniæ, varia nomina accipientes à loco, aut causa. Vt dicatur bubonocele, enterocele, hydrocele, sarcocele, neumarocele, aut flatu m cele. Sed hæc persequi nũc opus non est, ac multò minus curationem. Illud tãrum nosse expedit, cùm omnes abdominis rupturæ dolorosæ sint, & partes subiectas debilitari faciant, non tamen omnes æquè: sed quæ circa pubem sunt plerumque, sunt statim innoxiæ, ideſt, non tantam afferentes noxam. vt non sint multi, qui secundum eas partes rupti, longam vitam agant, non admodum miseram. Quæ verò parum supra vmbilicum, maximè in dextra parte, multo sunt periculosiores. quia per infernas rupturas intestina solũ possunt exire & alterari, & ea quidem crassa, per supernas verò, omentum simul, & intestina gracilia. Omentum verò excidens loco proprio admodum lædit, quia vt dicitur in aphorismo: si omentum exciderit, necesse est putrescere. Intestinorum gracilium quecumque lapsio maior est. Vlcerata enim non curantur (vt aliquando quidem crassa) intemperata verò aut obstructa, pro dolore colico, quin crassis intestinis fit, volvulum vocatum afferre solent, morbum perniciosissimum, & à quo vix vllus euadit: cuius propria signa sunt, dolor acutissimus supra vmbilicum, fastidium, & vomitus fecum. Maxime ergo in periculo sunt, quibus ruptio abdominis supra vmbilicum est, quia parati sunt ad volvulum. Quod Pittaco cuidam euenisse dicit, quem verisimile est, ex ruptura facto volvulo, interisse.

Quibus quod est inter abdomen & cutem inflatum est, & non subsidet, iis color est velut multum pallidus, aut ex albo pallescens, quoniam ab hepate totum quod tale est procedit, hepaticis etiam morbis laborant, quinetiam qui ictero ab hepate tenentur, colore subcandido suffunduntur, velut aqua inter cutem laborantes & leucophlegmatici. Verùm & hydropes & icterici, qui a liene procedunt, nigriores sunt.

A Hepatici dicuntur quicunque laborant morbo longo hepatis, vt intemperie, quæ cum debilitate coniuncta sit, aut difficili ostructione (nam eum qui inflammatione hepatis laborat, non dicimus hepaticum: sed ita affectum) harum affectionum maxima iudicatio est ex colore faciei: quia cum sit propria succorum officina, & tales in cute floreſcãt colores, quales humores abundant in corpore, necesse est vitium sanguinis in hepar reiici, & colore prodi. Ergo vitiosus color præter naturam per totã cutem factus, malum aliquod hepatis primarium, B aut secundarium, necesse est indicet. Quia omnis actio læsa indicat vitium proprii instrumẽti: species coloris talis, speciem affectionis indicabit. Velut hydrops & regius morbus, qui in hoc morborum genere sunt præcipui, coloris vitiosi specie indicantur. nam vtrique habent minimè rubrum, neque benè candidum, neque omnino naturale, sed albidum intermortuum, & velut ex pallido, & albo. In hydropicis vero est albi multum, pallidi omnino exiguum, vt magis sit malus modus albi, quàm pal- C lor: in ictericis, est pallidi coloris multum, vt in quibusdam partibus crocei dissoluti color. Dicitur verò etiam hic color subalbidus, quia vacua rubore cutis candida est, & fit quidam color referens effusionem flaui per candidum, & hæc quidem habent icterici, & in omni hydropis specie laborantes. Addit Hippoc. & leucophlegmatici, quasi leucophlegmatia non sit hydrops: sed aliud hepatis malum, hydropi analogum loco affecto & causa: hydropis verò sint tantùm duæ species, ascytes & tympanites. D Gal. certè tres species esse ponit, leucophlegmatiam inter eas recensens. Hippo. videtur hanc ab aliis separare, velut certè, & vulgus hominum ex solo ventris tumore hydropem iudicat. Nihil refert modò intelligatur, omnes has passiones hepatis esse. Quibus color albidus est, vt leucophlegmaticis, & hydropicis, hepatis per se, aut per consensum, cum ventriculo, intestinis, aut pulmone (hæc. n. non mutant colorem ad aliam speciem) frigidam: quibus verò pallidus valde vt ictericis, calidam & siccam intemperiem sine obstructione nonnunquam cum solo vitio sanguinis, plerumque cum obstructione significat. Non sunt autem hæ affectiones semper simplices, sed componi possunt, cum inter se, tum etiam E cum aliis. Velut si quis morbo regio laborans hydropicus fit: huic color flauus, cum albico incipiet permisceri. Verùm bilis effusio plurimum huius complicationis cognitionem, quæ ex specie coloris haberi posset, interturbabit. Maxima distinctio continget ex tumore ventris, qui iam icterico superue- F niet. Nimirum ab ascyte est inseparabilis tumor aquosus ventris, & à tympanite flatuosus, quia in illa multa aqua, in hac multus aer, tenet id cauum, quod est inter intestina & peritonæum. Hinc fit ille tumor qui manui occurrit. Atqui vulgus hominum putat, eam materiam inter carnem abdominis, & cutem contineri. Nam ex hac vulgari opinione natum est nomen latinum, aqua intercus: & hispanum, *agua entre cuero y carne*. Hanc opinionem sequutus Hippocrates describens per propria symptomata hydropem, dicit, quibus quod est inter abdomen & cutem inflatum est. Non quod Hippoc. ignoraret ipsum etiam abdomen distentum esse, sed quòd istam G diligentiam modò sermo non desideraret. Itaque si morbus regius & icterus simul hominem tenent, co-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 60 sur 489

©BIUM

lor ad albidum aut pallidum inclinat, vt alter altero magis affligit. Euidens autem cognitio fit ex tumore ventris. Cum aliis etiam copulantur hi morbi: vt cum ex liene fit hydrops, aut morbus regius. Nam vterque morbus incipere potest ab ipso hepate primariò laborante, aut consentiente cum alio membro malè affecto: sæpissimè autem veniunt ex liene, quia refrigeratus lien refrigerat hepar, fitque hydrops, aut obstructio quæ lienem obsidebat, vsq; ad hepar producitur, fitque icterus, sed vteruis horum morborum ita factus sit, erit cum alio complicatus, qui dicitur icterus niger. Hic est, cum atrabilis diffusa per totum corpus, cutem tingit: fitque liene non satis purgante sanguinem ab atra bile, vt dictus antea icterus, vesica fellis non purgate satis à flaua. Vtrunque autem fieri potest, aut bile plurima genita, aut parte ad quam pertinet expurgatio debilitata, aut via obstructa. Si ergo ob debilitatem, aut obstructionem lienis portio melancholiæ, quæ cutem possit denigrare, diducitur, antequam hepar debilitetur aut obstruatur, fiet solus icterus niger, & color tantùm niger: si autem iam etiam debilitetur hepatis vis concoctrix, fient simul hic & hydrops, eritque color ex albido, & nigricante: si autem obstruatur qua parte expurgatur fel, fient ambo icteri, flauus & niger, & color etiam ita mixtus. Quod si hepar ambo patiatur simul, intemperiem dico & obstructionem, fient dicti tres morbi simul: duo icteri & hydrops, atque color quidam nascetur, qui hæc omnia mala ex parte referat. Verùm fieri non potest, vt lien debilitatem attulerit hepati, non debilitatus: aut obstructionem, non obstructus. Quare si hydrops aut icterus à liene cæperit, necesse sit melancholiam iam malè expurgari. Necesse ergo sit, eos qui à liene cæperint, nigriores esse, siue hydropes, siue icteros. Sed enarremus totam hanc orationem. Quibus (inquit) quod est inter abdomen & cutem inflatum est, idest, quibus regio ventris inferni tumida conspicitur, vt in hydropicis, & aliis omnibus, quibus tumores duri hypochondriorum sunt: & non subsidet, id est, & non citò subsidet, vt quibus ex lauta cœna, aut larga potione, aut satietate fructuum horariorum, aut olerum, aut etiam ex colico dolore, intumuit venter (nam ob tales occasiones solet tumere sine morbo hepatis) sed mox conquiescit, velut certè aliorum omnium morborum, ob manifestas quasdam causas, solent species apparere, sed duratione diiudicantur. Quia scilicet talia mox conquiescant) & color est qualis valde pallidus. Sed quia non is tantùm qui propriè dicitur valdè pallidus, quique in ictericis conspicitur, indicat malum hepatis, sed etiam albidus color hydropis, addit, ex albo pallescens, idest non solum qui propriè est valde pallidus, sed qui vtcumque ob vacuitatem roboris, & coloris viuidi, vocatur vulgo, nunc pallidus, nunc albidus: ab hepate totum quod tale est, procedit: idest, vtcumque homo colorem habeat album aut pallidum, aut velut ex his mixtum, & ventrem tumidum, quod fit per inflationes, aut tumores scirrhosos hypochondriorum, vel abundantiam aquæ, aut flatus inter intestina & peritoneum; in hepate esse malum significatur: & hepaticis etiam morbis laborant, idest, & hanc ob causam hepatici morbi dicuntur, quibus hæc adsunt symptomata, & ictterici, & aqua inter cutem laborantes, idest, tympanite aut ascyte, & leucophlegmatici, qui ab hepate sunt, ideſt, qui id per primariam passionem hepatis habent (aut saltem non ex liene) ad subcandidum inclinant, ideſt, colores habent citra rubrum, & expertes nigritiæ. Hydropes autem & icteri, qui à liene incipiunt, nigriores sunt.

Vlcera etiam in subalbidis & lenticulosis ægrè sanescunt, & cutis & labia diffinduntur, velut Antilocho & Aleuæ accidit: quod ab humoribus corporis salsuginosi exoritur, qui sub cute maximè colliguntur, & à capite decidunt, quum à pulmone calefit.

Aphorism. 8. sextæ particulæ dictum est: hydropicis vlcera facta in corpore ægrè sanantur. Hocidem dicit modò, causam præterea apponens. Dicit ergo, vlcera etiam in subalbidis & lenticulosis ægrè sanescunt, & cutis & labia diffinduntur. Ideſt, vlcera, quæ fiunt in corporibus exalbidis, simul cum maculis quibusdam lentibus similibus, cum & cutis multum finditur, & labia, qualia erant, quæ Antilochus & Aleuas passi sunt, ægrè sanescunt. Quæ quidem duabus affectionibus lethalibus, & in extremo iam constitutis hydropi & phthisi, accidere consueuerunt, in vtrisque quidem ob humorem salsum. Hic tamen colligitur in hydropicis subcute in toto corpore, idque est frequentissimum, & maximè fieri consuenit: fit autem etiam salsa pituita à capite fluente, cum à pulmone calefit, vt in phthisicis. Nimirum solet id malum incipere à catharro, & procedere vsque ad hæc vlcera insanabilia. Repletur caput pituitoso succo, qui fuliginum quæ de pulmone ascendunt, calore, fit salsus, & defluit, imprimis quidem in ipsum pulmonem rectà, deinde verò & per habitum corporis deriuatus. Imprimis ergo ob salsam qualitatem corrodit, exulceratque pulmonem, deinde cum plurimum in eo malo, processum est etiam cutem corporis, & ob hanc, quæ in corpus defluit, salsam humiditatem, & ob proprii cuique parti alimenti corruptionem. Quæ corruptio, cùm ob materiæ differentiam varia sit, varias etiam parit maculas lentibus similes. Quare autè hæc vlcera ægrè sanescunt, dicta est mihi causa in commentario aphorismi. Ea est eadem, quæ facit, pura salsa humiditas: cum vlceratæ partes non aliter possint curari, quàm siccatæ, & expurgatæ.

Occasiones considerandæ ex quibus laborare quis incepit siue ex capitis, siue auris, siue lateris dolore. In quibusdam autem dentes, & in quibusdam bubones signum exhibent.

Occasiones morborum dici solent causæ procatarcticæ, quæ occasionem ægrotandi præstitere quo significato haud dubiè verissima esset hæc sententia. Nam multùm refert considerare qua causa ægrotare cæperit homo, ob inediam an ob multum cibum, ob æstum an ob occursum antæ frigidę, ob vigiliam, an ob somnum nimium: ad cognitionem quidem per se, ad curationem verò ex accidenti. Quia à contrariis causis non potest omninò eodem modo esse affectum corpus. Vtcumque autem affectus diffe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 61 sur 489

©BIUM

rat, debet esse ratio curationis alia. Tamen hic aliud est quod occasionis nomine significatur. Nam ἀφορμὴ non fert hanc significationem, & illud ὁπόθεν ἤρξατο κάμνειν id est, vnde cæperint ægrotare, significat esse partem primam, seu primũ impetum à quo morbus cœperit, & multò magis id indicant exépla. Nam (inquit) siue ex capitis, siue auris, siue lateris dolore fuerit. In quibusdã autem dentes & in quibusdã bubones signũ exihbẽt. Ergo quod docet est, cõsiderare oportere, vt cæperit ægrotare corpus, & ex qua passione cæperit morbus, si febris cæperit ex dolore capitis, siue ex dolore auris, siue lateris, siue quacumque alia passione: Sed dices quid refert hæc considerare? videtur enim satis esse scire, quę passio sit nunc, etsi nescias quæ fuerit. Certè refert multum nosce quale fuerit initium passionis quam suscipimus curandam, & qui decursus, quotcunque mutationes fecerit malum: idque siue prioribus passionibus abeũtibus, posteriores acciderint, siue manentibus, accesserint. Si receesserint nosce oportet, quot, quæ & quo ordine fuerint; si maneant, quo ordine sint factæ. Velut si duo occurrant febricitantes, nunc quidem eodẽ modo. Alteri verò ex capitis, alteri ex renum dolore, facta sit febris: nosse quidem id distinctè oportet: atque sicui simul dolent, aut vtcumque affecta sunt, ventriculus & caput, nosse oportet, an capitis dolor prius afflixerit, & vẽtriculi deinceps subsecutus sit, an contra. Refert enim hęc consideratio, & ad agnosticam, & ad prognosticam, & ad curationem. Nam si dolor ventriculi antecessit, dolor capitis per consensum esse putabitur, & curatio incipiet à ventriculo: si dolor capitis antecessit, ea putabitur esse primaria affectio, & curabitur per se: atque si dolor capitis vehemens ante febrem, aut ea incipiente fuit, meritò timebitur raptus materiæ in eam partem, præcauebitur admoto oxyrhodino. Si doluerint renes, in illos etiam timebitur, & cauebitur decubitus. Quia si quæ pars ante morbũ doluit, in ea morbus firmatur. Sed quid est quod addit, signũ autem exhibent in quibusdã dentes, & in quibusdã bubones? Certè sunt exempla, quæ fortè fortuna tunc occurrebãt curanti, & in memoriã venerũt scribenti Hippoc. velut sicui cũ dolore dentiũ facta sit febris, timeri debet partibus superioribus, & ipsi dentes solent excidere iudicatorie, vt antè dictum est. Iam verò si cum bubone cæperit, non est exigui mométi nosse, quia febres ex bubone singularem malitiam habent, vt in aphorismo dictum est, & singularem curam exigunt.

A verò quibus sunt tales iudicationes familiares, sunt, vt in prognostico dicitur, febres quæ prorogantur salubriter affecto homine. Proinde ego soleo mox ac febris aliqua videtur produci, & ex crassis succis pendere, estque laboriosa, si quæ pars ignobils dolet aut doluit, in eum absessum vocare: sin nulla talis sit, omnes partes adenosas fouere calente oleo, aut etiam alia inunctione conuocante. Nam quibus cum iuxta naturam morbi deberent erumpere, hęc manent interius, vel non satis erumpentia, etsi in-
B cæperint, vt cum fiunt abscessus minores quàm vt prosint: vel ne tentantia quidem erumpere, celerrimæ, & certissimæ sunt recidiuę. Nam si abcessum succorum facere natura non potuit, multò minùs poterit euacuationem. Quæ verò relinquuntur in morbis recidiuas faciunt.

Vlcera & tubercula quæ erumpentia febres iudicare possunt, si non accidant, iudicationem tollunt. Si verò interiùs relinquantur, certissimas & celerrimas rediuiuas afferunt.

Dictum est nuper ab Hippocrate quæcũque iudicatoria signa fiunt, eadem hæc si non fiunt difficilis sunt iudicationis: ergo & vlcera sponte nata & tubercula, cùm decretoria esse solere multis morbis, dictum etiam nuper sit, si iis morbis, qui tales iudicationes amant, non fiant, difficilem iudicationẽ, aut impeditam iudicationem ostendunt. Morbi

Crudos & humidos secessus milium solidũ
C *in oleo coctum sistit. Exemplo est nautæ puer, & Myriochaume.*

Deiectiones madentes non bilioſæ, quales per diarrhœas fiunt sæpe, debilitata retentrice facultate intestinorum, vocat crudos & humidos secessus. Curatur hæc diarrhœa vsu siccantium, & adstringentium: cum retentrix humiditate & laxitate maximè debilitetur. Non rarò opus est medicamentis
D deuoratis & per sedem iniectis, & admotis: sepè autem sola mutatione victus ad sicciorem, & qui suapte natura difficilè descendat, curatur: vt caseo veteri, & duris eorum vitellis, & hepate asso, & aliis huiusmodi, in quibus etiam est milium integrũ oleo coctum, aut solo, aut cum iure aliquo, Milij quidẽ in hac Hispaniæ parte, rarus est in cibis vsus, tamen pro eo vtimur ad diarrhœam, oriza cocta iure carnium aut oleo. Prosunt etiam esculenta, quæ orizæ polline parantur, vt qui vulgò dicitur
E *maniar blanco*. Proderunt ergo etiam quę parabuntur ex milii farina, non tantùm ipsum solidũ milium: cuius in nautę puero, & in Myriochaune periculum Hippocrates fecerat.

F

SECTIO II.

Mulier laborabat cardialgia, quæ nihil remittebat. Hæc in mali punici succum polentam inspergens, & semel in die cibum sumere contenta, non reuomebat, veluti charioni accidit.

G Haud dubie hic, vt & alibi semper καρδιάλγειν significat habere dolorem oris ventriculi. Nam ratio curationis id indicat, & quòd velut quiddam notatu dignum Hippocrates narrauit, hanc non vomuisse. Accedit quòd magna coniectura est hũc Charionem, cuius hic mentio fit, esse illum Charionem, quintum ęgrotum primę partis tertii Epid. Aut hic aut illic corrupto nomine. Nam ille habuit capitis grauem dolorem, & turbatam aluũ-

©BIUM

ex tenuibus, & tremorem labii inferioris, notas facti confluxus in ventrem, & decima sexta vomuit biliosa multa. Itaque cum nomen ægroti occurrat vna literula mutata idem, & narratio, quod ad vomitionem attinet eadem vtrobique, videtur esse ille ægrotus. Chærion verò laborauit ore vẽtriculi, confluentibus in illud multis & acribus excremẽtis, quæ quidem mox pariunt cardialgiam, seu cardiogmon, id est dolorem, aut morsum oris ventriculi malum sane non leue: ob consensum magnum partium principium cum illo. Nam quibusdam affert lipothimiam, aut etiam syncopen, consẽtiente corde, quibusdam vertigines, suffusorum vitia, conuulsiuos motus, atque adeo epilepsias, consentiẽte cerebro. Quibus ab cruditatem acidam aut redundantiam flatus vel crudorum succorum, aut intemperiem frigidam, os ventriculi dolet, calorifica ratio curationis debetur: quibus verò ob cruditatem nidorosam, aut confluxum biliosorum excrementorum, aut omnino callidam intemperiem, adstringens & refrigeratoria, vt bilis feruor sedetur & laxatus vẽtriculus, adstrictione roboretur: vt ea quę adest bilis dolorem non faciat, & quæ nondum venit, fluere desinat. In quem vsum laudatur merito malum punicum, vtcũque eo vtaris, siue totis granis per se, aut cum pane manducatis, siue hausto succo solo, siue panis micis in eum intinctis, siue cũ succum cum aliquo idoneo cibo admistũ comedas, vt cum ptissana, aut cum amylo, aut cum polenta. Paratur polenta ex farina hordei. Ergo paratis pulticulis ex farina hordei, aut farre, cum succo mali punici, curari potest id malum, quia replebitur vẽtriculus attemperante, & astringinte cibo. Ego sane iam aliquot cardialgicos & picrocolos, iuui solum præcipiens, vt tota æstate vterentur pro vino, decocto totius mali punici, totius, inquã, cum cortice, & granis. Dicit igitur Hippo. mulierem Cardialgicam, quæ citra intermissionem vexabatur, curatam esse polenta, insperso succo mali punici, & μιγοσιτῃ, id est & semel in die cibum accipiens. Sed dubitet aliquis: si dolor ille ex frigore erat, quo pacto posset esse succus mali punici vtilis, si verò calidus, cur semel solum in die capiebat cibum? Nã qui ita affecti sunt nulla re magis læduntur, quam ieiunio, vsque adeo, vt nisi sũmo mane cibi aliquid capiant, ante consuetum prandii tempus linquãtur animo, aut saltem grauem morsum sentiant, atque nusquam melius habeant, quàm cum plenus cibis venter est, quibus bilis imbibatur, & astrictus ventriculus non recipiat. Certè ille affectus erat fluxio calidorum, vt & in Chærione, & qui ita affecti sũt, debẽt accipere cibos, neque exigua quantitate, neque tenues, quia tales vitiantur, & augent cacochymiam, si verò accipiuntur multi, & crassi, liberant à fluxione, & coquuntur: non tamen possent coqui multi & pluries accepti, à ventriculo præcipuè malè affecto. Proinde semel & copiosè pasci debent. Sed quia neque longum interuallum sine omni cibo possunt transigere, vti debent mane & vesperi cibis quibusdam leuibus, & medicamentosis, vt pollenta cum succo mali punici. Itaq; Hippocrates non vocat hic μιγοσιτῃ vicam degustationem cibi, sed vnicum prandium, vt consilium sit, semel bene prandere, & aliis horis aliquid medicamentosum, quod replere corpus non possit, degustare. Vt si consulas primo mane accipere micam panis, ex vino diluto per hyemem, ex succo mali punici in æstate: & cœnæ tempore polentam cum illo succo, aut assum pyrum. Illa igitur mulier ita curata est, semel quidem benè prandens, aliis horis medicamenti loco accipiens polentam cum succo mali punici, & liberata quidem est, non vt Chęriõ, sed sine vomitibus: quod quidem indicat intemperiem fuisse maiorem quàm pro materiæ multitudine.

Mutationes prosunt, nisi in peiora mutentur, velut accidit in vomitibus qui sumpto in febribus medicamento fiunt, & in meraciora desinunt, nam putrefactionem significant, vt dexippo contigit.

Vt in aphorismo 14. sectionis secundæ dicitur, in alui fluxionibus mutationes deiectionum iuuant nisi ad praua mutatio fiat: id cum in spontinis fluxionibus verum sit, tum multò magis in iis, quæ pharmaco accepto fiunt. Nam si quam significationem malam præstare potest deiectionum varietas, multorum & diuersorum excrementorũ, & multiplicis cacochymiæ, hanc minuit pharmacum. Nam ne prauæ quidem & variæ excretiones, quæ cum accepto pharmaco fiunt, adeo malę sunt, vt aphor. 21. quartæ particulæ dicitur, his verbis. Deiectiones nigræ, velut sanguis niger, sponte venientes, & cum febre. & sine febre, pessimæ sunt: & quantò plures fuerint peiores colores, tantò deterius: cum medicamento verò meliùs, & quantò plures fuerĩt colores, non malũ. Si ergo varietas in pessimis, quæ spõtè facta mala est, facta cum pharmaco est minus mala, varietas in minus malis, quæ vt causa prodest, & vt signum minus mala est, quàm vnica admodum syncera perseuerans, cum pharmaco proderit multò magis quã sine illo. Proinde addit Hippo. hoc loco, οἷον ἀπὸ φαρμάκων ἐμέσαι πυρετῶν ἕνεκα id est, velut in iis quibus ob febres pharmaca solemus propinare. Dicit verò vomentibus, quia vt ex aliis locis constat, erat illo seculo maximus vsus vomitionum expurgantium. Sed sit ita: iuuet mutatio deiectionum non prauarum. quia perpurgant corpus, sed vt signum, vtræ sunt deteriores, variæ, an simplices? Videntur enim deteriores esse variæ, quia multiplicium excrementorũ redundantiam significant: Certé non potest hoc siue distinctione dici, neutræ enim sunt simpliciter meliores. Sed deiectiones syncerę sunt, quædam quia non habent manifestã alterius generis permistionem, vt tantum biliosæ: quædam, quia à suo etiam sero sunt depuratæ, vt quæ dicuntur biliosæ syncerę, vt vitellinæ, & æruginosę. Variæ sunt, aut ex tantum malis, vt ex simpliciter crudis & biliosis aut ex pessimis, vt ex opima nigra & fœtida, & cruenta. Quę variæ & pessimę sunt, omnium sunt pessimæ, vt dicitur in prognostico, & apho. 21. quartæ: quæ variæ ex tantùm malis aut crudis, peiores sunt vnica syncera non omnino pura, quia multitudinem excrementorum significant: sed minus malę, quæ in vnica syncera secundo modo: quia talis admodum mala est, & vituperatur aphor. 7. septimæ, vbi dicitur Meracæ alui egestiones malæ. In quã etiam sententiam, causam simul reddens hic dicit,

ὧ ἐς ἀκρητέστερα πλευτὰι σῦψι σημαίνουσιν, οἷον Δεξίππῳ vt Dexippo. id eſt mutationes excrementorum finiri in vnam ſpeciem meracioris excrementi, graue eſt, quia ſignificat putrefactionem, id eſt magnam excrementorum corruptionem, & magnam vim, & firmitudinem cauſę corrumpentis. Nam in quacumque actione naturali, cum omnes materiæ partes in vnam ſpeciem trahuntur, magna effectricis cauſæ potentia ſignificatur. Nam cum ea eſt minor, diuerſa gignuntur ſecundum conditionem materię. Igitur vnicam talem deiectionem perſeuerare, deterius ſignum eſt, quam mutationes fieri, & non ita iuuat quia non tam fit natura corpus perpurgante, quã ob putrefactionem: id contigit Dexippo.

Serapis ex liquida aluo intumuit. Pruritus per neſcio quot dies durauerunt, ſed non vltrà, habebat autem & abſceſſum quendam in parte inani, qui quidem denigratus occidit.

Ex quacumque euacuatione profuſa ſolere hydropem fieri ab Hippocrate & Galeno dictum ſæpe eſt, & experimento notiſſimum. Nam nimis fluentibus menſtruis, vt in aphoriſ. dicitur, morbi fiunt (explicuimus verò in commentario hydropẽ inter alios) fluentibus etiam plus ſatis hæmorroidibus, ſuccedit hydrops. Quin & nimiis alui fluxionibus ſolere ſuccedere, dicitur aphor. 43. ſextæ, his verbis, Quicunque lienoſi à dyſenteria corripiuntur. Simile quiddam coniecto eſſe, quod mulieri, de qua præſens narratur hiſtoria, contigit, ei quod in hoc aphoriſ. fieri ſolere Hippo. dicit. Collegerat in hepate, aut liene aut alio quodam internorum viſcerum multa & mala excrementa, cęperatque per aluum deponere, & ob malignitatem exeuntium facta eſt effluxio nimia, vacuatis ſimul ſuccis vtilibus cum malignis, quo factum eſt, vt debilitato naturali calore hydrops ſucceſſerit: hydropẽ verò non ex aqua tantum, ſed malignis ſimul quæ per ventrem ibant, cum aqua diſtributis, tentauit natura per cutem pellere, factus eſt pruritus, qui durauit aliquot dies, & non potente natura eũ abſceſſum abſoluere: repentè, ita vt fit in malignis abſceſſibus, euanuit pruritus (id enim ſignificãt illa verba non vltra, quaſi diceret, non vltra productus eſt pruritus, ſed euanuit) & retrocedente materia in partem inanem collectus eſt magnus abſceſſus, qui ob mãgnitudinem cutem obſedit, & ſubiectas etiam partes tenuit: ob malignitatem verò ſucci, ex inflammatione facta eſt gangræna. Proprium enim inflammationis abeuntis in gangrænam inditium eſt, denigratio. Gangręna verò quę internas partes attingit, pernicioſa eſt.

Et ſtimargi vxor poſt ventris perturbationem paucorum dierum, cùm multum curaſſet ſiſtere, & abortum fœtus fœminæ quadrimeſtris, à corruptione ſana facta intumuit.

Hæc hiſtoria quadã ex parte ſimilis eſt proximæ, quia hæc etiam mulier à perturbatione ventris incepit laborare, & poſtea intumuit. Verum hæc euaſit, etſi magno cum periculo. Hæc mulier cũ vtero gereret (maximè cum filiam concepiſſet) meritò multa & praua excrementa collegerat primis menſibus, vnde factum eſt, vt proxima iam quarto mẽſi, alui profluuio corriperetur. Quod quidẽ magnum erat abortus periculum. Nam niſi ſiſteretur, irritatione, & mordicatione inteſtinorũ, partium vtero adeò vicinarum, aut ob euacuationem nimiam ſubtracto fœtus alimento factus fortaſſe eſſet abortus: atque hoc forte timore medicus aliquis ſiſtendum omni ratione curauit: & cum nondum eſſet purgatum corpus, hoc idem euenit. Cõuerſa ſunt enim excrementa ad vterum, & corruptione acetabulorum ſubſecutus eſt abortus quadrimeſtris. Quod verò quadrimeſtris fuerit, non minimum auget ſignificationem periculi. Nam recentiores & antiquiores fœtus facilius abortiũtur. Nihilominus ſanata eſt poſt partũ, & febre, & alui profluuio: & in extremo mali intumuit, reliquiis morbi abſcedentibus ad cutem, & hepate debilitato, ita vt fit in magnorum morborum inclinationibus, tamen per bonum victum, priſtinum habitum recuperauit, & perfectè ſanata fuit. Hic caſus nos admonet quantũ periculi eſſe ſoleat in ſiſtendo aluĩ profluuio. Quoniam verò non minus eſt periculum niſi ſiſtatur antequam nimius fiat, conſiderare cautè oportet in omni effluxione, quid agendum ſit, an ſiſtendum, an mouendum magis an permittendum vt fluat. Scopi verò in hac conſultatione ſunt, conferentia, tolerantia, & modus fluendi. Nam ſi cum conferentia, & tolerantia benè fluit, permittendum tantum: ſi cum illis, tamen lentè fluit, mouendum: ſi ſine illis, ſiſtendum eſt.

Moſco admodum calculoſo, in ſuperiorè palpebra hordeolum exortum eſt, verſus aurem magis, deinde exulceratum eſt intrò. Quinta & ſexta ab interiori parte pus effluxit, quod infernas affectiones ſoluit. Bubo iuxta aurem erat, & infrà in ceruice ſecundùm rectitudinem ſuperioris bubonis.

Calculoſi fiunt, quibus multi ſucci craſſi in lũbos incumbere ſolent. Multis autem ceſſat ea affectio in alias partes facto talium ſuccorum abſceſſu. Neque mirum eſt facto vno aliquo abſceſſu magno ſolui affectionem, quæ ſæpe ſolet redire, ita vt non redeat ampliùs. Nam frequentes in eandem partem reditus fiunt ob illius debilitatem, quæ plærunque conſeruatur reliquiis materiæ pertinaciter hęrentibus. Per magnos autem abſceſſus ſolent primarò affectæ partes illas etiam reliquias perpurgare & firmari in poſterum velut Moſco euenit, qui cum calculoſus valde eſſet, oborto aliquando hordeolo in palpebra ſuperiori ad angulum externum, qui ſpectat aurem, & rupto intro, effluenteq; pure ex interna parte oculi, vt ex oculo prodire videretur, quinta & ſexta die ab orto hordeolo, ſimulque ortis duobus bubonibus in ceruice, altero iuxta aurẽ, altero inferiùs é regione prioris, ſoluta eſt affectio calculoſa, & iam inde melius habuit. Sed miretur aliquis ſolutum eſſe morbum renum, facto ad oculum abſceſſu, cùm hæ partes nullam rectitudinem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 64 sur 489

habere videantur: deinde ad tantum morbum solvendum, hordeolum, exiguum adeò tuberculum momentum aliquod habuisse. Verum oportet nosce, plerunque fieri abscessus secundum rectitudiné & eos meliores esse quàm contrarios: nonnunqnã autem fieri in alias partes quibusdam occasionibus non inutiles. Nam Hippo. ipse 6. Epid. parte 3. dicit, Alterius loci morbos loca excipientia, aut ob grauitatem, aut ob aliud quiddam liberant, aut quòd aliis sunt communicationes. Hęc illo loco. Fortasse ergo Mosco occasione aliqua alia doluerũt partes circa caput, aut debilitatę sunt, vt hanc ob causam lumborum fluxionem exceperint, etsi id rectitudo partium non admodum fecerit. Est etiam verisimile Mosco fluxionem in lumbos à capite venisse, vt plerisque venit, atque ita oculo, & cruci, etsi cum parte recipiente nulla esset, cum transmittente fuisse magnã rectitudinẽ & viciniam. Neque etsi abscessus adeò exiguus fuerit, subsecutam sanitatem adeò mireris. Non enim fuit hordeolum solum: sed cum hoc duo bubones insignis magnitudinis. Hippocrates verò noluit omittere quippiam eorum quę acciderunt. Accidit nonnunquam abscessus exiguos, assiduitate expurgandi, & duratione liberare solere à magnis morbis, vt vel vnica pustula multum tempus non sanescens, sed sordes quasdam continenter demittens, liberet nonnunquam ab epilepsia: aut morbo alio magno.

Frater vxoris Aristei fatigatus itinere incaluit. Deinde in tibia terminthi exorti sunt. Postea febris continua accidit, & postridiè sudor, qui aliis diebus paribus semper recurrit. Adhuc autem febris detinebat. Erat autem sublienosus. Fluebat sanguis ex sinistra nare, sæpè & paulatĩ. Iudicatus est. Postridie iuxta aurem sinistram tumor apparuit, sequenti die etiam iuxta dextram, qui tamen minor erat, & incalescebat: hi euanuerunt nec suppurarunt.

Hic haud dubiè cepit iter agere plenus succis melancholicis: oportuit autem redundantiam illam deponi antequã exerceretur, nedũ laboraret. Nam vt Gal. docet in aphorism. 20. tertię particulę, si homo vel pituita, vel flaua bile, vel atra, vel ipso etiam sanguine plenus ad exercitationem perducatur, in multa atque adeo grauissima mala perducetur: nam apoplexia, aut epilepsia fiet, aut rupto vase in pulmone, morbus insanabilis & multi cum febricitare cæpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuere correpti, & quibusdam aliis, exercitatione propellente excrementa ad cutem, vlcera oborta sunt. Nimirum Hippo dicit, si impurgatus exercearis, vlcera fient. Merito ergo hic cum cacochymus iter ageret, incalescebat, id est, calore quodam febrili tentabatur, qualis per neutras dispositiones fieri solet, incipiẽtibus malis succis putrescere ob calorem ex labore. Et in cruribus facti sunt terminthi, id est (vt Gal. interpretatur 6. Epid. parte 3. com. 37.) tumores quidam nigri cũ pustulis figuram fructus terebenthi habentes, Habent enim ortum ex melancholico succo. Cum vero hiabcessus minor esset, quàm pro multitudine excrementorum, quæ cæperant alterari, subsecuta est ontinua febris, cui vtpote repleto multis succis successit sudor postridie, & aliis sequentibus diebusparibus: qui sudores, vt apho. 36. par 4. dicitu, significant dolorem, & longitudinem morbi, & recidiuam. Addit autem Hipp. factos esse illos sudores non quidem quibusdam diebus paribus, quibusdam non, sed sequentibus diebus paribus semper. Nimirum, & aphor, 42. eiusdem particulæ dicitur, sudor semper fluens significat morbum. Sed quorsum cùm dixisset febris continua fiebat, dixit deinde, adhuc autem febris detinebat? Certè vtmagis explicet hos sudores symptomaticos fuisse & multitudinis sobolem. Nam dixit aphor. 56. dictæ particulæ. Febricitanti sudor eueniens febre non remittente, malum. Moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat. Merito ergo huic euacuationes multæ & variæ, non tamen copiosæ, & affatim liberantes, sed sæpè tentatæ, & imperfectæ euenerunt. Factus est lienosus, quod maximè declarat dictam succi speciem. Fluxit sanguis sæpè, & paulatim ex sinistra nare. Quæ euacuatio etsi symtomatica, atque vt signum mala fuit, tamen quia secundum rectitudinem facta profuit liberauitque, non perfectè & tutò, quod fecisset bonaiudicatio, sed cum abscessibus. Oborti enim sunt tumores post aures: post sinistram quidẽ maior, ob dictam rectitudinem cum liene, & quia id latus succis melãcholicis magis obsidetur: sed quia tota etiam corpore abundabant, alius, etsi minor post dextram, & obortis his tumoribus incalescebathomo, id est tentabatur rursum febrili calore, reliquis succorum putrescentibus: tamen cum tam multæ antecessissent euacuationes, factum est, vt euanescerent resolutisine suppuratione.

Qui ab Alcibiade venerat, ex febribus nodicis ante iudicationem tumidum habuit sinistrum testiculum. Habebat autem splenem magnum. Et certè tunc iudicata fuit febris vigesimo die, & deinde subincalescebat aliquando, & spuebat subfloridum.

Hæc quoque narratio indicat ex crassis melancholicis succis factam esse febrem huic. Namque morbus recidiuas, & abcessus multos habuit, & quod febris adhuc intra fines acutorum fuit modica, indicat succos non fuisse bilioſos & acres: quod in lienem & partes sinistras incubuit, indicat fuisse melãcholicos. Ergo primũ correptus est febre continua & modica, procedente febre intumuit, primũ lien ob naturam succi, mox testiculus sinister ob rectitudinem cum liene. Iudicata est febris vigesimo die, vltimo scilicet fine acutorum: sed non tutò: non enim cum manifesta aliqua euacuatione. Abcessus ergo à principibus partibus potuit facere febris interruptionem, perfectam solutionem sine euacuatione non potuit. Aliquando ergo subincalescebat, & succedit tussis, & excreatio subfloridi id est semialbi & rubri, quia vt dictum est proxima sectione, tussis à tumore testis, & tumor testis à tussi fit, ob cõmunionem genitaliũ cũ spiritualibus instrumentis.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 65 sur 489

©BIUM

Cuidam manus dextra, & crus ſiniſtum, ex tuſsiculari affectu, quum exſpuiſſet paxum & nihil mentione dignum, reſoluta ſunt praplectico modo, aliis autem partibus nullo modo immutata eſt, neque facie neque mente, ne illis quidem valide. In melius cæpit progedi circa vigeſimum diem. Quod ferè factum eſt circa menſtruorum eruptionem, quæ fortaſſe tunc primùm apparuerunt. Virgo enm erat.

Multis atque adeò grauiſſimis morbis corripiſtur virgines tempore pubertatis, niſi maturè prodeant menſtruæ euacuationes: à quibus, cum erũpunt, liberantur: vt Hipp. docet libello de morbis virginum. Nam confluens ſanguis de toto corpore verſus vterum, ſi liberum exitum non inuenit, redundat in partes alias, & nihil mali eſt, quod non poſſit facere. Nam ſeprum tranſuerſum premens, retracto vtero, præfocationem: in caput irruens, inſaniam, epilepſias, catochos, aut etiam apoplexias: occupans thoracem, facit tuſſiculares affectus: irruens in cor, palpitationes, & tremores cordis, ac nonnunquam ſyncopas: occupans aliquandò vnam aliarum partium, qua neruos excipit, facit tupores & immobilitatem, & ita reſolutiones. Vdut huic virgini euenit, volentibus iam menſtruis euacuationibus erumpere, neque id facilè facientibus ob naturalem vaſorum anguſtiam, aut ſanguinis craſſitiem, aut expultricis facultatis debilitatem, tuſſi primùm & difficili reſpiratione laborauit (nimirum eſt conſenſus facilis genitalium cum ſpiritalibus) deinde cum nihil mentione dignum ſpuiſſet, reſoluta ſunt manus dextra, & crus ſiniſtrum, irruente copia in ceruicis dextram partem, qua committitur cum thorace, & in brachium, & in lumborum imam partem, & ſiniſtram, & in femur: non occupauit autem cerebrum, neque partes ſuperiores ceruicis. Quare neque facies, neque mens alterata eſt, vt in aliis ex ſimili cauſa fieri ſolet. Neque illis partibus fortis paſſio facta eſt. Non enim erat reſolutio vera, vt quæ pituita occupante neruos fieri ſolet, ſed ſtupor magnus compreſſis multitudine neruis. Quod exitus indicauit. Nam fluentibus menſtruis vigeſimo die cæpit melius habere. Hippocrates dicit, fortaſſe tunc primùm eruperũt. Suſpicatur id, non ſciuit certò. Tamen non multum referebat ſcire. Nam eadem mala fieri poſſunt menſtruis ſuppreſſis quæ non erumpentibus ſuo tempore.

Apamantus & fabri illius pater qui caput fregit, & Nicoſtratus, nihil extuſsiebant. Doloribus autem ſecundùm renes alioqui torquebantur. Interrogati reſponderunt ſe ſemper repleri potu aut cibo.

Quod dicit, pater eius qui caput fregit, nihil aliud eſt, quàm quædam nota ad facilem memoriam cõparata. Hi tres ægroti laborabant tuſſi, alioqui non narraſſet non extuſſiſſe. Laborabant præterea dolore circa renes, in lumbis ſcilicet. Difficilis erat ſcitu cauſa. Proinde interrogationibus opus fuit. Maximum autem momentum habet ad præſentem corporis ſtatum agnoſcendum, de vita ante acta interrogare. Interrogati reſponderunt, ſe ſemper repleri potu, aut cibo. Quid ergo ex his coniectes? Certè illos ob voracitatem collegiſſe multam crudæ humiditatis copiam, hinc excitatas fluxiones de capite, vt fit, decubuiſſe in thoracem: aut in thorace ipſo primùm congeſtam copiam, ob cruditatem verò nihil notatu dignum excreatum, ſed deſcendiſſe fluxionem in lumbos: vbi ob frigiditatem, & capacitatem partis multùm hærens, & crudior manens, poterat diu vexare, ac fortaſſe facere hydropem, aut impengens in vrinæ vias, aut in veſicæ collum, ſuppreſsionem vrinæ facere, aut abſcedens in inteſtina, diarrhæa ſolui: aut abſcedens in vterum, profluuium muliebre facere. Opus ergo erat ſicco & tenui victu, pituitæ expurgatione, & clyſteribus.

Dolores vehementiſsimos conſpicatus aliquis quonam modo dignoſcat: terror, tolerandi facilitas, oblationes, & ignauiæ indicant.

Docet notas quibus cognoſcere poſſis, an dolor ſit vehementiſsimus. Sed fortaſſe dices, non fuiſſe his notis opus, ſi quidem dolor ipſe per ſeſe proditur, cùm ſit ipſe triſtis ſenſus. Tamen quia dolor ægroto quidem manifeſtus eſt, medico verò non niſi ex narratione ægroti, aut notis his: ægroti verò non omnes eadem dicunt, aut conquerũtur eodem modo dolentes: ſed quidam ne tantillum dolorem ſine vociferatione ferre poteſt, quidam maximos dolores ſilentio tranſigit. fit vt non ex querela modo poſsit medicus agnoſcere quãtus ſit dolor, ſed opus ſit notis. Accedit, dolorem non ſolùm dici vehemẽtem, quòd magnus ſit, ſed quòd plurimum debilitet: quæ duo non neceſſario æquè fiunt, ſed contingit ob morem morbi, dolorem videri minorem, noxæ verò afferre plus. Vehemens ergo dolor nunc dicitur, qui plurimum lædit. Quantum autem lædat, duo ſigna præcipuè indicant, alterum capitur à terrore, aut tolerantia: alterum ab oblationibus, aut ignauia. Tolerantia ſignificat virium conſtantiam, & tolerantiam doloris, ideſt, benè ferre dolorem, ſine facultatis lapſu, quod ex pulſu præcipuè, deinde ex animalibus actionibus agnoſcitur. Oblationes dicuntur Hippo. cibi qui offeruntur. Hic verò per oblationes dicitur ſe benè habere ad oblationes, hoc eſt, cibos libenter accipere. Ponitur verò terror, vt contrarium tolerantiæ, & ignauia oblationi. Ergo terror ſignificat diſphoriam, ideſt, difficilem tolerantiam doloris, & ignauia, tædium accipiendi cibos. Cauſa verò qua terror ponitur pro diſphoria, quia cum dolor grauis eſt, & virtutem debilitat, ſimilem paſsionem affert ei quam magnus terror. Nimirum qui grauiſsimo dolore cruciatur, pulſum habet contractum, & extremorum frigus, & quarumdam partium tremores, & ciborum inappetentiam, vt qui terrentur. Qui hæc non patiuntur, non admodum graues habent dolores. Graues ergo indicat mala tolerantia, & faſtidium: non graues, benè ferre

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 66 sur 489

ferre dolorem, & bene habere ad oblationes.

Aqua quæ celeriter caleſcit, & celeriter frigeſcit, ſemper leuior eſt.

Hæc ſententia ſine vllo ordine interiecta eſt, vt aliæ multæ huius libri. Explicata mihi eſt antea in aphoriſmis, ſed nunc quoque aliquid in eius enarrationem dicetur. Non ſanè ſcripta eſt, vt doceamur agnoſcere, quæ aqua leuior ſit (nam quid refert?) ſed quæ melior. Quia quæ leuior melior eſt, niſi aliqua corruptio, aut aliena qualitas illi accedat. Nam monſtratum mihi eſt in phiſicis, totam leuitatis cauſam eſſe in tenuitate. Igitur aqua quæcunque, quantò leuior, tantò tenuior: porrò quantò tenuior, tantò facilius alteratur, & in calidum, & in frigidum. Nam in rebus omnibus, quorum eſt eadem natura, euenit, vt quanto tenioris ſubſtantiæ ſunt, tanto facilius recipiant vtramque paſſionem. Nota ergo ſubſtantiæ leuioris eſt in aquæ generibus, facilior commutatio: atque facilior commutatio, & leuitas, ſubſtantiæ tenuioris. Aqua verò quantò tenuior eſt, tanto eſt melius alimenti vehiculum, quia tantò minus moratur in hypochondriis, ſed diſtribuitur, deducitque ſecum cibos ſolidiores.

An cibi & potus æquales faciant moras, experientia opus eſt.

Tota ea medicinæ pars, quæ ad ciborum & potuum ſcientiam ſpectat, eſt Empyrica, nam cibum aliquem eſſe multùm, aut parùm, citò, aut tardiùs nutrientem, citæ aut tardæ excretionis, excrementoſum, aut excrementis vacans, boni aut mali ſuccì, nulla exacta ratio eſt agnoſcendi præter experimentum. Non tamen proinde dicit Hippocrates nunc, cibi & potus experientia indigent, Nam nihil horum eſt, ad æqualitatem manere. Sed id dicit, propter ciborum vſus, & quantitatem. Nam æquale, & inæquale de quanto dicitur, & dicitur ad aliquid aliud. Significat ergo Hippocrates opus eſſe experimento ad cognoſcendum an cibi & potus ad æqualem menſuram maneant cum aliquo alio. Sed quid ilud eſt. Ratio vtendi cibis eſt, noſſe, quantus & qualis & quo tempore & ordine dandus ſit, id verè ſcire poſſumus, ſecundùm rationem communem, aut ſingularem: ſecundum communem, ratiocinatione poſſumus diſcere: velut biliоſis dandum plus & ſolidius, pituitoſis minus & tenuius: dandum cibum poſteriorem ubi prior deſcenderit: dandum tenuem ante craſſum: tamen ſecundùm rationem ſingularem, non poſſumus ſine experimento propriæ naturæ eius cui cibus inſtituitur. Immo verò niſi præſentes, & periculum facientes, & quædam addendo, quædam detrahendo. Nam victus non inſtituitur homini, ſed huic homini. Singularium verò non eſt ſcientia. Dicit ergo Hippo. opus eſſe experimẽto ad præſcribendũ cibum & potum, ita vt ad æqualitatem maneant cum eo, quod corpus & diſpoſitio petit, id eſt, vt exactè tantum detur, quanto opus eſt. Hanc eſſe legitimam enarrationem loci, conſtat ex eodem Hippocrate lib. 1. de diæta, vbiita dicit. Si quidem enim ſupra hæc inuenta fuerit ciborum menſura, & laborum ad vuamquamque naturam numerus, ita vt exceſſus, neque ſupra, neque infra modum fiat, inuenta ſane exactè fuerit hominibus ſanitas. Nunc verò prædicta quidem omnia inuenta ſunt, qualia ſunt, hoc verò inuenire impoſſibile eſt. Si quidem igitur præſens quis ſit, & inſpiciat, cognouerit quidem hominem exeuntem, & in gymnaſiis exercitantem, vt cuſtodire ſanum poſſit, alia detrahendo, alia apponendo. Verùm non præſenti, impoſſibile eſt cibos ac labores exactè præſcribere.

Dicendum quod ſanguine fluente expalleſcunt, & quæcunque alia huiuſmodi dicere debent.

Si fieri poſſet, vt medicus ſingulorum hominum naturas noſſet exactè, id eſſet optimum, atque vtiliſſimum. Sed non poteſt. Debet proinde conari, vt quantum poſſit, agnoſcat eius naturam cuius curationem ſuſcipit. Et multa quidem, ex iis quæ de temperamentorum notis tradita ſunt à medicis, cognoſcet, non tamen omnia. Proinde interrogare debet multa, & ipſe ægrotus debet dicere, quæcumque per experientiam proprii corporis obſeruauerit: vt, quibus ſoleat iuuari, quibus lædi: qualibus affectionibus, qualibus ſymptomatis corripi facilè ſoleat. Nihil horum debet ægrotus omittere, neque medicus negligere, ſed hic interroget multa, ille reſpondeat libenter, quæcumque circa ſeipſum obſeruatione cognouerit. Velut ſi ſolet fluente ſanguine linqui animo, aut expalleſcere, dicere debet: & quæcunque alia huiuſmodi. Nam quibus id accidit minus mitti ſanguis debet, quia parum iuuantur, vt Hippocrates ipſe 6. Epidem. parte 6. dicit, his verbis: Quibus ſanguis multus fluxit ex naribus, qui quidem decolores mero modo ſunt, parum prodeſt, quibus verò colores rubicundi, non ſimiliter. Non ergo parum refert hoc medico nare rare, vt cautius ſanguinem mittat.

Sexaginta dierum fœtus maſculi corruptio in detentionibus partus ſalubris.

Nomen ἀποθαρμα, quo hic vtitur, non ſignificat abortum ſponte factum, is enim dicitur ἔκτρωσις, ſed corruptionem fœtus factam medicamento venenato. Quare præceptum hoc ad veneficos ſpectat. Medicis enim, neque vitæ, neque honoris cuiuſquam gratia, licet id tentare. Quanquam antiquiſſimis illis ſeculis, quibus lex naturæ minus culta erat, corrumpentibus medicamentis vtebantur. Ac proinde occaſiones quibus illis vti quis tutò poterat, obſeruabant. Sed cur Hippocrates, qui iureiurando ſe aſtrinxerat, diſcipuloſque ſuos aſtringi cogebat, nihil ſe tale propinaturos, docet nunc occaſionem idoneam ad propinandum? An aliquando iuramenti oblitus, ille quoque

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 67 sur 489

propinabat? Si quidem puellæ psaltriæ abortum A
saltu molitus est? An solum erat piaculum pharmaco corrúpere, non etiam saltu? An vt alii qui corrúpentia dabant, cum minori periculo darent, hæc docet? An ex hac venefica obseruatione, aliquid etiam quod nobis vtile sit nascitur? Nimirum si corruptio masculi, quæ exactis sexaginta diebus agitur, salubris est, idest sine matris periculo agitur, & abortus masculi post sexaginta dies sponte factus, sit salubris: fœminæ verò eodem tempore: aut masculi, minori, sit insalubris. Sed qua causa masculi abortus, siue sponte, siue pharmaco factus, sexaginta diebus est salutaris? Masculi certè semper, & partus & abortus est salubrior, quàm fœminæ, ob dictam sæpe causam. Maximè autem qui sexaginta diebus. Nam vt ipsemet Hippocrates dicit, libello de natura pueri, masculus triginta diebus formationem accipit, fœmina multò pluribus. Atqui vt ibidem Hippocrates autor est, tempus expurgationis respondet tempori formationis, & in Leuitico præcepit Deus, eas quæ masculos peperissent, non adire templum C
ante triginta dies, quasi id esset longissimum tempus expurgationis in illis. Itaque mares triginta diebus formantur, fœminæ non tam cito. Docet præterea Hippocrates libello de alimento, duplum tempus insumi in sensus & motus accessionem, atque informationem. Itaque masculum si triginta diebus formatur, sexaginta moueri, & sentire, fœminam multò tardiùs. Ergo masculus veneni vim, aut quamcumque causam abortus sentiens, poterit sexaginta diebus iuuare exitum proprio motu, antè verò id D
tempus non poterit, neque fœmina eo tempore. Iam verò si causa superior spectetur, sexagesimus dies non est infelix. Nam motus Solis habet aspectum sextilem lustrata sexta parte Zodiaci. Si menses lunares numerentur, incidit in tertium mensem, qui fœlicior est mensibus paribus. His omnibus accedit Hippocratis auctoritas & experimentum.

Hercules intumuit mali die octaua.

Quid euenerit Herculi non narrat, illud vnum narat, abscessum esse illi factum octaua die, die non iudicatoria. Quid tum postea? hac causa non fuit bonus abscessus. Mirum ergo si morbum priorem soluit, aut si non est passus recidiuam.

Dysenteria tentatur magis, qui & tenesmo.

Tenesmus est in extremo recti intestini, quod dysenteria in intestinis. Merito ergo qui est τενεσμώδης, idest, tenesmo tentatur crebrò, est etiam G
δυσεντεριώδης, idest, paratus ad dysenterias. Nimirum affectiones, & causæ, & loci malè affecti sunt similes.

Lactans quædam papulas per totum corpus habebat. Cum autem cessauit lactare, subsederunt æstate.

Lactantibus rarò fluunt menstrua vsque dum cessant lactare, aut ad certum vsque tempus: quia ob naturalem necessitatem feruntur in mammas, quæ in vterum abire consueuerant, & redundantia sanguinis, in lac insumitur. Necesse est ergo lactantes, nisi alioqui sint valde euchymæ, repleri malo succo. Quia etsi menstruæ euacuationes cessant, quia lactant, non tamen eadem est materia earum & lactis. Nam menstrua fiunt ex pessimo sanguine, lac ex bono. Expulsione enim fiunt illa, hoc tractione, & B
commutatione. Expultrix verò facultas fertur in prauum, tractrix in bonum. Ergo insumitur in lac bonus sanguis, & retinetur malus in lactantibus. Quare non mirum, si lactans illa habebat per totum papulas referentes cacochymiam, & cessans lactare, profluentibus menstruis euacuationibus, subsederunt. Æstate narrat solutas papulas, merito id quoque factum est, quia id tempus est accomodatissimum ad omnes decretorias euacuationes. Hic continget aliquem dubitare, si suppressio menstruorum etiam in lactãtibus est causa cacochymiæ, cur quærantur nutrices quibus non profluant. Videtur enim esse satius, vt singulis mensibus purgentur, quàm vt impurus sit sanguis. Tamen res non ita habet. Non inquam quærendæ sunt, quibus profluant. Quia cum non possit fieri expulsio excrementorum, quam non antecedat excretio, necesse est singulis mensibus, tempore excretionis (quam, doloribus totius corporis, qui antecedunt agnoscimus) totum sanguinem perturbari, atque adeo perturbato vitiari lac. Satius ergo sit, bene temperatam nutricem eligere, & bonos succos ei idoneo victu procurare, quàm cum illius conturbatione crebra, sanguinis expurgationem à menstrua euacuatione expectare. Accedit, quod naturæ opera ordinem habent, cum ergo menstruus sãguis sit generationis principium, cum is apparet, ad aliam iam prolem natura conuertitur, quare ad priorem E
inepta esse incipit: quare & puerum oportet transferre ad aliam nutricem. Quod si non est copia nutricum, sed vna adest menstruam habens euacuationem singulis mensibus, dum profluit, vitet, quoad fieri possit, lactationem. Magis autem vitet vnum, aut duos dies antequam erumpat (quod tempus secretionis est) quam cum iam fluit.

F

Coriarij, qui coriacea faciebat, (vxori) cum peperisset, & soluta esset perfectè, visum est secundinæ aliquid membranosum remanere. Quod quarto die malè erupit. Nam stranguriosa facta est: paulò post concipiens peperit marem. Multos autem annos iam habebat. Demumque menses non fluebant, cùm autem peperisset, intermisit stranguria paulatim.

Quomodo potuerit hæc mulier solui, idest, liberari perfectè à partu, manente interius parte membranosa secundinæ? Certè nullatenus. Sed perinde intelligendum est, ac si diceret, cum vi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 68 sur 489

deretur ſoluta eſſe perfectè, deinde viſum eſt ſecundinæ aliquid membranoſum remanere : erupit quarto die à partu malè, ideſt, magno cum labore, & difficultate : quia fiebat ſtrangurioſa, ideſt, cæperat iam antea ei ſtranguria fieri quod non minimum auxit difficultatem expurgationis vteri, & excretionis ſecundinarum iam putreſcentium, ob viciniam colli vteri, & veſicæ. Omnibus ſane iam iam partui proximis fit paſſio quædam ſtrangurix ſimilis. Vltimis menſibus antequam dolores multum fiant, ob compreſſionem veſicæ quam diſtentus vterus, facit, deinde & ob hanc, & ob natutalem nixum vteri deorſum, per compaſſionem, veſicæ collum irritatur. Plærique nulla paſſio propria in ea parte ſit, quibuſdam autem fit, & poſt partum etiam manet, vt aliis etiam hæmorroydes. Huic ergo fortaſſe, ob hanc occaſionem fiebat, fortaſſe etiam multo ante fieri ceperat, aucta tamen tunc eſt, & purgationis difficultatem auxit. Hic mirantur quidam, quòd conceperit tam multos annos nata, vt iam ceſſaſſent menſtruæ euacuationes, idque miraculum eſſe putant. Ego verò non intelligo menſtrua huic ceſſaſſe antequam conciperet, ſed poſt hunc vltimum partum nunquam amplius effluxiſſe. Mirum quidem quod ea ætate marem peperetit, non tamen adeo vt fide carere debeat. Quod ſtranguria intermiſſerit modicum à partu, copioſa expurgatio fecit : nimirum excrementa diuerterunt à veſica ad vterum, & hæc liberata eſt, vſque dum collectis rurſum excrementis, morbus rediit.

Cuidam coxa dolebat antequam conciperet, poſtquam autem concepit non amplius doluit. Vigeſima autem die à partu rurſum doluit, peperit igitur maſculum.

Huic haud dubiè vteri os erat contortum in coxam per morbum vterinum. Nam idem Hippoc. lib. de ſuperfœtatione ita reliquit ſcriptum : Si cui dolores in coxendice, aut in capite, aut in manibus, aut aliqua alia corporis parte fuerint, cum verò prægnans eſt, deſinunt, conceptu autem ab vtero exoluto, rurſum inſunt, odorata, & bibere, & ad vteri os apponere, conducit. Porro lib. 1. de morbis muliebribus dicit, Quibus verò os diſtortum eſt, & ad coxam allapſum : fiunt enim etiam talia prohibentia, ne vterus ſemen ſuſcipiat : Quum igitur tale quid acciderit, odoratis fomentis fouere oportet : Poſt fomentum autem per digitum auulſum à coxa detrahito. Hæc Hippo. quibus conſtat illum dolorem coxæ, morbum vteri fuiſſe. Nam illi morbo congruit curatio, quæ odoratis ſuffitibus agitur. Prohibebat verò ille morbus conceptum, ſed vſu venereorum curatur, & conceptione, & tempore prægnationis liberæ ſunt mulieres ab eo malo, quia inſumitur materia, quæ os diſtorquebat, in fœtum : maximè cum maſculus conceptus eſt : quia quæ fœminam concipit, excremento fior eſt, & frigidior, & plus ei excremenri redundat, & inſumitur minus. Huic ergo conceptione ſolutus eſt morbus vterinus, & toto tempore prægnationis, & viginti dies à partu, qui ferè in expurgationem vteri inſumi ſolent, vt lib. de ſuperfœtatione ſcripſit, duranit ſanitas. Poſt id tempus, rurſum doluit. Sed quando ita ei contigit, merito peperit maſculum. Quod inſinuans, dicit : peperit igitur maſculum.

Prægnanti tertio aut quarto menſe eruperunt exanthemata, ad quæ manna thuris vtimur, in inferiori parte tibiæ dextræ, & in manu dextra iuxta magnum digitum. Neſcio an peperit, reliqui enim eam ſemeſtrem : habitabat autem, vt ego exiſtimo, in archelai ædibus ad rupem.

Vtero gerentes colligunt cacochymiam, quia non expurgantur ſingulis menſibus, & non inſumitur in fœtum tam prauus ſanguis, qui non expurgatur. Proinde primis tribus menſibus ſolent illis fieri Picæ, nauſeæ, faſtidia, & vomitiones : deinde pani, & aliæ multæ maculæ, & exanthemata. Velut huic facta ſunt exanthemata, qualia curari ſolent inſperſo puluere manna thuris, aut ceruſſæ. Sunt maculæ quædam rubentes cum excoriatione. Facta quidem ſunt ob cacochymiam ; in illis autem partibus, quia ſunt emunctoria propria hepatis, velut ſiniſtra manus, & pes ſiniſter, lienis. Indicauerunt ergo illa exanthemata malè affici hepar, & conſentaneum quidem eſt, vitium ſanguinis, hepar primùm perſentire, quia eſt officina propria illius. Hac ipſa cauſa ego cenſeo ſectionem venæ factam in manu dextra inter digitum medium & annularem, aut hunc & minimum (eodem ſcilicet loco, quo hæc habuit exanthemata) vtilem eſſe in iecoris affectionibus.

Antigenis vxor, quæ iuxta Nicomachum habitabat peperit filium, carnoſum quidem, habentem autem præcipuas partes diſcretas ; magnitudine circiter quatuor digitorum & ſine oſſibus, poſtremò etiam craſſus erat & rotundus. Ipſa autem ante partum erat aſthmatica, deinde ſimul cum partu pus euomuit modicum, quale ex furunculo.

Huic mulieri cum concepiſſet monſtrum, accidit etiam difficilis reſpiratio, fiente in carnoſa parte fundi ventriculi, aut in aliquo viſcere eorum quæ iuxta ventriculum ſunt, ſuppuratione. Id quod exitus indicauit. Nam ſimul cum partu pus euomuit modicum. Monſtroſum partum fuiſſe ſatis indicat deſcriptio. Dicit enim periſſe filium, carnoſum quidem, ideſt vt fruſtum quoddam carneum, craſſum, & rotundum, ſine oſſibus, habentem tamen in magnitudine quatuor digitorum diſcretas maximas partes, vt caput, brachia, & crura. Monſtri verò generationem nullus non tribuit debilitati formatricis, aut defectui, aut corruptioni, aut redundantiæ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 69 sur 489

materiæ. Nam monſtrum fit, aut deficiente parte naturali, vt ſi naſcatur ſine brachiis: aut redundante, vt ſi duplicia habeat: aut partibus naturalibus malè poſitis, vt ſi caput naſcatur ex medio pectore: aut habentibus figuras alienas, vt caninas, aut equinas. Defectus partis, defectu materiæ, aut debilitate formatricis in parte fiet: defectū verò illū, qui ſemen de toto corpore decidere putant, dicent eſſe defectum partis ſeminis ex parte tali decidendæ: qui ex ſolis vaſis ſeminariis, non ita, ſed defectum materiæ in parte factum, poſtquam gigni fœtus cœpit, aut ſeparatione particulæ ſeminis, aut corruptione. Redundantiam, qui muliebre tantum ſemen præſtare materiam putant, dicent eſſe ex ſuperflua redundantia ſeminis cepta generatione multarum partium, quę ad multos fœtus pertinebant, iiſque coaleſcentibus. Iuxta ſententiam putantium vtrumque ſemen præſtare vim & materiam, ſimulque decidere de toto corpore, fiet & ob hanc cauſam, & quòd ſemina non miſceantur aptè, vt ſi ſeparatim ſint partes deciſę à capite mulieris & viri, & ob id duo capita generari incipiant. Malus poſitus, ſi de toto corpore ſemen decidit, fit, quòd facultas formatrix non benè ſeparet partes ſeminis, ſed malè commiſtę ſint: ſi de ſolis vaſis ſeminariis, quòd cępta iam materię alteratione, & cum alterum eſt iam potentia crus, aliud manus, ante tamen quam duruerint, malè contenta confunduntur. Alienę figurę fiunt, ob corruptionem ſeminis. Nam figurę alienę non poſſunt fieri per ſe à cauſa formatrice, ſed per accidens, ob materię diſpoſitionem. Diſpoſitio autem, qua ſemen fit potentia aliud quàm erat, corruptio eſt. Niſi his addas vitioſę, & alienę imaginationis vim, quę cauſa quantum quoque poſſit alterare fœtus, alio loco à me diſputatur. Præter imaginationem verò, conſtat, cauſas omnes dictas, non niſi in morboſis corporibus accidere. Nam aut defectus alimenti eſt, aut redundantia excrementi, aut maligna qualitas & corrumpens, aut debilitas facultatis non benè coniungentis, quę coniungi; aut ſeparantis, quę ſeparari oporter, aut quædam formantis, quędam alia non formantis. Velut in hoc fœtu, caro quidem genita eſt, vtpote genitu facilior, oſſa verò minimè, deficiente formatrice in ea parte, vel difficiliori. Debilitatem verò facultatis conſtat in morboſis corporibus eſſe, quale erat huic mulieri, cui ſimul cum conceptu, collectio puris in viſceribus facta eſt, atque ob id difficilis reſpiratio, compreſſis inſtrumentis reſpirationis. Meminit Gal. huius diſpnœæ, c. 12. 3. de difficultate reſpirationis, non longè à fine.

Eius quæ filias gemellas peperit & difficulter peperit, & non admodum eſt purgata, intumuit totum corpus: deinde venter magnus eſt factus, alia autem ſubſederunt: rubra quidem fluxerunt vſque ad ſextum menſem, deinde valde alba per reliquum tempus: hæ autem fluxiones veneri officiebant, & mera rubicunda ipſi fluebant.

Huic ex partus difficultate facta ſunt duo grauiſſima mala, hydrops, & vlcera vteri. Merito autem fuit difficilis partus. Quia peperit fœminas duas. Nam & quia fœminæ, & quia duę poterant id facere, cum geminus partus ſimplici ſit difficilior, & fœminæ quam viri. Proinde non ſatis eſt purgata, & diſtributis per totum corpus excrementis intumuit: ſuffocato deinde calore eorum multitudine, hydrops ſucceſſit. Cuius manifeſtę notæ ſunt, ventrem intumuiſſe aliis partibus ſuperioribus extenuatis. Nam lib. de affectionibus, ita ſcriptum eſt, Si expurgatione non facta, fiat hydrops, venter aqua impletur, pedes autem & ſuræ attolluntur. Humeri verò, & clauiculę, & pectora, & femora, liquefiunt. Hoc eſt quod nunc dicit, magnum eſſe factum ventrem, & alia ſubſediſſe. Vlcera verò facta eſſe in vtero indicant fluxiones rubræ ad ſextum menſem durantes, & factæ deinde albæ, facto ſcilicet iam pure in vlceribus, quæ in venereo congreſſu dolebant ob confricationem, & mera rubicunda rurſum fundebant. Fecerunt ergò hæc quod alia omnia vlcera, recentia fuderunt ſanguinem, inueterata pus, refricata ſanguinem rurſum.

Diuturnis læuitatibus inteſtinorum, acidus ructus ſuperueniens, qui anteà nullo modo fuit, ſignum vtile, qualis Demanetæ accidit. Fortaſſe autem arte parare licet. Etenim turbationes huiuſmodi alterant. Fortaſſe autem & acidi ructus læuitatem inteſtinorum ſoluunt.

Aphoriſmo primo ſextæ particulæ dicit, ructum acidum poſt longam læuitatem inteſtinorum, eſſe bonum ſignum, id quod explicatum mihi ſuo loco eſt. Nunc verò dicit ſignum vtile, vt inſinuet, non eſſe ſolum bonum vt ſignum, ſed vt cauſam etiã. Nam nõ omnino idem eſt, ἀγαθὸν & χρησὸν non enim quod bonum, hoc etiam vtile eſt. Vtile verò non dicitur quod ſolum bonum aliquid indicat, niſi etiam proſit. Hic ergo inſinuat eſſe bonum vt ſignum, & vt cauſam, vſus duobus his nominibus, ſignum vtile. Nam ſignum eſt quod ſignificat, vtile quod prodeſt. Sed quia mukò certius eſt, talem ructum eſſe bonum ſignum, quàm cauſam, addit, fortaſſe autem & acidi ructus læuitatem inteſtinorum ſoluunt: vt cauſæ ſcilicet ſalutares, atque ita fortaſſe licet eos arte parare. Nam quæ ſunt bona tantùm ſigna, non licet arte facere; ſed quæ cum facta ſunt, iuuant. Reddit cauſam qua adducitur, vt ſuſpicetur, acidos ructus licere arte facere, dicens, Etenim turbationes huiuſmodi alterant, ideſt, nam turbationes huius modi mutant corporis diſpoſitiones, quare poterunt fortaſſe transferre ad melius. Sed quid eſt quod Hippocrates docet? Eloquamur apertius. Certè lienteria, cum ex debilitate concoctricis & retentricis ſit, quarum illa calorem, hæc ſiccitatem amat, ob frigidam & humidam intemperiem plerumque fiet. Hanc proinde, calefacientibus ſiccantibus, & adſtringentibus, curari vult Hippocrates, & ructum acidum, cum ſuccedit, probari quidem vt ſignum, non fieri tamen arte, quin potius dari cibos, qui facile concoquantur, &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 70 sur 489

quoad fieri poſſit, non tam facilè deſcendant. Si tamen hac via non ſuccedat, quæ legitima eſt, tentari aliquando ructus acidos arte facere (illegitimum quidem hoc, ſed fortaſſe aliquando vtile, tentandumque curatio legitima non cedit) dando cibos qui facillimè aceſcant, vt ſi concoquere non poteſt ventriculus, ſaltem ad aciditatem trahat. Nam magis langueſcet nihil faciens omninò, quàm praue commutans, quia nulla ratione magis langueſcunt vires omnes, quàm ceſſatione.

Sanata eſt hellebori potione Lycia. Poſtea ſplen magnus fuit cum dolore & febri, dolores etiam ad humerum extendebantur: vena autem quæ ſecũdum ſplenem, in cubito ſecabatur, & pulſabat quidem ſæpè, aliquando autem non fuit ſecta, ſed cum ſudore abiit, aut ſponte. Ex quo autem abierunt, ſplen ad dextra extendebatur, ſpiritus introduplicabatur, non quidem magnus. Delirabat, contegebatur, flatus inerat, non deiiciebat deorſum quidquam, neque mingebat. Mortua eſt ante partum.

Hæc mulier vti inditia manifeſtè declarant, mortua eſt ex inflammatione lienis, & antequam inflammatio ea fieri inciperet, laborabat: non narrat quo morbo: fortaſſe melancholico: aut abundabat excrementis, vt ſolent vtero gerentes. Hanc verò, vt euentus declarauit, contigit tunc abundare malignis. Videbatur iuuari purgatione, & vſa eſt helleboro, atque à priori quidem paſſione viſa ſanari, poſtea in dictam inflammationem incidit. Non mirum. Nam medicamenti expurgantis vſus, cum non eſt admodum tempeſtiuus, qualis quidem eſſe in vtero gerente vix poteſt, habet periculum inter cætera inflammationis hypochondriorum. Nam quæcumque cauſa morbum aliquem, cum adeſt, augere poteſt, eadem nondum præſentem nata eſt facere, in corpore valde parato. In hoc ergò tam excrementoſo facile fieri potuit inflammatio interna ab hellebori potione. Fuiſſe autem talem morbum, indicant imprimis ſigna pathognomonica, deinde & tota ſyndrome ſignorum: quorum quædam ſunt paſſionis, quædam magnitudinis morbi, quædam mortis: paſſionis quidem, vt magnus ſplen, & dolor [ex tactu ſcilicet] & febris: magnitudinis inflammationis, vt dolores in humerum [nam dolor humeri dextri quaſi deorſum detrahatur, ſignificat inflammationem hepatis non exiguam: ſiniſtri, lienis.] Proinde ego intelligo hos dolores humeri ſiniſtri fuiſſe, & pulſus arteriæ in cubito, & quod ſplen in dextra intendebatur, ideſt creſcebat vt videretur ire in partem dextram: mortis, vt ſpiritus introduplicatio (hic enim ſignificat conuulſionem) & delirium, & quòd contegebatur quaſi frigens, quod cum interna vſtione peſſimum eſt: & quod flatus inerant, quòd & frigus inferni ventris ſignificat, & ſuppreſſio deiectionis & vrinæ, quod omnium humorum ad inflammatam partem accurſum ſignificat. Non ſunt autem hæc æquè mala, ſed quædam ſuperueniunt prius, quædam proximis iam morti.

Et narrat quidam Hipp. ea eodem ordine quo facta ſunt. Primum ergo ab expurgatione, ſplen magnus cum dolore, & febre, & dolore ſiniſtri humeri, & pulſatione arteriæ in cubito, non continenter, ſed quibuſdam temporibus. Nimirum inflammationes pleræque exacerbantur ex quibuſdam interuallis. Sed quia vt dicitur 6. apho. 22. Dolores ex dorſo in cubitum deſcendentes venæ ſectione curantur, ſecuit Hipp. aliquoties venam in cubito, cum pulſaret (non quidem eadem ſecabatur quæ pulſabat, ſed Hipp. venæ nomen venis & arteriis tribuebat) & abibat pulſatio ex hauſto ſanguine calidiori, qui venas eo loci replebat: aliquando autem non fuit ſecta, ſed pulſatio cum ſudore abiit, aut etiam nonnunquam ſponte, id eſt, ſine aliqua euacuatione, natura aut arte facta. Hæc pulſatio in cubito prænuntiabat futuram inſaniam. Nam in hoc ipſo libro tempeſtate 4. dicit, Quibus vena in cubito pulſat, inſanum & furibundum. Deinde procedente malo abierunt hæc, dolor inquam humeri, & pulſus in cubito, quia totus calidus ſanguis collectus eſt ad partem præcipuè affectam, & creuit plurimum inflammatio, vſque adeo vt ſplen videretur intendi ad dextram partem. Hinc iam ſpiritus offendens, & delirium, tracto cerebro ad magnam compaſſionem. Tamen nõ fuit ſpiritus magnus, etſi deliraret homo, quia aderat dolor inflãmationis, qui prohibebat, & conuulſio: per quam, cum dilatari ceperat thorax, retrahebatur. Hinc iam grauius affecta ob magnitudinem febris internæ, & omnium ſuccorum & ſpirituum ad interna reuocationem, cepit ſentire frigus extremorum, & demittere flatum. Proximè autem iam morti ſuppreſſa deiectio eſt & vrina. Mortua itaque eſt ante partum. Admonet nos hæc hiſtoria, ne in iis quæ vtero regunt, medicamentis expurgantibus, niſi leuiſſimis, vtamur.

Quæ circa fauces in alterutram partem impetu feruntur, non ſunt exulcerata, ad ſiniſtra tranſierunt. In ſplenem venit dolor non decretoriè.

Non ſatis conſtat an hoc enarret, vt quod Lyciæ contigerit, an quod illa tempeſtate contingeret multis. Nam Lyciæ factus eſt tumor lienis non decretorius, fortaſſe ante hunc tumorem repſerant ſucci in alterutram partem faucium, & illinc collecti ſunt in lienem, narraturque id nunc ab Hippoc. præpoſterè. Magis autem videtur hæc dictio continere quod in multis obſeruabatur illa tempeſtate. Nimirum ſucci impetu ferebantur in fauces, hoc eſt, in internam oris partem, & quædam impegerũt in eas partes, & vlcera fecerunt: quædam non hærẽtia ibi, in quamcunque partem faucium, ſiue in dextram, inquam ſiue in ſiniſtram, ferentur, colligebantur in ſiniſtra, & in liene dolorem faciebant, non decretoriè, quia eo abſceſſu non ſoluebatur malum, ſed procedebat acerbius, vt in Lycia contigiſſe legimus. Nam euacuatio agi poteſt decretoriè, vt cum tempeſtiuè venit, & quà oportet, & ſoluit, aut ſubleuat morbum: aut ſymptomaticè, vt cum non confert, ita etiam abſceſſus. Ergo in

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 71 sur 489

lisne fieri potest dolor, & tumor per abscessum decretorie, soluiturque ita aut subleuatur morbus prior: aut non decretorie, velut cum febri quæ ceperat, mox succedit inflammatio lienis non minuës sed augens febrem. Porrò cum tumor lienis febrem facit, nihil minus est ille tumor, quàm decretorius, nam est ipse præcipuus morbus: tamen cum aliquando ex febre prægressa fit tumor, reiicientibus venis sua excrementa in illam vnicam partem, & febris prior soluitur, decretorie fit tumor. Illis verò de quibus loquitur Hippoc. non ita est factus, sed intempestiuè, & augens magis periculum, quàm minuens.

Hieroni iudicatio facta est decima quinta die.

Tam rarum est iudicationem decima quinta die fieri, vt cum occurrebat, velut notatu dignissimum, scripto ab Hipp. mandaretur. Velut nunc Hieroni dicit accidisse. & 4. huius operis, fœminæ cuidam in Bulagoræ villa. Causa autem qua perpauci hoc die iudicantur est, quia illi maximè iudicari possunt, in quibus morbi mouentur diebus imparibus, sed & in illis decimus quartus, qui inter decimum ter- & decimum quintum positus est, arripit iudicationem fere semper. Proinde lib. 1. huius operis numerans dies quibus iudicari solent, qui mouentur per impares, dictos duos omisit, quasi rarò iudicantes ob dictam causam.

Coi sorori hepar elatum est splenico modo. Mortua est secunda die.

Ingens hepatis inflammatio fuit hæc quæ secunda die interfecit sororem Coi. Si enim fuisset scirrhosus tumor, quali solet lien intumescere, non potuisset tam breui interimere. Quare quod dicit splenico modo elatum esse, ad magnitudinem tumoris pertinet. Nimirum solet lien tumescere adeò, vt in dextram partem videatur aliquando tendi, vt Lyciæ accidisse super narrauerat. Nunc explicans inflammationis magnitudinem dicit, intumuisse splenico modo, idest, in tantam molem elatum esse, in quantam lien solet. Sed quantumuis inflammatio fuerit magna, mirum est occidisse mulierem secunda die, cùm Gal. dicat, primũ & secundũ diem decretorios non esse, atque velit, cũ in prognostico dicit Hippo. deterrimas febres interimere quartâ die aut citiùs, intelligi, quarta aut tertia. Tamen simile est hoc ei quod de angina diximus in cõmentario prognostici, nimirum angina, quantumuis acuta sit, non potest ante diem tertium solui, tamen potest secundo atque etiam primo strangulare. Nam strangulatio fit crescente tumore, qui, vt contigerit esse impetum fluxionis, crescet, solutio verò morbi, non nisi depulsa materia à natura, quas depulsiones non potest natura nisi decretoriis diebus perfectè facere. Ita etiam tumor hepatis potuit tantopere crescere, vt compressione septi transuersi, & compassione cerebri, secunda die interfecerit, tamen solui non potuisset ante diem aliquem decretorium.

Bion simul copiosè mingebat sine sedimento, & sanguis de sinistra nare fluebat. Erat enim splen in gibberum elatus & durus, & sursum latus. Superstes fuit. Recidiuam passus est.

Hanc quoque fuisse inflammationem lienis existimo. Nam in aliis eius visceris tumoribus, neque expectantur iudicationes, neque recidiuæ. Quod autem liberatus sit Bion ab ea inflammatione, fluxu sanguinis de nare sinistra, non mirum. Nam ea est ei morbo maximè accommodata euacuatio, & maximè secundùm rectitudinem procedens. Tamen quòd fluxu multæ vrinæ, mirum fortasse videatur alicui, qui legerit apud Gal. 13. meth. nullam huic visceri expurgando patere per renes viam. Tamen nosse oportet, etsi manifesta via à liene ad renes nõ sit, nisi per multos anfractus, esse tamen haud dubiè, naturæ vias notas, per quas possint succi abscedere. Nam Hipp. dicuntur omnia conspirabilia & confluxibilia, & alibi, natura inuenit sibi vias. Itaque expurgari posse lienem per vrinam constat per vias occultas, etsi id frequens non sit, quod nullæ sint manifestæ. Tamen videtur Hipp. docere non hoc solum exemplo sed alibi etiam, sequutus communes obseruationes, posse expurgari ita lienem, quin etiam & solere. Itaque videtur Galeno repugnare. Nam libello de passionibus, seu affectionibus (quanquam eum librum Polibii esse Galenus putat, non est aspernendus) docens rationem curandi spleniticos, post alia quædam, suadet vti diureticis medicamentis. Quæ (inquit) mollire splenem, scriptum est. Si igitur diuretica mollientia splenem sunt, non mirum, neque sanè rarum, mictione copiosa crassæ & perturbatæ vrinæ solui lienis tumorem. Quin & Gal. ipse in curatione quartanæ iubet vti diureticis, etsi ea febris cum affectione lienis plerumque fiat. Animaduertendum est posse partem aliquam malè affectam iuuari, per se, euacuata materia propria morbi, aut ex accidenti, expurgato toto corpore. Prodest enim tantopere in partium morbis totius vacuatio, vt sæpe sola ea sit satis ad perfectam curationem, & ad medicamenta localia procedere opus non sit. Ita ergo vsus diureticorum mollire potest lienem, non quidem per se, sed quod deriuata crassiori parte sanguinis, quæ splenis duritiem fouebat, ad vrinæ vias, ille mollescat. Itaque mictio copiosa affectioni lienis rarò esse potest vacuatio propria, deriuatio tamẽ esse potest, fitque non raro in iis, quibus bilioſi cum sint, bilis vstione crassa in liene colliguntur. Nam in illis causa antecedens mali, est bilis flaua, quæ ob tenuitatem facile mingitur. In pituitosis & melancholicis non ita fiet, quia neque proxima neque antecedens causa purgari per vrinam facilè potest. Quartanam eodem modo curant diuretica, expurgatis scilicet totis, aut maximis venis & arteriis per eam viam. Ita ergo Bion liberatus est ex lienis inflammatione, mingens copiosè, & sine sedimento, hoc est crassum & perturbatum, atque ob perturbationem non residens. Sed non potuit tam perfectè lien illa deriuatione perpurgari, vt non redierit morbus, minor tamen, & ex quo superstes mansit. Hæc verò intellige-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 72 sur 489

dicta de communis formationis hominibus. Nam raris quibuſdam, quibus à vena caua via quædam fertur in meſenterium, facile poteſt lien purgari per vrinam, recurrentibus ſuccis à meſenterio per canam in vrinæ vias.

Erant autem anginoſorum paſsiones huiuſmodi. Ceruicis vertebræ intrò vergebant, quibuſdam plus, quibuſdam minus. Collum etiam forinſecùs conſpicuam cauitatem habebat, atque ea pars ad contactum dolebat. Erat autem & cuidam affectus infra os, quod dens vocatur, qui ſimiliter acutus non erat: Quibuſdam autem valdè conſpicuus erat maiori circumferentia, & niſi ad dentem vocatũ affectus extenderetur, fauces non inflammabantur, ſed ſubſidebant: partes ſub maxilla tumidæ, inflammatis ſimiles non erant, neque glandulæ alicui tumuerunt: ſed cùm ſecundùm naturam ſe haberent, linguam non facile conuertebant: ſed maior ipſius eſſe videbatur, & prominentior, & venæ ſub lingua conſpicuæ erant, deglutire non poterant aut valde difficulter: ſed in nares effugiebat, ſi valdè conarentur, & per nares loquebantur. Spiratio autem his non valde ſublimis, quibuſdam autem venæ in temporibus, & in capite, & in ceruice intumeſcebant. Quibuſdam autem horum quibus affectus recrudeſcebant, paululum calida erant tempora, etſi alioqui non febricitarent. Non ſuffocabantur plurimi, niſi deglutire cuperent, aut ſaliuam, aut aliud aliquid, neque oculi intus deſidebant. Quibus tumor in rectum procedebat, non in alterã partem vergens, hi ne quidem paraplectici facti ſunt. Cæterùm ſi quempiam periiſſe viderim, recenſebo, quos autem nunc noui, ſuperſtites manſerunt. Quidam autem celerrimè alleuabantur, plurimi autem etiam ad quadraginta dies peruenerunt, hocque accidit plurimis etiam ſine febre: Multi autem per valdè longum tempus partem aliquam tumoris habuerunt, prout deglutitio & vox ſignificabãt. Columellæ quoque eliquatæ imminutionem quandam exhibebant prauam, etſi nihil mali habere viderentur. Quibus autem in alterutram partem inclinabat malum: in ea parte vnde vertebra inclinabant, ii reſoluebantur, & verſus alteram trahebantur. Erant autem hæc in facie apparentia maximè, & ore, & interſepto ſecundùm gargareonem. Quinetiam inferiores genæ pro ratione mutabantur. Paraplexiæ autem non per totum corpus fiebant, vt ex aliis contingit, ſed vſque ad manum, ex ea parte quæ erat ſub angina. Atque hi cocta ſpuentes rauci erant. Quibus autem in rectum tumor tendebat, etiam ſpuebant. Qui autem erant cum febre, hi multò maiori cum difficultate ſpirabant, & fundebant ſaliuam, & venæ his magis attollebantur. Pedes quidem omnibus frigidiſſimi erant, maximè autem his, qui ad erecte ſtandum impotentiores erant, & hi omnes ſi non ſtatim, ſaltem quos ego noui, mortui ſunt.

Hactenus ſingulares hiſtorias narrauit, nunc communem quendam morbum deſcribit, qui quadam tempeſtate multos inuaſit, Explicata autem eſt hæc narratio Gal. 4. lib. de locis patientibus cap. 5. & mihi in ſcholiis. Quare minus nunc opus eſt ſermonem multum producere. Multi periculum ſuffocationis incurrerunt ob luxationem vertebrarum ceruicis, quibuſdam luxatis in rectum, id eſt, in nullum laterum, ſed intrò, quibuſdam in latus: rurſum quibuſdam cum febre, quibuſdam ſine febre. Fiebat verò ob hæc non exigua differentia paſſionum & accidentium. Atqui omnia hæc quibuſdam accidebant acutiora, quibuſdam tardiora, ob cauſæ ſpeciem: quibuſdam mitiora. Atque ita erat magna differentia magnitudinis ſymptomatum propriorum, & ſuperuenientium: quorum mala fere ſunt, ſtrangulatio, etſi deglutire non tentarent, reſpiratio ſublimis, tumor venarum in ceruice, fronte, & temporibus, & ſub lingua, & calor in temporibus, & effuſio multa ſaliuæ, refrigeratio extremorum: bona verò, contraria. Vocat Hip. hoc malum, paſſionem anginoſam, ſeu anginã, ob ſymptoma, quia præfocabat. Omnem enim ſtrangulationem per paſſionem aliquam ceruicis accidentem, vocabat anginam Hip. non tantum eam quæ inflammatione eo loco aborta fieret, vt poſteri: ac multò minùs diſtinguebat cynanchas & ſynanchas. Non enim profectò inflammatio his vertebras luxabat, ſed tubercula cruda in ligamentis oſſium facta, vt & gibberum patientibus ex morbis, aut lentè contractum fieri ſolet. Nam & in illis ſolet fieri intro ſpinæ curuitas cum repanditate, aut extra cum gibbero, aut in alterum latus, cum obſtipitate. Fuiſſe autem tubercula, conſtat, quia non videtur quæ alia cauſa potuerit vertebras ſuis locis euellere: deinde, & quia ſoluebantur concoctione, & ex creatione concoctorum, quod quidem, ſi ſine his eſſent laxatæ vertebræ, fieri non poterat. Quæ enim eſſet materia cõcoctioni apta. Erant (inquit) anginoſorũ paſſiones huiuſmodi. Ceruicis vertebræ intrò vergebant, quibuſdam plus, quibuſdam minus, collum etiam forinſecùs conſpicuam (quà ſcilicet receſſerant vertebræ) cauitatem habebat, atque ea pars ad contactum dolebat. Erant enim diuulſæ partes, ac proinde dolentes. Erat autem & quidam affectus infra os, quod dens vocatur, ideſt infra ſecundam vertebram. Nam hæc ob figuram vocatur dens. Itaque dicit in quibuſdam fuiſſe luxationem in tertia vertebra, innuens ſcilicet multis aliis fuiſſe in ſecunda. Addit quod non ſimiliter acutum eſt, intelligendum verò non os [nam ſecunda vertebra acutius os eſt, aliis omnibus] ſed malum, non enim tam graue eſt luxari tertiam, quàm ſecundam: quia ſecunda, & prima præſtant motum proprium capiti, tertia ſolis buccis. Accedit quòd ſecundæ luxatio obturare magis poteſt ſpiritus viam. Itaque malum minus a-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 73 sur 489

©BIUM

cutum eſt luxari tertiam, quam ſecundam vertebram. Quamquam quibuſdam ſimul cum tertia luxabatur ſecunda, & illis erat malum ſatis conſpicuum, maiori circumferentia externæ excauationis. Hoc eſt quod dicit, quibuſdam autem valdè conſpicuus erat maiori circumferentia, quibus ſcilicet luxata tertia ſimul cum vocato dente, quibus fauces, ideſt partes oris inter laryngem & gulam, non inflammabantur (non enim inflammatione tenebantur) ſed ſubſidebant, afflictæ & compreſſæ. Metaphoricè enim ſubſidere dicuntur quæ malè habent. Pars dictionis huius quæ hactenus enarrata eſt, occurrit mille modis ſcripta, & in Hippocratis græcis codicibus, & in eo quem ſecutus Galenus eſt, & mille etiam modis donata latinitate, interpretibus in multos ac varios ſenſus euntibus. Tamen quia eam lectionum differentiam loco citato, ex opere de locis malè affectis expoſui, nunc ſatis ſit ſimpliciter dixiſſe, quod eſt maximè conſentaneum. Addamus reliqua. Partes ſub maxilla, id eſt, internæ oris partes, tumebant, non inflammatis ſimiles, ſed vt pulſæ loco à luxatis oſſibus, neque glandulæ, externæ ſcilicet & quæ in ceruice [nam paryſthmia cum partibus ſub buccis intelliguntur] alicui tumuerunt, ideſt, nullus tumor videbatur in collo aut ceruice, ſed glandulæ illæ habuerunt ſecundùm naturam. Et linguam non facilè conuertebant, ſed maior ipſis eſſe videbatur, & prominentior, & venæ ſub lingua conſpicuæ. Sorbere non poterant, aut valde difficulter, ſed in nares effugiebat, ſi valde conarentur, & per nares loquebantur. Hæc omnia ſtrangulationis ſymptomata ſunt. Ita enim fieri ſolent, omnibus, quibus ceruix comprimitur, & ſpiritus via quacunque cauſa obturatur. Spiritus his non valde ſublimis. Dicitur ſublimis ſpiritus, non vt quidam falſo putant, qui trahitur recta ceruice, ſed per quem ſublimia reſpirationis inſtrumenta mouentur, muſculi ſcilicet venientes à ceruice ſimul cum clauiculis. Hic in ſumma neceſſitate fit, & viarum obſtructione, aut animalis facultatis debilitate. Quibuſdam autem venæ in temporibus, & ceruice, & capite intumeſcebant, ob multitudinem ſanguinis, qui accurrens ad caput hæc, & tubercula ſimul in ligamentis oſſium, fecit, aut poſt factam luxationem, per præfocationis anguſtiam conuocatus eſt. De horum ſymptomatum malitia maiori aut minori, ita ſcriptum eſt. 6. Epid. 7. parte: Qui ſolum deglutire non poterant, his valde mites & toleratu faciles erant: qui verò etiam inſuper obſcurè loquebantur, his moleſtiores ac diuturniores. Quibus verò etiam venæ circa tempora & ceruicem attollebantur: his aliquantum malè erant. Peſſimus verò iis quibus ſpiritus ſublimis coeleuabatur. Hæc Hippocrates, ex quibus facile intelliges, eorum quæ accidiſſe hac tempeſtate anginoſis narrat, quæ augeant, & quæ minuant periculum. Addit quibuſdam autem horum quibus affectus recrudeſcebant, paululum calida erant tempora, etſi alioqui non febricitarent. Illud παλιῤῥοπίσιν vt in ſcholiis quarti de locis patientibus monuimus, per metaphoram dicitur de ipſis malis. Id eſt, malis cum viderentur facta mitiora redeuntibus, & factis malignioribus, non ſuffocabantur (inquit) plurimi, niſi deglutire cuperent, aut ſaliuam, aut aliud aliquid (hoc leuis ſuffocationis eſſe dictum eſt antea) neque oculi intus deſidebant, ſed aut manebant ſecundum naturam, aut nonnihil erumpebant. Atqui ſecundum naturam manere eſſe optimum quia neque ſuffocationem, neque contractionem partium, quæ in extrema debilitate fieri ſolet, ſignificaret, tamen leuius eſſet in hoc affectu tumere exertos, quod familiare eſt ſuffocationi, quàm contractos eſſe, quod eſt à ſuffocatione alieniſſimum. Hactenus narrauit quæ in commune acciderunt anginoſis non omnino grauiter affectis: ſed ſine febre, ſiue in rectum ſiue in alterum latus luxatæ vertebræ inclinarent. Deinde narrare incipit, ſeorſum quæ iis, quibus in rectum, id eſt, in anteriorem partem, non in latus aliquod, luxatio eſt facta, & quæ quibus in latus: ſed vtriſque quidem ſine febre: poſtremò, in calce dictionis, narrabit quæ febricitantibus euenerunt, qui ferè omnes mortui ſunt, cum eorum qui ſine febre laborarunt vix vllus ſit mortuus. Sed redeamus ad Hippocratem. Quibus tumor, inquit, in rectum, procedebat, nõ in alteram partẽ vergens, ne quidẽ paraplectici facti sũt. (id eſt nulla parte reſoluebantur) omnes tamen quorum Hippocrates meminerat, liberati ſunt. Meritò quidem, nam lethalia ſigna, quorum in hoc morbo magna vis eſt, non admodum his accidebant. Neque tamen omnes liberabantur citò: ſed quidam celerrimè: quidam autẽ non ante quadraginta dies, qui finis eſt morborum neque acutorum ſimpliciter, neque iam longorum. Hoc autem plurimis accidit etiam ſine febre (certè hactenus de iis qui ſine febre ita affecti erant loquitur, de febricitantibus poſtea loquitur) multis autem etiam cronicus fuit hic morbus, & in longum tempus; in annum fortaſſe integrum productus eſt, & habuerunt partem aliquam tumoris (tumoris illius quem impulſa vertebra faciebat) in ore (nam nullus alius tumor apparebat) & de glutitio difficilis, & vox gracilis, vt per anguſtam fiſtulam, ſignificabant perſeuerantiam affectionis. Et columellæ liquatæ, hoc eſt, extenuatæ, & factę graciles, quales in extremo mali fieri ſolent, iis qui fluxione partium oris laborant, ſiccatæ, quãtum ſuſpicor, calore aëris per anguſtum expirati, ſignificationem quandam præbebant mali nondum ſoluti, etſi nihil mali habere viderentur, id eſt, etſi neque inflammationem, neque vlcus, neque aliud quippiam tale habere viderentur. Quibus autem in alterutram partem inclinabat malum, in ea parte vnde vertebræ inclinabant, reſoluebantur, & verſus alteram trahebantur. Erant autem hæc in facie apparentia maximè & ore, & inter ſepto ſecundum gargareonem: id eſt, & gargareone: quin etiam inferiores buccæ, id eſt, quæ inferiorem mandibulam veſtiunt, pro ratione mutabantur, id eſt, ab ea parte in quam inclinabant vertebræ contorquebantur in contrariam. Paraplexiæ autem, id eſt, lateris reſolutiones, non per totum corpus fiebant, vt ex aliis paſſionibus. Solent, ex affectionibus ſcilicet cerebri, vt paraplexiæ quæ ex apoplexiis ſolent ſupereſſe, atque etiam nonnunquam, vt ego exiſtimo ex epilepſiis, ſed vſque ad manum, ex ea parte quæ erat ſub angina, id eſt à parte quæ erat ſub luxatione eo latere in quod inclinabant luxatæ vertebræ. Sed vt hæc omnia quæ de reſolutione dicit, non ſine cauſa euenerint, vtque his acciderint, illis non, & his partibus non illis, & hoc modo, facile intelliget, qui quæ diximus 4. de locis affectis oblitus non ſit. Nimirum curuitas ſpinæ fieri poteſt angulata, vt cum

vertebra proxima à proxima decedit, ita vt angulus ex ambabus fiat: aut arcuata, vt cum multæ incuruãtur singulis à vicinis paulatim recedentibus. Vtrumuis horum fieri potest introrsum, aut extrorsum, aut ad latera: porrò horum quodcunque, in ceruice, aut dorso, aut lumbis. Præterea, partes contorqueri possunt resolutione, aut conuulsione. Per resolutionem laxatur pars malè affecta, ac proinde ea trahitur in contrariam: per conuulsionem, pars affecta contrahitur & proinde trahit contrariam. Porrò ob læsionem spinæ illæ partes corporis resoluuntur aut conuelluntur, quæ ex ea parte qua spina læditur, accipiunt neruos. Luxatio spinæ angulata, si magna sit, & magnum angulum facit, in quamcunque partem fiat, comprimit, aut mediam secat spinæ medullam, quare omnes infra positæ corporis partes sensum amittunt & motum, non tantum eæ partes quæ è regione læsionis sunt, & quæ neruos ab ea spinæ parte, qua læsio contingit, accipiunt. Non enim solum læsio contingit secundum ipsas neruorum radices, sed secundum medullam. Si autem læsio arquata fit, seruatur incolumis medulla, quia ipsa quoque incuruatur sensim nullibi compressa. Potest tamen lædere neruorum radices, ad latus aliquod facta, quia cum nerui oriantur à lateribus spinæ, ex foraminibus, quæ commissura superiorum cum inferioribus vertebris constãt, vertebris à vertebris recedentibus, distrahuntur neruorum inde orientium fibræ in ipsa radice: atque etsi quam maximè arcuata læsio sit nerui in eam partem, in quam spina inclinat, laxitatem facit, laxitas verò neruorum affert partibus resolutionem: in contraria verò parte, à qua spina refugit, facit contractionem, & contractio conuulsionem. Tamen hæc mala non in toto corpore quod infra læsionem est, sentiuntur: sed solum in partibus quæ inde neruos accipiunt. Atque hoc euenit magis & apertiùs in partibus superioribus spinæ, quam in inferioribus, quia in superioribus pertinet foramen æquè ad ambas vertebras, superiorem, & inferiorem, quanto autem pars spinæ est inferior, tanto foramen magis pertinet ad superiorem. Quanto autem magis æquales partes tribuunt ambæ foraminibus, tanto quod inde prodit magis distrahere possunt distractæ. Maximè autem conspicua est flexura partium, quæ quibusdam resolutis, & contrariis conuulsis fit, in facie. Quippe in qua, cum non fiant gemini artus, vt brachia, aut crura, necesse est à conuulsis laxatas trahi, & laxatas in non laxatas abire, velut loris equorum ab altera parte laxatis aut contractis, capita equorum torquentur. Merito ergo luxatio in rectum nullam resolutionem fecit. Ea verò quæ in obliquum, fecit partes, ab ea parte in quam fiebat spinæ flexura, torqueri in contrariam. Apparebat verò in facie solum, & vsque ad manus, quia illæ partes sunt quas solas attingunt nerui ex ceruice. Sed cur non etiam sentiebatur resolutio septi transuersi: quod quidem ex ceruice accipit neruos, etiam antequam manus. Certè nerui qui ex quarta & quinta vertebris veniunt, antequam attingant septum, committuntur cum neruis ex sexta conjugatione cerebri. Non potuerunt ergo læsione spinæ toti lædi. Atqui fortasse difficultas respirationis, quæ angustiæ laryngis imputabatur, ob læsionem neruorum alterius partis accidebat. Sed redeamus ad narrationem. Vtrosq; & eos quibus in rectũ & in obliquum luxatio erat, spuisse cocta, & fuisse raucos dicit. Non immerito, raucitatem enim facit in larynge imbibitus humor, nisi autem cõcocta & dissipata essent tubercula, non esset illi liberati. Sunt autẽ liberati ferè omnes quos hactenus narrauit. Velut quos in fine dictionis narrat, mortui sunt omnes: qui scilicet cum febre magna & perpetua id mali passi sunt. Nam & in aphorismo dicitur, ei qui à febre tenetur, si collũ repẽte peruertitur, & vix potest deuorare nullo tumore apparẽte in faucibus, lethale. Neque mirum. Nam febris magna, & repente facta vertebrarum luxatio significat in his inflammationẽ facere idem, quod in prioribus tubercula crudiora: quod verò nullus tumor apparet, significat interius prope ipsissimam spiritus viam esse. Quo pacto autem non intereat homo simul aucto plurimum vsu ob febrem, & constricta via ob inflammationem? Maximè autem si non solum interna inflammatio sit, sed ea etiam maxima, quod quæ apparebant in ægrotis symptomata, indicabant. Nimirum hi cum febre multò maiori cum difficultate spirabant, & fundebant saliuam inter loquendum, & venæ his magis attollebantur, & pedes frigidissimi. Horum autem maximè hi erecti stare non poterant, quia cum conabantur erigere ceruicem, dolebant ob inflammationem. Multi citò moriebantur, quidam non statim, quos autem (inquit) ego noui, omnes mortui sunt.

SECTIO III.

IN Perinthum circa solstitium æstiuum venimus, vbi fuerat hiems temperata & austrina. Ver autem & æstas valde sicca vsque ad occasum vergiliarum. Si quid enim pluuiæ decidisset, id erat rori simile. Nec Etesiæ multùm flauerunt, & qui flauerunt, sparsim id fecerunt.

Totus hic annus fuit calidus & siccus. Calidus quidem quia frigus hyemis cohibuit auster, & calorem æstatis parum emendauerunt Etesiæ. Siccus autem, quia toto illo anno ab initio hyemis vsque ad initium alterius hyemis, quam occasus vergiliarum inchoauit, perpaucæ & exiguæ pluuiæ fuerunt. Nam hyems tota fuit clementi cœlo, serena & sine pluuiis, reliquum valde sine aquis: atque si quid pluuiæ decidebat erat non largus imber, sed velut cadens ros. Solus auster potuit emendare siccitatem hyemis. Sed humiditas austrina sine pluuiis, minor est quam pro naturali hyemis humiditate. Quare ea etiam anni pars sicca fuit.

Æstate febres ardentes populariter grassatæ sunt multæ. In quibus nullus aderat vomitus, sed venter turbabatur tenuibus, aquosis, non biliosis, cum multa spuma. Habebant autem aliquando hypostasim repositam, quibus sanè quod subdio reponebatur simile erat,

©BIUM

Excretiones alui ſemper ſpecie ſimiles, malæ. In his multi comatoſi erant, & delirantes, hi autem ex ſomnis tales euadebant. Cum enim expergiſcerentur, intelligebant omnia. Spiritus ſublimes, non quidem valde. Vrinæ tenues plurimis, & modicæ, alioqui non decolores.

Conſidera hic narrationem intempeſtiuæ aeris temperiei cœpiſſe ab initio hyemis quæ anteceſſit, narrationem verò morborum ab initio ſequentis æſtatis, hoc eſt, ab ortu vergiliarum qui circa finẽ aprilis contingit, inchoare. Non enim fiunt morbi populares quales illa dies petit: ſed quales ea corporis diſpoſitio quam antegreſſa tempeſtas reliquit. Itaque neceſſariò aeris mutationes incipiunt multo antea, quam morborum ea ſpecies quę ſpeciem tẽpeſtatis referat, incipiat eſſe communis. Fuit ergo hic morbus qui ab initio ęſtatis graſſari cœpit, qualẽ temperies hyemis & veris nata fuerat facere. Fuerat autem hyems calida auſtrina, talis verò ſolet multã pituitã ſalſam generare. Hyems enim pituitã ſemper facit magis quam aliam ſpeciẽ, calida autem calidã, qualis falſa eſt. Fuerunt ergo febres ardentes ex ſalſa pituita. Nam præterquam quod quę dicta ſunt de febre ardente id indicant, ſymptomata etiam quę adfuerunt, multo magis id declarant, fuerunt enim ſine vomitu. At verò Hippo. 1. de morbis, deſcribens febrem ardentem ex bile dicit, plęrunque verò in primis diebus vomitur, aut quatuor aut quinque. Nimirum bilis efferri in ſuperiora nata eſt, ac proinde vomi, pituita verò ſalſa quę per venas putruit, magis repit deorſum in inteſtina. Ventres turbabantur tenuibus aquoſis non bilioſis, & ſpumoſis. At verò lib. de ratione victus in acutis dicit in febre ardente ex bile, fieri liquidas & pallidas, bilioſas ſcilicet ex tenui bile: his autem factæ ſunt tenues & aquoſę, quia ob pluuiæ defectum venę totius corporis aquam multam ex ventre traxerant, vt arbores quibus deſuper ros aut pluuia non decidit, largiori irrigatione indigent à radicibus. Diſtributa verò aqua & admiſta cum putreſcente pituita, ſalita eſt, quę iam tunc redundãs ad ventrem inclinauit. Spumoſa verò fecerat auſter. Is enim ventus quia craſſus & laxans, flatu replet corpora, qui cum aquea ſubſtantia miſtus ſpumam parit. Quod autem pro vomitu deiectiones accidẽrunt, febris ardentis à ſalſa pituita admodum eſt. Nã loco citato ex lib. de ratione Victus in acutis primã notam talis febris ardentis ſcribens dixit; Aluus ſubit, itaque deiectiones factę ſunt liquidę, non totæ per totas aquæ, ſed partim ex aqua ſalſa partim ex pituita. Proinde repoſitæ, cum aliquando reponebantur & repoſitę ſeruabantur hypoſtaſim habebant: reſidet enim craſſum ſubtenui. Ex quibus quod ſub dio reponebatur ſimile erat. Illud ſubdio reponi nihil nobis nunc ſignificat, neque enim alterationem aliquam quam aer in deiectionibus faceret, ſed narrat rem hanc vt agi ſolet. Solent enim alui excrementa noctu quotidie extra domum deportari, & in ſterquilinia proici, illa illo in loco dicit ſimilem ſpeciem multum tempus retinuiſſe. Vbi in primis admirari oportet Hipp. hominis quidem huo tempore nobiliſſimi, & philoſophi ſummi diligentiam in curandis ægrotis, quod non tantum recens factas deiectiones domi contemplabatur in pelui, ſed ſæpe etiam heſternas in ſterquilinijs requirebat, nihil cenſens indecens, neque indignum, quod ex officio pro tuenda hominis vita agatur. Sed quid ſignificabat illa eiuſdem formæ in deiectionibus perſeuerantia? malum certè. Nam excretiones (inquit) ſimiles ſpecie ſemper, ideſt multum tempus perſeuerantes ſimiles, malæ. Cauſam Hipp. non dicit, ea verò eſt hęc. Quocũque morbi tempore excrementa ſine mutatione inſigni diu durent, ſignificatus morbi longitudo. Nã diſtinctio temporum morbi agnoſcitur præcipue mutationibus excrementorum in concoctione aut contrario, ſi autem idem tempus, quodcunque illud ſit, producitur, totum morbum produci conſtat, quia tota conſtitutio morbi conſtat temporibus vniuerſalibus, & eorum proportio quædam eſt. Si verò poſt multas mutationes in vnam ſpeciem incidunt excrementa, & eam diu retinent, iam id corruptionis & mortis ſignum eſt. Quod Hipp. ipſe docuerat proxima ſectione dicens, deſinentia in meratiora putrefactionem ſignificant. Id itaque mali in his morbis fuit quod excrementa parum mutabantur. Illud etiam erat malum in multis, quod comatoſi erant ob vapores pituitæ putreſcentis qui in caput vi febris efferebantur, hoc verò morbi & cauſæ ſpeciem non nihil referebat, illud verò erat grauius delirare ex ſomno. Nam in aphoriſ. ſcriptum eſt, vbi ſomnus laborem facit mortale, ſi iuuat non mortale: ac rurſum vbi ſomnus delirium ſedat bonum. Ergo per inſinuationem dicitur ſi ſomnus delirium facit mortale. In his verò conſtabat ex ſomno eſſe delirium, cum enim expergiſcerentur, intelligebant omnia, ideſt, cum aliquantulum experrecti ſine ſomno continerentur. Non enim delirabant dormientes ſed recens excitati, redibant verò ad mentem paulò poſt. Erat etiam his ſpiritus ſublimis, id eſt qui ſuperno thorace trahebatur, quia ardente febre tenebantur, non tamen admodum, neque ſane immeritò, nam admodum ſublimis ſpiritus valde lethale eſt: ex his vero febribus nulli narrantur mortui. Vrinę his erant tenues & non decolores, ſed rufæ fortaſſe. quod in prognoſtico dicitur crudam affectionem ſignificant, minus vero quam ſi etiam eſſent albę & tenues, vt hoc exemplo conſtet poſſe eſſe vrinam boni coloris ſine bona ſubſtantia. Modicę etiam fuerunt his vrinæ, quia erant alui turbatæ tenuibus & aquoſis. Vt ergo copioſa mictio exiguam deiectionem facit, ita copioſa deiectio, maximè aquoſa, facit exiguam mictionem.

Sanguinis fluxiones è naribus non niſi paucis contingebant neque parotides erumpebant, de quibus poſtea ſcribam: neque ſplenes attollebantur, neque dextri hypochondrii aut dolor vehemens, aut fortis contentio erat. Etſi aliquid ſignificare videretur. Maximè verò iudicabantur omnia plerumque circa decimam quartam, pauca cum ſudore, pauca cum rigore, & admodum paucis recidiuæ accidebant. Per pluuias autem quæ roris inſtar æſtate contingebant, apparuit ſudor. In febrici-

tantibus etiam quidam ſudores ſtatim à principio accidebant, non tamen maligno modo: & quibusdam ſub hoc tempus iudicatione cum ſudore fiebant. Superueniebant autem in æſtiuis febribus circa ſeptimam, octauam, & nonam aſperitates in cute miliaceæ, culicum morſibus maximè ſimiles, non admodum pruriginoſæ, hæ perſiſtebant vſqae ad iudicationem. Nulli autem viro vidi has erupiſſe. Mulier autem nulla mortua eſt, cui hæ accidiſſent. Auditu erant graui & comatoſæ. Prius autem non valdè erant comatoſæ quibus futuræ erãt.

Narrat Hipp. iudicationes, quæ non accidebant & quæ accidebant ægrotis illa tempeſtate, iudicationes verò quæ cum excretione, & quæ ſine excretione per ſolos abſceſſus, & quæ tempeſtiuè & quæ intempeſtiuè. Sed quorſum quæ non accidebant, aut cur non perſequitur omnia quæ non acciderũt? Non enim dicit, non fuiſſe copioſam excretionem, neque fluxiſſe pus ex aure. Certè vanum eſſet narrare quæ non acciderunt, niſi quòd accidere ſoleant talibus morbis, aut veriſimile eſſet tunc temporis affutura, atque ipſa non ſuperuenire, ſignificationem aliquam præſtaret notatu dignam. Sanguinis fluxiones ex naribus in ardentibus febribus frequẽtes ſunt, elatis ſurſum ſuccis præ feruore: atque in quibus ob aliquam cauſam non poteſt ſatis erumpere fieri ſolent parotides. In his verò neutrum horum fiebat, fortaſſe quia ſucci pituitoſi cum eſſent non efferebantur ſed deorſum repebant. Sed cur narrat ſplenes non attolli, neque dextri hypochondrii aut dolorem fuiſſe vehementem aut fortem contentionem? An quia vt dictum Hippoc. eſt in prognoſtico debent in febribus acutis conſiderari ſemper hypochondria, vt quæ magnã ſignificationem præſtare poſſunt boni aut mali. Quandoquidẽ ergo Hippo. narrat ſtatum quo hypochondria ſe habuerunt, conſtat illum perquirẽdi habuiſſe curam, habendamque proinde nobis in omnibus acutis morbis. Nam vt dicitur in prognoſtico, Hipochondrium optimum, quod ſine dolore eſt, & molle & æquale dextris & ſiniſtris partibus: inflammatum autẽ & dolens, vel diſtentum, vel inæqualiter affectum dextris partibus ad ſiniſtras, hæc omnia obſeruare oportet. Nam rumor in hypochondriis durus & dolens peſſimus quidem ſi in toto eſt hypochondrio: ſi verò ſit in altera parte, minus periculoſus eſt in ſiniſtra. Hoc ergo bonum erat in his ægrotis non attolli; neque diſtenta fuiſſe hypochõdria multùm, ſignificationem tamen (inquit) quandã præſtabant. Ideſt aliquo modo nihilominus erãt affecta. Et pleraque iudicabantur circa decimam quartam, quia erant acuti morbi. Tales verò vt in aphoriſmo dicitur, quatuordecim diebus iudicantur; pauca cum ſudore, pauca etiam cum rigore, quamquam hæ duæ iudicationum ſpecies familiares ſunt febribus ardentibus. Nam ita dicitur in aphoriſmo, In febre ardente rigore ſuperueniente, ſolutio, & in prognoſtico, Sudores optimi ſunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus decretoriis fiunt & febrem perfectè ſubmouent. His verò ægrotis non contigerunt hæ iudicationes, niſi paucis, nimirum rigores affuerunt, quia morbi pituitoſi magis quàm bilioſi erant, ſudores verò, quia tempeſtas ſicca. Nam per pluuias quæ roris inſtar æſtate contingebant, apparuit ſudor, vt etiam in initio ſectionis primæ huius libri, narrans tempeſtatem quæ in Cranone dixit, in his ſi minutæ imbris guttæ deciderint, magis ſudatoriæ fiunt ab initio. Ità hic quoque dicit apparuiſſe ſudorem in febricitantibus per pluuias roris inſtar contingentes, ideſt cum pluebat velut narrauerat, etiam quidã ſudores ſtatim ab initio fiebant ante tempus iudicationis, quia non fiebant ob internam cauſam, natura iam tentante materiæ expulſionem, ſed ob externam quæ corpora humectabat: tamen etſi ab initio illi ſudores fierent, non maligno modo fiebant, ideſt non manebant difficiliora iudicatu quàm aliter, vt in hiſtoria Cranonis dicebat, ſed fiebant non maligno modo, quia etſi eſſent ſigna mala vt certè omnes ſymptomaticæ euacuationes, non tamen lædebant, ſed iuuabant fortaſſe partem aliquam materiæ euacuantes. Neque quidem omnes ſudores erant ab initio, ſed quibuſdam ſub hoc tempus iudicationes cum ſudore fiebant, quibus ſcilicet accidebat concoctos iam eſſe ſuccos cum incipiebat pluere. Vna quædam inſignis abſceſſus ſpecies ſuperuenit horum plurimis æſtiuis febribus circa ſeptimam, octauam, & nonam, aſperitates ſcilicet in cute milii graniſ ſimiles, culicum morſibus maximè ſimiles: nõ admodum pruriginoſæ. Hæ, vt ex hac deſcriptione & accidentibus quæ mox dicit conſtat, erant illæ quæ Hiſpanis nouato nomine vocantur tabardillo. Sunt enim maculæ quædam per cutem erumpentes in febribus ardentibus ſymptomaticè, ob feruorem & malignam corruptionem ſuccorum. Superioribus annis fuit malum hoc in Hiſpania frequens. Malum alioqui rariſſimum vſque adeo vt tunc temporis primum videretur morbus cum nomine natus. Tunc obſeruauimus illis qui eo malo affliguntur fieri hæc quæ narrat Hyppocrates ſymptomata. Nimirum antequam erumpant maculæ, anguntur plurimum & vigilant ægroti, ſucco qui interius ſecernitur, & cuius natura parat expulſionem, lædente viſcera: poſtquam eruperunt & dum erumpunt delirant & comatoſi fiunt. Nimirum hoc malum non fit ex ſanguine tenui admodum, ille enim nõ cohibetur cute, quia ſtatim diſſipatur, ſed ex craſſiuſculo maligne putreſcente, aut tenui cum craſſo admiſto, ex quo accidit vt nõ fuerint admodũ pruriginoſę. Cum tenui ergo effertur craſſior ſanguis in caput, faciuntque vapores putredine mala affecti delirium, craſſi coma. Hę maculę colore plurimum differunt, indicatque colorum differentia tantam malignitatis morbi differentiam, vt ex nigris aut liuidis, vix vllus euadat, ex rubris pauci admodum intereant. Tales fuerunt in ægrotis huius tempeſtatis, quandoquidem tam pauci ex his mortui ſint, vt nullum Hippocrates viderit. Atqui profecto merito illius anni morbi, etſi magni ac vehementes, fuerunt tamen tam boni iudicii, vt omnes ferè liberarentur, & perpaucis acciderent recidiuæ. Quia etſi fuit annus malè temperatus, qui quidem morbos multos & magnos gignere poterat, inclinauit tamen ad ſiccius, ex quo ſecuriores erant & melioris iudicii. Quia vt dicitur in aphoriſmo, Ex anni conſtitutionibus, in ſumma ſiccitates pluuioſis ſalubriores ſunt, & minus lethales. Quod mulieribus ſolis dicta exanthemata per febres ardentes

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 77 sur 489

hac tempestate eruperint, duplicem causam esse puto, & quod ob deteriorem temperiem malignius eis succi putrescerent, & quòd ob densiorem cutem, & debiliorem calorem, minus exhalatione insensili discuterentur.

Non tamen in totum perseuerabant, sed comatosæ & somnolentæ erant æstate & vsque ad pleiadum occasum, Deinde autem vigiliis magis laborabant, sed neque omninò sub hac constitutione moriebantur. Ventrem igitur sistere non licebat per ea quæ gustantur, sed præter rationem putaret aliquis medicationem conferre. Etiamsi permulta quibusdam prodirent, quòd quis in frigore iaceret prostatus, sicut exulcerat quidem frigus. Calefaciendum est autem quod tale apparet sensim progrediendo potius, vt nulla naturæ passio accedat. In quibus videndum qualia signa, & plura aut pauciora aduenient, ossitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, flatus, omnia eiusmodi corrumpunt.

Hoc loco & in græcis codicibus occurrit tanta lectionum varietas, & in latinis versionibus, vt difficillimum proinde fuerit intelligere quid Hippocrates velit, &, quod ego sciam, intelligerit nullus. Tamen labor hic susceptus mihi est, & collatis codicibus, inuenta lectio hæc emendatissima, & apertissima. Febres illæ ardentes & comatosæ, de quibus hucusque locutus est, non durarunt nisi vsque ad occasum pleiadum, qui principio hyemis fit. Ab eo tempore laborauerunt dysenteria curatu difficili, facta ex refrigeratione. Cuius accidentia & causam & curationem hac breui oratione complectitur simulque communem omnis refrigerationis curationem & notas insinuat. Non (inquit) in totum, ideſt per totum annum perseuerabant dictæ febres, sed comatosæ, & somnolentæ erant æstate & vsque ad pleiadum occasum, deinde autem, ideſt hyeme vigiliis magis laborabant, quia dysenterię non permittebant satis dormire. Sed neque omnino, ideſt, sed neque per totum hunc annum moriebantur. Quare neque sub hac constitutione moriebantur, vt neque sub superiori: etiam si erant dysenteriæ magnæ, vsque adeo vt non posset venter sisti, neque iis quæ gustabantur, sed præter rationem putaret aliquis curationem conferre, ideſt, sed omnis curatio quæ conferre solet, præter rationem agi videretur. Hic apertè insinuat Hippocrates sistendi aluum maximam spem collocandam esse in cibis & potibus idoneis & medicamentis ore acceptis. Atqui profecto ego ita puto, siue ad sublimia siue ad humilia intesti. na malum pertineat. Quanquam detergentium etiã clysterum vsus in hac passione est vtilissimus, astringentium verò esus aut potus. Itaque difficilè his sistebatur. Atqui per multa quibusdam prodibãt. Occasio autem ægrotandi erat, quòd quis in frigore iaceret prostatus. Itaque maxima ex parte laborabant pauperes, ita vt fit, & qui carentes lectulis decumbebant in frigida humo. Id verò accidebat, quod frigus exulceret. In talibus verò oportet calefacere non repente & multum sed ex appositione potius, ideſt paulatim (vt nulla naturæ passio fiat. Quia si dysentericos etsi præ frigore laborare ceperint, plurimũ calfacias, augebis exulcerationes & fluxiones. Oportet ergo id facere modicè & paulatim, vt refrigeratio soluatur tutò, & in omnibus refrigeratis etiam, si dysenteria non tententur, eadẽ ratio curationis tenẽda est, quia refrigerati ob cohibitionẽ calidi effluuii facile incidunt in febres magnas, & internas inflammationes. Ergo in omnibus frigidis passionibus calefaciendum est modicè. His & talibus signis cognosci possunt, qualia in illis esse solent, aut omnia aut quædam plura aut pauciora, vt plus aut minus secundum plures, aut pauciores partes refrigerati sunt. Hæc sunt oscitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, flatus. Omnia enim huiusmodi corrumpunt, ideſt significant refrigerationem. Nam etsi omnis immodica intemperies corruptio est, refrigeratio maximè cẽsetur, quia vita calore seruatur præcipuè.

Quibus in febribus anxiosis & horridis rubescit facies, lassitudines adsunt, dolores oculorum, capitis grauitates, paraplexiæ, & hæc maximè accidunt quibus menses primò apparent, sed & virginibus & mulieribus, quibus ex longo tempore, sed & quibus non quo consuetum est tempore, aut non vt oportet, apparent, deinde admodum pallidæ fiunt.

Hic narrat Hipp. quæ mulieribus acciere solent quòd menstrua non fluant, aut quòd ex multo tempore, ideſt rariùs quàm oporteat, aut quòd non quo consuetum est tempore, sed nunc crebriùs nunc rariùs, aut non vt oportet, sed difficilè & parum. Quibusdam enim consueto tempore semper fluit, sed semper minus quam pro corporis indigentia. Ob hæc omnia meritò accidunt multa & grauissima mala, quia ea expurgatio menstrua maximè necessaria est corporibus muliebribus: vtpote quæ excrementosa admodum sunt. Ergo ea priuata redundant multis & malignis excrementis, qualia sunt quæ illa euacuatione expelluntur, inciduntque in morbos quibus ob grauitatem & symptomatum horribilium multitudinem Hippoc. librum proprium dicauit, qui est de morbis muliebribus. Atqui, quia hæc eadem grauiora multò accidunt virginibus: quippe quibus, quia venere non vtuntur, sanguinis minus fluit, & semen etiam (quod est multo grauius) detentum putrescit, seorsum scripsit de morbis virginum. Hicque eandem ob causam dicit, maximè hæc accidunt quibus primò, ideſt iis quæ adolescentiam ingrediuntur. Sed & virginibus, ideſt omnibus venerem non expertis, etsi sæpe iam menses fluxerint. Et mulieribus inquit, ideſt, sed & iis quæ venere vsæ sunt, si non frequenter, & consueto tempore, & vt oportet, apparent. Hic quidem non narrat omnia quæ dicta occasione mulieribus fieri solent (neque enim tam breui possent) sed præcipua quædam. Verum & quæ dicit & quæ omittit facilè intelliget qui legerit dictos libellos. Nam libello de morbis mulierum docet Hippoc. non tantum quas noxas afferre soleat menstruorum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 78 sur 489

struorum difficilis fluxio, sed & quo ordine, & quum primo mense defecerunt, & secundo, tertio, ac deinceps, vsque dum sit malum incurabile. Inret cætera dicit corripi sæpe mulieres febribus cum anxietate simúlque explicat quid vocet anxietatem. Nam, inquit, anxia erit & alias atque alias se ipsam iactabit. Horridas etiam esse, ac labore plenas his febres dicit. Nam hæc sunt illius verba, suffocatio aliàs atque aliàs in ipsam irruet, & febris aliàs atque aliàs corripiet, & horror, & lumborum dolor. Sed hæc etiam omnia graviora fieri in virginibus; simulque resolutiones quarundam partium accidere dicit, quæ quum alterius tantùm corporis partis sunt, paraplexiæ dicuntur libello alio. Iam verò dolores oculorum ad radices, & capitis grauitates fieri vterino morbo detentis, Hipp. dicit, sed & mulieribus omnibus est notissimum. Omnia autem hæc fiunt, non tam cum mulier priuata est fluxione consueta, quàm eo tempore quo fiunt malè, aut quo tentatur ea expulsio, sed non perficitur: cum scilicet, vt dicit Hippo. libello de morbis virginum, sanguis in vteros confluit velut effluxurus, proinde hic dicit quibus menses primò apparent, ideſt accident hæc cum muliebria apparent malè, aut cum instant. Nam quòd hæc euacuatio cesset, tantùm colligitur in corpore cacochymia, & quum sunt quieta excrementa melius transigunt mulieres, dum autẽ fit, aut instat, agitatur vitiosus sanguis missus in vterum vndique: cumque fution inuenit exitum recurrit ad superiora, & malè afficit cor, caput, & instrumenta omnia respirationis, atque ante etiam quam recurrat effumat agitatus, vnde capitis grauitates, oculorum dolores, rubores faciei, anxietates, suffocationes, nonnunquam etiam insanias facit. Cum igitur (inquit Hippocrates) osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit, tunc sanguis non habens effluxum propter multitudinẽ resilit ad cor, & ad septum transuersum. Sed paraplexias quo pacto facit? quemadmodum (inquit Hipp.) cum aliquis per longum tempus desidet, sanguis ex coxis ac femoribus depressus in tibias ac pedes torporem inducit, à torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad supernas partes reuertatur. Itaque resolutiones in his fiunt, cõfertim replente partẽ sanguine atque ita repẽte, recedente sanguine, soluuntur, vt, genus causæ ignorantibus videãtur multa talia miraculosa. Sed quæ dicta sunt, fluente sanguine, aut dũ tentat natura fluxionem, maximè fiunt, postea verò suppressa fluxione cacochymæ fiunt mulieres, debilitanturque earum facultates naturales, & multas obstructiones contrahunt, vnde pallidæ fiunt.

Magni autem momẽti est cõsiderare in omnibus & quod sequitur, & in quo tẽpore, & quibus: præcipuè in febribus valdè biliosis, omnino quibus in crura purgatio decumbit. Medicamẽtorum etiam modos scimus, ex quibus fiunt, qualia, & quæ. Non enim omnes eodem modo, sed alii aliter benè disponuntur, & alibi citiùs aut tardiùs accipienda manuum tractationibus, velut siccare, aut tundere aut coquere & alia huiusmodi. Miito plurima, quænam vnicuique conducunt, & in quibus morbis & quo morbi tempore, ætatem, speciem, victum, quale tempus anni, & quod, & qualiter procedat & huiusmodi.

Breuissimè vt solet hac oratione cõplexus est multa ad curandi rationem spectantia, quæ medicus scire & facere debet, & quæ considerare vt præstantia indicationem faciendorum. Sunt verò hæc omnia quæ hoc loco simul collegit, sparsim scripta ab Hippocrate in multis aliis. Pars prima orationis æquè videtur posse duo significare: alterum, magnum esse, ideſt, magni momenti in omnibus morbis scire quid deinceps ægroto superuenturum sit: & quo tempore, hoc est, an mox an aliquantò an multò post: & in quibus morbis quidque superuenturum sit: quia non sunt eadem omnibus morbis superuenientia æquè bona aut mala, sed quibusdam meliora aut deteriora. Atqui præscire quod deinceps futurum sit differentiam habet ex iis quæ possunt superuenire. Aut enim superuenturum morbum morbo præsentimus, aut accidens aliquod morbo, idque bonam aut malam significationem præstiturum consistens in genere signorum salutis aut mortis, vel concoctionis & contrarii: aut constitutionem aut iudicationem & iudicationis speciem [cum quibus intelligo signa omnia decretoria] aut salutem aut mortem. Morbus morbo superuenire potest, aut citra necessitatem aut necessario. Atqui quod citra necessitatem, aut quod ita soleat, aut casu quodam. Casu quodam superuenire potest, quodcunque cuicunque cum quo potest complicari, & huius agnoscendi non est ratio aliqua ex specie morbi prioris, sed ex signis quæ solent præcedere posteriorem. Quod soleat, vt primo de morbis Hipp. dicit, ex pleuritide febris ardens (febris scilicet morbus, nam febris accidens necessariò coniuncta est) ex phrenitide peripneumonia, dysenteria ex tenesmo, ex dysenteria lienteria, ex lienteria hydrops, ex pituita etiam alba hydrops (nam leucophlegmatiam non vocat hydropem Hipp.) ex peripneumonia & pleuritide, pectoris suppuratio. Necessariò, vt (inquit) si rigor corripuerit, necesse est superuenire febrem: si neruus dissectus fuerit conuulsionem facit: ex cerebri vulnere necesse est febrem superuenire, & alicuius partis corporis conuulsionem: facto fluxu sanguinis in ventrem aliquem necesse est grumos putrescere. Accidentia mala sentimus, vt si vulnus cerebrum attingat, superuenturum vomitum biliosum si inflammatio irrepsit in septum transuersum, futurum delirium: si dentes stridentes, futurum furorem; bona, vt si quis purgationem copiosè fluere considerans, prædicit sitim futuram perfectæ purgationis notam. Signa concoctionis, vt si quis videns turbatam vrinam iam clarescere, prædicit futurum vt citò aliquid contineat, & videns semirubrum semialbum sputum, futurum purulentum: Constitutionem, hoc est, futurum morbum breuem aut longum agnoscimus maximè ex signis concoctionis, quia si mox apparent morbum contrahunt, sin autem tardiùs, producunt. Iudicationem futuram esse ex magnitudine & acutie morbi coniectamus, quia magna iudicantur, parua soluuntur, vt Gal. dicit. Ad præsensionem speciei iudicationis

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 79 sur 489

©BIUM

multæ Hippocratis ſententiæ ſpectant. Velut illa in prognoſtico, inquirendum num doleat caput, an hebetudines ſubeant oculorum, fluxus ſanguinis de naribus inſtat. Huc etiam ſpectat quod mox in hac ipſa ſectione dicet, laterum contentio dolorosa, & hypochondriorum contentiones, & ſplenis eleuationes è naribus ſanguinis eruptiones è directo ſignificant. Salutem futurã ſignificãt omnia ſigna quę ab Hippocrate ſiue in aphoriſmis, ſiue in prognoſtico ſiue prorrethicis, ſiue hoc ipſo opere, ſiue alibi, bona dicuntur, præcipuè verò quæ admodum ſalutaria: mortem, omnia quæ mala, præcipuè verò quæ lethalia, ac multò magis quæ valde lethalia. Talia ſunt quæ poſſunt dcinceps fieri quæque magni momenti eſt pręſentire. Magni quidem momenti, & ad honorem medici, & ad curationem ſuſcipiendam vt in proœmio prognoſtici indicatum eſt. Hæc verò datur præſentire non tantum futura eſſe: ſed quo tempore, velut ſi nebecula quarto die rubea apparet, iudicatio erit ſeptima: & quibus ſeptima die excerni incipit excreatio partim bilioſa partim purulenta, eos morituros decimaquarta exſpectare oportet. Porrò à die qua inuadunt rigor & febris & pro dolore põdus percipitur, ruptionẽ ſuppurationis expectare oportet vigeſima, trigeſima, quadrageſima, aut etiam ſexageſima die. Porrò cõſiderare expedit non ſolũ quid ſuperuenturum ſit: ſed etiam in quibus morbis: quia id quoque magnum momentum habet. Nam fluxus alui ſuperueniens ſurditati, hydropi, aut ſpleniticis eſt bonus: pleuritidi aut perineumoniæ, malus. Conuulſioni ex alui profluuio febris ſuperueniens, mala; conuulſioni ex partu, bona. Omnium ergo horum præſenſio magni momenti eſt: præcipuè verò in febribus valde bilioſis, ideſt, in morbis acutis, qui cum putridis febribus continuis affligunt (nam in his eſt maior vſus artis prognoſticæ) & hæ ſunt quæ iudicationes habent: ſed & in iis quæ prò iudicationibus habent abſceſſus (velut multę ad crura, vtpote partem externam humilem & ignobilem) ideſt, in longis. Itaque hæc periphraſis, præcipuè in febribus valde bilioſis, omnino quibus in crura purgatio decumbit ſignificat idem, ac ſi diceretur, præcipuè in acutis ſed omninò etiam in longis. Hoc ergo eſt quod prima totius huius orationis pars ſignificare poteſt, pertinetque iuxta hanc enarrationem ad partem prognoſticam per ſe: ex accidenti, etiam ad curatoriam, vt curationi morborum prænotio ſubſeruit. Alterum eſt magni momenti, ſcire quid poſt quid circa ægrotantem agi oporteat. Ad quem locum ſpectat illa conſideratio, vtrum ſit potius poſt expurgationem mittere ſanguinem, an expurgare poſt ſanguinis miſſionem, & illa, an ab epoto pharmaco dormiendum an mouendum, & an à clyſtere mittendus ſanguis an contrà, atque alia innumera: latiſſimus enim hic locus eſt, multas conſiderationes continens, quia non ſatis eſt ſcire, quæ agenda: ſed etiam quo ordine. Arqui iuxta hanc enarrationem magis proprię vſurpatur illud τὸ ἑξῆς quã iuxta priorẽ. Nã Ariſtotele enarratore, deinceps ſuccedere aut eſſe dicuntur, nõ quæcunque poſtea vtcũque ſunt: ſed quæ proxima, ita vt nihil eiuſdem generis intercedat. Itaque ſit hęc conſideratio, à quocunque auxilio medico quod aliud mox ſuccedere debeat, vt rectè procedat, quæcunque curatio ſuſcepta ſit. Non eſt autem ſatis noſſe quę agenda (nam hanc conſiderationem prio-

rem intelligi volumus) & quo ordine: ſed & quo tempore morbi, anni, aut diei. Morbi, vt an expurgandum ante diem quintum, an non ante concoctionem, an vtendum ſolis reſoluentibus in ſummo vigore, an non ante inclinationem: Anni, quia quibus venæ ſectione aut expurgatione eſt opus, vere facere expedit, vt in Apho. dicitur: Diei, quia vt 1. de morbis dicitur, quidam morbi ſunt quibus occaſio eſt vt curentur matutina diei hora, alii quibus occaſio eſt vt curentur ſemel in die, nec refert quo tempore id fiat. Sed & in quibus morbis, vt an in pleuriticis ſit expurgandum, an ſolum mittendus ſanguis, an in angina ſit vtendum repercutentibus, an non. An in affectione ventriculi liceat vti ſolis laxantibus aliquando. Sed cum hæc omnia noſſe in morbis omnibus magnum momentum habeat, præcipuè verò in acutis, quippe in quibus ſi quid ob imperitiam erratum ſit, minus ob breuitatem emendari poterit. Prima ergo pars hæc continet. Secunda pars continet, quę ſpectant ad materiam. Pertinet verò ad medicum, quia vt Ariſt. dicit ad eundem artificem pertinet nauem facere, & noſſe ex quibus lignis facienda ſit. Medicamentorum (inquit) modos ſcimus, id eſt ſcire debemus, vocat verò modos differentias ſeu ſpecies. At qui medicamentorum nomine licet hic intelligere, aut quę magis propriè medicamenta vocamus, aut generatim omnia auxilia medica. Atqui vtroque modo verum eſt quod dicitur, & multi modi intelligi poſſunt. Nam ſcire debet medicus omnes modos auxiliorum ſecundum primas differentias & poſteriores vſque ad vltimas. Secundum primas dico, velut quæ victu aguntur: quę pharmacis, quę chirurgia: aut vt aliis placet diuidere, in ea quę aſſumẽda, quę admouenda, quæ agenda. Secundum poſteriores, vt rationem mittendi ſanguinem, expurgandi, inſtituendi victum, medicamentis alterandi, & aliud quiduis faciendi. Medicamentorum quoque modos noſſe oportet & eos qui ſunt ſecundum differentiam facultatum, & ſecundum modos præparationum ad vſum. Primo modo, vt quæ calida, quę frigida, quæ humida, quę ſicca, quę duo horum habent: ſed & ſecundum facultates ſecundas vt quæ adſtrigentia, quæ laxantia quæ reſoluentia, quæ mouentia pus, quæ diuretica, quæ expurgantia. Sed & ſecur dùm tertias quæ velut proprietates quædam ſunt, vt quæ capitalia, quæ hepatica, quæ lieni vtilia. Secundo modo vt quæ ore accipiuntur forma liquida, potu: aut forma boli, aut trochiſcorum aut tabellarum, eſu accipi poſſe: aut catapotiorum aut puluerum, deglutione. Quæ admouentur, effundi, vt embrochas, aut inungi vt olea, linimenta: aut ad moueri, vt cataplaſmata: aut affigi vt emplaſtra aut ceratos linteolos. Modos hos omnes medicaminum & medicationum noſſe oportet, non enim omnes eodem modo, ſed alij aliter bene diſponuntur, & curantur. Et alibi citius aut tardius, ideſt, & alij indigent curatione celeriori, alii tardiori. Vt ſcilicet morbus ipſe acutior eſt, aut tardior. Nimirum, vt dicitur. 1. de morbis, repentinæ auxiliorum occaſiones ſunt in acutiſſimis morbis, in aliis minus repentinæ. Sed hoc quod de celeriori aut tardiori curatione dicimus, ad conſiderationes curatorias ſpectare videtur, quod mox addit pertinet ad materiam. Aſſumenda (inquit) manum

©BIUM

tractationibus velut ſiccare, aut tundere, aut coquere, & alia huiuſmodi. His verbis inſinuat artem ſephiſticam etiam eſſe ad curationes obeundas neceſſariam, ac proinde medicinæ partem. Quia medicamenta omnia indigent præparatione aliqua manufacta, aut miſtorum aut ſimplicium. Miſtorum quidem præparatio eſt artificioſa, & quæ vnicuique congruat, miſtio: ſimplicium, vt quædam ſiccare oportet, & in puluerem redigere inſolata aut ad igné: quædam tundere, idque tenuiter aut craſſiuſculè: quædam elixare in aqua, quædam aliter parare. Sed cum omnia medicamenta præparationem quandam deſiderent, ea maximè quæ intra corpus aſſumenda ſunt, quia plerumque qualitates aliquas noxias præparatione deponunt, & in aſſumendis maius periculum ab inemendatis impendet, quàm in iis quæ admouentur. In fine orationis per præoccupationem dicit omnia à quibus curatoriæ indicationes accipi poſſunt. Ea verò ſunt omnia quæ naturalia, & præter naturam & non naturalia ſunt. Naturalia quidem, vt temperies naturalis, & ætas, & peculiaris cuiuſque natura, ſeu proprietas & conſuetudo. Peculiarem naturam intelligit dicens, quæ vnicuique conducunt, ſecundum conditionem, ſcilicet ſingularem: temperiem quæ ſecundum appellationem communem: dicitur, intelligit dicens ſpeciem. Conſuetudinem intelligit, dicens victum. Conſiderare ſcilicet oportet victum qui anteceſſit. Præter naturam ſunt morbus, & quæcunque morbi pars, cauſæ & ſympromata. Non naturalia ſunt, tempus anni, & quæ huiuſcemodi. vt regio. In anni tempore conſiderandum, quod ſit, vt an ver, æſtas, autumnus, an hyems, magis autem quale. Non enim ſemper ver eſt ſui ſimile, neque omnibus annis fiunt tempeſtiua tempeſtiuè. Magis autem refert ad curationes morborum conſiderare quo pacto affectus ſit aer, quàm qui menſis, aut quotus illius dies ſit. Sed & quo pacto procedat. Nam mutationes aëris quæ dum morbus durat, ſuccedũt, magnas etiam mutationes morbi conſtitutioni afferunt. Quare non ſolum quale tempus ſit ſemel conſiderandum: ſed quotidie etiam qualis ſit ille dies. Nimirum ex his omnibus naſcitur ratio curationis, quæ tenenda eſt, rebus naturalibus petentibus ſimilia, rebus propter naturam petentibus contraria, non naturalibus nunc ſimilia, nunc contraria, vt euenit iuuare naturam aut morbum.

Zoilo qui iuxta murum habitabat, ex matura tuſſi febris acuta accidit & faciei rubor, & aluus intercepta nil niſi coactè egerebat. Lateris ſiniſtri dolor aderat, & auris è directo valdè dolebat, caput verò non adeò. Expuens quoddam purulentum ſemper ægrotabat. Verùm alia indicata ſunt, & circa octauam aut nonam diem ex aure pus multum effluxit. In principio autem nonæ diei doloris auris finis fuit. Neſcio quomodo ſine rigore iudicium factum eſt. Sudauit caput valde & hic. Firma inuaſio ſiniſtri lateris. Surſum ſimul cum aure ſecundum ſcapulam præcipuè leuatus eſt dolor. Sed & prius ſputa multa quæ ſecundum principia ſpuebantur florida, & circa ſeptimam aut octauam. Deinde concocta. Venter reſtitit vſque ad nonam & decimam. Dolor euanuit. Tumor remittebat, & ſudores exigui fiebant, non tamen iudicabant. Manifeſta hæc erant & aliis, & ſeceſſu. Cum enim inciperet dolor auris, etiam venter turbatus eſt. Effluxit autem pus ex aure nona die, & iudicatus eſt decimâ quartâ ſine rigore morbus eadem die. Cæterùm ſputum copioſius procedebat, & magis concoctum, poſtquam pus ex aure effluxit. Sudores verò & herpetes in capite in multum tempus fiebant. Areſcentes tertio quoque die.

Difficilem faciunt hanc narrationem repetitiones quibus vtitur. Videtur enim nunc ad eadem deuolui, nunc redire ad priora, nunc dicere contraria. Cauſa verò eſt quia in principio narrat breui totam hiſtoriam, ſummatim attingens prima & vltima, mox redit rurſum ad eandem narrationem à principio, narrans ſigillatim ſingula. Intelligentur verò facilè verba ipſa prius explicata vt acta eſt tota. Zoilus proculdubiò laborauit catarrho ob redundantiam excrementorum in capite (nam id totus proceſſus & exitus morbi indicauit) hic fecit tuſſim, quæ ſicca durauit aliquandiu, ita vt fit, deinde matureſcente iam tuſſi, cum calor in eo vegetior eſſet factus, roboratum cerebrum tentauit multitudinem expellere, expulitque ſimul magnam partem ad porum auditorium ſiniſtrum, & ad ſiniſtram partem thoracis, & ad totum id latus ſecundum alteram capitis & ceruicis & ſcapularum partem. Itaque cœpit ſimul laborare auris inflammatione, & pleuritide: & dolore occupante totum id latus. Cum auris dolor cœpit, ac cum eo reliqui etiam dolores & febres, fluxit etiam aluus copioſè, vnum fortaſſe diem, aut etiam noctem, deinde reſtitit vſque ad decimum diem, vt nihil niſi coactè, id eſt vix ſiccum & cum clyſteri egereret. A principio dolorum & febris, cœpit excreare ſubpurulẽtum ſeu floridum, hoc eſt ſemiſanguinem, ſemipus. Vtraque inflammatio, auris inquam, & lateris, ſuppuratione iudicata eſt. Auris quidem inter octauam & nonam diem, lateris autem decimâ quartâ, vtraque ſine rigore. Circa iudicationem inflammationis auris, factus eſt ſudor copioſus capitis. Ab eo tempore exigui quidam nihil iuuantes proceſſerunt, à ſuppuratione pleuritidis proceſſit ſputum largius & magis concoctum, id eſt benè ſuppuratum depoſito iam rubore, & adhibuit medicus vſtionem thoracis, quæ in hoc malo maximum remedium eſſe ſolet, & multum tempus poſt hæc fiebant in capite ſudores, & herpetes, qui tertio quoque die exacerbabantur, & tertio quoque areſcebant. Ita tandem euaſit. Zoilo, inquit, iuxta murum habitanti, ex tuſſi maturâ, febris acuta. Tuſſim illam ex redundantia excrementorum in capite fuiſſe, euentus declarat, & decubitus illius materiæ ſecundum rectitudinem, cum capite, & ſudores, herpeteſque capitis, quibus tandem ſolutus morbus eſt. Cerebri enim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 81 sur 489

©BIUM

excrementa abſceſſerint primùm ad alteram illius partem, inde magna illius pars, in aurem, & latus ſecundùm rectitudinem poſitum, incubuerit. Quod verò tuſſi quæ concoqui cæperat, alia grauiora mala ſuperuenerint, non mirum. Nam cum multitudinem excrementorum magis quàm cruditatem ſequi poſſint, ſæpe vno malo concocto aliud ſuperuenit deterius. Faciei rubor hic, ad ſuppurationem tendentibus pleuritidibus, aut ad peripneumoniam, ſolet fieri. Aluus intercepta eſt præ febris magnitudine, & vehementia impetus ad ſuperna B concitati: atqui deterius fuit, quod, vt mox dicetur, in principio multum ſoluta, multũ ſiccata aluus eſt, illud enim ſignificauit magnã copiam, hoc magnum recurſum, atque adeo in morbis thoracis, & capitis, vtrumque malum eſt, & multum fluere, & ſiccari aluum. Lateris ſiniſtri dolor, & auris è regione poſita, hoc eſt ſiniſtra, valdè dolebat, caput verò non adeo. Nimirum auris dolor, quem ego ex catarrho aliquoties in meipſo expertus ſum, acutiſſimus eſt. Spuens ſemper, ideſt à principio febris acutæ (cum C enim hæc exciperet concoctam tuſſim, fieri ita potuit) ſubpurulentum, id eſt ſemipus, ægrotabat. Alia iudicata ſunt, id eſt, quæ pertinebant ad aurem, ceruicem & ſcapulam ſoluta. Rationem verò & tempus iudicationis indicat, dicens. Secundùm aurem pus multum effluxit circa octauã aut nonam diem. Explicans deinde cur dicat circa octauam aut nonã, dicit: in principio nonæ diei doloris auris finis, id-eſt finitus eſt dolor circa principium nonæ diei. Neſ- D cio (inquit) quomodo ſine rigore iudicium factum eſt. Miratur Hippocrates quia ſuppurationes in partibus ſenſientibus ſolet rigor comitari. Nam in prognoſtico dicit initium ſuppurationis eſſe, ex quo primum eum rigor apprehendit. Fortaſſe in hoc homine abſtulit rigorem copioſus ſudor, qui hoc ipſo tempore, hoc eſt circa octauam & nonam diem, contigit. Proinde dicit, ſudauit caput valde & hic. Firma inuſtio ſiniſtri lateris. Ideſt firma tandem curatio fuit, inuſtio ſiniſtri lateris. Auxilium ſane Hippocra- E ti in his & in omnibus ferè doloribus diuturnis familiariſſimũ, noſtro tempore non ſine magno ægrotantium diſcrimine inuſitatum iam. Quia ſi qui medicorum eo vti vult, tempeſtiuè ægroti non parent, vtpote meliora & minus moleſta ſperantes: cum iam in extremo vitæ conſtituti quidvis paterentur, medicus non vult id tentare, vt qui videat iam nullam ſalutis ſpem eſſe. Quod ego iam in aliquibus facere cœpi, ceſſitque optimè, audi: Nihil præfatus ſub emplaſtro aliquo quo ad dolentes partes vtor, pono medicamentum cauſticum, quà F emplaſtrum hæret loco, quem vri volo. Aegrotus doloris cauſam non intelligens incautè patitur, vſque dum facta ſufficiens inuſtio eſt. Fieri verò id poteſt in vna aut plurib⁹ particulis, vt res exiget. His dictis cùm extremum narrationis videretur attigiſſe, redit Hippocrates ad nuper dicta. Surſum ſimul cum aure ſecundum ſcapulam præcipuè leuatus eſt dolor. Ideſt, ſimul cum dolore auris ſedatus eſt dolor ſcapulæ & humeri, & ceruicis è regione. Sed & ſputa multa quæ prius ſecundum principia, & circa ſeptimam, & octauam ſpuebantur flori- G da, deinde; hoc eſt, poſt ſeptimam & octauam, concocta, i. ſuppurata iam ſpuebantur. Venter reſtitit vſque ad nonam & decimam diem. Ergo intelligimus circa nonam & decimam fluxiſſe. Iudicat autem bene morbos aurium, fluxus ventris. A Nam in aphoriſmo dicitur profluuium ventris ſurditatem tollere. Itaque dolor auris euanuit circa initium nonæ diei, vt dictum eſt. Deinceps tumor, hoc eſt, inflammatio lateris remittebat, & ſudores exigui fiebant. Non tamen iudicabant. Manifeſta autem erant, excrementa quæ in corpore abundabant, & aliis, & ſeceſſu. Nam etſi dictum eſt aluum reſtitiſſe, & nihil egerere niſi coactè, tamen cum inciperet dolor auris, hoc eſt primo die, aut etiam ſecundo febris & dolor: venter turbatus eſt, vt etiam circa nonam, & decimam. Effluxit autem, vt dictum eſt, pus ex aure nona die, & iudicatus eſt totus morbus, pleuritis ſcilicet, decimaquartã, ſine rigore etiam fuit ſolutio hac eadem die, vt fuerat nona. Cæterum ſputum largius ibat, & magis concoctum, hoc eſt ſuppuratum, ex quo ex aure pus effluxit, atque itaque proceſſit, vt intelligamus poſt decimamquartam fuiſſe adhuc copioſiores pris excreationes. Hoc tempore etiam vſtio facta fuit, etſi id Hippocrates non repetat. Sudores verò, & herpetes in capite in multum tempus fiebant, areſcentes tertio quoque die, & tertio quoque die reflorescentes, quod quidem ſignificabat biliosam fuiſſe capitis cacochymiam.

Quæcumque ſine ſigno aliquo diſparent, difficilis ſunt iudicationis, quale fuit eryſipelas quod puellæ Pollimarchi accidit.

Eryſipelas non poteſt bene ſolui, niſi paulatim & exuſta in parte malè affecta cute; relictoque veſtigio: ſi nullo relicto euaneſcat repentè, non debet probari ea ſolutio. Significat enim introuerti, quod tantopere in prognoſtico vituperatur.

Iis bubonibus febres malæ ſunt, exceptis diariis, & qui in febribus accidunt bubones deteriores quum in acutis ab initio decreſcunt.

Dictum mihi eſt in commentatione aphoriſmi quinquageſimi ſexti quartæ particulæ, ſiue febris non diaria ſuperueniat bubon, ſiue bubo febri, ſiue ingruant ambo ſimul, malum eſſe, quia ſignificatur viſcerum graue malum. Itaque bubones malos eſſe cum febribus putridis. Addit nunc Hippocrates eos eſſe deteriores, qui in acutis febribus ſunt, tales enim ſolent eſſe periculoſiſſimi, atque adeo peſtilentes. Maximè verò eos, qui ab initio decreſcunt, ideſt mox in initio pullulantes, deinde non creſcunt cum febribus, ſed decreſcunt febribus creſcentibus, illud enim & eſſe magnam materiam, & recondi in viſceribus ſignificat.

Flatus indicat hypochondriorum elevatio molli, & in neutrum latus vergens contentio, in ipſorum ſuperna & dextra parte rotundum quiddam velut circunferentia, ſuppurationem portendit. Aliud longius

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 82 sur 489

©BIUM

magis eſt, aliud deffuſum, aliud deorſum repit, & hinc inde contentio ad vmbilicum protenditur. In omni latione quæ ſurſum & è directo fit, ſi quid colligatur & comprehendatur in rotundum, ſi quidem flatus eſt, ſine iudicatione attenuatur calore: ſi autem hunc effugiat, in ſuppurationem tendit.

Notas cauſæ & affectus & affectæ partis in ventris tumoribus docet, etſi non perſequatur omnia, ſed tangat, vt ſolet. Docet hæc fuſius Gal. lib. 5. de locis patientibus. Dicit Hippocrates eleuationem in hypochõdriis mollẽ, hoc eſt, non admodũ retinentẽ tactui, cum diſtẽtione, tamen quæ facit vtſonea, quæ compreſſione facta fuerit, non multum retineatur, ſi κλισις ὁ ἐνθεῦτεν hoc eſt ad neutram partem inclinet, ſed totum hypochondriũ teneat, ſignificare ſpiritus, hoc eſt flatus. Tale enim eſt, quod in tympaniticis apparet. Si verò ſuprà hoc eſt in ſuprema vẽtris parte ἐκ τῶν δεξιῶν hoc eſt, in hepatis loco, rotundus tumor appareat velut circũferentia, ſuppurationẽ portẽdit. Quia illo loco tumor rotũdus cũ aliis neceſſariis notis, inflammationem hepatis ſignificat, & eam quidem magnam, exiguam enim muſculi occultant. Ex magnis autem inflammationibus plerunique ſuppurationes fiunt, maximè iis quæ in hepate ſunt, nam vt in prognoſtico dicitur. œdema quod in ventre fatigat, minùs facit abſceſſum, quàm quod in hypochondriis; minimè verò partes ſub vmbilico in ſuppurationem vertũtur. Atqui tumores in ventre non omnes rotundi, ſed aliud longius magis, ideſt, alius tumor eſt in longum productus, talis eſt, qui tenet muſculos rectos, alius deorſum repens, non ſecundum rectum, talis tumor eſt, qui tenet muſculos obliquè deſcendentes, aut obliquè aſcendentes: obliquè deſcendentis muſculi eſt, qui repit à parte poſteriori in anteriorem deorſum, obliquè aſcendentis, qui à parte anteriori ad poſteriorem deorſum, (quod idem eſt) à poſteriori ad anteriorẽ ſurſum. Et hinc inde contẽtio vſque ad vmbilicũ. Tales ſunt tumores muſculorum tranſuerſorũ. Aliud eſt diffuſum, ideſt, ad varias partes pertinens, & verſus varias ſpectans, vt cum tumores tenent muſculos diuerſos, aut internarum partium multas variè diſſitas. Atqui tumor rotundus mox ac producitur vltra conſtitutionem inflammationis, ſuppurationis ſuſpitionem præber, tamen non ſemper ſuppuratio eſt, ſed nonnunquam collectio flatuoſa. Atqui ſane in vtraque collectione. & puris ſcilicet & flatus, & tumoribus, aut tentionibus diffuſis, aut in longum productis, reuocatur aut colligitur in vnam partem materia, & in rotundum abit. Sed an flatus ſit, ita dignoſcitur. Si ſpiritus, ſeu flatus eſt, ſine iudicatione, ideſt ſine manifeſta euacuatione, extenuatur. & inſenſibiliter abſumitur calore, ideſt, calorificis fomentis: ſi autem hoc effugiat, ideſt huic curationi non obediat, in ſuppurationem tendit.

Derſi ſpiritus, parui, magni, rari, parui rari, exit extra magnus, intro paruus, hic quidem tardans, ille feſtinans, duplex intrò reuocatio velut ſuperinſpirantibus, calidus, frigidus.

Hæc eadem ſententia cum multis ſequentibus ſcripta occurrit ſexto libro epidem. par. 2. atque adeo hic deſunt duæ voculæ, quæ illinc transferendæ huc ſunt. Scilicet magni denſi. Nam cum hoc & illo loco velit Hippocrates breuibus amplecti omnes differentias reſpirationis, & tres differentias coniugationum magni & parui cum raro & denſo ſcribat, denſi ſcilicet & parui, magni & rari: parui & rari quarta haud dubie deeſt, magni & denſi. Sed vt Hippocrates tam breui oratione ferè nullam reſpirationis differentiam non attigerit, cõſiderare oportet, & ſi quam omiſit, addere. Differentiæ plurimæ communes ſunt reſpirationi, & pulſui, non tamen omnes. Nam quædam huic quædã illi ſunt propriæ. Communes quidem ſunt, magnitudo, celeritas, & crebritas, rhythmus, æqualitas, aut inæqualitas, ordo, aut contratium. Debilitas & vehementia. Hæ quidem eodem modo in vtriſque definiuntur, & dicuntur vniuocè. Propria differentia pulſus eſt durities, & mollities. Quia in reſpiratione, cum non ſit eius iudex tactus, conſiderari haudquaquàm poteſt. Velut reſpirationis eſt differentia propria ſublimem, aut non ſublimem eſſe, quia hæc differentia capitur, ex numero inſtrumentorum, quæ in actionem adhibentur, quæ quidem quia multiplicia, & liberè mouentia, non adhibentur ſemper eadem. At verò pulſui non poteſt eſſe differentia aliqua, quæ huic reſpondeat, quia ſemper agitur inſtrumentis eiſdem, corde inquam & arteriis leuibus. Velut etiam accidit ſoli reſpirationi, vt quodam poſitu facilius aut difficilius agatur, vnde ea differentia prodit quæ orthopnœa nuncupatur. Eſt etiam propria reſpirationi differentia, quæ capitur ex qualitate materiæ, quæ expiratur. Vnde ſpiritus calidus & frigidus dicitur: in pulſu verò nullus ſenſus eſſe poteſt materiæ, quæ trahitur aut pellitur. Hic igitur Hippocrates omnium differentiarum communium reſpirationi & pulſui meminit, præter vnam debilitatem, aut vehementiam: & vnius propriæ, calidi inquam & frigidi. Duas ergo ſolum proprias omiſit, ſublimem, & non ſublimem, & quæ ex poſitu capitur, orthopnœam. Quas ſi addas, nulla amplius deeſſe videbitur. Dicit verò Hippocrates non tantum ſimplices, ſed & compoſitas. Simplices enim ſunt magna & parua: velox & tarda; ſeu tardans & feſtinans: denſa & rara. Fiunt hinc compoſitæ quatuor differentiæ: magna & rara, magna & crebra, parua & rara, parua & crebra. Et ſunt hæ differentiæ ſignificatione inſignes. Nam vt in prognoſtico dicitur, ſpiritus creber & magnus ſignificat ardorem: creber & paruus, dolorem: rarus & magnus, delirium: rarus & paruus, dolorem: rarus & magnus, delirium: rarus & paruus, extinctionem caloris. Atqui celeritas & tarditas cum dictis differentiis componuntur. Nam qui magnus & creber eſt ſpiritus, celer etiam neceſſario erit: qui paruus & rarus, tardus etiam ſtatim: qui magnus & rarus, etiam celer, quia cum non cogit ſumma neceſſitas, ceſſant à reſpiratione qui deliſant, cùm verò cogit, reſpirabunt etiam celeriter. Paruus & creber, vt vrgebit magis calor, aut dolor, ita erit tardus aut celer. Si enim calor etiam cum dolore vrget, vt per inflammationes, erit celer & creber: ſi verò dolor multùm & calor nihil aut exiguum, vt per concluſos flatus, erit paruus & tardus. Rhytmus eſt, cum ſecundùm naturalem proportionem reſpondet mo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 83 sur 489

©BIUM

magnitudo expirationis & inſpirationis: ſunt mali rhythmi, cum ab hac proportione deficiunt, aut quod dilatatio ſit maior conſtrictione, quod fit, cum maior eſt neceſſitas attemperandi cordis calorem, aut reficiendi ſpiritus cerebri, quàm expellendi fuligines: aut quòd conſtrictio ſit maior dilatatione, quod ob contrarias cauſas euenit. Æqualis & inæqualis multæ differetiæ eſſe poſſunt: & inæquali ſunt ordo aut ordinatio. Tamẽ Hipp. vno exemplo inæqualitatis maximè inſignis, attigit totum hoc genus. Duplex, inquit intrò reuocatio velut ſuperinſpirãtibus. Hic eſt, qui in aphoriſmo vocatur offendens, dicitur que conuulſionem ſignificare. Calidus præterea aut frigidus. Calidus ſpiritus mediocriter, naturalis eſt: vrens eſt febrilis: frigidus eſt peſſimus, quia extinctionis caloris ſoboles: ac proinde dicitur in prognoſtico admodũ exitialis. Supereſt addamus differentias, quas hic deeſſe diximus, vt euadat perfecta hæc lucubratiũcula. Has diximus eſſe tres, vnam cõmunẽ cum pulſu, etſi habeat non eandem rationem dignotionis, hæc eſt ſpiratio fortis aut debilis. Hæc eſt in vehementia illius motus, vt quiuis alius vehemens aut debilis eſſe poteſt. In iis qui adhuc loqui poſſunt, ex vocis vehementia, agnoſcitur ea quæ eſt in reſpiratione, vtpote materiam præſtante voci reſpiratione. Vocis autem vehementia auditu cognoſcitur. In iis verò qui loqui non poſſunt, conſiderandum an ſuper pectore põderis aliquid ferre poſſint, quanto enim poſſunt ferre minus, tantò maior reſpirationis debilitas ſignificatur. Duas diximus eſſe proprias, vnam quæ ex poſitu, quem ægrotus reſpirandi gratia requirit, capitur: in hoc genere eſt orthopnœa: quæ aut ob ardorem ſummum, aut anguſtiam viarum reſpirationis, contingit: alteram quæ ex inſtrumentis quæ in reſpirationem adhibentur, capitur. Inſtrumentum quod primò adhibetur, idque ſolum neceſſariò, ac ſemper, eſt ſeptum tranſuerſum, poſt illud, ſecundo loco muſculi intercoſtales: tertio, qui veniunt à lumbis in thoracem: vltimo, qui à clauiculis, & collo deſcendunt. Ea tamen lex mouendi eſt, vt hoc quo dicta nunc ſunt ordine, priora ſine poſterioribus moueri contingat, poſteriora verò ſine prioribus, minimè: ſunt verò dicta priora quæ humiliora, poſteriora quæ ſuperiora. Reſpiratio igitur ſublimis, & quæ ſublimibus iam inſtrumentis agitur, extremæ neceſſitatis debilitatis eſt, nulla iam potente facultate mouere ſatis, ac proinde mouente omnia.

Medicatoria continuarum oſcitationum, longa reſpiratio, non potantibus autem, & vix, reſpiratio breuis.

Reſpiratio longa dicitur, quæ ex longis interuallis fit, & multum producitur, magna ſcilicet, & rara: breuis reſpiratio eſt, quæ huic contraria, parua ſcilicet & crebra. Medicatorium dicitur, non quod vtcunque bonum, ſed quod ſanat, eſtque cauſa ſalutaris. Reſpirationem longam & raram dictum nuper eſt eſſe ſignum phreniticum, nunc dicit curare aſſiduas oſcitationes. Cauſa autem eſt, quòd crebræ oſcitationes tunc fiant, cum multus & craſſus flatus redundat circa ventriculum, aut per capitis aut thoracis partes, ex quibus in muſculos malarum redundant. Vnde fit, vt oſcitentur, & qui fame premuntur, quòd multum flatum in ventriculo colligant, & qui ſomnolenti, quòd in caput multus vapor aſcendat, & qui alioqui redundant multis excrementis flatuoſis. Illos quidem cibus aut ſomnus curat omnium optimè, hos cohibere ſpiritum, & non niſi ex longis interuallis reſpirare (non poteſt autẽ reſpirari ex lõgis interuallis, niſi longa ſit reſpiratio, in quibus conſultò detinetur thorax) quia ita diſſipantur optimè flatus qui in ventre, aut viis inſtrumentisve reſpirationis continentur, vt ſcilicet ſanari ſolet ſingultus, & tuſſis arida ex frigida intemperie. In altera parte, in qua Hippocrates dicit, non potantibus, & vix, reſpiratio breuis, intelligunt plerique, vix potantes, eſſe phreneticos, quia Hippocrates in libro prorrheticorum dicit οἱ φρενῖτικοὶ βραχυπνέουσι, ideſt phrenetici parùm bibentes. Nam reuera phrenetici etſi vrgentur admodum ſiti, ac proinde ſæpè accipiunt potum, auidéque, ſi offertur, tamen nunquam niſi exiguum bibunt. Non tamen video quo pacto poſſit dici phreneticorum curatorium reſpiratio parua & crebra. Dicunt, quia magna & rara in phreniticis mala eſt, paruam & crebram eſſe bonam. Tamen non dicimus reſpirationem magnam & raram eſſe malam in phreniticis, vt cauſam noxiam, neque vt ſignum mortis per ſe, ita enim contraria eſſet in eiſdem bona, vt cauſa, aut ſignum: ſed vt ſignum pathognomonicum: ſignificat enim ita reſpirantes phreneticos eſſe. Quare phreniticis non poteſt contingere contraria reſpiratio. Non ergo poteſt eſſe curatoria in phreniticis, ſiquidem ne eſſe quidem omninò. Dicunt, non poſſe breuem reſpirationem phreniticis accidere, poſſe tamen ſuccedere cum phrenitis ſoluitur, ſignificareque iam ſolui. Cæterum hoc, imprimis impropriè dicitur curatorium, deinde falſò etiam. Nam etſi phrenitis ſoluatur: non fiet reſpiratio parua & crebra, niſi ſolutæ phrenitidi ſuccedat inflammatio alicuius inſtrumenti reſpirationis. Quod ſi dicas breuem ſpiritum dici eum, qui tam longus eſſe deſinit, improprietatis multum, vtilitatis exiguum, continebit oratio. Proinde aliter puto: vix potantes dici eos qui ſtrangulantur, vt neque reſpirare, neque deglutire poſſint præ multitudine humorum, aut fuliginum irruentium in ſeptum tranſuerſum, & cor, quæ quidem paſſio hyſtericis, & hypochondriacis ſolet accidere. In talibus, in ipſo paroxyſmo conſilium eſt, vt quam maximè poſſint conentur reſpirare crebrò (multùm enim non poſſunt) ita enim expurgantur fuligines, & paſſio minus præualet. Natura quidem ipſa ita affectos docet hoc auxilium. Quum verò reſpirationem intermittunt, oportet aſſiſtentes acclamare, & hortari vt loquantur, aut comprimentes digitos, aut aliter dolorem ciere, cogereque vt conquerantur & clament. Loquentes enim, aut ſaltem edentes vocem, non poſſunt reſpirationem intermittere. In quibuſdam codicibus legitur vtrobique reſpiratio longa, vt tota dictio ſit: medicatoria continuarum oſcitationum longa reſpiratio, non potantibus autem & vix, reſpiratio longa. Iuxta quam lectionem placet non potantium & vix potantium nomine intelligi phreniticos, eſſeque perinde, ac ſi diceret. Reſpiratio longa, quæ neceſſariò magna eſt & rara, medicatoria eſt oſcitationum continuarum, & phrenitidis indicatoria. Itaque non eodem modo dici eſſe oſcitationum &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 84 sur 489

phrenitidis, ſed illarum, vt ſalutarem cauſam, huius vt ſignum pathognomonicum.

Et laterum contentio dolorosa, & contentiones hypochondriorum, & lienis eleuationes, ſanguinis è naribus fluxum ſecundùm rectitudinem ſignificant.

Hæc oratio pars eſſe videtur deciſa ex alia longiori ſexti epidem. ſectionis ſecundæ, qua ita habetur. Secundum rectum & laterum dolorem, & cõtentiones hypochondriorum, ſplenis eleuationes, & ex naribus fluxiones. Et aures ſecundùm rectum. Horum plurima eadem etiam in oculis. Nunquid igitur omnia, atque infernè ſurſum ſecundùm rectum, vtque iuxta buccas, aut iuxta oculum, & aures: quæ autem ſupernè deorſum non ſecundum rectum? An etiam quæ infra hepar ſunt ex ſupernis diſtributa, vt in teſtes, ac varices? Eadem vtrobique ſententia eſt, hæc ſcilicet, decubitus omnes humorum, qui ex quibuſdam partibus in quaſdam fiunt, & fluxiones ſpontaneas quæ ſecundũ rectitunem ſolent fieri, eſſe ſecundũ rectitudinem partis recipientis, aut viæ per quam euacuatio fit, cum parte primariò affecta, & quæ mittit. Rectitudo verò eſt dextrorum cum dextris, ſiniſtrorum cum ſiniſtris, ſuperiorum cum ſuperioribus, inferiorum cum inferioribus. Dextra & ſiniſtra dicuntur ſecundùm hominis latera: ſuperiora & inferiora diſtinguuntur, quà eſt hepar. Quod apertè inſinuat Hippocrates, dicens, an etiam quæ infra hepar ſunt ſupernis diſtributa. Itaque vtrobique eſt hæc eadem ſententia, ſed intereſt, quia quod hic dicitur ſimpliciter, illic non ſimpliciter, ſed producta quadam dubitatione, an ſcilicet vt ex infernis ſurſum ſecundum rectitudinem lateris fiunt abſceſſus, vt ex hepate patoris dextra, aut fluxus ſanguinis ex dextra nare, ita & qui ex ſupernis in infernas, id eſt infra hepar poſitas partes. Deciſio verò eſt vltima illa interrogatio, an etiam quæ infra hepar ſunt ex ſupernis, vt in teſtes ac varices. Quaſi diceret, non ſolum in illis, ſed in his etiam, atque adeo omnibus, rectitudinem ſeruari ſolere. Quod non dicit ſimpliciter, ſed quibuſdam exemplis, partim decubitus, (vt cum dicit ſecundum rectum laterum cõtentio dolorosa, & cõtentiones hypochondriorum, & lienis eleuationes) partim euacuationis, cum dicit, ex naribus fluxiones. Solent quidem abſceſſus ſecundum rectitudinem fieri, non tamen omnes neceſſariò fiunt. Euenit enim nonnunquam abſcedere in partem contrapoſitam, aut effluere per viam nullam rectitudinem habentem. Neque mirum. Nam omnia ſunt confluxilia. Sed qui ſecundum rectitudinem fiunt, meliores & vtiliores ſunt (cæteris paribus) ijs qui ſine rectitudine. Atqui hæc eſt maxima, præcipuaque cauſa, quain euacuationibus, aut reuulſionibus, quas arte paramus, dictam legem rectitudinis ſeruare debemus: nimirum eorum quæ naturaliter eueniunt imitatione. Tametſi enim ratio hæc argumentandi eſt Empirica, tamen eſt optima pro præſenti loco, in quo practicas rationes ſectamur, magis quàm logicas argutias. Diſputata verò eſt diffusè admodum ea quæſtio in controuerſijs.

Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere nata ſunt. Primum igitur lienum eleuationes, niſi in articulos finiantur, aut ſanguis fluat; hypochondrij dextri contentio, niſi profluant vrinæ. Hæc enim vtrorumque interceptio, & recidiuæ horum merito.

Recidiuas fieri cum corpora non ſunt in primo morbo perpurgata, ſed quædam relicta ſunt poſt iudicationem, in aphoriſmo etiam dictum eſt. Nunc verò id docet, ſimulque quæ ſoleant relicta recidiuas facere. Primum, inquit, fieri ſolent, ex febribus difficilis iudicationis, eleuationes lienum, niſi in articulos fiant abſceſſus, aut ſanguis fluat: fieri etiam ſolet hypochondrij dextri cõtentio, niſi profluant vrinæ. Hæc enim eſt vtrorumque interceptio, ideſt interceptio eleuationis lienis eſt abſceſſus ad articulos, aut fluxus ſanguinis: cõtentionis hepatis interceptio, eſt profluuium vrinæ. Et recidiuæ horum merito fiunt, ideſt, Et cum hæc ſupertſunt ex morbis, neque intercipiuntur illis modi, merito ex illis recidiuæ morborum fiunt. Hippocrates quidem docet hic quæ plurimum contingunt, conſtat verò neque hoc ſolum ſolere ex febribus ſupereſſe, neque has ſolum interceptiones habere hæc mala, neque à ſolis illis poſſe præſeruare quamcumque illarum. Nam multa alia ſolent ſupereſſe ex febribus ſignificantia recidiuas, velut ventriculi durities, aut vteri, aut ſolum oris amaritudo, linguæ ariditas, & ſitis. Intercipi etiam poteſt lienis eleuatio vrinæ profluuio, nam ſi intercipitur abſceſſus ad articulos multa vrina craſſa & alba facta, vt aphoriſm. 74. particulæ quartæ dicitur, & eleuatio lienis abſceſſu ad articulos, profectò & eleuatio lienis profluuio craſſæ vrinæ. Cõtentio etiã hepatis poteſt intercipi fluxu ſanguinis. Quare & fluxus ſangninis, & vrinæ profluuium poteſt intercipere vtrumque malum, non tantùm alterutrum malum.

Abſceſſus autem horum, qui non fiunt, facere oportet, quoſdam autem qui fiunt declinare. Eos autem excipere ſi eant qualiter oportet, qui verò non abundè prodeunt, coadiuuare, eos autem auertere oportet qui omnino inutiles fuerint: maximè autem quum futuri ſunt, ſin aliter, cum nuper inceperint.

Breuiſſimè dicit indicationes omnes, quas ab abſceſſibus accipere poteſt medicus. Abſceſſus enim aut ſunt boni aut mali, atque vtique, aut fientes aut futuri. Atqui fientes, aut ſatis magno impetu fiunt, aut lentè. Bonos ergo nondum fientes, id eſt, qui ſi fierent, eſſent boni, hos facere. Malos fientes aut futuros declinare, bonos & fientes, quales oportet, excipere tantùm, ideſt nihil facere, ſed ſinere vt fiant, bonos & fientes, non valdè, id eſt non ſatis ſed lentè, id eſt iuuando naturam conari, vt perfectè fiant. Omnino inutiles, ac multo magis noxios, auertere. Op-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 85 sur 489

©BIUM

timum autem fuerit eos auertere futuros, ideſt, antequam fieri incipiant, ſin id non poſſit, ſaltem cum nuper cæperint. Nam ſero medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras.

Quarto die facti ſanguinis fluxus, difficilem faciunt iudicationem.

Nullo alio morbo poſſe videntur fluxus ſanguinis quarto die facti eſſe bene iudicatorii, quàm in febribus continentibus ex ſanguine, quæ ob multitudinem craſſi ſanguinis cum ſpontanea laſſitudine fiunt: vt aphoriſm. 74. ſectionis quartæ dictum eſt, tamen in illis etiam, dictum eſt eodem aphoriſmo, non eſſe ſatis ad perfectam iudicationem, niſi ſimul multa & craſſa vrina fluat, & ſanguis ex naribus. Solus ergo ſanguinis fluor etiam in illis erit difficilis iudicationis, vt pote non ſufficiens euacuatio.

Quæ febres diem vnum intermittentes, altero ſuperrigent, iudicatione ad ſeptimum circuitum terminantur.

Bene intermittere, & cum rigore incipere proprium tertianæ exquiſitæ eſt, quæ verò talis eſt ad ſeptem periodos, cùm longiſſimè prorogatur, vt in aphoriſmo etiam dicitur.

Scopo ex coryza bilioſa & fauciũ phlegmone cũ prauo victu vteretur, aluus intercepta eſt, & febris cõtinua facta eſt, & lingua arida, & ſine ſomno, infra vmbilicum contenſio vehemens & æqualis, paulatim in imum dextræ partis vergens. Spiratio ſubfrequens, dolebant hypochondria, & cum reſpiraret, & cum conuerteretur, ſine tuſſi excreabat ſubcraſſa. Exhibita peplus ab hypochondrio depulit, prodiit autem nihil. Poſtridie autem glandes duæ appoſitæ non appatuerunt. Vrina autem craſſa & turbida. Hypoſtaſis lenis & æqualis, & ſtetit aluus in turbulentia, atque venter mollior erat, intumeſcebat & deorſum vergebat. In potu vtebatur aceto mulſo. Decima, ſanguis aquoſus paucus ex ſiniſtra nare prodiit. Non erat autem valdè debilis ob hoc ipſum. Et vrina ſubſidentiam habebat, in hypoſtaſi autem ſubcandidum quiddam adhærens vaſi tenue, neque ſemini omnino ſimile neque diſſimile. Fluxerat hoc breui tempore. Poſtridie iudicatus eſt, & a febre liberatus, & prodiit quid ſubuiſcidũ vndecimâ, quod quidẽ circa fluxum, erat biliceũ. Vrinæ autẽ purgatio multa, & multitudine & ſubſidentia, & priuſquã vinũ potare cepiſſet, parum quiddam emollitioni ſimile. Prodierunt autem vndecima die, vt quæ paucæ erant, viſcoſa alui excrementa & conturbata. Quod iudicatoriè, velut in Antigeni in Perintho accidit.

Perrarum eſt non ſiſti citò & tutò coryzam, niſi quis in principio prauo victu vtatur. Tamen à principio vtentibus copioſiori cibo & potu, multa neque leuia mala ex ea procedere, rarum non eſt. Quod certè & Scopo euenit, qui cum coryza laborans, vt exitus iudicauit, bilioſa, ſed ex multa materia & phlegmone faucium ob deſtillationem, & prauo victu vteretur, neque idonea curatione, febre continua vndecim dierum laborauit, cum multis nõ leuibus ſymptomatis. Habuit enim à principio febris alui interceptionem, linguæ ariditatem & peruigilium. Infra vmbilicum ad inguem dextrum fuit cõtentio vehemens, & paulatim in infernam partem inclinans, & æqualis ſecundùm tempus, ideſt citra intermiſſionem affligens. Habuit etiam dolorem hypochondriorum, hoc eſt, ſupremæ regionis ventris, ſentiebatque hunc dolorem, & cum reſpiraret, & cum conuerteretur de latere in latus. habebatque ſpiritum ſubcrebrum, excreabat ſubcraſſum ſine tuſſi. Cauſa horum hæc fuit, cum excrementa, quæ coryzam & inflammationem faucium faciebant, plurimum in capite redundarent, natura tentauit ea pellere, non potuit autem affatim extra corpus, depulit ergo in partes humiliores. Illa repentia deorſum, ſimulque putreſcentia, fecerunt febrem, & dolores aliarum & aliarum partium. In initio febris aluus intercepta eſt præ febris vehementia ſiccatis fæcibus, & humiditatibus auerſis ab inteſtinis, conuerſiſque in partes, quæ doluerunt. Lingua etiam arida & peruigilium ſignificabant febris magnitudinem & bilem. Bona pars ſuccorum defluxit in hypogaſtrium dextrum, vnde contentio accidit vehemens, paulatim in infernam partem vergens, & nunquam intermittens. Maxima ſuccorum pars hæſit in hypochondriis, fecitque ibi diſtentiones & repletiones. Vnde ſpiritus fiebat ſubcreber ob compreſſionem ſepti tranſuerſi, vt in iis quibus ventriculus multo cibo diſtentus eſt. Hinc etiam dolor hypochondriorum, & cum reſpiraret, & cum conuerteretur: cum enim quis, cui pars illa ventris diſtenta eſt, vehementiùs reſpirare conatur, ipſo ſepto tranſuerſo comprimit diſtentam partem, ſimulque cum ipſo ſepto mouet (mouentur enim inter reſpirandum etiam inteſtina) ob vtramque cauſam dolor fit. Nam mouetur vtroque modo ſuccus aut flatus, qui in cauis continentur. Plurima autem quæ quieta dolorem non faciunt, mota faciunt, & quæ quieta leuiorem, mota grauiorem. In inteſtino id experiri eſt facile, cum ſuccus aliquis, aut flatus frigidus mouetur. Conuerſio corporis eadem ratione dolorem facere poterat, mouendo ſcilicet, nam cum conuertitur corpus de latere in latus, quædam internarum partium laxantur, quædam diſtenduntur, quædam cõprimuntur. atque ita quod interius eſt, mouetur. Quod fit, vt cum aliquis flatum ſentit, neque facilè emittere poteſt, conuertere corpus conſiliũ ſit. ſæpè enim hoc ſolo remedio pellitur. Quę ſine tuſſi excreabat ſubcraſſa, de capite veniebant ad palatum. Nam ſi de thorace excrearentur, non poſſent ſine tuſſi; illa ergo via expurgabatur, quod in cerebro erat relictum, neque abceſſerat in inferiores partes. Quidam ob vehementiam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 86 sur 489

©BIUM

febris ſuſpicantur fuiſſe dolorem illum hypochondriorum, inflammationem internam: ego verò non ita puto. Nunquam enim Hippocrates dediſſet peplum, cùm nihil, vt ipſemet docet, lib. 4. de ratione victus in acutis, ſit à ratione alienius, quàm dare medicamentum expurgans tentatis inflammatione hypochondriis. Quod ſi quando per eas inflammationes eo eſt vtendum, tamen non ante inclinationem. Conſtat verò nondum veniſſe in inclinationem illud hypochondrij malum, cum peplo Hippocrates vſus eſt. Nam multi dies reſtabant à data peplo vſque ad vndecimum, quo febris ſoluta eſt. Non erat itaque inflammatio, ſed quod diximus. Proinde vſus eſt peplo, quòd ſcilicet intelligeret ſuccos fluere deorſum à cerebro, quare etſi non dicat quo die, vſum fuiſſe ſuſpicor peplo intra primum quaternarium. Expurgationes enim reuulſoriæ quæque non expectata concoctione ſuccorum, ſed quòd fluant, faciendæ ſunt in ipſo principio, ideſt intra tres aut quatuor dies fieri debent, antequam ſcilicet ceſſauerint fluxiones. Nam in hanc ſententiam dicit ipſemet. 4. de ratione victus; Hos ſi ab initio purgari volueris, id ante diem quintum facito, cum venter murmurauerit: ſi non, à medicamentis abſtinento. Venter ſi murmurauerit, fuerintque excrementa bilioſa, ſcammonia mediocriter purgato. Quantũ verò ad aliam pertinet ſanationem, quam minimè exhibebis tum potus, tum ſorbitiones, vt melius æger habeat, niſi remiſſione facta decimam quartam fuerit egreſſus. Itaque duplex occaſio purgationis eſt, altera ob fluxiones reuulſoria, cum nondum fluxio ceſſauit, aut inclinet materia in ventrem, quod murmure agnoſcitur, altera poſt exactam concoctionem. Prima quidem purgatio agi debet in principio, ſecunda poſt ſummum vigorem. Proinde in morbis ſimpliciter acutis, quorum ſummus vigor decimo quarto fieri ſolet, prima occaſio expurgationis intra primum quaternarium eſt, ſecunda non niſi poſt decimum quartum, quod & libello de expurgantibus medicamentis Hippocrates dixit. Præter has duas expurgandi occaſiones, quæ certi temporis ſunt, eſt alia incerti temporis, cum ſcilicet turget materia. Nam quocumque tempore, immo verò etiam quocunque die turgeat, expurgandum eſt: vt fiant iam tres occaſiones expurgationis. Ergo Hippocrates videns Scopo deſcendere ex capite humores, eoſque per hypochondrium viam capere cæpiſſe, morari autem illic, ne plus ſatis morarentur, & inflammationem aliquam aut grauem alium affectum concitarent, dedit peplum intra primum quaternarium arbitror. A data peplo nihil per ventrem deſcendit, ſed vſque adeo ſine expurgatione tranſacta res eſt, vt duæ glandes, quæ poſtridie appoſitæ ſunt, non apparuerint, ſed interius remanſerint. Nihilominus noxium non fuit medicamentum, neque inutile, nam depulit ab hypochõdrio ſuccos, qui depulſi, imprimis in vias vrinę deriuati ſunt. Deinde & in ventrẽ poſt duos ſcilicet aut tres illos dies, quibus poſt acceptum peplum, ne glandes quidem reddebat, interim etiam in hac excrementorum turbatione, cum non omnes viam cæperint, alui, aut vrinæ, quædam pars in lienem collecta eſt, qua ille elatus eſt. Vrina ergo poſt datam peplum fuit craſſa, non vt concocta, ſed turbida, hypoſtaſis lævis & æqualis. Sed quo pacto in vrina turbida erat talis hypoſtaſis? An cum reponebatur clareſcebat, ſubſidebatque lævę. Non arbitror tale fuiſſe quale eſt quod perfectè cocto iam morbo ſolet excerni, ſed quale eſt quod incipit coqui. Durabat autẽ perturbatio pluſquã pro elaboratione eius, quod ſubſidebat, ob conditionem morbi, qui cum ex catarrho principium traheret, flatum etiam multum habebat cum ſucco permiſtum, qui vrinam magnopere perturbat. Aluus ſtetit in turbulentia, & venter mollior erat. Hoc eſt, cæpit etiam poſtea fluere ex aluo, perſeuerauitque ea ventris turbatio aliquot dies. Lien elatus deorſum vergebat. Sæpe quidem lien intumeſcit ſecundum propriam figuram tranſuerſim, ſeu in dicotomæ lunæ figuram, ſæpe etiam producitur deorſum. Nimirum eſt laxæ cuiuſdam ſubſtantiæ, & verſus quaque aptæ dilatari, producitur, vt in totum, aut medium, aut extremum fluxio incubuit. Potu (inquit) vtebatur oxyglyci ὀξυγλυκὲς eſſe potionem quãdam parari ſolitam in Græcia ex fauis expreſſo prius melle, elixatis in aqua puriſſima. Gal. dicit ſecundo de fracturis comment. contextus. 29. Ego vel ipſo nomine cogor ſuſpicari aliquid aceti in eam potionem infundi ſolitum, alioqui cur vocaretur ὀξυγλυκὲς. Sed & vſus illius id indicat. Seruabatur enim ad æſtatem vt potus ſedans ſitim. Quod quidem ſi ex ſolo melle pararetur, non poſſet præſtare. Verum eſt non poſſe eſſe niſi per quam exiguum aceti, quod illa potio acciperet, alioqui non eſſet potio vtilis laborantibus neruoſis partibus, vt Gal. ibidem notat. Erat itaque potio non admodum diuerſa à mulſa, aliquantò ſuauior, quippe qua ad voluptatem vtebantur homines per æſtatem, velut nunc ea quæ Hiſpanis vocatur aloxa. Conſtat ergo eum potum ad catharrhoſam affectionem eſſe vtilem, magis verò in hoc carere reprehenſione, ſi accipiebat aliquid aceti ob magnam febrem, & bile permiſtam fluxionem. Malo ita procedente, decima ſanguis aquoſus paucus ex ſiniſtra nare prodiit. Qui quidem fluxus illud vnum habuit boni, quod ſecundum rectitudinem fluxit, tamen illa mala non ceſſarunt, quòd die non decretorio, & quòd paucus fluxit & ſeroſus. Quibus cauſis videbatur fore inutilis & noxius, & ſolam debilitatem ægro allaturus. Non tamen ita fuit, neque valde debilis ob hoc ipſum factus eſt æger, quia mox ab hoc fluxu, ſequuta eſt bona iudicatio, vt fluxus ſanguinis potius eſſet velut initium quoddam (etſi non admodum idoneum) iudicationis vndecimi dici, quam euacuatio decimi. Vrina adhuc ſubſidentiam habebat, & ex ſubſidẽtia quiddam, neque quale ſubcandidum adhærebat matulæ, tenue quidem, neque quale ſemen candidum & filoſum, neque diſſimile, ideſt neque partes admodum diuerſas habens: erat illud ex pituita, quæ ſedimenti formam nondum exactè receperat. Fluebat (inquit) hoc breui, ideſt ex breuibus interuallis, & celeriter: ex breuibus quidem interuallis, quòd crebro mingeret, celeriter verò, quòd etſi multum ſucci cum vrina redderetur, neque obſtruebat, neque hærebat in via, neque pigrè reddebatur. Cum hac euacuatione quæ poſt datam peplum incæpit, & decima die aucta eſt, poſtridie eſt iudicatus & liberatus à febre, & prodiit ea die quid ſubuiſcidum, quod quidem circa fluxum, erat bilioſum, ideſt, prodiit per ventrem ὑποχλισχρον, ideſt, lentum, & craſſum & bilioſum. Fluxus ſcilicet ex pituitoſis & bilioſis. Nam ex talibus erat morbus

©BIUM

à principio. Vrinæ autem purgatio hac quoque die multa, & multitudine & subsidentia, ideſt fuſuræ ipſius copia, & ſubſidentię. Et prius (inquit) quam vinum potare cæpiſſet, parum quiddam λάπη ſimile exiit: prodierunt vndecima die, vt quæ pauca erant viſcoſa alui excrementa & conturbata: hoc eſt, antequàm vinum potare cæpiſſet, emollitio quædã ventris erat, influere enim iam in ventrem cæperat humor, διῆλθε δὲ ideſt, integrè eruperunt vndecima die, vt quod iam ſupereſſent pauca. Subſecutæ ergo ſunt deiectiones non multæ, ſed lentæ, ſtercoroſæ, & turbulentæ, ex pituita ſcilicet, & bile, ſtercore, & flatu. Hoc iudicatoriè factum eſſe euentus indicauit. Fuit enim febre liberatus. ὅτι (inquit) καὶ τὸ Ἀντιγένεος ἐν Περίνθῳ, illud non habet vim cauſæ, ſed perinde eſt ac ſi diceretur, velut & Antigeni in Perintho accidit. Itaque inſinuat Hippocrates ſe dediſſe Scopo vinum circa ſeptimum aut octauum diem. Nam ante decimum quo euacuationes manifeſtè creuerunt, non tamen antequam emolliri cæperit venter, qui cæpit quidem duos aut tres dies, ab accepta peplo. Mirum tamen quòd in febre ex catarrho & ſiticuloſa vinum dederit, quod calidum cùm ſit, febres augere & ſitim natum eſt, & cùm facilè diducatur, fluxiones auget, quod facilè efferatur, caput replet, & cum multum penetret, tentat neruos: quibus de cauſis, cum paucis affectibus febriculoſis ſit vtile, catarrhoſis maximè eſt noxium. Cæterum conſidera Hippocratem non dediſſe niſi cũ deturbati iam à ſuperioribus partibus ſucci vias vrinæ & alui tenere cæperant, cumque iam linguæ ariditas erat bona ex parte ſedata. Neque quidem dedit vinoſum & merum, ſed oligophorum, quod 3 de rat. vict. in acutis maximè commendat, & æquale æquali permixtum, quali ad affectiones, quæ vinum maximè omnium amant, vti iubet 7 aphoriſmorum. Talem illa occaſione dari poterat, quo cæptas euacuationes iuuaret, cùm fluxiones ad ſuperiora iam deſtitiſſent: ac fortaſſe etiam iuuit tantopere exhibendi vini indicationem natura propria hominis, vt vitari non potuerit. Nam aliter ſuſpicor me febris acutæ ſolutionem fuiſſe expectaturum, ne catarrhus quantumuis videretur eſſe ſolutus, vſu vini recrudeſceret. Ego cum vtroque modo peccari poſſe non negem, multò tamen plus periculi eſſe puto in nimia vini indulgentia, quàm in nimia detractione. Cum præcipuè tam multæ potiones medicatæ, omnes vini commoditates præſtare poſſint.

Quæ circa linguas eleuantur humorum collectiones & exigui lapilli concreſcunt, podagricis quidem accidunt iuxta debiles illorum articulos: etenim oſſium natura eſt in cauſa & quòd dureſcant, & quòd contendantur.

Oſſium naturam eſſe cauſam, ob quam dureſcant & contendantur humorum collectiones quæ eleuantur circa linguas, & lapilli exigui concreſcant, podagricis quidem circa debiles eorum articulos, nulla ratione videtur poſſe dicere, quantumuis quidam conentur id reddere conſentaneum. Dicunt tamen quædam aliena & longè petita. Proinde ego exiſtimo longe aliud Hipp. dicere. Nimirum ea quæ circa linguas eleuantur, & exiguos lapillos, quacunque in parte generentur, & quæ iuxta debiles podagricorum articulos colliguntur, coagmenta eſſe, ideſt, congeſtione generari. Omnia enim huiuſmodi congeſtis excrementis fiunt, vt tumores quidam lapidei in lingua, congeſtis excrementis alimenti proprii ipſius linguæ: lapilli in renibus aut veſica, concreſcentibus arenulis, aut craſſis ſuccis: tophi oſſei circa articulos podagricorum, excrementis craſſis dureſcentibus & concreſcentibus cum ipſis oſſibus. Atqui in his tophis materia eſt craſſum illud excrementum: effectrix cauſa duritiei, & contentionis, ideſt coaleſcentiæ cum oſſibus, eſt oſſium natura. Quia naturaliter ipſa oſſa congeſta excrementa in naturam ſuam mutant: creſcuntque ibi oſſa in oſſea tubercula, vt lapides creſcunt accreſcente terra & aqua. Hoc itaque eſt, quod dicit, oſſium natura cauſa eſt, quòd hæc dureſcant, & quòd contendantur, ideſt accreſcant, augeantque ipſa oſſa.

Quod Hippoſtrati (vxori) ex annua quartana in faſtigium ſublatum eſt, cum ſubfrigida palam eſſe videretur, impetu & ſudore facto per totum corpus, iudicata eſt, & poſt hæc muliebria plura fluxerunt, multitudine & tempore. Tunc enim ſupprimebantur, abſceſſus non eſt viſus conſtitiſſe.

Vbi ego legi, quod in faſtigium ſublatum eſt, legit Cornarius collectio, & Iacobus Steue, de vertice decurrebat. Neuter tamen mihi videtur exactè expreſſiſſe, quod dixit Hippocrates. Quamquam Cornarius acceſſit propiùs, quia intumeſcentia velut collectio quædam eſt, ſed non eſt omninò idem. In primis ex illa lectione quam ſibi fingit Steue, non videtur aptè explicari poſſe illa verba, abſceſſus non eſt viſus conſtitiſſe. neque ille explicat de quo abſceſſu dicatur. Deinde non quadrat cum Græca lectione. Nam hæc occurrunt ſcripta in Græco codice τὸ τῆς ἱπποστράτης ἐκ τεταρταίης ἐπαυσίη ἀπεκορύφου, illud verò ἀπεκορύφη non videtur poſſe fluere niſi à verbo ἀποκορυφοῦμαι, quod ſignificat attolli, aut tumere: atqui iuxta hanc verſionem redditur ſenſus conſentaneus. Nimirum Hippoſtrati vxori per annuam quartanam intumuerat pars aliqua, non dicit quæ pars, fuerit tamen quæcumque. Multæ enim & variæ ſolent per diuturnas febres intumeſcere, quas ſcilicet euenit in ægrotis eſſe alias aliis debiliores, tametſi quædam in quibuſdam morbis magis ſolent id pati, velut per quartanas ſolet lien intumeſcere, neque tamen ille ſolus, ſed nonnunquam crura, nonnunquam etiam pars alia quæcumque. Ratio autem intumeſcentiæ, quæ per tales febres debilibus partibus fit, præcipua eſt congeſtio reliquiarum eorum ſuccorum, qui in ſingulis paroxyſmis putreſcunt aut vruntur, quæ quidem illic hærent, vſque dum per iudicationes perfectas ſimul cum ſuccis, qui à principio morbum facere cæperant, euacuantur. Ita euenit huic mulieri, pars quædam per quartanam intumuerat, ea ex annua quartana, hoc eſt, poſt quartanam, & cùm ſubfrigida iam palam eſſe videretur, ideſt, cùm videretur iam eſſe ſine febre, natura partis tentauit id quod tumebat pellere, cumque id extra

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 88 sur 489

©BIUM

corpus vno impetu per ventrem aut vrinæ vias, aut conſpicuam aliam viam, egeri non poſſet, impetum cepit per totum corpus, diſtributumque eſt deinde partibus totius corporis incumbentibus in expulſionem ſudor factus eſt, & ita mulier iudicata hac ratione. Et abſceſſus ille in partem tumentem factus, non eſt viſus conſtitiſſe, ideſt euanuit. Tamen hæc iudicatio nunquam fuiſſet tuta, & perfecta, niſi fluxiſſent deinde muliebria plura multitudine & tempore, tunc enim ſupprimebantur. Ideſt niſi fluxiſſent multa & multos dies; nam per febrem ſupprimebantur, & conſentaneum eſt ſuppreſſionem euacuationis adeo neceſſariæ feciſſe morbum, hunc verò attuliſſe partis tumorem, ergo tumoris iudicatio non potuit eſſe ſatis ad morbi ſolutionem, quia tumor non erat morbi cauſa, ſed ex morbo potius proceſſerat, niſi acceſſiſſet euacuatio menſtrua, quâ quidem morbi præcipuè cauſa præſcindebatur. Sed videri poſſit mirum quartanam febrem, cum ex craſſo, & melancholico ſucco originem ducat, ſudore quo ſeroſi & tenues ſucci euacuantur, iudicatam eſſe perfectè. Deſines verò mirari, videns non ſolo ſudore, ſed magis euacuatione muliebri iudicatam eſſe, & ſudore quidem abſceſſum illum potius quàm febrem, hanc verò alia euacuatione. Nequit quidem craſſum eſſe quod exudatur, neceſſe eſt ſerum eſſe, & tale vt calore fundi poſſit. Neque ſane melancholia ſuccus eſt ſeri expers. Atqui per morbos melancholicos multum ſeri gignitur, non ob ſpeciem ſucci per ſe: ſed per debilitatem caloris naturalis, & facultatis debilitatem, ac incoctionem, velut etiam gignitur multa pituita. Illud ergo ſerum nonnunquam æquè per totum prouenit, diluitque ipſam melancholiam, fiuntque ita ſæpe copioſi ſudores per quartanas, nonnunquam colligitur vno loco, & ita contrahitur tumor aquoſus, atqui ſi ea pars ventris regio ſit, ſuperuenit hydrops aſcites. Itaque in illa muliere reliquiæ melancholiæ ſero dilutæ, collectæ ſunt in loco qui intumuit, vnde diſtribui in totum corpus, & exudari potuerunt.

A B C D E

copioſis ſanguinis fluoribus: illo modo, in fluoribus ſanguinis ex arteriis. Vbi ego legi inuenienda eſt, legunt alii omnes, amplaque exiſtens, referuntque ad figuram: nam Græcè habetur. σχῆμα εὐρύ τε ὂν εὐρύτερον. Ego quia non video cur figura ampla deſideretur in hæmorrhagis; niſi improprie dicatur ampla, ideſt idonea, cenſeo legendum pro εὐρύ τε ὂν εὐρύτερον, leuis enim corruptio codicis fuerit & redditur ſenſus expeditus & facilis. Nimirum in fluxionibus ſanguinis magnum momentum habet inuenire figuram accommodatam. Vt ſcilicet ſi decliuis eſt pars ex qua fluit, accliuis fiat, quia poſitus decliuis multum auget fluxionem. Neque verò hoc ſolum deſideratur ad idoneam figuram, vt ſcilicet ſit accliuis: ſed etiam vt ſit figura indolens, plurimùm ſanguinis enim currit ad partem dolentem propter dolorem, neque ſanè ſola figura ſolet eſſe ſatis ad ſiſtendas hæmorrhagias: ſed multæ aliæ ſunt ſuppreſſiones, quas 6. epid. his verbis collegit. Sanguinis venarum ſuppreſſiones, deliquium animi, figura alia, interceptio, lineamentum, appoſitio, deligatura. Dicit verò hic de figura, vt quę ante alia ſit procuranda. Neque ſolùm ſanè in hęmorrhagiis ex arteriis, neceſſaria eſt idonea figura: ſed in omnibus, vt hac ratione ſatius videatur intelligere in hęmorrhagiis, quæ affluenter ſubſiliunt. Si tamen quàm maximè videatur intelligi de hæmorrhagiis ex arteriis, dicendum de illis loquutum Hippocratem, non quod ſolę, ſed quòd maximè curatione indigeant. Difficilius enim ſiſtitur ſluxus rupta arteria quàm vena.

F G

In ſalientibus, ſeu pulſantibus hæmorrhagiis figura inuenienda eſt, & omnino ſi ex prorſus decliui accliuis fiat.

Vbi ego cum Iano Cornario legi, in ſalientibus, ſeu pulſantibus, vult Iacobus Steue deleri σφύζουσιν & ſcribi στίγουσιν, ideſt conſtringunt, gratis autem id fingit, quoniam non aſſequitur quid velint ſibi hæc Hippocratis verba. Ego verò legi ſalientibus aut pulſantibus, quia vtrumque ſignificat verbum σφύζειν, quinimo ſolum ſignificat ſalire, aut ſubſultare. ac proinde arteriæ σφύζειν dicuntur, quòd ſubſiliant. Itaque duo videntur poſſe hic ſignificari, aut in hæmorrhagiis ſalientibus, ideſt, in quibus ſanguis exit ſaliens, aut in hæmorrhagiis, quę ſiunt ex venis pulſantibus. Atqui poteſt vtroque modo eadem res ſignificari, ſi illud ſaliens ſignificat modum exeundi ex arteriis. Cognoſcitur enim ſanguis ex arteria exiens, quod ſubſultim exeat. Poteſt etiam illud ſaliens ſignificare nihil aliud quàm copioſam eruptionem ſanguinis, ſiue ex arteria, ſiue ex vena eſt. Atque ita nihil aliud eſt quã ſi diceretur in

Quapropter & ligaturæ impetum faciunt in venarum ſectionibus, quæ ſi fortes ſint remorantur.

Hęc ſententia pertinet ad chirurgiam mittendi ſanguinem. Nam cum vena ſecatur in manu, aut crure, vt fieri ſolet, curandum vt ſanguis copioſè fluat, & ex alto corpore, quod vt fiat, conuocari debet ad partem, frictione, balneo, & ligaturis, aut horum quibuſdam. Ligatura verò ita fieri debet. Antequam ſecetur vena ligari debet fortiter pars, mox debet vltra ligaturam ſectio fieri: à facta verò ſectione debet ligatura, non ſolui quidem: ſed laxari tantillùm, ne fortis ſit. Nam ſi ſolueretur, omnino, effluere id quod attractũ erat, moxque venire deſineret, ceſſaretque impetus, ſi autem nihil laxaretur, non poſſet ſanguis exire aſtricta vena vehementius. Nam ligaturæ mediocriter fortes impetum faciunt in venarum ſectionibus, ideſt, ſanguinem faciunt impetu effluere, quia enim mediocres ſunt, neque qui dolore trahitur, venire neque qui iam venit, effluere ceſſat, fortes verò ligaturæ remorantur: ſed quo pacto poteſt hæc dictio cum proxima coniungi, vt hæc incipiat à particula illa, quapropter. Certè illa particula apertè ſignificat aliquid deeſſe priori orationi, illud verò fuerit, quod ego in commentatione ſuppleui, ac ſi ita diceretur; In hæmorrhagiis ſalientibus figura inuenienda eſt, quæ ſit ſine dolore, & vt ex omnino decliui accliuis fiat. Qua propter, quia ſcilicet dolor conuocat ſanguinem, ligaturæ impetum faciunt in venarum ſectionibus, quæ ſi fortes ſint, remorantur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 89 sur 489

©BIUM

Sanguineum, ſubbilioſumque acidum ructum facit, fortè autem & in atram bilem his deſinet.

Galenus 3. de locis malè affectis capite 5. referens eos, qui ad melancholiam morbum parati ſunt, dicit, macri verò & nigri, & hirſuti, & quibus latæ ſunt venæ, aptiſſimi ſunt, vt huiuſmodi humor in ipſis cumuletur. Fitque interdum vt inpenſè rubri homines affatim in melancholicam temperiem decidant, atque poſt hos flaui. Hoc eſt, quod Hippocrates dicit nunc, ſanguineum & ſubbilioſum temperamentum, quale eſt in perrubris, & in flauis, ſolere in melancholicum mutari, atque adeò tales homines ſolere in melancholiam morbum incidere. Sanguineum quidem, quia abundat ſanguine multo & craſſo. Fit autem ex tali multùm naturalis melancholiæ, vt ex multo & craſſo vino multæ feces: bilioſum, quia bilis vſtione migrat in atram bilem. Bilioſi verò incurrunt id periculum in iuuentute, quia ea ætas eſt calidiſſima: vritur verò ſuccus alioqui vſtioni aptus calore eius ætatis: ſanguinei verò in ætate conſiſtendi. Tunc enim frigidior, craſſior, & minùs ſpiritu oſus ſanguis fieri incipit, quare fæculentus, craſſus, & terreus. Itaque hæc temperamenta in melancholiæ morbum nata ſunt incidere. Signum autem iam iam incidentium, ſunt ructus accidi. Cum enim multa melancholia alioqui naturalis, aut multa atra bilis vſta colligatur in illis circa viſcera, redundetque in ventriculum, ſitque omne genus melancholiæ acidum, admiſcens ſeſe cum cibis eos vitiat, facitque aceſcere, vnde ructus acidi fiunt. Neque quidem obſtat naſci ſemper ex frigore ructus tales, omnis enim melancholia vt acida eſt, ita frigida ſubiecto, & terrea.

Rigores incipiunt mulieribus à lumbis & per dorſum in caput feruntur. Quin & viris etiam parte corporis poſteriore magis, quàm anteriore, velut cubitis, ac femoribus. Sed & cutis rara. Indicat autem capillus animalium.

Hæc ſententia & eiſdem verbis eſt aphoriſmus ſexageſimus nonus particulæ quintæ, atqui hæc eadem ſcripta eſt 6. epid. parte 3. atque adeò multò diſtinctiùs quàm hic, quia illic addita, aut hic ſublata eſt quædam particula multùm addens perſpicuitatis. Illic enim ita dicitur, Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, & per dorſum in caput. Sed & viris poſteriore corporis parte magis quàm anteriori. Horremus enim magis exterioribus quàm interioribus corporis partibus, velut cubitis, femoribus. Sed & cutis rarior Indicat autem pilus. Quod eſt, rigores magis incipere à partibus poſterioribus, lumbis ſcilicet, & per dorſum vſque in occiput, quàm anteriorib°, & exterioribus, vt cubitis, & femoribus, quàm interioribus: quia rigor paſſio frigida eſt, & poſteriora quàm anteriora, & exteriora quàm interiora, frigidiora ſunt. Cæterùm cum hæc ratio communis ſit fœminis & viris, & vtrique magis poſterioribus quàm anterioribus, & exterioribus quàm interioribus rigere incipiat, tamen fœminæ magis quàm viri incipiunt à lumbis, quia habent vteros lumbis alligatos, qui frigidis paſſionibus maximè capiuntur, & viri magis quàm fœminæ incipiunt à cubitis, & femoribus, quia fœminis, vt dictum eſt, eſt maior cauſa incipiendi à lumbis per dorſum in occiput. Hinc tamen non fit, vt viri incipiant fæpius à femoribus & cubitis quam à lumbis, neque contra: ſed vt ab vtriſque æquè aut ab alterutris, vt contigerit. Probat verò Hippocrates partes poſteriores frigidiores eſſe anterioribus, quia in anterioribus cutis rarior eſt, eſſe autem cutem rariorem indicat pilus, qui in anterioribus magis abundat. Vtrumque autem, & amplitudo inquam pororum, & abundantia pilorum, indicat calorem: & pili quidem abundantia indicat pororum amplitudinem.

Quibus nihil mali accidit intra conſtitutum tempus, ſingulæ partus vitales edunt.

Id eſt quibus nulla cauſa abortus accidit, ſed manent illæſæ vſque ad conſtitutum & fatale tempus exeundi, partus vitales edunt. Partus non vitales ſunt non quicunque recens nati moriuntur (moriuntur enim citò multi alioqui vitales, ob errarum aliquod, aut morbum, qui ſuperuenit] ſed qui ob imbecillitatem quam ex vtero trahunt non poſſunt viuere. Huiuſmodi autem ſunt, qui aut nondũ ortui maturi ante tempus legitimum abortiuntur, aut qui intra vterum morbum aliquem contraxerunt, quo nondum ſoluto, eduntur. Ergo dicit Hippocrates quibus ante conſtitutum tempus, nihil accidit, ideſt, nulla cauſa abortus, quæ ante tempus exire coegerit, & nullus morbus qui vel in ipſo tempore fecerit exire debilem, in ipſo tempore naſcuntur vitales. Sunt autem abortus cauſæ miſſio ſanguinis, atque omninò alimenti ſubtractio vtcunque facta, corruptio fœtus veneno, aut admodũ medicamentoſa re accepta, vt vehementer mouente menſtruas euacuationes, aut expurgante medicamento, aut motus vehemens corporis aut animi, atque ob vehementem animi motum, quantum ego exiſtimo (etſi medici quidam aniles quaſdam fabulas de hac re ſomniant.) Pica, ſeu appetentia rei alicuius qua potiri non detur. Morboſos exire fœtus facit, aut morbus aliquis, aut maligna cacochymia parentum, aut prauus victus vtero gerentis. Debiles facit tenuis victus gerentis vtero, aut euacuatio aliqua fluens, quia hæc cum fiunt, impoſſibile eſt fœtum eſſe fortem, vt in aphoriſmo dicitur. Quibus ergo nihil horum accidit intra conſtitutum tempus, in ipſo conſtituto tempore eduntur & vitales. Conſtat tamen intelligi debere, ſi quæ vtero gerit ſterilis non ſit. Eſt enim quoddam genus ſterilium (vt Hippocrates ipſe libello de ſterilibus dicit) quæ concipere quidem poſſunt, tamen non poſſunt deinde retinere, propter craſſitiem, aut humiditatem, aut ob exiguitatem vterorum, aut quod omninò dilatari pro fœtuum magnitudine non poſſunt. Talibus ſanè abortus fiunt quibuſdam certo, quibuſdam incerto

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 90 sur 489

©BIUM

certo tempore, etiam si nihil dictorum accidat. Tempus partus non est tam constitutum mulieribus, quàm aliis animantibus, vt Aristot. 7. de hist. animalium, & Plin. 7. hist. naturali dicunt. Habent enim multa tempora, in quæ naturales partus solent incidere. Capra verò & ouis qui ito mense semper, sus quarto, asina, & equa vndecimo parit, & ita aliorum animalium vnumquodque De temporibus naturalis partus dubitata sunt multa, & à Iureconsultis, & à medicis. De vndecimestri an possit esse vitalis, ac multò magis de duodecimestri, & de octomestri, ac de minori septimestri. Nonum mensem esse maximè omnium naturale tempus partus, & eo omnes ferè in lucem edi, experientia est confirmatissimum, & nemo dubitat. Septimo etiam, & decimo mense edi posse vitales, concedunt omnes. Vndecimo mense posse edi vitalem, negauerunt quidam iureconsulti, tamen de hac re consultus Diuus Adrianus, considerata causa, decreuit, posse. Idque meritò. Nam Hippocrates etiam id dicit pluries. Vltra vndecimum mensem produci posse partum nemo dixit, præter Auicennam, qui quatuordecimum etiam aliquando attigisse, se à quodam accepisse dicit. Octomestris adeò non putatur posse esse vitalis, vt siquis videatur octauo mense natus viuere, putetur mulier conceptionis tempus ignorasse. Ante septimum mensem, aut ante centum octoginta duos dies posse aliquem edi vitalem, negat Hippocrates. Ego vix quippiam in rebus naturalibus, quod omninò impossibile, aut necessarium sit, esse affirmo. Horum causas, referunt in numerorum naturas, qui sectantur Pythagoricam philosophiam: Astrologi in stellas errantes. Hippocrates lib. de octomestri partu insinuat tres causas, quas nos lib. 2. cont. vno capite complexi sumus, primam ex proportione temporum prægnationis, quòd scilicet tempus motus sit duplum tempore figurationis, & tempus partus triplum tempore motus. Secundam quæ ex numero quadragenariorum, quòd quadragenarij dies magnam vim habeant in affectibus fœtuum: incidat verò septimus quadragenarius in nonum mensem, & quintus in septimum. Tertiam quæ refert hos euentus in proportionem causæ factricis & materiæ, & in experimentum. Dictum mihi est loco citato, primam causam non satis esse idoneam (quamquam proportionem illam temporum fœtationis teneri sæpe dicat Hippoc. vel hoc loco statim) post hanc verò secundam esse commodiorem, tertiam omnium maximè carere calumnia: Verùm hæc & illo loco, & in commentario libelli de alimento dicta sunt fusiùs.

Apparentia quibus mensibus accidant videndum est, labores certis circuitibus fiunt & fœtus qui septuagesimo die mouetur, in tripli-ci temporis interuallo perficitur.

Eadem sunt quæ vocat ἐπιφαινόμενα & quæ πάθη. Nimirum eas mutationes insignes fœtus, quæ temporibus quibusdam, & articulis prægnationis contingunt & apparent, notis quibusdam, maximè verò laboribus & doloribus, qui illis momentis vtero gerentibus accidunt. Cum enim moueri incipit fœtus, & viuificatur, quædam anxietatibus, quædam doloribus, quædam deliquiis animi corripiuntur, vt quædam mulieres dicant se animæ ingressum sensisse. Hæc ergo apparentia dicit oportere considerare quibus mensibus fiant. Nam fiunt ex quibusdam circuitibus, quorum ratione habita, poteris præsentire tempus partus, si die conceptionis notata, consideres. Nam quod in septuaginta diebus mouentur, in triplicibus, hoc est biscentum & decem perficitur. Quantum autem certitudinis hoc habeat, dictum mihi iam est.

Post menstrua aliquando dextra, aliquando sinistra hiant.

Duplici causa à recens facta euacuatione mestrua, facillimè fit cõceptio in plerisque, & quia nuperrimè aperta hiant, & os vteri, & quæ in vterum finiuntur venæ & arteriæ, & quia recens vacuatus vterus auidè trahit humorem. Nam dum adhuc fluunt: malè retinet vterus, vtpote conuerso per eum ad euacuationem toto corpore, vt per id tempus non concipiant nisi quædam, quibus vterus adeò conniuet natura, vt numquam satis hiet, nisi dum fluunt: reliquo tempore omnibus conniuet aliquantò plus quàm à recens facta euacuatione. Ergo post menstrua facilè concipiunt, quia hiant vteri partes, aliquando masculum, aliquando fœminam, quia dextra hiant, aut sinistra, aliquando geminos fœtus, quia vtraque hiant. Quare gignitur secundina vtrinque vna, & fœtus duplex. Neque mirum videri debet, nunc in dextra, nunc in sinistra parte, nunc in vtraque, fœtum gigni, etsi vterus muliebris sinus non habeat: sed vnicum cauum. Habet enim nihilominus in latus vtrumque distributas venas & arterias, secundùm iustitiam & æqualitatem laterum, quam natura semper tenuit, quibus productis secundinæ fiunt, quibus fœtus continetur, & alitur. Fiunt ergo nunc ex dextris, nunc ex sinistris, nunc ex vtrisque. Cur mares in dextra, fœminæ in sinistra gignantur magis (quod etsi hic non dicat, insinuat tamen, quandoquidem differentiæ laterum meminit) dictum mihi est in commentatione aphorismi quadragesimi octaui sectionis quintæ.

Humiditas quæ per exeuntia significatur, victus ratione siccissima opus habet.

Mulæ non concipiunt, quòd habeant vteros humidos, & excrementosos, adeò vt neque auidè recipiant semen, neque possint retinere, quæ quidē dispositio contraria est ei, per quā indigent menstruis, vt hient vteri Agnoscitur hęc dispositio exeuntibus. Effluunt enim mucosa quædā frequenter. Curatur victus ratione siccissima. Nomine victus hic intelligi debet tota ratio viuendi, quâ & curationis ratio continetur. Nā huic passioni non semper solus victus, qui in cibo & potu consistit, est satis, curatio vero fuerit, vt in aliis morbis, contraria affectioni. Vt hinc constet quàm non sit vna ratio curandi eas quæ non concipiunt, vt vulgares medici sibi persuaserunt, sed varia & multiplex pro ratione causæ,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 91 sur 489

©BIUM

quæ ſterilitatem parit. Quaſdam enim omni ratione humectare, quaſdam ſiccare, quaſdam tantùm calfacere, nonnullas etiam refrigerare, & humectare conuenit.

Qui citiùs formatur & mouetur fœtus, rurſus augetur tardiùs & in longius tempus.

Muliebria corpora cum geruntur vtero tardiùs recipiunt figuram & motum quàm maſculina, poſtquàm verò hæc nata ſunt creſcunt citiùs, & breuiori tempore, idque non ſolùm dum vtero geruntur, ſed poſtquam edita iam ſunt, atque ita citiùs decreſcunt ſeneſcentia: maſculina contrà in vtero diſcernuntur & mouentur citiùs, deinde creſcunt tardiùs, produciturque eorum incrementum in longius tempus, atque adeò creſcunt & viuunt plus. Hoc ergo eſt, quod Hippocrates dicit, quod citiùs formatur & mouetur, augetur tardiùs, & in longius tempus. Cauſam verò huius neceſſe eſt eſſe in differentia tẽperamentorum vtriuſque ſexus. Nimirum muliebria corpora ſunt humidiora & frigidiora, maximeque oportet talia fuiſſe principia, ex quibus ſint genita. Humidum verò difficilè recipit figuram propriam, ergò embrio humidior, tardiùs recipiet figuram, ac proinde etiam animam. Nam cùm anima ſit corporis talis, hoc eſt ad vitam bene diſpoſiti, præcipua autem diſpoſitio ſit organorum formatio, quãtò tardiùs figuram recipiet, tantò etiam tardiùs & animam, quæ non aliter quàm motu agnoſcitur, quare & motum. Ergo corpus muliebre, quia humidius, tardiùs recipit figuram, & motum, atque hac ipſa cauſa citiùs creſcit, quia quæ humida faciliùs quàm ſicca dilatantur, dum eſt calor, qui id facere poteſt. Eſt verò mulieribus primis annis, quòd etſi frigidæ ſint natura, tunc per ætatem calent. Ceſſant verò citiùs ab incremento, creſcuntque minus, quia frigidiores cùm ſint, non poteſt earum calidum incrementum vſque adeò producere. Itaque augentur citiùs, quia humidiores, minùs verò, quia frigidiores. Accedit illa menſtrua euacuatio ſanguinis, quæ mox atque accidit, tollit corporis incrementum.

Labores contingunt circa tertium diem ſupra quinquaginta, & circa ſextum ſupra centum: ſi per menſes numeres, ſecundo & quarto menſe: quæ ad fœtum ſeptimeſtrem noſſe oportet.

Dixerat anteà labores in circuitibus. Nunc circuitum quendam laborum narrat, qui obſeruari ſolet in futuris ſeptimeſtribus, non quidem neceſſariò in omnibus, ſed in multis. Sentiunt videlicet labores quinquageſimo tertio, & centeſimo ſexto. Μηνιαῖα, hoc eſt, ſi per menſes velis dicere, ſecundo & quarto. Nam quinquageſimus tertius dies ſecundi, centeſimus ſextus quarti menſis eſt. Hoc quidem, qui in Hippo. obſeruatione volet acquieſcere, minori labore recipiet. Si tamen dicendum de cauſa aliquid, quod ſi non euidens, cõſentaneum tamen ſit, ea eſſe videtur, quod de diebus quinquaginta nouẽ, qui duo menſes ſunt, detractis ſeptem, qui ob expurgationem menſtruam plærunque detrahi debent, ſuperſunt quinquaginta duo. Eſt ergo quinquageſimus tertius primus tertii menſis. Vt ergo in morbis acutiſſimis, qui plærunque mouentur imparibus magnam vim habet tertius dies, ita in prægnatione breuiſſima tertius menſis. Nam menſibus conſtat & finitur tempus prægnationis. Eſt aliud genus articulorum prægnationis maximè inſigne, quod in quadragenariis eſt. Centeſimus verò ſextus incidit in tertium quadragenarium, proinde hic quoque labores affert, hic verò magis quàm alius eiuſdem quadragenarii, quia complet tempus duplum tempore primorum laborum, redeunt verò hi ſecundum quaſdam proportiones. Sed ſi quinquageſimus tertius affert labores, quia primus tertii menſis quo pacto eſt ſecundi menſis? Certè ſecundum computationem vulgarem menſium græcorum aut latinorum. Nullus enim computans menſes, detrahit de menſibus integris, etſi ratio, ex quorundam dierum detractione, conſtet.

Aut à menſtruis numerandi ſunt nouem menſes, aut à conceptione, & in ducentos & ſeptuaginta dies græci menſes incidunt, & ſi quid ampliùs extrahatur, aut maribus, aut fœminis hæc aut contraria accidunt.

Nunc docet practicam rationem computandi in partu legitimo, ac frequenti, quem dicit eſſe nouem menſium græcorum, hoc eſt, qualium in Græcia erat communis vſus, qui erant triginta dierum. Nouem ergo tales menſes habent ducentos & ſeptuaginta dies. Sed dices, nouem menſes tales, incidunt in ducem lunares. Videtur verò haberi debere, iuxta dictas hic & alibi cauſas, ratio lunarium, ergo partus communes decem menſium ſunt: non nouem. Ita eſt profectò, quodammodo nouem, quodammodo decem menſium ſunt. Atque ita componuntur facilè autorum verba, ſi quando ſiue in naturæ hiſtoriographis, ſiue poëtis, ſiue etiam in literis ſacris, legitur, nunc nouem, nunc decem menſibus fieri. Nouem enim fieri plærumque ſcribunt omnes ſequuti vulgarem computationem. Sed & Virgilius de communi partu intelligens dicit, matri longa decem tulerint faſtidia menſes. Ariſtot. quoque 7. lib. de hiſt. animal. cap. 4. dicit fœminas magna ex parte decimo menſe parere. Sunt verò hi decem, nouem menſes græci. Eſt autem hic finis partus communis, potiùs quàm lunares nouem, quia longiùs abeſt fœtus, qui græcos nouem compleuit, à ſexto quadragenario, quo vt Hippocr. cenſet, ægrotabat, quàm qui lunares. Quòd autem ſit exactè hic finis, ſcilicet 270. dies, cauſa eſt proportio efficientis ad materiam. Cauſam enim cœleſtem nullam ſcio, quæ huic fini admodum quadret, niſi fortè id facit aſpectus tetragonus Solis, quem ferè illo die habere incipit, cum puncto quo facta fuerit conceptio, quia percurrerit tres partes integri circuli. Computatio huius communis partus incipere debet à conceptionis die, ſi modò is agnoſci poſſit. Sũt verò nonnunquam inditia neceſſaria, vt cum ex vnico congreſſu cum viro conceptum eſt: ſemper autem licet conſiderare eas notas, quas Hipp. lib. de

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 92 sur 489

©BIUM

genitura his verbis ſcripſit. Poſtquam coiuit mulier, ſi quidem conceptura non eſt, foras procedet genitura, vbi fœmina volet. Quod ſi fœmina partus perita ſit, & cognouerit, quando genitura non exciderit, ſciet qua die intra ſe ipſam concepit. Rurſum libello de carnibus dicit, Satis manifeſtum eſt, harum rerum peritis, quod mulier cum in ventre concepit, ſtatim horret, & calor, & dentium ſtridor conſequitur, & conuulſio occupat, tum articulos, tum totum corpus, & vterum ſegnities & torpor. Si igitur his ſignis agnoſcere poſſumus diem conceptionis ab illo incipere deberet computatio, ſin minùs, à menſtruis, non quidem ab iis, quæ vltimò fluxerunt, ſed ab eo die, quo primùm defecerunt, cum expectarentur. Nam à die conceptionis procedũt dies 270. Perrarum autem eſt diem conceptionis eſſe ipſummet diem, quo fluxerunt, ſiue primum ſiue vltimum quo fluxerunt intelligas. Si ergo computatio fiat à menſtruis fluentibus, ſemper videbitur produci partus vltra nouem menſes græcos, eritque computatio incerta, atque non rarò peccabitur in victu, putante muliere ſe iam ingreſſam nonum, cùm nondum egreſſa octauum menſem ſit. Si autem fiat computatio à menſtruis deficientibus, ſemper attinget nonum menſem, & numquam excedet. Nam pariet poſt 270. dies, exceptis tot quot præceſſerunt à die conceptionis vſque ad diem deficientium menſtruorum. Si igitur conceperit recens expurgata, pariet in initio noni, ſi cum iam menſtrua imminerent, in fine, ſi inter hæc, medio menſe: ſemper tamen intra nonum græcum, & vltra ducentos ſeptuaginta nunquam producetur, ſi modò partus communis ſit. Quoniam autem nonnunquam contingunt partus ſingulares longiores, addidit, & ſi quid ampliùs extrahatur. Atqui quoniam nulli dicti partus neceſſarij ſunt, neque quidem alij maribus, alij fœminis neceſſarij ſed quiuis eorum maribus & fœminis poteſt accidere, & contrarius, addidit, aut maribus, aut fœminis hæc aut contraria accidunt. In quam ſententiam dixit libello de alimento, enumeratis partubus. eſt, & non eſt. Hic verò quiddam aliud addidit, dicens & maribus & fœminis. Scilicet non tantùm non eſſe hominibus certum aliquem partum, ſed neque ſexui cuique ſuum. Sed vtroſque mares, ſcilicet & fœminas, poſſe his aut aliis diebus naſci. Quare quod Ariſtot. 7. de hiſt. animalium, mares magis quã fœminas fieri ſeptimeſtres, fœminas magis decimeſtres dicit, non admodum probo. Nam præterquàm quod fœminas vidi ſeptimeſtres, tamen neque ratio admodum eſt pro illa ſententia. Nam etſi tardius recipiant figũras & motus, non creſcunt tardiùs, ſed vt dictum nuper eſt, etiam citiùs, & proinde incidunt & marium & fœminarum editus in eadem tempora.

Cibis & potibus humeri ac mammæ inflantur, & eorum quæ ſunt in capite infirmitates, & inflationes incrementa recipiunt.

De vtero gerentib. loquitur haud dubiè, dicitque illis mammas & humeros intumeſcere (hoc enim ſignificat hic verbum, inflari) nam hæc eſt nota prægnationis inter cæteras, quod mammæ intumuerint, & ſolidæ ac durę factę ſint. Quod aphoriſmis 52. & 53. particulæ quintæ inſinuatur. Facit verò hunc tumorem ſanguis, qui cùm verſus vterum vocetur vndique, in venas mammis & vtero communes venit, & in vtramque partem abundat. Sanguis verò eſt commune alimentum, quod rationem ſequitur ſemper cibi & potus, atque vt Ariſtot. dicit. 2. de partibus animalium cap. 3. quoties cibus non ingeritur ſanguis deficit, quoties ingeritur, augetur. Atque ſi alimenta bona aſſumantur, ſanguis integer eſt, ſi praua, vitioſus. Igitur ſi vtero gerens lautè capiat potus & cibos, non vtcumque mammæ, ſed humeri ac mammæ replebuntur: atque debilitas, & repletio capitis, ſi qua mulieri antea fuerat, aut ex conceptione ſuperuenit, incrementa recipient, tumorem comparantibus humeris & mammis. Nam ſi, quibus in mammis ſanguis colligitur, furorem indicat, quia ſignificat ſanguinem melancholicum ferri in partes ſuperiores, profectò quæcunque redundantia in mammis & humeris, portendet capitis repletionem, & imbellicitatem, quæ redundantiæ ſtatim ſuccedit, quia quod mammas diſtendit & humeros, ſurſum petit.

Donec oſſa ſolida fiunt, menſium circuitus eſt. Quæ ante hæc fiunt grauia ſunt, laboribus octimeſtrium germana, & primiperarum.

Oſſa recens natis ſunt mollia, & rara, & laxiùs poſita, procedente ætate dureſcunt, denſantur, & concreſcunt. Itaque ſenibus iam ſolida ſunt. Menſtrua ſanguinis euacuatio naturalis eſt genere, non quod ſemper mulieribus accidat, ſed quòd omnibus, etſi non ſemper. Nam neque in pueritia, neque in ſenectute, ſed fieri incipit pubeſcentibus, deſinit ſeneſcẽtibus. Eſt itaque circuitus menſium ab initio adoleſcentiæ (quia arbitror ea ætate eſt iam minor euacuatio inſenſilis, atque per corpus totum diſſipatio) vſque ad finem conſiſtentiæ, & initium ſecundæ ſenectutis. Quo tempore frigidum & ſiccum iam eſt corpus, & ſanguine minùs abundat. Igitur vt diceret vſque ad ſenectutem menſium circuitus eſt, verſus eſt hac periphraſi, donec oſſa ſolida fiunt. Quod addit quæ ante hæc fiunt grauia ſunt, videtur ſignificare ante euacuationes menſtruas eſſe difficultates & dolores, idque eſt veriſſimum. Nam ſecretio magnos labores affert. Tamen quod addit, laboribus octimeſtrium, & primiperarum germana, videtur in alium ferrè ſenſum. Nam labores abortum facientium octauo menſe, & primiperarum ſunt inſigniter graues: illarum, quia ægrotat fœtus, & ipſæ etiam ob malam aliquam affectionem tentant partum intempeſtiuum: harum, quia non hiant ſatis vteri. Quorſum ergo conferret quæ antecedunt menſtruas euacuationes in commune, cum doloribus octimeſtrium & primiperarum? Proinde putandum eſt eum loqui, non de omnibus menſtruis, ſed de vltimis, & quæ antequam omnino ceſſent, fiunt. Illæ enim ſolent fieri cum magna difficultate, & doloribus, nunc exiguæ, nunc profuſæ, & ſine certo ordine rareſcentes. Quia ſanguis iam ea ætate craſſus, non niſi cum magna difficultate,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 93 sur 489

©BIUM

per vias anguſtiores, duriores,& minus dilatabiles, effundi poteſt. Proinde in primis rareſcit, ſex menſium nonnunquam intermiſſionem faciens, nulla quæ ſentiri poſſit noxa corpori accidente, deinde rurſum multùm nitente natura, multùm pellitur craſſi, ac cum eo etiam tenuis, duratque multùm euacuatio, ac non paucæ hac occaſione, profluuij menſtrui periculum incurrunt, manentque cum ſiſtitur ſiccæ & exſuccæ, atque hac ipſa cauſa, in poſterum ſine ea euacuatione tranſigunt.

Lac nutrimento mutationem accipiente, octimeſtri verò perficiente.

Generationem lactis, & tempus quo in vtero gerentibus primùm apparet, docet breui hac oratione. Lac fit nutrimento mammarum (id eſt ſanguine, qui ad nutritionem mammarum venit) mutationem accipiente. Nimirum mammæ in ſui ſubſtantiam trahentes ſanguinem, lac faciunt, cum abundat quidem ſanguis, & commutatur tam abundanter, vt redundet, & exugi poſſit, cùm non adeò abundat, commutant, quantum ſuę nutritioni ſatis eſt, nullum autem exugitur. Quibus menſtruę euacuationes fiunt, rarò fit lac, quia eadem eſt materia vtriuſque ſed neque vtero gerentibus, quia inſumunt eam materiam in fœtus generationem, ſed pregnationi ſuccedit lactis prouentus, vt oportet ſcilicet, quo infans recens editus, lacte nutriatur. Succedit vero lac pregnationi non affatim; ſed paulatim, vt ſucceſſiuę alię mutationes ſolent. Atque non cum iam editus infans eſt, incipit primùm lac fieri, ſed cum iam partus inſtat, incipit apparere, vt ſcilicet, cum iam vti eo infantem oporteat, maturius, concoctius, ac velut paulatim paratum lac ſit. Incipit quidem aliquibus prius, pleriſque autem octauo menſe lac in mammis apparere. Quod Gal. docet in comment. aphoriſ. 39. quintę particulæ. Huius autem rei cauſam eſſe puto, quòd vltimis menſibus, octauo inquam & nono, multùm iam craſſioris ſanguinis congeſtum eſt in venis & arteriis vteri, per quas fœtus alimętum trahit quod influenti ſanguini impedimento eſt. Fœtus verò magnus iam multo indiget, & multum trahit, multus ergo tractus, & penetrare non potens, recurrit per communes venas ad mammas: qui recurſus, & ad lactis, cuius vſus iam imminet, præparationem vtilis eſt, & vt fœtus alimenti penuriam magis ſentiens, calcitret, dirumpatque acetabula, & in lucem prodeat. Hæc autem omnia ita menſurauit natura, vt neceſſarias cauſas, iis quæ fieri expedit, aptauerit. Poſt enarrata verba ſuccedunt quædam alia de vlceribus, tamen ipſamet res, de qua agitur, indicat, dilaceratas, & male commixtas eſſe has dictiones, transferendaque huc eſſe verba hæc.

Quapropter menſes quales octimeſtrium, qui fiunt ad decimum tendentibus, malum.

Dictum eſt lac fieri incipere vtero gerentibus octauo menſe, quia per paucis, naturaliter habentibus, fluunt menſtruæ euacuationes, dum gerunt vtero, aut dum lactant. Sed à principio prægnationis inſumitur in fœtum, deinde in lac illa materia. Propterea (dicit) menſes quales octimeſtrium, qui fiunt vtero gerentibus, tendentibus ad decimum menſem, malum. Inſinuat verò hac breui dictione multa: imprimis, malum eſſe fieri menſes vtero gerentibus: deinde ſolere eſſe talibus difficiles, & quales octimeſtrium, deinde ſolere fieri hos tendentibus ad decimum, ideſt, parituris non ante decimum, aut vndecimum menſem græcum, quibus ſcilicet partus producendus eſt vltra conſuetum tempus. Sunt verò hæc omnia rationi conſentanea. Nam ſi vtero gerenti fluunt menſtrua: impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum, vt in aphoriſmo dicitur. Quod ſi ægro fœtu fluunt, laboribus, quos ipſi fluxus afferre ſolent, accedentibus aliis ex fœtus ægrotatione, erunt quales octimeſtrium, ideſt octauo menſe abortientium. Quibus verò hæc fiunt, meritò partus producitur. Quia ſi robuſtus fœtus, non poteſt vitalis exire, niſi poſt laborem ſeptimi menſis quadraginta dies quieſcat, debilis pluri tempore indigebit ad refectionem, & præter hæc, ſeriùs veniet ad perfectionem. Duplex enim ratio eſſe poteſt, qua partus producatur, aut quòd ob amplitudinem viarum matris & fœtus, & naturam alimento abundantem, tardiùs ſentiat fœtus alimenti penuriam, & reſpirationis indigentiam: aut quòd ob debilitatem, tardius veniat ad perfectionem. Illi eduntur robuſti, ac tantò citiùs, quàm ſolent alij, rident, quantò tardiùs nati ſunt: hi habent omninò contraria. Atque ita partus producti nonnunquam meliores, nonnunquam deteriores ſunt, quàm communes.

Si in vulneribus grauibus tumor non appareat, magnum malum portenditur, laxi ſunt vtiles, crudi deteriores. Quibus tumores in vlceribus adſunt non valde conuelluntur, neque inſaniunt. His autem euaneſcentibus repente, quibus quidem in poſteriore erant, conuulſiones cum doloribus accidunt: quibus autem in anteriore, aut inſaniæ, aut dolores lateris acuti, & dyſenteria rubra. Tumores præter rationem leuantes, fallaces ſunt, vt Andronici puero eryſipelas recurrit. Niſi in eundem locum veniens vtile aliquid ſignificet. Hoc ex generatione circa aurem, ad pubem diſtributum eſt, alteri tertia die ex natiuitate factus tumor ſuppuratus eſt nona. Hic ſeptima die ſanus euaſit. Deteriora ſunt, quæ repentè euaneſcunt.

Aphoriſmis 65. & 66. & 67. ſectionis quintæ hæc eadem, eiſdem ferè verbis, ſcripta ſunt, quæ cùm in comment. mihi explicata ſint, haud erit hic multum immorandum. Vbi legi crudi deteriores, habetur in Græco codice ἀ'νω νεμο'μενα ideſt, ſurſum paſcentes: ſed reſtituimus hunc locum ex

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 94 sur 489

©BIUM

aphorismo, quo legitur ἔρυσα, quam lectionem sequitur Galen. in commentatione. In vulneribus tumores non apparere malum est, quia secundùm rationem apparent, fluxionis gratia. Atqui, etsi medicus curat tumores medicamentis arcere, nihilominùs, medico id non moliente, spontè sua non apparere, non est bonum. Quia apparentes tumores, etsi mali sint vt causa, quia prohibent vlceris curationem, tamen non mali vt signum. Atqui legi potest, si tumor non appareat magnus, malum. Aut si tumor non appareat, magnum malum, litera græca vtrumque sensum fert, & vterque est verus. Nam dicit in grauibus vulneribus, idest, in magnis & malignis, vt quæ circa articulos, aut in neruis fiunt. In talibus verò non satis est apparere qualescumque: sed magnos etiam tumores petit ratio vlcerum. Si verò in fortibus vlceribus, non apparere tumores magnos, est malum, nullos apparere est magnum malum: oportet enim apparere, & magnos. Non tamè qualescumque si appareant, agitur bene iam cum ægroto: sed si molles, seu laxi idest facilè cedentes curationi: crudos enim idest, rebelles, & insuperabiles auxiliis, apparere deterius est, fortasse etiam quàm nullos. Dictum enim mihi in comm. aphorismi est, illud laxi, & crudi metaphoricè accipi, ac significare quod dictum est. Quis autem probet in vlcere Cancrum, aut Carbonem? Tumores verò mites apparere, bonum. Quia quibus tumores in vlceribus non valdè conuelluntur, neque insaniunt, quę signa peritutis ab vlcere maximè solent accidere. Quibus verò non fiunt, aut euanescunt, fiunt hæc & alia non minùs mala, pleuritis fortis, suppuratio, aut dysenteria cruenta. Docens Hippocrates, quibus hæc, & quibus illa, dicit in aphorismis. Quibus à parte posteriori, conuulsiones cum doloribus, quibus ab anteriori, insaniæ, dolores acuti lateris, suppuratio, dysēteria, præcipuè si rubri fuerant tumores. Hic dicit: Quibus in posteriore, quibus autem in anteriore parte. Sed eadem res est. Nam quibus à posterioribus, proinde fiunt illa, quia in posteriore, & quibus à prioribus, quia in priore. Nimirum, quia posteriora vlcera, rectitudinē habent cum neruorum exortu, in eum à posterioribus recurritur, & conuulsiones cum doloribus fiunt, & quia anteriora, cum cerebro, thorace, & ventre maiorem societatem habent, illis timetur, cùm euanescūt repentè tumores. Nam fallax salus est, tumores repente euanescere, quod Hippocrates millies docet, & nunc recordatus pueri Andronici exemplo confirmat. Fieri tamen aliquando potest, vt cum bono aliquo euanescat tumor, si scilicet ad certam aliquam partem recurrat, eamque contingat esse humiliorem, exteriorem, & ignobiliorem (nam ad tales salubriter fieri abscessus. 2. sectione huius 2. libri dictum est) velut cuidam, cui ἐκ γενέσιος, id est, ab ortu, fuerat circa aurem tumor, euanuit: sed ad pubē distributus est, facta scilicet est ad pubē permutatio, eaque euanescentia tumoris non fuit mala. Alteri (huius meminit obiter, quòd fortè fortuna eodem tempore obseruauerit) tertia die, ex qua natus est, factus est tumor, & suppuratus est nona. Intelligi potest nona ex natiuitate, & ita quasi suppuratione ipsa sanus euaserit, addit, hic septima die sanus euasit, quia septima à tumore erat nona à natiuitate. Aut nona à facto tumore, atque sanus euaserit septima à suppuratione. Vtcumque hoc factum sit, cùm malum sit tumores circa vlcera nón apparere ob dictas causas, deterius tamen est, cùm apparuerint, repente euanescere, cùm non in certam aliquā partem, eamque ignobilem conuertuntur. Proinde concludit totum hunc sermonem Hippocrates his verbis. Deteriora sunt quæ repentè euanescunt.

SECTIO IV.

HEPATITIS per lumbos vsque ad magnam vertebram inferne fertur, indeque vertebris committitur, sublimis per iecur ac septum transuersū in cor tēdit, & hæc quidem recta ad clauiculas, inde autē aliæ quidem in collū, aliæ autem in scapulas aliæ autem deorsum reuertentes, ad vertebras & costas inclinant, & ex sinistris quidem vna propè clauiculas, ex dextris autem, ad quandam regionem alia. Hæc autem paulò inferiùs reflexa, vnde quidem illa deficit defertur iuxta, costis reliquis omnibus, hæc hinc atque inde, ramos in quamcumque tribuit, vna cùm sit. A corde quidem ad regionem quandam in dextris magis existens, in ea quæ sub arteria vsque dum delitescat, & eò veniat, vnde hepatitis eleuari caperat. Prius autē quàm eò perueniat, iuxta extremas duas costas diuisa est. Et quum in vtramque vertebrarum partem peruenit, consumitur. Rectà autem à corde ad clauiculam contendens supra arteriam euadit, indéque velut dum iuxta lumbos est sub arteria delitescens fertur ad hepar, partim quidem in portas & fibram, partim excurrit in reliquum quod est parùm infra septum transuersum. Septum autem transuersum adnascitur hepati, à quo non facilè separabis. Geminæ autē à clauiculis, hinc atque inde sub pectus in abdomen procedunt. Quò autem inde ferantur, nondum noui. Septum autem infrà iuxta vertebram quæ sub costis, quà ren ex arteria hac circumcingit. Arteriæ quidem ex tendine nascuntur, hinc inde arteriæ tonum habentes. Hic iam tandem finitur, quæ recurrit à corde hepatitis. Ab hepatitide autē per septum transuersum maximæ duæ, alia hinc, alia inde, feruntur sublimes, multifidæ autem per septum transuersum, sunt circum circa illud, & inseruntur supernæ per septum. Hæ autem præcipuè conspicuæ.

Censet Iacobus Steue totam hanc dictionem, & quæ mox succedit, historiæ venarum, & neruorum, esse adulterinam, & ab aliquo imperito, aut impostore, huc cōiectam: quòd narratio non videatur satis distincta & exacta, neque, vt ille putat, vera: atque adeò, quia occurrit hic nomen arteriæ pro arteria le-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 95 sur 489

©BIUM

ui; cùm id nomen non ſoleat antiquis ſignificare
niſi aſperam, vocenturque illis arteriæ læues, venæ
pulſantes. Ego verò mihi imperaui, quæ in Hippo-
cratis operibus repererim, neque apertè falſa, ne-
que omnino indigna, etſi ſubobſcurius, ac fortaſſe
etiam indiſtinctius tradita, illius eſſe cenſere, quia le-
ue eſt, leuiter autori denegare (quanquam id ſit ali-
quando neceſſarium) quæ ex multis ſeculis ſub il-
lius nomine recepta ſint. Maximè quæ vt genuina ab
aliis antiquiſſimis citantur. Velut hic locus citatur,
non ſine commendatione, à Galeno quibuſdam in
locis præcipuè autem 2. de natura humana commē-
tario contextus ſexti, vbi ita ſcripſit. Vna eſt vaſtiſſi-
ma vena, quam vocant cauam, per gibbum iecoris
tota animantis longitudine porrecta. Dirimit au-
tem ſeptum tranſuerſum imam animantis regionem
à ſuprema. Hæc vena caua ſeptum tranſuerſum pe-
netrat, contenditque ſupra ad cor, infra ad ſpinam
ſecundum iecoris gibbum peruecta, itaque ex illa
quæ ſupra petit, tanquam caudice, venas ſupra ſe-
ptum tranſuerſum germinari, apertè cernas, ex alte-
ra quæ ad ſpinam diuertit, inferiores. Horum Hip-
pocrates in 2. morborum vulgarium autor eſt, vbi
iecorariam appellat cauam venam. Hæc etiam con-
firmant quotquot anatomiam tractauerunt. Hæc
Galenus. Itaque eo enarratore, hæc ab Hippocrate
ſcripta ſunt, atque adeò quæ Hippocrates hoc loco
docet, ſunt quæ Galenus veriſſima, & ab omnibus
qui anatomiam tractauerunt confirmata, eſſe dicit.
Eſſe vnam aut alteram voculam, additam, detractam
aut tranſpoſitam, poſſum adduci, vt credam, ob libri
vetuſtatem, tamen omninò negare eſſe Hippocratis,
negligentiæ eſſe puto, niſi cum id ob maximas cau-
ſas fit, quæ profectò hic ſunt nullæ. Nam etſi hæc
quæ de venæ diſtributione dicuntur, dici fortaſſe
poſſent diſtinctiùs & fuſiùs, tamen dicuntur verè.
Quod quidem ſatis eſt, illo præcipue ſeculo, quo nō-
dum erat anatomes hiſtoria adeò culta. Nam facun-
diam & elegantiam ab Hippocrate quis requirat?
Ego certè nuperrimè hunc locum diſcipulis meis
enarraui, non aliter quam poſita ob oculos vena, fa-
ctaque coram multis illorum eius diſſectione, qua
facile intellexerunt quæ docet Hippo. veriſſima eſſe.
Hepatitidem vocari venā cauam Galenus autor eſt,
quòd ex hepate oriatur. Caua autē vena eſt, non ſo-
lùm quà erumpit ex hepate: ſed & in quamcumque
partem producatur. Itaq; tota vena, non pulſans, di-
citur hepatitis: arteria dicitur vena pulſans, at non
hepatitis, atque nonnunquā arteria ſine addito, ple-
rūque arteriam læuē non ſignificat, quia antiquiſſimi
arteriæ nomen tribuebant aſperæ. Magnam vertebrā
hic vocat coxæ articulū. Duo enim articuli ſolēt Hip.
magni dici, hic, & qui ex ſecunda ceruicis vertebra
ſit, quem autem quoque loco intelligat, deſcriptio-
ne ſolet explicare: velut libro de oſſium natura, di-
cens, Coxa verò magno verticulo, quod iuxta os ſa-
crum eſt, ex ligamēto cartilagineo ac neruoſo adhæ-
ret. Hic magnum verticulum intelligit, quod in oſſe
ſacro. Paulò poſt addit, hinc vſque ad magnum ver-
ticulum quod ſupra ſupernas humeri partes eſt, è
directo gibboſa eſt. Hic haud dubiè intelligit ſecun-
dam ceruicis vertebram, quandoquidem dicit, ſupra
ſupernas humeri partes eſt. Velut hoc loco conſtat
ſignificari articulum oſſis ſacri, quandoquidem di-
cit, per lumbos infernè. Hippocrates quidem hic
vnico illo nomine hepatitis, inſinuauit venæ princi-
pium, & venarum radicationem hepar eſſe, ac pro-

A inde venas hepate humiliores ab eo deſcendere, ſu-
periores ab eo aſcendere, atque adeò communem
ſuperiorum & inferiorum venarum radicem, eſſe in
ipſa hepatis parte gibba, quà exit vena. Ibi diuiditur
vt in duos magnos caules alterum ſurſum, alterum
deorſum, iuxta ſpinam repentes. Incipiens ergo
Hippo. narrationem ab hepate, caulem deorſum
repentem vocat hepatitidem in lumbis: repentem
ſurſum, vocat hepatitidem ſublimem, & ab inferiori
cauſe incipiens dicit hepatitidē quæ in lumbis eſt,
B attingere per infernam partem vſque ad os ſacrum.
Profectò & vſque ad extremos pedes producitur,
ſed quia in oſſe ſacro ſecatur in duos ramos, defi-
ciente iam caule, in eam vſque partem produci dici-
tur, quaſi non amplius procedat vna exiſtens. Inde
[inquit] ideſt ab exortu vſque ad extremum oſſis
ſacri, in ipſo oſſe ſacro & lumbis vertebris ſpinæ cō-
mittitur, ideſt, iuxta ſpinam iacet producta. De hac
venæ parte hoc tantùm dicit, & ad ſublimem tranſ-
C greditur dicens: ſublimis per iecur, ideſt per iecoris
gibbam partem, ac per ſeptum tranſuerſum in cor
tendit, & hæc quidem, neque inſumitur in cor, ne-
que in illud intrat, ſed præteriens iuxta, & in illius
dextrum ventriculum mittens ramum, recta ad cla-
uiculas aſcendit, vbi in multos iam ramos ſecta, vna
eſſe deſinit: velut de hepatitide in lumbis anteà di-
cebatur: abit verò eo loci in venas iugulares, quæ
per ceruicem in caput ſubeunt: quarum vnaquæque
in duas venas deinceps diuiditur: quarum vna inter-
D nas, alia externas capitis partes adit. Præter has fiunt
eò loci alia tria paria venarum non tam inſignium,
quarum aliæ abeunt ad ſcapulas nutriendas (quæ
venæ facere ſolent, vt raptum ſanguinis in caput, do-
lor ſcapularum antecedat] aliæ eodem loco ortæ
deorſum reflectuntur magis, & in vertebras primas
dorſi inſumuntur: aliæ duæ deſcendentes, vtrinque
vna, à dorſi initio producuntur vſque ad quintam
vertebram dorſi, & mittunt, quæcumque in ſuum
latus ramulos conſpicuos, qui nutriant quatuor ſpa-
tia intercoſtalia. Ante autem quàm vena hepatitis
E ſublimis clauiculas attingat, & vna eſſe deſinat abiēs
in venas has, demittit multas alias in via ad nutritio-
nem partium conſiſtentium in via, & è regione po-
ſitarum: velut profectò venas axillares mittit in bra-
chia, quæ in cubitis internæ vocantur (harum hic
non meminit, etſi profectò inſignes ſatis ſint) atque
mox ac cor prætergreſſa eſt, mittit per partem dex-
tram venam quæ ſine coniuge vocatur, quia ei nulla
in ſiniſtra parte reſpondet. Hæc repit deorſum, in-
F cipiens quà deſinunt duę, quas diximus nutrire qua-
tuor ſpatia intercoſtalia, & mittit in ſeptem reliqua
ſpatia binos ramulos, in vtrunque latus, vnum, at-
que ita ſola hæc vena eſt pro duabus ſuperioribus.
Hæc docens Hippocrates, dicit, ex ſiniſtris quidem,
id eſt, in ſiniſtra parte, vna ſolùm vena (intellige re-
flectitur per ſpatia intercoſtalia] & hæc quidem
propè clauiculas, ex dextris verò, duæ. Nam vna
propè clauiculas: coniux eius quæ ex ſiniſtris, & ad
quandam regionem (ad quintam ſcilicet vertebram
thoracis] alia. Hæc autem paulò inferius reflexa,
G vnde quidem illa deficit, defertur hæc coſtis reliquis
omnibus, hinc atque inde ramos in quamcumque
tribuit, vna cùm ſit, vna ſcilicet & ſine coniuge. Deſ-
cribens rurſum hanc eandem venam dicit, à corde
quidem ad regionem quandam in dextris magis
exiſtens, in ea quæ ſub arteria vſque dum delitescat

©BIUM

& eò veniat, vnde hepatitis eleuari cœpit. Ideſt ab ea parte qua cordis ſuprema pars eſt, orta ad regionem quandam procedens per partem dextram, decurrens ſub arteria aſpera, nam partim latet dextra parte arteriæ tecta, partim etiam ſub tota arteria, mittit ſurculos in ſiniſtra ſpatia, & producitur vſque ad eam partem quà vena caua, quam ſublimem appellauimus, ex hepate orta, ſurſum ferri cœpit: hic enim finitur: aut ſi quid amplius procedit, extenuatur adeò, vt deliteſcat. Prius autem quàm eò perueniat, vnde hepatitis eleuari cæpit, iuxta extremas duas coſtas diuiſa eſt, vt ſcilicet & iuxta ſuperiores, eſt verò hæc vltima diuiſio eius venæ, atque cum alia hinc, alia inde vertebrarum peruenit, ideſt. cum alia in hanc, alia in illam partem, alia vltra, alia citra vertebras ſpinæ peruenit, euaneſcit. Redit deinde ad hepatitidem ſublimem dicens, rectà autem à corde (ab ea ſcilicet parte qua vena ſine coniuge orta eſt) ad clauiculam contendens, ſupra arteriam euadit, indeque velut dum iuxta lũbos eſt, fertur ad hepar, ideſt à clauicula deliteſcit ſub arteria, velut dum iuxta lumbos eſt & fertur, ad hepar. Ita illud, ſub arteria, repeti debet: collatio enim eſt à clauicula venam, quæ ferebatur ſupra arteriam deliteſcere ſub arteria, vt & ea quæ eſt in lumbis. Quod vt intelligas, ſcias hic arteriam vocari venam pulſantem: porrò per totum corpus ferri venas cum arteriis, verùm per partes extremas, cuiuſmodi ſunt, manus, crura & ceruix. ac tota cutis, venas eſſe exteriores, ſub illis tamen eſſe arterias in partibus interioribus, alioqui non eſſent venæ tam opportunæ ſectioni. Atque intra corporis ventres, thoracem dico, & quod intra peritonæum, venas eſſe interiores arteriis, propiores enim ſunt arteriæ ſpinæ, & illis incumbunt venæ. Neceſſe eſt ergo venas & arterias, cum iam iam ſunt ex internis emerſuræ, poſitum mutare, atque eas quæ ſuperſtant, ſubmitti: atqui profectò ita fit, iuxta clauiculas vena quæ incumbere arteriæ thorace toto videbatur, ſub arteria fit, atque ita tota ceruice exterior fit quàm arteria. Et vena, quæ per tota crura fertur exterior quàm arteria, iam ingreſſa ventris regionem ſub arteria eſt, & ad lumbos inſilit in arteriam non per illam recta producta totius ventris longitudine. ſed tranſuerſim ſuper arteriam tendens, tranſiliens in dextram partem quaſi tendens in hepar, partim in portas & fibram, partim in reliquum paruum infra ſeptum, ideſt partim in gibbam & ſublimem eius partem, ex qua hepatitis oritur. Dixit vero, vt hanc hepatis partem ſignificaret, parùm infra ſeptum, quia ſeptum tranſuerſum adnaſcitur hepati, à quo non facilè ſeparatur. Hoc vſque adeò verum eſt, vt ſemper ex macello cum hepate aliquid ſepti tranſuerſi deportetur. His de hepatitide, quę in lumbis & de hepatis partibus, & ſepti ſitu obiter dictis, redit ad hepatitidem ſublimem, dicens, geminæ aliæ à clauiculis hinc inde ſub pectore in abdomem. Hæ ſunt venæ quæ de hepatitide ſublimi, qua iam ſeparantur venæ, ituræ ad brachia erumpunt in mammas, & repunt exteriùs per thoracem, & per muſculos rectos abdominis, vtrinque vna. Quare illud ſub pectus, non dicitur, quod ſub oſſe pectoris feratur (fertur enim per exteriorem thoracis partem) ſed quòd non finita in thorace, ſub & per illum feratur in abdomem, ideſt per muſculos rectos, quo autem (inquit) inde fertur, nondum noui. Non habebat id exactum, neque mirum, nullam enim aliam in partem tendunt, ſed ibi cum aſcendentibus ex vtero congreſſæ coaleſcunt. Redit rurſum ad ſepti tranſuerſi ſitum, & hepatitidis finem, dicens, ſeptũ autem infra ſecundam vertebram quæ ſub coſtis, quà ren ex arteria hac circumcingit. Septi figuram & poſitum oculis contemplari oportet, vt hæc intelligantur. Eſt quidem muſculus figuræ ſingularis. Nam quaſi quædam membrana carnea tenditur, diuidens totum corporis cauum, per medium circumcingens, quà finis eſt coſtarum. Ex illo ergo & coſtis fit thorax, velut ex eodem & peritonæo, venter. Hoc ſeptum penetrant vena hepatitis à dextra verſus ſiniſtram partem ſurſum tendens circa partem anteriorem, & ſuperior pars ventriculi à ſiniſtra verſus dextram obliquè deſcendens circa medium, & arteria magna quæ à corde rectà per ſpinam deſcendit. Hæc ergo penetrat ſeptum in poſtrema parte iuxta ſpinam, quà illud ſpinæ alligatur. Hoc eſt ad ultimam thoracis vertebram & primam lumborum. Quæ ut ſignificet, dicit, ſeptum circumcingit, hoc verbo innuens illius poſitum infra iuxta vertebram, quæ ſub coſtis, ideſt alligatum vertebræ vltimæ thoracis: atqui reuera alligatur vndecimæ & duodecimæ. Deſcribit verò hanc partem aliis notis dicens, quà ren ex arteria. Nimirum illo loco erumpit, vt dixi, magna arteria, ex thorace in ventrem deſcendens: atque ex ea, in ipſo egreſſu, recipiunt renes arterias. Ergo alligatur ſeptũ ſpinæ, quà ren pendet ex arteria. Quia ſcilicet procedũt inde ad renes duæ arteriæ. Eodem ferè in loco, ex vndecima vertebra thoracis, procedunt tendines quidam in quoſdam muſculos femorum, quibus magna arteria, quæ per lũborum vertebras procedit vſque ad os ſacrum, utrinquè habens unum, firmitudinis gratiâ alligatur, atque adeò & quæ tendunt in renes. Hoc vt inſinuet, dicit, arteriæ ex tendine, naſcuntur. Non naſcũtur profectò arteriæ ex tẽdine, ſed eodem loco ex magna arteria naſcuntur, quà magna arteria erumpit ẽ thorace, & quà tendines naſcuntur ex vertebris. Itaque dicit arteriæ ex tendine naſcuntur, habentes hinc inde arterię, ideſt ab vtraque parte arterię magnę tonum (hos ipſos tendines vocat hic tonos) hic iam tandem (inquit) finitur, quę recurrit à corde hepatitis, ideſt vena ſine coniuge. Sed quomodo finitur quà ſeptum tranſuerſum alligatur ſpinę, ſi verè ante dictum erat, eam produci vſque dum perueniat eò, vnde hepatitis eleuari cępit, nam hepar infra ſeptum tranſuerſum eſt? Certè vena ſine coniuge quodammodo finitur in vltimo ſpatio intercoſtali, quia ibi mittendi in vtrumque latus ſurculos finem facit, quodammodo etiam attingit vſque ad eam partem quà hepatitis eleuari cœpit, quia ad eam vſque, ac fortaſſe etiam aliquantò plus procedit quidam gracilis illius venę finis, vt cauda quædam muris euaneſcens. Non eſt tamen prima productio quæ ex hepatitide ſublimi fit, vena ſine coniuge. Nam cum hepatitis penetrat ſeptum, mittit per illius ſupernam partem duas venas ſatis magnas, aliam hinc aliam inde, quæ per ſupernam ſepti partem multifidè per illud feruntur, & inſeruntur ſupernè, toto ſepto alimentum præſtantes. Hic finem ponit narrationi venarum, dicens, hæ autem præcipuè conſpicuę, quod aut de his vltimis quę nu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 97 sur 489

©BIUM

triunt ſeptum intelligi poteſt (dixerat enim eas eſſe maximas) aut de omnibus dictis, quaſi non ſint expoſitæ venæ omnes, ſed quæ præcipuè conſpicuæ. Non poſſumus negare multas venas non ignobiles omiſſas in hac narratione eſſe. Nam venientium ad brachia nulla eſt facta mētio, neque venarum emulgentium, neque genitalium, neque venæ arterialis, tamen non proinde colligendum quæ dicta ſunt, non eſſe dicta verè, neque pro antiquiſſimo illo ſeculo parùm exactè.

Duo autem nerui à cerebro infra os magni verticuli deorſum, & ad ſtomachum præcipuè ex vtraque arteriæ parte procedunt: vterque in ſeipſum incidit, vni ſimilis, deinde vbi vertebræ & ſeptum tranſuerſum cohærent, ibi deſinunt. Et quidam dubij, ad hepar & lienem ſurculi ab hac communione ferri videntur. Alius neruus ex vtraque vertebrarum parte ſecundùm ſpinam extenditur ex obliquo vertebrarum, & coſtis diſtribuitur. Velut venæ ita etiam ij per ſeptum tranſuerſum in meſenterium tendere mihi videntur, in his verò deſinunt. Rurſus autem ex eo loco vbi ſeptum tranſuerſum cohæſit continuitate quadam per medium infra arteriam reliquum ad vertebras diſtribuunt veluti venæ, donec abſumantur, quum ad os ſacrum peruenerunt.

Exiguum quiddam docet Hippocrates de neruorum hiſtoria, mittitque dicere multò plùra: neque quidem quæ dicit ſatis exponit: non tamen proinde non ſunt hæc veriſſima. Velut nuper non narrauit hiſtoriam venarum omnium, atque externarum nullam mentionem fecit, ita nunc non omnes neruos neque eos qui in proximas ex quadam ſpinæ parte procedunt, voluit perſequi, ſed eos qui in multas partes, quaſi multis communes, per interna deferuntur. Hi ſunt tantùm duo, ſextum par ortorum ex cerebro, & quintum ortorum ex ceruice. Quamquam ſextum cerebri par, recipit tantam acceſſionem ex ſeptimo, & quintum ceruicis ex quarto & ſexto & ſeptimo, vt contingat dubitare, ſexto, an ſeptimo cerebri, & quinto ceruicis, an aliorum alicui, tribuenda ſit illa diſtributio. Quin & qui ex cerebro veniunt ex his qui ex ceruice, acceſſionem accipiunt, & hi ex illis, vt quocunque eorum alterutri ferantur, videantur quodammodo ferri vtrique: tamen ſingulis in proprias fibras ſectis, & re ita explorata, conſtat eos qui ex ceruice veniunt, ferri in medium ſepti tranſuerſi, deferentes illi motum, atque in illud multifariam diſtribui, ibique finiri, eos verò qui ex cerebro veniunt, cùm primùm attingunt ſuprema thoracis partem, portionem quandam mittere ad radices coſtarum ſub membrana ſuccingente coſtas, in initio quidem exiguam, excurrentem verò per totum thoracem deorſum, & ex neruulis venientibus à vertebris, in ſingulis ſpatijs intercoſtalibus, recipientem acceſſionem, & hanc quidem neruorum portionem, penetrare in ventrem cum arteria: ea parte quà ſeptum vertebris alligari diximus, atque ſurculos mittere, in primis in ipſum ſeptum, deinde & in omnes ferè partes infra ſeptum poſitas, nam in fundum ventriculi, & omentum, & craſſa inteſtina, quin & in tenuia, iecur, lienem, & veſicam fellis, atque adeò & in genitalia: aliam porrò portionem dictam maiorem, per internum cauum thoracis procedere, ex qua fiunt nerui, qui vocantur recurrentes, & ſurculi mittuntur in pulmonem & pericardium, & quod eius, poſt has diſtributiones ſupereſt (eſt verò id ſatis multum) inſumitur in os ventriculi. Totam hanc hiſtoriam narrat Hippocrates quamquam non ſatis diſtinctè, δύο (inquit) τόνοι ideſt duo nerui motus, veniunt à cerebro ſub os magni verticuli. Os magni verticuli vocat hîc ſecundam vertebram ceruicis. Sed quo pacto duo illi nerui veniunt à cerebro, & ſub os magni verticuli: certè duo nerui, ſunt duo illa neruorum paria quæ dicta ſunt, ſextæ coniugationis cerebri, & quintæ ceruicis. Aliud naſcitur ex cerebro, aliud ſub os magni verticuli, & vtrunque fertur deorſum. Itaque legendum videtur, duo autem toni, à cerebro & ſub os magni verticuli, deorſum. Narrans deinde, quò tendant, dicit, & ad ſtomachũ (ideſt ad os ventriculi) præcipuè ex vtraque arteriæ (aſperæ ſcilicet) parte procẽdunt. Hi ſunt rami ſextæ cõiugationis qui per thoracis cauum ferũtur, quorum pars ſunt nerui recurrentes, vterque (inquit) in ſe ipſum incidens vni ſimilis. Tria videntur ſignificare poſſe hæc verba, aut vtrumque cum altero coaleſcere multis locis, eum inquam qui ex cerebro & qui ſub os magni verticuli, & conflare vnum neruum, quaſi eodem in ſeipſum per partes incidente: aut vtrumque eorum neruorum qui à ſexta coniugatione ex vtraque arteriæ parte feruntur in ſtomachum præcipuè, antequàm eò peruenerit, recurrere quaſi in ſeipſum incidentem, quodammodo vnum, quodammodo duos factum: aut hos eoſdem neruos cùm os ventriculi attigerint, ita congredi, vt vtriſque in ſe ipſos incidentibus & complicatis, vni ſimilis fiat. Deinde vbi vertebræ & ſeptum tranſuerſum coaleſcunt (vbi antea dictum eſt) ibi deſinunt. Qui ibi deſinunt, ſunt nerui dicti ſextæ coniugationis, & nerui qui naſcuntur ſub oſſe magni verticuli, qui nerui ſepti tranſuerſi vocantur, quia in medium illius incidentes motum illi præſtant. Et quidam dubii (neruuli ſcilicet) ab hac communione (ideſt ab hoc loco quo ſeptum & vertebræ coaleſcunt) ad hepar & lienem tendere videntur. Certè quædam reliquiæ exiguæ neruorum oris ventriculi inſumuntur in cauum hepatis. In lienem hinc non apparet quid feratur, ſed ille proinde dicit, dubii. Alius (inquit) neruus ex vtraque vertebrarum parte ſecundùm ſpinam extenditur ex obliquo vertebrarum, ideſt alius neruus (hic eſt pars ſextæ coniugationis, quæ ſub membrana ſuccingente coſtas repit) per vertebras, quæ vtrobique, & ſupra ſeptum & infra ſeptum ſunt, extenditur ſecundùm ſpinam, non per medias ipſas vertebras, ſed ἐκ πλαγίου σποδ' ἴλεον hoc eſt deflectẽtes non nihil à vertebris, & per thoracem, diſtribuitur coſtis, & vt venæ (inquit) ita hi nerui (quod nunc dicit ἄλλος τόνος nunc οὗτοι nihil refert, nam eſt vnus vtroque in latere) per ſeptum tranſuerſum in meſenterium mihi videntur tendere, & in his hoc eſt par-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 98 sur 489

tibus meſenterii, deſinunt. Rurſus autem vbi ſeptum transuerſum cohæſit, ἀπὸ τότε ξυνεχέες ἐόντες Hoc dicit Hippocrates ſecundum ipſam rationem adminiſtrationis anatomicæ. Nimirum, licet neruum illum, qui ſub membrana coſtarum deſcendit per ſeptum tranſuerſum, conſectari, perſequique ſurculos, quos demittit ad omentum & meſenterium, eiſque ibi finitis, redire rurſum in eam partem, qua ſeptum tranſuerſum cohæſit vertebris, vbi videntur nerui continui exiſtentes, nimirum rami ex eodem caule, inde ferri iuxta medium corporis, ſub arteria magna quæ illac deſcendit, & reliquum, quod ſupereſt ex ſexta coniugatione, variè diſtribuunt vertebris, vt venæ. Nimirum vt vena caua quæ illac etiam repit, demittit ramulos in proximas quaſque partes, ita illi neruuli. Sed quod dicit diſtribuere vertebris, iuxta veritatem non ſatis exactè dicitur. Nam ex ſingulis vertebris naſcuntur neruuli qui coaleſcunt cum ſurculis, quos illi nerui demittunt, quare non magis tribuunt vertebris, quàm ex illis accipiunt. Sed dicitur hoc, vt monui, ſecundum adminiſtrationem, ad quam nihil intereſt, nerui hi tribuant vertebris, an accipiant ex vertebris, modò diſſector videat ſurculos ex dictis neruis demiſſos, ire in vertebras. Atqui ita fit, vſque dum abſumantur, cum ad ſacrum os peruenerint. Nam ſi quid genitalibus ex hac coniugatione tribuitur, id quoque ſub ſacro oſſe eſt. Itaque horum neruulorum hiſtoria, etſi non ſatis exactè, verè tamen Hippocrati narrata eſt. Quod tamen ſæpe dicere ſoleo, nunc non omittam, partium hiſtoriam à nullo autore petendam eſſe, ſed oculorum intuitu inueſtigandam. Nam citra hunc, ſola lectione nihil certi conſequi poteris.

In Aeno qui leguminum eſu continenter vtebantur mares & fœminæ, crurum impotentia laborabant, & ad finem vſque perſtiterunt. Rurſus etiam qui orobum comedebant, genuum dolore torquebantur.

Hæc eadem ſententia eiſdem omnino verbis ſexto lib. ſectione 4. ſcripta occurret, quamquam fortaſſe perperam interpoſita illo loco eſt, hic ſolum ab Hipp. ſcripta. Galenus. n. nullam illius mentionem facit in eius libri commentariis. Sed vtcunque hoc habeat, morboſa hæc conſtitutio facta eſt, quòd homines multo leguminum eſu eſſẽt vſi per famem, hoc eſt, annonæ caritatem, vt dicit Galenus in commen. apho. 16. particulæ. 3. in quo, vt aliis multis in locis, hanc citat hiſtoriam. Accidit verò id in Aeno vrbe Thraciæ, regionis ſterilis admodum & frigidæ, vt vel hac ratione accidere fuerit magis conſentaneum. Quod fœminas & viros laboraſſe dicit, videtur inſinuare fuiſſe morbum epidemialem, talem enim eſſe dicimus, eum qui vtriuſque ſexus & omnis ætatis homines apprehendit, tamen quod non in aëre cauſam eſſe dicit, ſed in prauis cibis, alia ex parte non videtur epidemialis. Si enim illi ſolùm tali morbi genere tentati ſunt, qui leguminibus ſunt vſi, non fuit epidemialis. Fieri autem potuit, vt incipiente à malo victu morbo, in aerem infectio ſerperet, eſſetque ita epidemialis, & ægrotarent ob communem eſum leguminum, qui nunquam legumina guſtaſſent, ita vt fit. Sæpe enim peſtis graſſatur in vrbe, cuius cauſa prima non fuit communis, ſed peculiaris aliqua, vt veſtis aut lectus, aut cibus: Proximam verò, cum iam epidemialis morbus eſt, neceſſe eſt communem eſſe cauſam. Ita fieri potuit in Aeno. Incepit tamen malum ab eſu leguminum, & maxima ex parte tentati fuerunt tali morbo, qui leguminum eſu vtebantur. Non enim profectò qui aliquando fortaſſe, ac cum reliquis cibis condita, vt ſolent, legumina guſtaſſent, ſed qui eis in præcipuis cibis vterentur ſemper, aliorum penuria. Hi verò merito ægrotarunt. Nam vt Hippocrates ipſe lib. de rat. victus in acutis dicit, legumina omnia flatuoſa ſunt, & cruda, & frigida, & macerata, & viridia. His autem vtendum non eſt niſi cum cibis. Vnumquodque verò ex ipſis ſua peculiaria vitia habet. Galenus etiam libro de cibis boni & mali ſucci legumina in cibis mali ſucci ponit, adeò vt paucis nominatis, dicat, cæteris homines non veſci, niſi fame & rerum inopia premantur, velut ſcilicet hi qui in Aeno. Habent itaque legumina omnia multa communia vitia, vnum quodque verò ex ipſis ſua peculiaria, velut nũc omnibus qui leguminibus vtebantur crura ſunt debilitata: qui vtebãtur eruo dolebant præterea genua: & hæc quidem non per ipſas putridas & malignas febres, quibus conſentaneum eſt, fuiſſe correptos in initio mali (quod & lib. 4. huius operis dicetur, vbi de hac tempeſtate aliquantò plura etſi breuiſſimè etiam, ſcribentur) ſed poſtea etiam per totam vitam crurum vitia perſeuerabant. Quia, arbitror, ex leguminibus multùm praui & craſſi ſucci colligebatur. Atqui quod craſſum in crura paulatim ſubſidet. Hinc fiunt varices, elephantes, cancri, ſine vlceribus aut cum vlceribus, hinc atrophiæ crurum, quia vbi multum mali, exiguum eſt vtilis ſucci, & id quod eſt vtile, à prauo nonnunquam prohibetur affigi. Hinc etiam fit, vt nerui crurum ab humoribus craſſis occupati, nonnunquam reſoluantur. Eruum præterea habet inſignem vim ſiccandi, & partes acres, vſque adeò vt ne bobus quidẽ detur ſine magna præparatione, vt Gal lib. de alimen. facultate cap. 29. docet. Potuit ergo ſiccare ligamenta articuli genu, ac facere male flexilia, vt, cùm flecterentur, dolorent, atque eius acres partes, in altum articuli collectæ, dolorem mouerent. A talibus autem ſuccis, tam craſſis inquam & contumacibus, paulatim factæ infirmitates, non poterant non tota vita durare.

Curandum diligenter vt præcipitem iram inferamus & reuocandi coloris gratiâ, & effuſionis ſuccorum: tum lætitiam & timorem & huiuſmodi: atque ſi aliqua corporis pars ſimul ægrotet, ſimul curemus, ſin minus hoc ipſum

Quandoquidem ira, gaudium, timor, & huiuſmodi paſſiones, animi ſunt non ſolius, ſed communes cum corpore, vſque adeo vt ex motione ſanguinis & ſpirituũ definitiones phyſicas & materiales habeant, conſtat eſſe cauſas alterantes noſtra corpora, vſque adeò, vt quædam illarum ſint ce-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 99 sur 489

©BIUM

lorificæ, quædam refrigeratoriæ cauſæ: id quod ex differentiis quas pulſibus afferunt, manifeſtum fiet. Quod ſi alterare noſtra corpora poſſunt, poſſunt eſſe cauſæ ſalutares, poſſuntque ſanare, cum contingerit, ægros teneri morbo contrario affectioni, quam natæ ſunt afferre. Vel hoc ſolo argumento, quòd poſſint morbos quoſdam gignere, poſſunt à contrariis liberare. Vti ergo poteſt medicus omnibus animi motibus in curatione morborum. Vtatur verò ſingulis opportunè, & ad quoſdam morbos, aut quibuſdam occaſionibus. Vtimur motibus quibuſuis nunc ob communes cauſas: nunc ob proprias. Communes appello, eas quæ non naſcuntur ex morbi natura, ſed aliis rebus aduentitiis, quæ quidem in aliis etiam morbis fieri poſſent. Vt cum ſuſpicamur aliquem aſſiſtentium noxium eſſe ægroto, & ſuademus ægroto vt eum arceat, ſi non poſſumus aliter, etiam curantes vt in eum iraſcatur. Aut cum timidum eſſe ſuapte natura ægrotum videmus, aut timere nunc morbi periculum, vſque adeò vt debilitetur, animum facimus, ſuadentes nihil periculi in malo eſſe: contrà cum non vult ægrotus nobis obedire, timorem incutimus, grauia comminantes. Si videmus triſtem eſſe, exhilaramus. Hæc verò communia ſunt. Propria autem, per morbos frigidos ad iram prouocare, vt pote ira caloris exiſtente cauſa. Nam vt 6. lib. epidem. ſectio. 5. dicetur ira trahit in caput calidum & humidum. Feruet enim per eam paſſionem ſanguis circa cor, proinde caleſcunt thorax & caput, replenturque ſanguine feruente, vt feruore redundat in olla ſuccus. Simul etiam cum præcipuis partibus caleſcit totus habitus corporis. Ergo cum frigeat multum corpus, redundatque crudis, & calor, vt ignis ſub viridibus lignis periclitatur ſuffocari, quod color cutis albidus & intermortuus prodit, non abs re erit, ad iram prouocare crebrò hominem. Ita enim funditur ſanguis & reuocatur color, pariterque viuificatur calidum naturale, & expeditur ab obruentibus fuliginibus. Poteſtque eſſe vſus ire, & in reductione corporum morbidorum, & in curatione ægrotantium. Lætitia vtimur, vt proprio eorum medicamine, per morbos melancholicos. Nam metus & mœſtitia ſunt ſymptomata propria talium morborum, lædunt que duobus modis, & debilitantia virtutem, & conſeruantia augentiaque rurſum morbum, à quo nata ſunt. Si enim multi occaſione aliqua correpti metu & mœſtitia, cumque hæ paſſiones multùm perſeuerarent, melancholici euaſerunt, poterunt eædem præſentem ſeruare & augere. Igitur tollere triſtitiam (quod eſt lætitiam inferre) eſt curatio legitima, quia ex cauſæ fouentis ſublatione, eſtque ſymptomatum facultatem debilitantium ſublatio. Timore curatur etiam inſani, quia metus facit vt mens ſeſe colligat, & ad ſapientiam redeat. Timore etiam repentino curatur ſingultus, quia territi continent ſpiritum, ſpiritus autem detentione ſingultus tollitur. Quin & quartanam febrem vidi, timore horæ paroxyſmi ſuperueniente ſublatam, non amplius rediſſe, & multi alij teſtificantur. Id verò fit, quia timore cietur alius ſuccorum impetus vehementior motu paroxyſmi: atque ita natura obliuiſcitur motus illius conſueti. Accedit, timore turbari ventrem non rarò deponique ita fæces, cum ex toto corpore, tum vel maximè ex liene. Itaque non rarò vtendum eſt moribus animi, vt propriis morborum auxiliis. Nunquam tamen omittenda ſunt alia auxilia, ſi morbus aliud auxilium exigat ratione ſui, aut cauſæ, aut corpus alio morbo teneatur, præter id quod perierat animi motum: aut ipſe motus animi, dum vnam curat, aliam paſſionem intulerit. Velut ſi ſublata aliqua ex parte videatur inſania, aut quartana febris, timore, non eſt proinde omittenda expurgatio melancholiæ, atque ſi timor ob ſingultum illatus, deliquium fecerit, deliquium curare. Si quartana febre ſimul cum obſtructione laborat homo, & timor quartanam ſubſtulerit, lienem propriis auxiliis mollire, & aperire. Itaque ſi teliquum corpus ægrotet ſimul, ſimul curare: ſin minus, ideſt ſi non ſit affectio alia, neque alia curationis indicatio, hoc ipſum, ideſt, hoc ſolùm facere ſit ſatis. Vt ſi ſolo ſingultu ob flatum in ore ventriculi laboret, ſolus timor eſt ſatis.

Stymargi famula Idumæa erat, cùm peperiſſet filiam, os vteri contortum eſt, & in coxam & crus dolor exortus eſt. Liberata eſt iuxta talum ſecta vena, etiamſi tremores totum corpus occuparent. Sed ad occaſionem oportet venire, & occaſionis initium.

Filiarum partus ſolere eſſe difficiliores dictum antea eſt ſæpe. Huic dolorem ad coxam & crus faciebat, os vteri plenitudine contortum, & proinde premens neruos, qui rectà eunt ad crus eius lateris, ita ſcilicet vt fit cum lapide laborat ren: videbatur huic non mittendus ſanguis, vt neque aliis quæ præfocatione cum vteri peruerſione, aut retractione laborant, quia ea paſſio frigida eſt, ſanguinis verò miſſio auxilium refrigeratorium, maximè cùm tremores frigus aut debilitatem, aut vtrumque indicarent. Id dico quia ſi concuſſiones cum rigore vocat tremores, paſſio calidi innati eſt, ſin autem veros tremores, eſt facultatis motricis impotentia. Nihilominus ſecuit Hippocr. venam, quia oportet ad occaſionem, & occaſionis principium venire. Nimirum, vt cognitio incipit à poſtremis, hoc eſt à ſymptomatis, ab iiſque procedit ad effectus eſſentias, & ad cauſas, proximas primùm, deinde remotas vſque ad primas; ita curatio incipere debet ab indicationibus cauſarum, primarum primùm, mox proximarum, deinde affectus, tandem ſymptomatum, ſi quæ ſunt, quæ non tollantur ſimul cum morbo. Hoc vt ſignificet, dicit, veniendum ad occaſionem, & occaſionis principium, ideſt, per cauſas vſque ad primam. Nam occaſio, eſt cauſa procatarctica, quæ prior eſt antecedente, & in ipſis procatarcticis, ſunt aliæ ante alias. Oportet verò venire ad omnium primam, quia etſi procatarcticæ quæ receſſerint, curatoriam indicationem non habeant per ſe, præſtant tamen multùm ad cognitionem affectus, & cauſarū internarum, quas habent. Oportet ergo in curatione, rationem habere prius cauſæ quàm effectus. Velut in hac, ſecta eſt vena, quia etſi eſſet frigida affectio ac cum debilitate, tamen erat ex exigua purgatione partus, quod ex ipſis ſymptomatis palam fit, & Galenus libro de rigore tremore & palpitatione dicit. Fieri verò ex hac occaſione, indicabat frigidam paſſionem ex accidenti factam eſſe. Nam ſanguis per ſe calorem magis natus erat fecerat. Si

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 100 sur 489

©BIUM

ergo erat affectio ex accidenti frigida, auxilio indigebat ex accidenti calido, cuiusmodi est missio sanguinis. Est etenim per se auxilium refrigeratorium, aliquando verò per accidens calfacit, cum refrigeratio multitudine obruente erat facta. Atqui debilitas ex euacuationis suppressione, non in essentia, sed per aggrauationem esse cognoscebatur, hanc verò tollit euacuatio. Quod si mittendus erat sanguis profectò ex talo eiusdem lateris. Quia id exigit ratio rectitudinis.

SECTIO V.

Vicumque rufi sunt, & acuto naso, ac paruis oculis, praui: qui vero ruffi, simi, & magnis oculis, boni.

Hæc sententia & aliæ quædam huius libri, spectant ad physiognomiam, quam philosophiæ partem esse non inanem probat Arist. multis argumentis, in libro cui Physiognomicum, titulus est. Gale. quoque libello quod animi mores corporis temperaturam sequuntur, multa physiognomica docet, cùm ex illo libello, tum vel maxime ex 1. de historia animalium. Esse autem physiognomiam, manifestum est, quia norunt venatores bonos canes & venationi idoneos ex corporum formatione dignoscere, & equites agnoscunt solo intuitu generosos equos. Si ergo belluæ notis corporeis agnosci possunt, possunt & homines, cùm præcipuè illis colorum, & formæ totius longè maior differentia sit, quàm alicui alii animantium generi. Sed & ratione constare potest. Si enim animi mores corporis temperaturam sequuntur, vt Gal. toto illo libello confirmauit, & compositio idonea instrumentorum sequitur cuiusque mores & temperaturam, vt septimo cap. illius libelli de sententia Aristo. dicit Galen. constat ex forma externa posse ingenium & mores coniectari. Hoc verò est physiognomiæ, videlicet ex naturalibus notis agnoscere, quæ intra hominem, ad animam pertinentia, deliteſcunt. Sequi mores hominum & ingenia temperaturam, constat, quia cibis & potibus, morbo, & langore, & ætate, & mutatione temporum, videmus eiusdem hominis mores sæpe mutatos. Constat verò hæc mutare corpus, manente anima eadem. Præterea regionis differentia facit ad differentiam ingenii & morũ, quod exemplo Europeorum & Asianorum docet Hippocrates libello de aere locis & aquis. Constat verò id ad differentiam temperamenti regionum referri, quæ non aliter, quàm corpora aliter afficiendo, possunt mores permutare. Præterea, humores multùm præstant ad mores, vt 1. de natu. huma. comm. 19. Gal. docet, humores verò rationem quandam habent ad temperamenta. Sed præter dicta constat quod dicitur, quia virtutes & vitia, vt Arist. docet de sententia Platonis, quæ Galeno maximè placet, sunt in tribus animæ partibus, aut earum aliqua, rationali inquam, irascibili, aut concupiscibili, quæ in tribus præcipuis membris sedem habent, rationalis in cerebro, irascibilis in corde, concupiscibilis in hepate. Prudentia ergo est in rationali, fortitudo in irascibili, temperantia in concupiscibili, iustitia in omnibus. Igitur mutatis membris, mutantur potentiæ illæ aut partes animæ, ac cum illis virtutes & vitia. Præterea si quæ pars est animæ propria, & non communis cum instrumento corporeo, ea est mens seu intellectus: si igitur mens perturbari potest, aut lædi per corporeas passiones, vt certè potest, quandoquidem vino & phrenitide, constat omnia quæ ad ingenium & mores spectant, posse cum corporis temperie permutari. Sed & cum his mutari instrumentorum formationem, ac proinde externam corporis speciem constat. Quia animalium cuique dedit natura compositionem, maximè accommodatam illius moribus, nam audacibus dedit cornua, rapacibus vngues, timida inermia fecit, sed ad velocitatem comparata. Igitur & in singulis cuiusque speciei ita fecit, deditque cuiusque moribus accommodatum corpus, similesque eius animalis corpori, cuius mores maximè imitetur. Atqui stulte, nisi ita faceret. Velut si quis sutori fabrilia instrumenta, & fabro sutoria tribueret. Si igitur temperamentum facit ad mores & ad compositionem & compositio etiam ad mores, poterit significare forma exterior mores & morbos. Dico autem mores, non qui sunt (nam hos educatio, & doctrina, & Dei gratia, solet murare) sed ad quos propensus natura quisque est. Morbos dico, quos natus quisque habere est. Si enim in vinculo animæ & corporis hæc παιδεία principiũ habet, poterunt eisdem signis præsentiũ morbi animi & corporis: constatque iam hinc, quo pacto physionomica doctrina ad medicinam referatur. Versantur physionomi circa naturalia apparentia, indeque capiunt notas, vt circa partes omnes, & particulas, earum figuram, & colorem: circa voces vt quòd gracilem habeant aut crassam, & motus, vt quòd oculi nictent, aut non: & mores apparentes, vt quòd tristes sentiantur aut hilares. Argumentantur cuiusque notæ significationem, relatione ad alia animalia. Velut oculos magnos rotundos & eminentes, bouinos mores, & ingenium significare docet Arist. 1. de historia animalium, cupiditates scilicet & hebetudinem, quia tales oculi bobus sunt: & relatione ad alios homines, velut molles carne, mansuetos etiam esse & prudentes, quia tales sunt Asiani: aut relatione ad passionem, vt nares secundum pinnas valdè apertas, iracundi esse, quia irati solent nares ita aperire: & relatione ad alias ætates, vt caluities significat senilem maturitatem & prudentiam, quia senibus solet accidere. Est alia ratio argumentandi, ex obseruatione morum, vt quibus aures arrectæ, loquales sunt, quia tales esse solent, qui eiusmodi. Sunt duæ aliæ rationes philosophicæ, & potiores: relatione ad causam. Vt magnitudo partium præcipuarum & viarum, bonos mores, quia significant robur facultatis, plærumque autem meliora, quę fortia & virilia; deteriora, quæ debilia & muliebria: alia ratio est ex quibusdam, quibus aliud necessariò succedit, velut tristem & iracundum necesse est esse inuidum, si notę tristitię & iracundię sint, etsi non sint notæ inuidię, indicabitur inuidus esse. Obseruandum verò in hac parte est: vt in alio omni prudenti coniectura, ne communia signa pro propriis capiantur, vt si quis leoninum signum vocet, quod non minùs sit in equo, aut morem leoninum, quem habeant eque alia animalia:

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 101 sur 489

©BIUM

prætereà ne cum multa signa sunt, vni soli credatur, aut ambiguo, sine aliis quæ possint significationem ambiguam certam facere. Velut nunc dicit, rufos bonos esse & malos, sed distinguit ex adiunctis. Color rufus capillorum mediocris est, inter eos qui frigiditatem temperamenti significat, & eos qui calorem. Proinde rufi temperie mediocri sunt, atque ingenio acuto, tales autem non norunt esse mediocres moribus. sed aut probi aut nequam, vt in hæc aut illa studia incumbunt. Præterea rufus color capillotum videtur fieri posse ob mediocritatem temperamenti, aut ob mixtionem contrariorum excrementorum, quæ quidem ex mixtione contrariorum succorum, & contrariorum principiorum, ortum trahat. Mediocritas faciet ad probos mores, mixtio contrariorum ad perfidiam, itaque his rationibus videtur, vtriusque contrarij nota rufus color. Quin & in sacris literis celebrantur duo rufi, Esau & Dauid, quorum alterum odio habuit Deus, alterum secundum cor suum esse pronunciauit. Rufi itaque, & boni, & mali sint. Bonitas quidem non est vna aliqua virtus singularis, sed in omnibus consistit. Definitur autem bonitas præcipuè beneuolentia, & inuiduæ vacuitate. Nam qui omnibus bene vult, nulli vnquam iniurius esse poterit, sed quo ad fieri poterit, omnibus vtilis, & in bonum diriget semper consilia, & operabitur, atque proinde Plato proprium bonitatis esse putauit, nulli inuidere: eritque contrarij, omnibus malè velle, & facere. Sed cum rufus color vtriusque possit esse nota, accedente naso acuto, idest angusto, & ad extremitatem in acumen desinente, & oculis paruis, prauos significabat: accedentibus naso simo, & magnis oculis, bonos. Nimirum ex Arist. in physiognomico docet, nasus amplus, & latis viis, qualem quidem nunc simum vocat, significat magnanimos, & audaces homines, quia refertur ad leones, atque quia cerebrum & thorax facilius ventilantur & expurgantur, quare minùs vrgentur fuliginibus, suntque animosi, qui θυμώδεις dicũtur græcis, non iracundi, qui ὀργίλοι Magni etiam oculi, maioris facultatis formatricis in cerebro [quia orta attestantur principiis] & naturalis caloris plus: acutus nasus, & exigui oculi, contraria. Omnia autem quæ magnanimitatem & robur significant, sunt probitatis, quæ pusillanimitatem & debilitatem, improbitatis signa. Quia vt Cicero in officiis dicit, iniuria nascitur ex timore. Quare minimè sunt perfidi, aut iniurij, qui minimè timidi. Cæterùm neque simum quod in naso commendat, est qualecunque, neque magnum in oculis. Qui enim valdè simi sunt, vt anguſti sint narium pori, neque bene ventilantur, neque absunt ab omni nequitia, quia sunt valdè fallaces, referuntur enim ad ceruos: sed simum nasum vocat, amplum, non valdè pressum. Oculos magnos rotundos & prominentes Aristoteles vituperat 1. de historia animalium. Boni ergo sunt qui magni, angulati satis, & mediocriter demissi. Tales ergo sunt boni. Exigui verò mali, maximè si exigui simul & caui ad modum sint.

Hydropici charopi & calui fiunt.

Existimari posset hæc etiam sententia ad physiognomiam pertinere, vt prior, & quæ mox sequitur, quia dictum nuper est significari talibus signis, vt mores, ita & morbos. Itaque existimabitur nunc dicere, charopos & caluos paratos esse ad hydropem. Mihi tamen id non videtur admodũ consentaneum. Nam charopus color significat temperamentum calidum & siccum, caluitium siccũ: hydrops verò nata est fieri ex frigore & humore; quod verò soleat siccitas partium per atrophiam succedere hydropi, nihil facit. Nam temperamentum cui morbus aliquis est familiaris, non est simile ei quod ex accidenti succedit morbo, sed naturæ quam habet morbus à principio. Proinde censeo hanc sententiolam, pertinere ad prognosticam medicinæ partem, significareque hydropicos solere, procedente malo, fieri charopos & caluos. Cum autem charopos dicit, intelligit glaucos abutens nomine, velut etiam in calce tertiæ sectionis tertij epidemiom, enarratore Galeno. Nimirum illic Hippocrates describens tempestatem quandam hydropicorum tabescentium, dicit, forma tabidorum erat leuis, subalbida, lentis colorem referens, subrubra, & charopa, pituita albâ referti. Galen. in com. dicit, hydropicis non posse fieri charopos oculos, hos enim esse leoninos, ac proinde calorem & siccitatẽ referentes, fieri tamen illis glaucos, abscedente in oculos pituita, atque adeò consentaneum esse Hippocratem abusum nomine, dixisse charopos pro glaucis. Est autem huic enarrationi admodum consentaneum, quod aniculæ cuidam hydropicæ glaucos oculos factos esse narrat, 4. epidemiom. Hoc verò facit pituita, quæ in hydropicis redundat, quæ cùm putrida & salsa sit, radices capillorum corrumpens, ophiases, & alopecias, & caluitium infert. Tametsi caluitij nomen propriè non dicitur, nisi de naturali capillorum defectu, qui ob naturalem siccitatem, aut senectutem fit, transfertur tamen etiam nomen ad id defluuiũ quod corruptione pilorum supra frontem fit. Solere autem fieri redundantia pituitæ defluuia capillorum, aut canitiem intempestiuam cum oculorum glaucedine, experimento didicimus. Fieri itaque possunt hydropici calui præter naturam, tamen secundum naturam calui non erunt parati ad hydropem. Neque sanè glauci & calui esse naturaliter possunt, cum alterum humiditatis, alterum siccitatis sit. Quare etsi glauci pro charopis intelligantur, non poterit esse hæc sententia physiognomica, sed prognostica, vt explicatum est.

Vocis gracilitatem soluit varix ad sinistrum & dextrum testem subortus: absque horum altero fieri non potest, vt soluatur.

Gracilitas vocis fit, aut ob angustiã asperæ arteriæ, quam vocãt λεπτοφωνίαν græcè aut ob debilitatẽ musculorum vocis, quam vocant ἰσχνοφωνίαν Quo nomine hic vtitur Hip Pueris vsque ad pubertatem est vox gracilis, debiles enim sunt vocales in pueris, vt alij musculi, ob humiditatem temperamenti, & arteria est gracilis vsque ad eam ætatem. Quibus ex testibus semen effunditur, siccantur partes, præcipuè autem vocales propter eam communionem, quæ est inter vocalia & genitalia quam 1. sectione huius libri a celebrauit Hipp. Firmantur ergo

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 102 sur 489

©BIUM

ergo muſculi vocales, & hac cauſa, & quia procedit arteriæ incrementum, mutatur vox in craſſiorem. Quibus verò teſtes perſcinduntur, manet muſculorum humiditas, & ceſſat ſubtractione caloris dilatatio arteriæ, & ita gracilitas vocis perſeuerat. Vt igitur puerilis vocis gracilitas tumeſcentibus ſemine teſticulis tollitur, ita quæ per debilitatem ex morbo contingit, ſoluitur varicibus in teſtem vtrumque. Non enim vt tuſſim ſolui diximus ſectione. 1. tumore facto in alterutro teſticulorum, ita vocis gracilitatem putandum eſt: ſed factis in vtroque varicibus. Nimirum tuſſis plerumque fit ob ſuccos in altera thoracis parte impactos, gracilitas ob debilitatem muſculorum omnium. Proinde dicit, abſque horum altero fieri non poteſt, vt ſoluatur.

Magni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni.

Non dicit Hippocrates hos omnes magnos inquam, & caluos, & balbos, & gracili voce præditos, eſſe bonos: ſed eos qui omnia hæc habeant, qui ſcilicet ſimul magni, calui, balbi, & gracili voce præditi ſint. Nam quodcumque ſeorſum naſci poteſt ex aliqua cauſa mala: magnitudo, ex materiæ redundantia: caluitium ex ſiccitate: balbuties & vocis gracilitas, ex debilitate muſculorum. Cæterum hæc ſimul, ſignum quoddam non exiguum probitatis exibent: phyſiognomica cauſa, quia caluitium refertur ad ſenes, balbuties & gracilitas vocis refertur ad infantes, itaque ambo ſimul repræſentant ſenilem prudentiam cum infantili ſimplicitate. Præterea eſt cauſa naturalis hæc: magnitudo fieri poteſt ob facultatis robur, aut ob materiæ redundantiam, tamen cum caluitio coniunctam, non eſt veriſimile ex redundãtia materiæ eſſe: cũ caluitium ex ſiccitate ſit, quæ neque cum multa, neque cum valde humida materia eſſe poteſt. Caluitiũ præterea ſiccitatem ſignificat, quare per ſe mores duros & ſeniles, tamen magnitudo & balbuties ac vocis gracilitas, non ferunt ſiccitatem eſſe nimiam, neque quidem caluitium fert humiditatem, quæ balbutiem facit & gracilitatem vocis, eſſe nimiam, neque pertinere ad cerebrum. Quare horum ſignorum contra pugnantia, ſignificationem bonam facit. Neque contraria ipſa in extremo poſſunt conſiſtere, cum in particulis adeò vicinis, & ad eandem corporis partem, putà ad caput, pertinentibus ſint.

Morbos autem habent balbus, aut caluus, aut gracili voce, aut hirſutus, vehementer atrabiliarios.

Non debent legi hæc coniunctim vt in proxima oratione, ſed diuiſim, quòd illa particula, ἢ, quæ ſemper interponitur, apertè ſignificat. Nimirum eum cui aliquid horum accidit, eſſe inquam balbũ, aut caluum, aut gracili voce, aut hirſutum, paratum eſſe ad morbos atrabiliarios, non inquam, cui duo aut tria horũ cõtingent, neceſſariò erit talis, ſed cui aliquod eorum ſeorſum. Nam qui ſimul eſt caluus & balbus, & gracili voce, accedente magnitudine, bene temperatus ac morigeratus eſt. Sed hæ notæ ſeorſum vnaquæque, morbos atrabiliarios ſignificant. Caluitium quidem, & hirſuties, quia vtrumque eſt ſicci temperamenti, quo proinde ſuci terrei multùm colligetur. Sed caluitium ſignificabit melancholiam naturalem, vt quod ſiccitatem ſolam cerebri ſignificet, non etiam calorem aut frigus: hirſuties atram bilem, ob calidum & ſicum temperamentum. Sed conſideratione dignum eſt quî balbuties & gracilis vox poſſint tales morbos ſignificare, cùm pituitoſa potius ſigna eſſe videantur, & pituitæ ſubſtantia tam longè abſit à melancholia, vt in illam tranſire vna mutatione haud poſſit. Certè Alexander Trallianus, vnam quandam ſpeciem reſolutionis eſſe putat ex melancholia, quia etſi ſuccus potentia ſiccus eſt, ſuccus tamen cùm ſit, videtur nervos emollire poſſe. Adducitur vt id ita putet, quòd nihil magis expertum ſit, quàm melancholicis paſſionibus laborantes, reſolutiones multarum partium pati: atque adeo ſaliua acida abundare ſolent, & humidis vomitionibus. Ego quidem an ex melancholia fieri poſſit reſolutio, non contendo, modo tamen qui negant, dicant plæroſque eorum qui reſolutionibus ſimul & melancholicis morbis tenentur, non ob melancholicum ſuccum vtroſque pati, ſed reſolutiones ob pituitam, quæ in melancholicis multa colligitur ob incoctiones. Nam & quartana febre affecti, crebro vomunt pituitam, & melancholici ſunt ſaliuoſi, atque pituitoſi, & melancholicæ paſſiones ſæpe concurrunt, non quidem pituitoſo homine melancholiam generante (nihil enim minus) ſed melancholico pituitam. Itaque balbuties, & gracilis vox, poſſunt in pituitoſis fieri per ſe, poſſunt etiam fieri in melancholicis ex accidenti, atque tunc temporis ſignificabunt melancholicos morbos. Itaque non dicit has notas morborum melancholicorum, quod ſemper fiant in melancholicis hominibus, ſed quòd poſſunt, & ſoleant, quodque in pituitoſis aut melancholicis nata ſint fieri, & qualis ſit is, in quo tales notæ conſiderantur ex aliis notis facilè iudicari poſſit. Si enim balbus, ſimul ſit toto corpore albidus, glaber & mollis, & piger, pituitoſum eſſe conſtabit, & pituitoſis morbis obnoxium; ſi verò quæ pituitoſam naturam ſignificent, non adſint, & balbus ſit, melancholici morbi meritò expectantur. Quædam etiam alia balbuties eſt, vt in commentatione apho. 32. ſextæ diximus, quæ iracundum hominem ſignificat, ac proinde bilioſum, quod cum alicui valde ineſt, atrabiliarii morbi in iuuentute media fiunt.

Qui lingua titubant, & manuum ſunt impotentes, neceſſe eſt cum hæc ſoluuntur, ſuppuratos fieri.

Eadem paſſio ſignificatur in lingua, atque in manibus, nimirum quod in neruis ſeptimæ coniugationis, deferentibus motum linguæ, facit illius titubationem, hoc idem in neruis è ceruice venientibus ad manus, facit illarum impotentiam, & debilitatem, ac tremorẽ. Id verò eſt neruos pituitoſis & craſſis ſuccis irrigatos eſſe. Multis igitur, pueris adhuc, accidit, lingua titubare, & manibus tremere, & beneficio temporis curantur paulatim, ſine alio malo, vt aliæ omnes pituitoſæ paſſiones. Atqui illud idem fieri poteſt mutato victu ad ſiccius, aut mutata regione,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 103 sur 489

©BIUM

quod cum victu etiam intelligi potest. Tamen quibus citra hæc affatim illa passio tollitur, necesse est, abscessum materiæ in partem aliam fieri, expectari verò multò magis debet, ad eam quæ cum primò affecta habet maximam rectitudinem, & alioqui recipere paratissima est. Quorum vtrumque thoraci inest. Nimirum cum linguæ radice, & ceruice tota, maximam habet rectitudinem, atque vt inde facile recipiat, facit positus decliuis, & assiduus thoracis, & pulmonis motus, quo succum ad sese allicit. Crasso autem succo, ad locum cui exitus expeditus non est, deriuato, necesse est putrescentiam, & suppurationem fieri, quam qui in thorace habent, dicuntur antonomaticè suppurati. Quidam vbi Hippocrates dicit, χείρων μὴ ἐγκρατὴς, idest manuum impotentes, volunt, etiam inuito autore, pro χείρων legi χειλέων idest labiorum. Quia fortasse maior vicinia labiorum cum lingua, & maior rectitudo à labiis ad thoracem, quàm à manibus. Sed profectò, si non ipsarum partium ratio habeatur, sed neruorum ad ipsas venientium, vt sane oportet (non enim illæ titubant aut tremunt propter se ipsas, sed ob neruos qui in eas inseruntur) non est minor communio neruorum manuum & linguæ, quàm linguæ & labiorum; neque minor rectitudo in thoracem ab illis, quam ab his. Ego quoad possum malo sequi lectionem quam in codicibus, aut omnibus aut optimis reperio, quàm eam quam quis somniuit.

A

B

C

Verùm quia hoc raro fit, & semper ferè puerperæ defectu expurgationis ægrotant, cõiectamus conuulsionem à partu ex repletione esse, quare febrem facere non videtur fore alienum. Nimirum febris absumit humorem, & siccat neruos. Ego, vt verum fatear, satius esse puto in talibus venam secare quàm febrem facere. Plus enim euacuare potest missio sãguinis, quàm febris absumere, idque tutius, quia citrà putredinis occasionem. Quod si ob vires dimittatur (nam ob quid aliud?) certè neque febris excitari tutò potest, maiori enim facultate opus est ad ferendam febrem quæ tantùm absumat, quàm missionem sanguinis quæ tantundem euacuet. Sed si excitari etiam febris debeat, non proinde ab auxiliis localibus ad vterum abstinendum est, sed colluendum cerato infuso in vesicam aut catheterem, vtrisque enim vti solemus pro clysteribus. Sed quo pacto infundatur in vesicam ceratum, aut quod ceratum? Cum ceratum solidum sit, minimè fluxile, qualia quæ hodie vocantur in officiniis vnguenta? Certè aut ceratum, aut linimentum, aut vnguentum, aut irrigatio, aut quodcumque aliud, donatum erit facultatibus, quales affectio exigit, laxans vias, abstergens vterum, mitigans inflammationes, & anodinum, ac mediocriter resoluens. Ceratum tamen si quod est ad eam rem vtile, & in vterum infundere vis, facile est liquido aliquo dissoluere.

D

Dolorem inferiorum loeorum fertis surditas soluit, aut fluxus sanguinis multus ex naribus, aut mania.

Surditas est signum raptus humorum in caput, proinde qua ratione potest leuare euacuationes per inferna factas, quales sunt diarrhææ, vt aphor. 28. particulæ 4. dicit Hippocrates, eadem & dolores partium infernarum, translatâ scilicet sursum materia. Atqui materia in superna repens, & poros auditorios occupans, potest surditatem afferre: aut per venas iugulares, rectà in nares tendens, effundi: aut occupans cerebrum, facere maniam. Potest etiã facere aliud ex alio, vt post surditatem maniam, cum surditatem in phreniticis signis ponat Hippocrates lib. de iudicatione morborum, & post surditatem fluxum sanguinis de naribus, fluxu soluente surditatem & priorem passionem. Fieri verò hæc obseruantur, vt ex dolore coxæ surditas, ex dolore hæmorrhoydum mania, ex dolore hypochondrii fluxus sanguinis de naribus.

E

F

Si capitis os fractum sit, lac & vinum æquale æquali permixtum propinandum: si autem vlcus sit, secandæ sunt venæ internæ, nisi febricitet, si autem deliret, caput irrigare, nisi hypochondria eleuata sint.

Non eadem occasione hæc omnia fieri debent, etsi in eodem morbo fieri possint: neque scripta sunt, quo ordine sunt faciẽda. Nam capite vulnerato, mox à principio mitti debet sanguis nisi admodum sit corpus inanitum, & exuccum. Non enim solùm profectò cum redundans corpus sueeis est, sed etiam cum est eorum moderata copia, quia oportet membra reliqua penuriam pati, ne mittant ad caput, atque inde tractio agatur. Verùm sanguinis missio non eadem ex parte fieri debet, ex qua ob inflammationem: sed ex aliquanto remotiori, dum vlcus solum est, & non etiam accessit inflammatio. Nam inflammatio per se petit missionem sanguinis, vlcus non nisi propter inflammationem. Cum ergo nondum erit inflammatio, ob morbum qui nondum est sed timetur, mittitur: talibus verò debetur reuulsio, vt præsentibus iam deriuatio. Si igitur inflammato capite, ex externa brachii eiusdem lateris mittitur merito: exulcerato tantùm, ex interna eiusdem, aut externa contrarii sanguis mittetur: ex externa verò si iam inflammatio aut affectio alia huic similis, in capite concitata sit. Hæc tamen concitata esse non poterit, sine aliqua febre. Secanda ergo ob capitis vlcus vena interna est) internam vocat hic Hippocrates eandem quam Galenus, eam, inquam, quæ respicit hypochondria) nisi febricitet: si autem iam febricitet, externa, quia febris tentari iam exulceratam partem alio malo indicat. Si iam deliret, duorum alterum esse potest, aut initium phrenitidis, aut signum decretorium, indicans instare fluxum sanguinis de naribus. Si illud est, oportet irrigare

Si puerperis spasmus superueniat, febrem excitare conuenit, & in vesicam ceratum infundens multum tepidum, lauare.

G

Conuulsionem superueniente febre curari dixit aphor. 57. 4. atqui ego in commentario indicaui, nõ quamcumque, sed eam solùm, quæ ex repletione. Si ergo mulieri cui ex partu plurimùm sanguinis fluxisset, conuulsio superueniret, nihil esset deterius, quàm febrẽ facere. Nam conuulsio ex nimia sanguinis euacuatione, ab inanitione esse merito censetur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 104 sur 489

©BIUM

caput, oxyrrhodino infuſo ex alio in futuram coronalem: ſi vero hoc, abſtinere, ne indicatio, futura vtilis, prohibeatur: Sanguinis ex naribus inſtantis præcipuum ſignũ eſt, retrahi ſurſum hypochondria. Dicit vero nunc eleuata quæ retracta, quaſi ſurſum tracta. Merito ergo ſi delirare incipit, qui vlcus capitis habet, irrigatione vtemur, niſi hypochondriorum retractio accedat, atque alia huiuſmodi ſigna, quæ prænuntiare poſſint iudicationem cum ſanguinis fluxu. Tunc enim permittendum eſt fluere: quia ſi nihil impediat, ſoluetur febris, & mitigabitur omnis affectus, ſupereritque ſolum vlcus, quod vbi ſedata fuerit omnis inflammatio, atque ſuppurata omnia contuſa, & expurgata ſordida, nil aliud deſiderabit, quàm idonea medicamenta ad partium regenerationem, cibos boni ſucci facilè nutrientes. Maximè vero ſi os etiam deficiat, vt cum confractum, non ſolùm fiſſum fuit. Nam oſſa habent difficilé generationem, ac proinde ad eorum productionem, quod facilè nutriat, debet mediocriter abundare. Talia vero imprimis ſunt lac & vinum. Atqui cùm iam conquieuerint omnia ſymptomata, licet dare vinum. Si enim in principio daretur, vix eſſe poteſt aliquid periculoſius vino, aut lacte. Vtrũque enim replet caput; vinum præterea affert conuulſiones, & fluxiones commouet. Hac mixtura vini & lactis paribus portionibus, nullum vidi vti, neque video an alicui eſſet futura ſatis ſuauis, tamen in occaſione dicta auderem tribuere ægro, in cibis lac, & vinum in potu, temperatum aqua, magis ſi illi per bonam valetudinem aſſueuiſſet. Mixturam verò illam quam licet vocari σιτόμελα nondum hactenus præſcripſimus.

Si caput doleat in pectus deſcendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam, omnia autem non poſſunt ſimul dolere.

Decurſus hic eſt familiaris rheumati, quem quidem catharroſi ferè omnes experti ſunt. Cerebrum vtpote humidum & frigidum & ex toto corpore vapores ſemper excipiens, congerit multa excrementa, quæ deinde deponit in partes inferiores, per thoracem, hypochondria, ad coxam, ac nonnũquam ad extremos pedum articulos. Non poſſunt autem (dicit) omnia dolere, non quod non poſsit aliquando fieri, vt hæc omnia ob maximam omni in parte redundantiam doleant, ſed quod plerunque alij aliis dolores ſuccedant, & nouis accedentibus priores ſolui ſoleant, quia permutatione ſuccorum de parte in partem fiunt, quare qui in alias partes irruunt, deſtituunt eas, quas affecerant prius.

Anemien venæ ſectio.

Ἄνεμίην duo videtur poſſe ſignificare, difficultatem vomendi à verbo ἐμέω ideſt vomo, aut idem quod ἄνεμος id eſt flatus. Et ipſa quidem vox hoc ſecundum videtur ſignificare magis, vtrumuis autem ſignificet, non videtur facilè dictu, qua ratione ſoluatur venæ ſectione. Quid enim miſſioni ſanguinis cum difficultate vomendi, aut cum flatu? hac cauſa ſuſpicatur Iacobus Steue, anemien ſignificare ſemen quod citra concubitum effluit ſponte, quaſi ſubuentaneum ſemen, vt dicuntur oua ſubuentanea. Itaque anemien eſſe gonorrhæam, hancque ſolui miſſione ſanguinis, quippe quæ naſci ſolet ex ſanguinis redundantia. Mihi vero non probatur hæc enarratio, quia eſt longè petita. Sed ſi difficultatem vomitus ſignificat, quod Hippocrates docet, eſt, multis alioqui difficilè vomentibus, euerti ventriculum, fierique vomitum per ſanguinis miſſionem, vt ſcilicet ſolet fieri alui fluxus & ſudor. Sed vt dixi minùs videtur ipſa vox ferre hanc ſignificationem. Nam libello de antiquatis Hippocratis vocibus, dicit Galenus ἀνεμιῶσι (vnde haud dubiè fluit ἀνεμίη) idem eſſe Hippocrati, quod inflatur, quare anemie eſt profecto flatus. Habet verò hic locus non incongruam enarrationem ex libello de flatibus, in quo Hippoc. monſtrat, febrium & morborum apoplecticorum, & omnis feruoris ſanguinis, cauſam eſſe flatus ſanguinem perturbantes. Tales ergo morbos vocat nunc anemien à cauſa accepta appellatione: curantúrque tales ſectione venæ, quia ſanguinis detractio ſanguinem attemperat, & venas laxat, & facit corpus perſpirabilius. Itaque hæc ſententia non multùm abeſt ab illa quæ paulo poſt occurret, repentè voce priuatos, ſi febre careant, ſanguinis miſſione curari. Quanquam anemie plures affectiones ſignificat, quàm apoplecticas: nam & feruores, ac perturbationes ſpirituum, quibus ſolent repente per corpora fieri maculæ, tumores, ardores cum pruritu; quæ omnia fuſo ſanguine conquieſcunt.

Fluxus medicamento inuncto ſiſtendus eſt. Fluxus enim ex magna vena oritur. Si autem ſponte fluat multùm, ieiunet, aut aquæ duas, quatuor lactis partes hauriat.

Rationem ſiſtendi fluxionem ſanguinis, docet optimè Galenus li. 8. methodi reuulſoria euacuatione, & reuulſionibus ſine euacuatione, vt quę agitur frictione & ligaturis, atque victu idoneo, & potionibus medicamentoſis, & medicamentis admotis parti ex qua fluit. Monet vero cap. 6. eius libri, non eſſe veniendum ad hæc, quæ parti admouentur, antequàm neceſſaria reuulſio, & totius corporis euacuatio facta ſit, quare tunc ſolum eſt his vtendum, cum reuulſio ſola, & euacuatio corporis non ſufficit. Porro ſcire oportet, fluxionem aliquam nimiam fieri poſſe, aut ob ruptura partis ab externa cauſa factam, vt fluit ſanguis vulnerata vena ferro aut ictu, aut ſponte & citra cauſam manifeſtam, ob internam ſcilicet. Rediguntur vero omnes internæ cauſæ fluxionis ad duas has, multitudinem, acrimoniam, & malam qualitatem, ac tenuitatem, ſcilicet ſuccorum. Hæc enim duo ſolum ſunt, quę retentricem irritando faciunt, ſuo munere malè fungi. Nam ſi quam maximè velis, præter has cauſas, ponere propriam retentricis debilitatem, quæ ob partis interemptionem fiat, hęc quoque quodammodo in illis cauſis eſt. Nam ne debilitata quidem retentrix ceſſat retinere, niſi irritata, irritatur vero à tanto minoribus cauſis, quanto debilior eſt. Quare id quoque quod debilitatam irritat, multum aut qualitate

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 105 sur 489

©BIUM

moleſtum eſt, ſi non ſimpliciter & omninò, tamen ad hanc facultatem. Dicit ergo, cum vena aliqua magna vulnerata eſt ferro aut ictu, neceſſe eſt ſiſtere pharmaco, inungendo partem vulneratam idoneis ſcilicet munctionibus, quales ſunt aſtringentes. Neceſſe inquam eſt ad hæc venire, quia ſi fluxus ex magna, hoc eſt, ex inſigni vena, non exigua & capillari eſt, non erit ſatis cura totius corporis, vt ceſſet. Quod ſi quando erit ſatis vt ceſſet, conſultum tamen nihilominus erit, inungere, ne rurſum effluat. Si verò ſponte fluat multum, hoc eſt, ſi fluxus ſpontaneus accidat ob multitudinem, ieiunet, inquit, homo, quia ieiunium euacuatio quædam eſt, & plurimum prodeſt ad fluxiones ſiſtendas, vt nihil eſt, quod fluxiones adeò moueat, ac cibus & potus. Si verò ob acrimoniam ſuccorum fiat ſpontaneus fluxus, opus eſt alimentis dulcedinem afferentibus & attemperantibus, proinde conſuluit dare duas aquæ, & quatuor lactis, aut vnam aquæ, duas lactis partes. Sunt verò hæc conſilia, non ad fluxus ſanguinis ſolùm, ſed ad fluxus etiam ventris, & reliquas fluxiones vtilia: paratique ſolet hoc lac, ex aquæ, & lactis dictis portionibus, immiſſiſque lapillis ignitis, aut ignito ferro, vſque ad conſumptionem tertiæ partis. Eſtque ita paratum magni vſus in dyſenteria, & omni fluxione, quam ſuccorum mordacitas pepererit.

Steriles fouere, ac pharmaco vti oportet.

Φάρμακον, ac φαρμακεύειν, quo nunc vtitur, medicamentum expurgans ſignificat cum ſimpliciter dicitur, neque additur aliquid, quod aliam ſpeciem medicamenti ſignificet, vt in proxima ſententia dicebatur pharmaco inungendo. De cauſis ſterilitatis, quæ multæ ac variæ ſunt, & de multiplici earum curatione, ſcripta ſunt multa, lib. de ſterilibus, & in aphoriſmis, modo autem quodam rediguntur omnes earum curationes in hæc duo capita, fomenta & expurgationem. Fomenti autem nomine intelligi velim quæcumque interius & exterius, cataplaſmatis, irrigationibus, clyſteribus, peſſis, & ſuffitu admouentur, vt expurgationis, ac pharmaci nomine, vomitiones & alui ſubductiones. Nam ſterilitatis cauſa omnis eſt, aut vitium compoſitionis, aut temperamenti, aut vlcus vteri, aut totius corporis cacochymia. In vitia compoſitionis vteri, eſt vteri exiguitas, aut craſſities, oris vteri ſtrictura & duities, vt non dilatetur ſatis: aut peruerſio oris vteri, aut amplitudo, & quòd dehiſcat adeò vt non retineat, aut ſtrictura venarum vteri, vt hanc ob cauſam menſtruæ euacuationes non influant, aut laxitas, vt nimium effluant. In vitio temperamenti eſt calor nimius qui ſemen abſumit, aut frigus quod non concoquit, aut ſiccitas quæ etiam ſemen & fœtus alimentum abſumit, aut humiditas quæ retentionem impedit: quam vlcera etiam vteri impediunt: cacochimiæ etiam cum in vterum refunduntur, corrumpunt ſemen, cum non refunduntur, non impediunt conceptionem, tamen fœtum malo ſucco vti faciunt. ac proinde abortus, aut morbidos fœtus. Compoſitiones vitiatæ, ſi à prima generatione contractæ ſint, incurabiles eſſe ſolent, ſin autem aliis morbis ſuccedunt, illorum etiam curatione tollun-

A tur. Cacochymiæ omnes pharmaci vſum poſtulant, intemperies omnes vteri, quæ cum ſucco conſiſtunt ac cum aliqua totius corporis cacochymia coniunctæ ſunt, & vlcera in primis poſtulant pharmacum, deinde fomenta, affuſiones, inſeſſiones, peſſos. Sint verò hæc omnia ad calorem frigida, ad frigus calida, ad humorem ſicca, humida ad ſiccitatem, & ad vlcera qualia ratio curandi vlcera petit. Sed hæc omnia longius perſequi non eſt huius loci: hic ſatis ſit indicaſſe totam ſterilium curationem, fomentis & pharB maco contineri.

Qui repente voce priuantur, ſi ſine febre ſint, iis venam ſecare oportet.

Apoplecticæ affectiones, quarum commune C accidens eſt vocis interceptio repentè facta, nonnunquam ex manifeſta cauſa fiunt, vt ex ebrietate, aut lautiori cœna, nonnunquam ſine ea. Hoc accidens venarum interceptionem ſignificare. 4. de ratione victus in acutis dixit, ac proinde ſanguinis miſſione vtendum eſſe, vt ſcilicet laxentur, & peruiæ ſpiritibus fiant. Dicit etiam quinta aphoriſmorum, eos qui ex vino voce priuantur, repentè ſolere mori conuulſos, niſi eos febris corripuerit, quaſi febris ſalutaris cauſa in his ſit. Atqui etſi D illud, de obmuteſcentibus repentè ſine manifeſta cauſa dixerit in diſputatione de ratione vict°, & hoc, de obmuteſcentibus ex vino in aphoriſmis, tamen ratio eadem eſt, cauſa enim externa internam quandam parit ſimilem, putà venarum repletionem & interceptionem, ſicque ſponte fit cùm nulla cauſa manifeſta eſt. Proinde nunc de vtriſque dicit, curari debere miſſione ſanguinis ſi ſint ſine febre, ſi enim febris ſuperueniat, fieri poE terit vt ea ſola ſit ſatis ad morbi ſolutionem. Neque verò hinc ſit, vt nunquam ſit mittendus ſanguis ſi febris adſit, ad aliquos enim vtroque auxilio opus erit, febre, & miſſione ſanguinis. Sed quod nunc docet eſt, ſi alterum, hoc eſt febris deſit, altero ſaltem eſſe opus, putà miſſione ſanguinis. Nam ſi neutrum horum ſit, aut fiat, mori ſolent conuulſi aut reſoluti, corripiente humore neruos, & eorum principium, vt partim quidem dictum eſt in aphoF riſmo, atque 1. prorrheticorum dicitur his verbis vocis interceptiones cum ſingultu peſſimæ. Vocis interceptiones cum exolutione peſſimæ.

Pituitæ defluxus ex mammis oculi trahunt, & pituita quæ per nares eructabat, in pulmonem deſcendit.

Catarrhi plerumque ſolent cieri accurrentibus excrementis in caput ex toto corpore, atque inde in G modum Eurip deſcendentibus rurſum in pulmonem & thoracem per aſperam arteriam, vbi tuſſim & raucedinem pariunt: antéque quam in thoracem incumbant, ſolent naſi poros occupare, & vocatur ea paſſio coryza. Fluxus ſuccorum ex corpore in caput, mammarum tumore maximè innoteſcit, quia ſuccis ſurſum repentibus, repleri ſolent. Quam ob cauſam, vt in aphoriſmo dicitur, ſanguis qui in mãmis colligitur, ſignificat furorem. Porrò oculi ſunt,

©BIUM

qui redundantiam quæ in capite eſt, maximè produnt. Quod ergo dicit, ὅτι ἀπὸ μαζῶν ἕλκεται ἡ ὀφθαλμοὶ perinde eſt, ac ſi diceret, in caput ex corpore confluunt. Nimirum cum corpus in caput mittit, videtur caput trahere. Arquilib. 4. de morbis ita dicitur. Quantum in cibo, & potu pituitæ ineſt vbi in ventriculum peruenit, partim corpus ad ſe trahit, partim caput, vt quod cauum ſit, & velut cucurbita corpori incumbat. Mihi verò magis videtur, venter & corpus in caput mittere. Caput verò repleri indicant oculi, atque ita videntur oculi trahere. Hanc verò, ſeu impulſionem ſeu tractionem, prænuntiant priùs intumeſcentes mammæ.

Quibus tuſsis ſicca eſt, his non ſoluitur, niſi dolor in coxam, aut in crura, aut in teſtem irruat.

Dictum eſt prima ſectione huius libri, tuſſes ſiccas ceſſare ſolere intumeſcente teſte. Neque verò in ſolum teſtem fieri poteſt abſceſſus ex vocalibus inſtrumentis, quamquam in eum ſæpiùs: ſed & in alias inferiores partes, vt coxam, & crura. Nam in hac ipſa ſectione dictum eſt anteà, ex dolore capitis ad thoracem deſcendere, deinde ad hypochondria, poſteà ad coxam. Nunc ergo dicit tuſſim ſiccam ſolui facto abſceſſu in coxam, aut crura, aut teſtem, quem abſceſſum indicat dolor. Nam vt in aphoriſmo dicitur, ſi quæ pars per morbum dolet in eam fiunt abſceſſus, dicit verò non ſolui aliter tuſſim ſiccam. Quod quidem de ſicca & antiqua intelligi debet, recentem enim facilè ſperare potes, excreatione ſolutam iri, maturata fluxione: inueterati verò & plurimùm producti morbi abſceſſus deſiderant.

Si hydropicum tuſsis corripiat, malum.

Enarrata mihi eſt hæc ſententia in commentariis aphoriſmorum, eſt enim trigeſima quinta ſectionis ſextæ illius operis.

Si quis ſtatim animo linquatur, calidis omnibus vti debet, ſin minùs, vinum bibere & cibis repleri.

Statim animo linqui, idem eſt ac ſine cauſa manifeſta, aut ex leuicula quauis cauſa id pati. Hi ſunt de quibus in aphoriſmo dicitur, qui crebro, ac multũ, ſine cauſa manifeſta exoluuntur, repente moriuntur. Dictum verò eſt à Galeno, & à me in commentariis, eam paſſionem debilitatem naturalis calidi ſignificare. Tota ergo ratio curationis, talis eſſe debet, vt robur naturalis caloris augeat. Hoc ergo eſt quod dicit, θερμοῖσι πᾶσι διαχρᾶσθω. Non quidem quod omnia vtcumque calida illis ſint vtilia. Multis enim præ intemperie extremè calida & biliosa, naturale calidum debile eſt, & facilè exoluitur. quãquam ſunt alij quibus ob temperamenti frigiditatẽ eſt ea debilitas. Nimirum omnis immodica intemperies lædit omnes facultates. Frigidis ergo calida dabuntur, quæ non vt alimenta calfaciant ſolùm: ſed vt medicamenta etiam alterando: calidis verò & debilibus non ita, ſed quæ vt cibi calfaciãt, nutriendo ſcilicet & bonorum ſpirituum, & boni ſanguinis copiam augendo. Non itaque omnium calidorum vſus eſt vtilis: ſed dicit θερμοῖσι πᾶσι διαχρᾶσθω quaſi diceret totus victus ſit calfactorius, vt oportet tamen. Velut in aphoriſmo dicit, omnis victus humidus febricitantibus conuenit, non tamen proinde omnia humida ſunt febricitantibus vtilia: ſed quia totus victus debet ad humectationem ſpectare. Hoc itaque eſt quod dicit calidis omnibus vtatur. Verùm quia talium duplex curatio eſt, alia quæ imbecillitatem illam tollat: alia quæ, cum paroxyſmo tenentur homines, reuocet, vtramque docens Hipp. addit, ſin minùs, ideſt, ſi autem non poſſit deliquium vitari, ſed nihilominus deliquio correptus fuerit, cogatur vinum bibere, & cibis repleri. Θωρήξαι quod nos vertimus vinum bibere, omnes ferè putant eſſe vino mero vti, mihi verò indicatum eſt in commentario vigeſimi primi aphoriſmi ſecundæ, ſimpliciùs ſignificare vti vino, ſiue mero ſiue diluto. Ita hic oportet legi. Nam etſi pleriſque, vt ex animi deliquio reuocentur, vtile ſit hauſtum merum, quibuſdam tamen vtile eſt dilutum. Vinum inquit bibere, & cibis repleri, ne iũtellige cibis ſe ingurgitare, vt quidam Hippocraticam phraſim minimè tenentes tranſtulere, ſed cibis refici, & vt ita dicatur, renutriri. Ita enim dicitur in aphoriſmo, faciliùs eſt repleri potu quàm cibo; ideſt, faciliùs ac citiùs reficimur potu quàm cibo. Quod nunc Hipp. dicit, vinum bibere & cibis repleri, optimè fit offa panis ex vino, & vno hauſtu vini aut etiam duobus, aut offa ex iure carnium, & potu vini.

Venas internas ſecare oportet, quum morbus magnus in contentionem euadit.

Morbum factum ἐν πάσει vocat morbum magnum pendentem ex multo ſucco. Talem enim ſolet antecedere ſenſus tenſionis. Venas internas vocare Hipp. aliquando venas magnas quæ ſub cute producuntur, vt externas exiguas & capillares quibus cutis texitur, explicatum eſt à me in commentatione illius aphoriſmi. Difficultatem vrinæ venæ ſectio ſoluit, ſecare autem internas oportet. Itaque ſecare internas, eſt venam ſecare, velut ſecare externas, eſt ſcarificare. Eſt verò in ſanguinis miſſionibus, maius efficaciuſque remedium ſectio venæ maioris, quàm ſcarificatio: proinde & commodiùs ad morbos magnos, quales laſſitudini tenſiuæ, & phlegmonodi ſuccedere ſolent.

Solutio doloris coxarum fit per oculorum diſtortiones, & cæcitatem: teſtium verò tumoris, per mammarum elationem.

Dicit oculorum diſtortionem & cæcitatem, eſſe ſolutionem doloris coxarum, & elationem mammarum tumoris teſtium: non quod hi ſint boni abſceſſus, ſed quod fieri ſoleant, etſi ſint mali. Nam & primo libro prædictionum ita eſt ſcriptum. Ex lumborum recurſu oculi diſtortio, malum. Ideſt oculi diſtortio fieri ſolet ex lumborum dolore, eſtque mala

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 107 sur 489

©BIUM

permutatio, quia ex recurſu humorum ab infernis, & ignobilioribus, ad ſuperna & nobiliora, à quibus ſolent, eſtque ſatius, excrementa in humiliora derivari. Vt ergo ex lumbis, ita ex coxa ſolet ſucci recurrere in caput, & vt faciunt oculorum diſtortiones, ita & cæcitatem: vtrumque verò cũ magno ægrotãtis malo. Nam vt anteà dictum eſt, ex dolore capitis ſolent ſucci in pectus, hypocondria, & coxam deſcendere, eſtque hic bonus abſceſſus: ſi contrà aſcendunt, malignus recurſus eſt, verùm fieri ſolet. Indicantque vt nuper dictum eſt, capitis mala, oculi maximè, qui occupati humoribus, conuulſi diſtorquentur, & obturati excæcantur. Porrò mammarum elatio ex teſtium tumore, & teſtium tumor ex mammarum elatione fiet, ob communionem vocalium, & genitalium partium, vt ſectione prima huius ſecundi libri dictum eſt. Eadem enim ratione, qua tuſſes, vbi teſtis intumuit, ceſſant, etiam teſtis ſubſidet tumor à tuſſi.

A

B

C

Si febre tenente, quæ circa faciem extenuentur die legitimo, ſequenti die ſoluetur febris.

Celebratiſſimum eſt apud Galenum, & reliquos medicinæ doctores, iudicationem duabus partibus conſtare, anxietate, doloribus, & difficultate, quæ dum ſecernuntur mala à bonis, contingunt, quæque vocant ſigna critica: & euacuatione quæ conſequitur, & euacuata cauſa affert morbi ſolutionem, aut remiſſionem (niſi tamen ſit iudicatio mala) ſolutionem quidem, cum optimæ conditionis eſt criſis, quæ, inter cætera illud habet, vt fiat in die decretorio: remiſſionem verò, cum eſt tantum bona, cuique aliquid bonorum deeſt, velut ſi fortè dies non ſit in optimis. Diem ad iudicationem accommodatum vocat Hippocrates nunc decretorium, nunc contemplabilem, nunc legitimum, nunc imparem. Inter cætera ſymptomata terribilia, quæ inſtante iudicatione fieri ſolent, eſt faciei repentè facta extenuatio. Extenuatur enim ſæpe facies deſtituta ſuccis, quòd aliò conuerſi ſint, vtpote facultate expultrice euacuationem parante. Ergo dicit, ſi febre tenente; hoc eſt, per febres continuas. Nam hæ propriè tenent homines, aliæ repetunt. Atqui iudicatoria ſigna in acutis præcipuè morbis habent vim, qui vt in prognoſtico dixit Hippocr. cum febre affligunt. Si itaque febre tenente, quæ circa faciem extenuentur in die legitimo, ſequenti die ſoluetur febris. Non quidem ſequenti die naturali, velut ſi ſeptimo facies gracileſcat, ſoluetur febris octauo. Alioqui ſoluetur die non legitimo, atque ita non erit iudicatio perfecta: quod ſi non eſt, cur ſoluetur? Sed vt in aphoriſmo dicitur, quibus criſis futura eſt, nox ante acceſſionem difficilis, quamquam illa nox & acceſſio in eundem naturalem diem incidunt, ita nunc dicit, ſequenti die febris ſoluetur, ſi iudicatoria anxietas incipit ab hac nocte, & ſequenti nocte, ſi incipit ab hoc die. Neque te debet deterrere, quod extenuatio faciei ſignum lethale eſſe ſoleat, & in lethalibus ponatur ab Hippoc. in initio prognoſtici; omnibus enim ſignis decretoriis euenit, vt aliquando ſigna mortis ſint, vt lachrymæ inuoluntariæ, nunc ſignificant facultatis rectricis corruptionem, nunc fluxum ſanguinis de naribus: tremor labiorum, nunc cõuulſionem, nunc vomitum. Vtrum autem ſignificet quodcunque horum, ex adiunctis agnoſcitur. Non ergo quæcunque extenuatio faciei pollicetur febris ſolutionem, ſed cui accedent aliæ notæ iudicationis bonæ, in quibus eſt, vt die legitimo contingat. Refert autem quoque, vt ſigna concoctionis anteceſſerint, & indicatio in quaternario antecedente facta ſit. Et, quod maximi momenti eſt, ne alia ſigna mortis atteſtentur.

D

E

Hydrops, ſi cum crurum tumore tuſſiat, malum.

Dixerat antea, ſi hydropicum tuſſis corripiat, eſſe malum: nunc addit tumorem habens in cruribus, non quidem fortaſſe augens periculum, ſed vt paſſionis ſignum apponens. Non enim graue eſt hydropico pedes intumeſcere, propriũ enim eſt huic morbo incipere à pedum tumore, neque grauius ſemper eſt tumentibus adhuc pedibus tuſſi corripi, quàm iam detumeſcentibus. Multis enim vidimus proximis iam morti, ſiccatos eſſe pedes plurimùm ob atrophiam, & excrementis præ debilitate faciuli, tis manentibus iam in ſuperioribus partibus. Tuſſis quidem horum non eſt minùs mala, quam ſi iis accidat, quibus adhuc pedes tument: quamquam grauiſſimum etiam eſt tantoperè redundare aquam, vt ſupernas & infernas partes ſimul occupet, & grauius, quam ſi, tuſſire incipiente homine, remitteret tumor pedum, non arefactorum, ſed quòd fluxio ad ſuperiora cõuertatur. Facilius enim poteſt ad inferna reuocari humor nondum plurimus, quàm qui omnia iam occupat, morbus curari. Si igitur ad hos referatur hæc ſententia Hippocratis, augens periculum dixit, ſi cum crurum tumore tuſſiat, malum: ſi autem non, dixit id, apponens hydropis ſignum, quaſi ſolo morbi nomine non ſatis contẽtus.

F

G

Si auris doleat, lacte vtatur.

Lactis inſtillatio vtilis eſt ad ſedandum dolorem auris non quemcunque, neque quacunque occaſione: ſed eum, qui ex ardore, aut inflammatione, nondum inueteratis, excitatur, velut etiam eo vti ſolemus ad ophthalmias. Ignoſcendum tamen eſt Hippocrati, quòd neque diſtinctione affectus, neque cauſæ, neque occaſionis appoſita, ſimpliciter dixerit, ſi auris doleat, lacte vtatur, ob conſuetum breuiloquium, etſi id in aliis, meritò vituperetur.

Niſi in die legitimo recedat febris, neceſſe eſt redeat.

Dictum ſuper eſt Hippocratem eoſdem dies vocare iudicatorios, contemplabiles, legitimos, & impares. Iudicatorios, quòd iudicia in illis contingant plerumque: legitimos, quòd iudicia, quæ in illis fiũt, legitima eſſe putentur, quæ in aliis diebus non ita, ſed ob illegitimam aliquam occaſionem: contemplabiles, quaſi contemplatione dignos: impares,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 108 sur 489

quod impar ferè ſit totum horum genus. Dicit ergo nunc, quod in aphoriſmo dixerat, niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet repetere.

Cui vena in cubito pulſat, is maniacus eſt & iracundus, cui autem quieſcit, ira vacuus.

Vbi Hippocrates ſcripſit τυφώδης vertunt quidam, ſtupidus, alii lentus, alii etiam mutus, quia Galenus libello de antiquatis Hippocratis vocibus hæc omnia dicit ſignificare id nomen. Ego verò legi, ira vacuus, quia idem Galenus enarrans hunc locum 6. libro de placitis dixit ὁ τυφώδης ſignificare idem quod ἄοργητον: itaque ſententia eſt, venam in cubito pulſare, eſſe hominis parati ad maniam, & iracundi: cõtrà quieſcere, eſſe hominis tranquilli, & tardi ad iram. Quæ ſententia haud dubiè pertinet ad phyſiognomiam, non ad prognoſticam medicinæ partem. Non enim morbi cuiuſpiam euentum: ſed ſani hominis naturam & mores docet agnoſcere. Venam antiquiſſimis dici ſolere etiam arteriam, celebratiſsimum eſt apud Galenum, & à me dictum ſæpè. Cubitus eſt ea pars, quæ inter mediam totius brachij flexuram & manum eſt. Itaque ad cubitum pertinet ea pars, quâ frequenter ſolemus pulſum requirentes arteriam attrectare. Pulſus nomen non de quocunque arteriæ motu: ſed de conſpicuo, vſque adeò vt vbi ſolo tactu ſentiri ſolet, poſſit videri, dicit ab Hippocr. vel ex hoc loco monſtrat Galenus loco citato ex 6. de placitis. Nam, vtcunque, omnibus hominibus pulſat arteria in cubito. Cum ergo Hippocrates dicit, quibus pulſat in cubito, non vtcunque intelligit: ſed multùm, ac vehementer. Quoniam ergo vſus pulſus in attemperatione caloris eſt, conſtat quibus maximus eſt natura pulſus, eos maxima attemperatione indigere: atque adeo temperamento eſſe calidiſsimo, quod mox parit iracundiam, & magnum prouentum vſtæ bilis. Qua qui abundant, maniaci fieri periclitantur. Pulſus verò dicto contrarius, contrariam ſignificationem præſtet, neceſſe eſt. Magno & celeri contrarius eſt exiguus, & tardus. Iracundo quod ἄοργητον ſeu ira vacuum. Ergo quod Hippocrates dicit, Quibus verò quieſcit, non eſt omnino non pulſare. Id enim nunquam euenit, niſi in ἀφυξίᾳ, cum proximi iam ſunt morti homines: ſed perinde eſt, ac ſi diceret, quibus verò lentè mouetur. Talium enim natura frigida eſt, ac proinde ad iram minimè prona. Hæc itaque eſt huius loci enarratio, iuxta hanc verſionem, quæ Galeno placet. Quoniam verò, illius nominis typhodes, non videtur admodum legitima ſignificatio, quæ dicta eſt: ſed potius videtur ſignificare eum qui facilè inflammatur, & non in omnibus codicibus occurrit eadem lectio: ſed in quibuſdam legitur ἀπρεμὲς ideſt, quieſcat, in aliis ἀπρεκὲς ideſt, exactè, ac verè dicat, cogor ſuſpicari, ferre poſſe locum hunc alium ſenſum, ac fortaſſe legendum ὡς δὲ ἀπρεκὲς τυφώδης ideſt, vt autem exactè dicatur, inflammabilis. Quæ lectio, & enarratio, eſt facillima, veriſimia, & iuxta legitimam vocum ſignificationẽ. Talis enim eſt hæc tota dictio Cui venain cubito pulſat, maniacus, & iracundus, vt autẽ exactè dicatur, facilè inflãmabilis. Rectè autẽ dicitur, vt exactè dicatur, quaſi diceret, vt per cauſam dicatur, & in cauſam referatur. Nam ſunt maniaci, & iracundi, quia calidiſſimi, & hoc ipſum eſt, eſſe facilè inflammabiles, & ad ardentes febres opportunos. Galenus in calce citati libri interpretatur, hanc pulſationem in cubito ſiniſtro magis notari, quàm in dextro. Quam enarrationem mihi videtur Galenus inuexiſſe deceptus, & ſui ſermonis impetu delatus. Nam neque id dixit Hippocrates (niſi fortè ille habuit alium codicem antiquiorem) neque rationi videtur conſentaneum. Nam etſi arteria aorta ex ſiniſtro cordis vẽtriculo naſcatur, maior tamen arteria in brachium dextrum, quàm in ſiniſtrum diſtribuitur. Quo fit vt copioſiores ſpiritus in brachium dextrum veniant, atque vt in omnibus bene compoſitis, & temperatis hominibus, maior & vehementior pulſus in eo ſit, quàm in ſiniſtro. Quòd ſi mediocribus natutis, plus pulſat arteria in dextro cubito, & in calidis creſcat ad portionem. Itaque quod Hippocrates dicit, de vtroque cubito intelligi poteſt, aut de dextro potius.

Vulnus ſi ſanguinem fundat, irrigare vlcus non conuenit, caput verò calidâ irrigare prodeſt.

Cum pars aliqua vulnerata eſt, imprimis oportet partem lauare à ſanguinis grumis, & ſi quid ſordis inter labia vlceris collectum eſt, detergere; niſi magnus ſanguinis fluxus adſit: tunc enim ſatius eſt alligare partem, vt ipſe ſanguis in grumos verſus, fluenti obſtruat viam: aut vrere, aut infundere aſtringens medicamentum. Prohibet vero Hippocrates in initio libelli de vlceribus vlcus lauari niſi vino, præterquàm cum fuerit in articulo: tunc enim quia facilè tentatur homo conuulſione, ſatius eſt lauare calida aqua. Aqua quidem ne mordeat, calida, quia frigidum eſt vlceribus mordax. Atqui etſi illo loco articulorum tantùm meminit, eadem ratio eſt vulnerum in capite, & nudatorum, defractorumque oſſium. Quia inde etiam imminet conuulſionis periculum: atque proinde in aphoriſmo dixit, calida plurimùm confert oſſium fracturis, maximè iis quæ nudata ſunt, maximè verò habentibus vlcera in capite. Ex his prodit facillima huius loci explicatio, ſi quædam voculæ interponantur, quia Hyppocrates quædam dicit, quædam inſinuat. Ac ſi diceret, ſi ex læſa parte fluat multum ſanguinis, ne lauetur omnino: ſed alligetur vſque dum ſanguis reſtiterit, ſin autem talis fluxus non ſit, reliquias partes lãuare oportet vino, caput verò vulneratum aqua calida, dictam ob cauſam. Quamquam niſi opus ſit pus multum mouere, ego non conſulerem ſimplici: ſed mulſa aqua vti.

Si cor doleat, calidum panem cum vino mero dare conuenit.

Oris ventriculi dolor, ex quo affatim vires exoluuntur, vocatur Græcis cardialgia, ideſt, cordis dolor: cuius curationem nuper attigit Hip-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 109 sur 489

©BIUM

pocrates, dixitque ipſum animi deliquium ſolui vino & cibis facilè nutrientibus. Quæ duo, offa panis vino intincta, optimè præſtari diximus: quod nunc ipſe Hippocrates apertè dicit. Quod verò dicit panem calidum cum vino mero dandum eſſe, intellige vt explicatum anteà eſt, etſi enim optimum ad hanc paſſionem remedium ſit hoc, nullum tamen poteſt eſſe omnibus optimum citra vllã diſtinctionẽ. Vinoſis enim & frigidis hyeme maximè, vino mero, atque adeò generoſo intincta debet offa dari, abſtemiis verò, aut bilioſis, æſtate maximè, ſatiùs ſit ſucco granatorum, aut etiam vuæ acerbæ intingi: mediocribus naturis, paſſionibus, aut temporibus, ſatiùs ſit intingi diluto. Vinum verò, modò non ſit multum, neque merum, niſi ſit auſterum (hoc enim merum etiam eſſe poteſt) cardiacis etiam bilioſis vtile eſt, quia aſtringit, & roborat. Proinde ego bilioſis hyeme do vinum dilutum, æſtate ſuccum malorum granatorum: pituitoſis hieme merum, æſtate dilutum. Panem (inquit) calidum cum vino mero. Ne ſit autem panis calidus: quòd recens, talis enim non facilè coquitur: ſed toſtus, aut intingatur panis frigidus benè coctus in vinum calidum.

A B C

Vomitus ſoluitur, exhibito aquæ, calidæ potu, vt vomat æger.

Vna quædam curatio vomitus eſt hæc, non parùm artificioſa, vomitu ſcilicet. Nimirum excrementa quæ ventriculo hæſerunt, plerumque ſolent facere, ne quæ ingeruntur contineri poſſint, & quæ impacta ſunt illius tunicis, vt euomantur quæcumque in ventriculi cauo continentur. Vomitus ergo arte factus, qui expellat quæ hærent, aut impacta ſunt, curabit vomitum ſublatione cauſæ, velut etiam alui profluuium, ac dyſenteria, expurgatione & clyſteribus curantur: quas curationes ego ſæpè fœliciter ſcio me tentaſſe. Neque tamen temerè tentari debent: ſed eum auxilia, quæ per ſe ſunt morbo contraria, non videntur poſſe opem ferre. Hæc enim ſunt per ſe ſimilia, ex accidenti contraria, vt & alia multa in arte. Temerarii autem fuerit medici, experiri ea, à quibus ex accidenti aliquod expectetur auxilium, ſi nihil prohibeat, iis quæ per ſe ſunt vtilia, curare. Sed hic, vt in aliis pleriſque, obſeruari debet ne minoribus, facilioribus, certioribus, & tutioribus, maiora, difficiliora, incertiora, & periculoſiora præferantur. Non ergo ad quemcumque vomitum iubet Hippocrates dare vomitorium medicamentum, aquam ſcilicet calidam (intellige verò modicè calidam ſeu tepidam, huiuſmodi enim eſt quæ vomitoria) vt vomat plus, & ita euacuata cauſa ventriculus conquieſcat: ſed cum non poteſt expectari auxilium ex roborantibus ventriculum, & aſtringentibus, eo quòd impacta, aut admodum hærens cauſa ſit. Tunc verò non aquam tepidam ſolùm, quæ vt facillimum, ita eſt optimum auxilium, licet dare: ſed & mulſam, & decoctum fæniculi, & oxymeli cum tepida, & acetoſum, ac ſuccum etiam raphani, & narciſſi folia, atque huiuſmodi multa.

D E F G

Quæcumque ſphacelo corripiuntur, intercepta vena exulcerare & ſanare oportet.

Sphacelum oſſium corruptionem propriè dici, vt gangrænam carnis, Gal. docet lib. de tumoribus præter naturam, tamen latiùs etiam patente nomine, ſphacelum dici omnem cuiuſque partis corruptionem, vt gangræna etiam, quæ eſt carnis corruptio ob magnitudinem aut malitiam inflammationis facta, ſphacelus ſit. Huius curationem nunc docet Hippo. dicens intercepta vena exulcerare & ſanare oportet, ideſt, ſanatur non aliter, quàm intercepta vena & parte exulcerata. Intercipi autem venam dicit, eam, aut eas, quæ ad partem gangræna tentatam deferunt ſanguinem, in via, ſciſſione, vſtione, aut laqueo intercipi. Exulcerare dicit, altiùs partem ſcarificare. Oportet ergo cum gangrenæ notæ in parte incipiunt apparere, citiſſimè toti corpori proſpicere, & ſi quæ vena videatur tumidior & nigricans, eam intercipere cauterio, ac morientes iam particulas altis ſcarificationibus vlcerare, aut vrere, aut partim exulcerare, & exedentia medicamenta admouere, partim vrere. Minora verò his, inutilia in hac affectione ſunt.

In conuulſione digitorum manus ſine febre, ſcarificare oportet, niſi caput doleat, ſin minùs aquam calidam affundere.

Sempèr Hippocrates quid ad affectionem quamcumque agendum ſit, vno quodam exemplo docet, oportet autem nos ob communem rationem ad alia omnia eiuſmodi ſententiam transferre. Velut nunc docere volens Hippocr. nihil aliud, quàm in conuulſione partis, ſi affectio propria ſit conuulſæ partis, illi adhibendam eſſe curationem, ſin autem per conſenſum cum neruorum origine, neruorum principio: dicit in conuulſione digitorum manus ſine febre, ſcarificare oportet niſi caput doleat, ſin minùs ideſt, ſi verò caput doleat, & proinde opus non ſit curare digitos, ſed caput, quod primariò laborare dolor indicat, aquam calidam affundere. Non tamen hoc verum eſt in conuulſione digitorum manus magis quàm in manuum ipſarum conuulſione, aut digitorum pedum, neque ſcarificatione ſolùm curatio ea agitur, ſed & idoneis inunctionibus, & irrigationibus, quin & affuſione aquæ frigidæ aliquãdo. Neque ſanè cum ſolo capite poteſt eſſe conſenſus, ſed & cum ſpinali medulla, ex hac enim plærique nerui motus ducunt originem, neque certè capitis aut ſpinalis medullæ vnica curatio eſt, affuſio aquæ calidæ, ſed & olei, & amygdalini, nonnunquam & coſtini, aut ex caſtoreo, aliquando etiam ſolius violacei, & aliorum medicamentorum innumerabilium admotio. Neque certè in conuulſione, ſiue propria paſſione facta ſit, ſiue per conſenſum, tota curatio localis eſſe debet, ſed hanc debent antecedere communes euacuationes. Verùm hoc vt commune omni affectui omittit, & propriam conſiderationem, in conuulſione maximè neceſſariam, expoſit. Nimirum in conuulſione digitorum manus, aut partis cuiuſque alterius talis, ſi per propriam paſſionem pars laboret, & ſine febre ſit, oportet partem ipſam curare, medicamentis reſoluentibus ſiccum, qui cõuulſionem parit, in quibus optimum eſt profectò, ac potentiſſimum ſcarificatio cum cucurbitulis. Dicit ſi ſine febre ſit, eadem ratione, quà priùs

dixerat, qui repente voce priuatur, si sine febre sint, venæ sectione curare. Nimirum quia si febris adest, & conuulsio est ex repletione, ab ea potest auxilium expectari. Si verò laboret pars conuulsa per consensionem cum capite, aut spina, eò oportet transferre curationem, & irrigare neruorum principium idoneis medicamentis. Non est in postremis aqua calida ad conuulsiones, quamquam ad resolutiones esset inutilissima, nisi esset medicamentosa, vt nitrosa, aut aluminosa. Hæc enim siccat, dulcis & calida aqua resoluit & laxat, atque præter hæc, si quid neruorum mordet principium, dulcedinem infert. Dignoscendi conuulsionem propriam, ab ea, quæ per consensum fit, multæ rationes sunt, quas Galenus in opere de locis patientibus persequitur: præcipua verò est ex accidentibus, quæ contingunt parti per se laboranti. Velut si conuulsi sunt digiti dextræ manus, & doleant vertebræ postremæ ceruicis, & nulla peculiaris læsio digitorum antecesserit, consentaneum est per consensum digitos conuelli. Hanc ob causam dicit, nisi caput doleat: si enim dolet, est morbus capitis, non digitorum. Tametsi enim nerui motus digitorum, non ex capite, sed ex ceruicis medulla oriuntur, tamen non potest pars tam vicina capitis, ex ipsa substantia cerebri producta, ab excrementis occupari, quin caput doleat. Sed neque illud ob ceruicem, quin doleat & ipsa ceruix. Quare satius est omnia considerare, ac nihil omittere.

A B C

D

Oculorum medicamentum spodii duodecimam partem, croci quintam, grumorum thuris vnam, ce. ssæ vnam, myrrhæ vnam. Aquam capiti affundere iuuat & dare allia cum maza.

Constat nullum medicamen esse ad omnes oculorum affectiones idoneum, sed dicit Hippocrates vnum quoddam esse ocularium medicamentorum, quæ vsu probata sunt, quod nunc describitur: quodque accipit, pinguis partis thuris & ceruſſæ, & myrrhæ vnam quandam mensuram, siue vnciam, siue trientem, siue quadrantem, siue drachmam, siue scrupulum, siue aliam quamcumque spodii duodecimam, & croci quintam: relatis duodecima & quinta ad certam illam mensuram, quam acceperimus, vt vnciæ, aut drachmæ duodecimam, vt si diceremus. R. pinguis partis thuris, ceruſſæ, & myrrhæ, ana. drac. iii. spodii scrup. i. croci scrup. ii. & grana viii. Hoc medicamentum est maxima ex parte concoctorium. Nam crocus, thus, & myrrha, hac virtute maximè pollent. Est etiam agglutinans & siccans. Nam dicta omnia habent astrictionem bonam, & siccationem quandam. Siccationem verò insignem habent spodium & ceruſſa. Est ergo vtile medicamentum ad antiquatas iam fluxiones, opthalmias, & ad vlcuscula, in quibus coquere, & absumere succos opus est, & agglutinare labia vlcusculorum, aut roborare partem. Qua etiam vi prohibetur ne fluxio noua fiat. Sunt verò hæ omnes medicamentorum materies oculares, quia mordacitatis expertes, qualibus ad oculos vtendum semper est, nisi summa cogat necessitas acria tentare. Verùm incipiente opthalmia, aliis collyriis fuerit opus, quæ scilicet tantum repercutiant. Atque vtile tunc quoque fuerit, aquam frigidam coronali capitis suturæ affundere ex alto, vt oculorum & totius capitis calor extinguatur, & fluxio arceatur. Sed qua ratione iuuabunt allia cum maza, quos iuuat aquæ frigidæ infusio? Certè vtrumque iuuare potest eos, qui oculis malè affecti sint, sed non eadem occasione. Qua ergo occasione vtrumque explicemus? Maza græcis dicebatur quodcumque edulium paratum ex farina, aut pane. Quare in hoc genere sunt massa cocta, & pultes, & offæ, ex iure, vino, lacte, aut aceto & oleo, aut quocumque alio succo. Constare hoc facilè potest ex Hippocrate lib. 2. de diæta. Itaque allia cum maza dicentur offæ, quæ cum alliis parari solent, quibusque vtuntur rustici cum sunt dolia musto plena versaturi, aut vuas conculcaturi in torcularibus, vt in patria mea fieri consueuit. Id verò faciunt, quia allia fumos noxios musti arcent & absumunt. Igitur eadem causa cum iam cessauit fluxio, & quod influxerat impactum, & contumax est, iuuare possunt allia in maza, vt & vini potio dolores oculorum soluit. At verò aqua frigida capiti affusa non hac occasione, sed cum adhuc fluit, estque fluxio calida. Tunc enim frigida affusa sincipiti, arcet fluxionem ex capite & oculis, quæ ex toto corpore agitur per venas iugulares. Itaque Hippocrates docet nunc auxilia ad oculos, quæ non simul neque eadem occasione, sed sua quæque agi debent.

E F

Varices caluorum nisi fuerint magni, maniam portendunt.

Dicitur sexta particula aphorismorum. Quicumque calui fiunt, iis non fiunt magnæ varices. Quo pacto ergo nunc dicit, varices caluorum, nisi magni fuerint? Quasi magni esse soleant? Explicatum mihi est, quod Galenus prior dixerat, illo loco caluitium non dici, quod ob siccitatem & duritiem quibusdam hominibus naturaliter fit, sed quamcumque pilorum corruptionem, quæ ob malignam cacochymiam, quæ melancholiæ habet semper quàm multum, significatque proinde redundare eam in partibus superioribus. Quo fiet, vt quibus id accidit, rarò varices fiant magni, non enim vtrisque in partibus, superioribus dico, & inferioribus poterit adeò redundare: sed aut nulli varices fient, aut exigui. Si quando tamen fient magni, accidet permutato contrariam in partem excremento, quare soluetur caluitium, quod quidem per varices exiguos non soluetur, imò verò grauius affecti capitis inditium erit quantò tentatus solum & imperfectus absessus grauius signum est, quàm nullum absessum fieri. Meritò ergo in caluis, factis exiguis varicibus, timetur magis mania, quàm si nulli fierent.

G

Ad vitiliginem & lepram calcem in aqua adhibeas, ne exulceres.

Vitiligo & lepra morbi sunt cutis, & satis extimi ex succis pituitosis, aut melancholicis, vtrisque malignis. Calcem viuam aquam non expertam respuit, quia altiùs excedunt, recens madefactam, & semi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 111 sur 489

©BIUM

extinctam amant, quia hæc ſiccat, & cutem nouam, detracta veteri, gignit.

Vt ſecundarum, ſi quæ ſuperſint, expurgatio promoueatur, ſternutatorium naribus apponere oportet, & apprehendere nares & os ſternutantis.

Hæc eſt 46. ſententia quintæ aphoriſmorum, quam ſuo loco explicui.

SECTIO SEXTA.

SI caput magnum, & oculi parui, balbi, iracundi ſunt.

Hæc ſententia, & multæ aliæ huius particulæ ad phyſiognomiam ſpectant, & obſeruatione eorum, qui huic philoſophiæ incubuerunt, conſtant. Oportet verò etiam naturales ſingulorum cauſas inueſtigari. Caput magnum magnitudinem cranii ſignificat, non tamen mox opus eſt vt internæ capitis partes magnæ ſint, & interna orificia lata. Quin potius fieri poteſt, vt cauum cranii factum ſit à principio latius, quàm pro magnitudine eorum, quæ interiùs contineantur, aut vt cranium ſit valdè craſſum, & altitudinem magnam inter duas tabulas oſſeas habens, vt cranium ſit magnum & cauum illius exiguum, atque vtraque ratione in capite magno erunt internæ partes exiguæ. Hanc figuram ſignificant, in capite magno, exigui oculi: nam oculi exoriuntur proximè ex cerebro, orta verò plerunque ſunt qualia ſua principia. Anguſtia internarum partium capitis & thoracis multum facit ad iracũdiam. Nam cum præcipua membra malè ventilantur, & à fumis expurgantur irritationis crebræ initium habent intra ſeſe: maximè ſi anguſtiæ organorum accedat calida intemperies. Hæc enim gignit plures & mordaciores fumos, & ſtrictura prohibet expurgari. Magnitudo capitis calorem profectò ſignificare nata eſt magis quàm frigus. Hæc ergo accedens oculorum exiguitati, auget ſignificationem iracundiæ: quamquàm, cum reliqua quæ in capite ſunt, magnitudinem habent illi reſpondentem proportione, ſignificat hominem probum, magnanimum, & alienum ab iracundia. Confirmat verò iracundiæ ſuſpitionem balbuties accedens. Nam dictum eſt in ſuperiori ſectione, dicetur que in hac rurſus, quoſdam balbutire præ iracundia, quòd præcipitanter loqui velint, & præ bile, quòd eorũ muſculi irritentur multùm, & parũ firmi ſint. Quibus igitur caput eſt magnum, & oculi parui, ſuntq; balbi, iracũdi ſunt. Sed continget dubitare, quî fieri poſſit, vt cũ magno capite exiguum cerebrum ſit factum, cùm ſint partes adeò vicinæ, & quæcunque cauſa magnitudinem capitis fecerit, videatur cerebri quoque magnitudinem factura. Certa multa talia contingere ſolent in formatione, vt in magnis manibus fiunt quibuſdam exigui digiti, aut quod inæqualis fuerit materiæ generationis temperies, aut quod inchoata iam generatione partium inæqualiter facultas formatrix illam materiam ſubegerit. Vtcunque autem cerebrum exiguum factum fuerit, etſi ob frigiditatem eius partis, facit anguſtia ad iracundiam: quod ſi cranium ob calorem creuerit, multo magis: ſin autem frigidum etiam ſit, ſed ob materiæ redundantiam, tunc quoque iracundus erit homo, non quia caput magnum, ſed quia cerebrum exiguum, etſi ſit caput magnum.

Longæui plures dentes habent,

Duplici ratione conſtat dentium raritatem, & paucitatem, breuitatem vitæ: denſitatem & multitudinem, longitudinem ſignificare: & quia pars hæc pluſquam alia quæpiam indicare poteſt robur, aut debilitatem caloris naturalis in partibus, & facultatis naturalis, & quia eſt apprime neceſſaria ad vitæ cuſtodiã. Nam ſola hæc pars poſt aliquot menſes iam editis naſcitur, non quaſi partis alicuius plus auctæ particula, ſed quaſi aliis innaſcens, ac infixa, & poſt aliquot annos excidens, renaſcitur. Itaque eſt particula, quam nullam anteà exiſtentem, bis producit natura denuo, ac proinde ea maximè indicare poteſt, quàm fortis ſit naturalis partium facultas: ſi ſcilicet multos denſos & firmos producat, fortis eſt facultas: ſin minus, debilis. Quæ quidem ad longitudinem & breuitatem vitæ, maxima omnium cauſa eſt, cùm nutritione ſeruetur vita noſtra. Præterea ad felicem partium nutritionem, faciunt dentes plurimùm. Nihil enim quod non probè comminutum in ore ſit, poteſt in ventriculo benè cõmutari, neque in aliis officinis. Conſtat verò quòd rari, qui etiam infirmi ſemper ſunt dentes, non poſſint ſatis cibos comminuere, etſi multùm in ore verſentur.

Balbi, celeri lingua præditi, melancholici, bilioſi, inconniuenter aſpicientes, iracundi ſunt.

Duplices balbos eſſe ſæpè iam, & in hoc opere, & in aliis dictum eſt, quoſdam pituitoſos, ob mollitiem & debilitatem muſculorum linguæ balbutientes, alios ob mẽtis celeritatem, aut irritantem bilem. Illi ſiue loqui tantum, ſiue cantare velint, ſiue cunctanter, ſiue rapidè, nunquam non balbutiunt, ſuntque hi pituitoſi, & tardi, & minimè iracundi. Hi celeri lingua præditi ſunt, & vno impetu, antequàm hæreant in ſermone, loquuntur expeditè, & cum ſedato impetu, cantant. Hi ſunt bilioſi, adeò vt etiam fiant in iuuentute ex bilioſis melancholici, proinde etiam ſunt ad furorem parati. Quod maximè prodit intuitus inconniuens & iracundia. Nimirum vt tradunt phyſiognomi, oculi inconniuentes ſignificãt homines cogitabundos, inuerecundos, & maniacos, Solent hæc omnia in eoſdem incidere. Non autem ſemper. Nam multi ſtudioſi & probi, ſunt cogitabundi. Quidam alij ſunt, qui parùm tanguntur pudore, non ſunt tamen maniaci. Quæ ita diſtinguuntur. Oculi inconniuentes & torui ſunt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 112 sur 489

maniacorum, si tamen non torui, non significant maniam: horum qui cum quodam humore, studiosorum: cum siccitate, inuerecundorum sunt.

Qui magnum caput, oculos nigros & magnos, nasum crassum & simum habent, ii boni sunt.

Dixerat in initio superioris sectionis, simos magnos oculos habentes, bonos esse, nunc addit, caput magnum, & oculos nigros: alterum quidé, vt quod per se conferat ad probitatem, alterum, non quod conferat, sed quod etsi per se malum signum esse soleat, adiunctum tamen aliis, nihil detrahat. Nam magnitudo capitis haud dubiè bonam significationem præstat, & facultatis formatricis robur indicat, & cerebrum benè perflabile. Oculi nigri significant, vt Galen. in arte medicinali author est, exiguitatem, aut altum positum crystallini humoris, aut quòd splendidus exquisitè spiritus visorius non sit, aut quòd humor aqueus sit crassus, vel redundans. Quæ omnia mala potiùs, quàm bona censeri debent. Nam robur formatricis, & calor naturalis, partium solidiorum prominentiam & magnitudinem pariunt, sed aquearum multitudo, & excrementia crassitudo hoc robur nõ indicat. Fulgor verò ipsa instrumẽti facultatis animalis perfectio est. Tamen in capitis totius & oculi magnitudine, & nasi dicta simitate, exiguum est ad improbitatis significationem, oculos esse nigros. Atqui cùm causæ nigritiei non omnes sint æquè malæ, in bonorum signorum concursu, minimè malæ consentaneum est imputari, ea verò est altior crystallini positus: velut pessima, spiritus obscuritas.

Oculi raui & magni, caput magnum, cervix tenuis, pectus strictum, hominem quadratum atteſtantur.

In pletisque codicibus legitur caput paruum, Ianus Cornarius transtulit magnum, quæ lectio hoc loco magis arridet. εὐκάρμορον, seu congruè aptatum hominem esse, ad corpus, aut animum referri potest. Nam ita appellamus eum cui congrua totius corporis, & elegans compositio est, & cui benè compositi mores. Χαροπὸς oculus, qualis leonibus est, & magnus, omnibus hominibus videtur facere ad pulchritudinem. Magnum verò caput, & tenuis cervix, & pectus angustum, nulli probantur, nisi gracilis cervix ad magnum caput dicatur, non quæ admodum talis sit, sed quæ producta, vt caput non humeris hæreat (quod ad proceritatem corporis facit plurimùm) & stricta pectora dicantur, non quæ ad mammas talia sint, & prope alas, sed quæ sub thorace, quà thorax à ventre separatur: cuius loci angustiam, pulchritudinis gratia, sunt qui adeò procurent, vt fasciis & laqueis sua corpora vehementer comprimant. Ad corporis igitur congruam compositionem, ita faciunt hæc: sed & ad morum probitatem videntur posse multum conferre. Si enim, vt Plato dixit, cervice separauit Deus caput à thorace, vt minus perturbaretur mens abirascibili parte, proſecto cervicem esse non valdè crassam, & productã, & thoracem nonnihil angustum, quod cor non feruidum, neque æstuans significat, faciet multùm ad mentis tranquillitatem, idque ad temperantiam. Cum hac verò tranquillitate, caput magnum esse, & spiritus fulgentes (quod charopus color indicat) facit multum ad mentis perspicaciam, ac proinde ad prudentiam. Hæc verò ad omnem probitatem. Hæc igitur, nisi in extremo sint, ad prudentiam & temperantiam, sin autem extremè angusta sint cervix & thorax cum magnitudine capitis, facient ad versutiem & astum. Quia cum nimia vitalis facultatis debilitate, aut angustia cordis, quæ improbitatis sunt, prudentia mutatur in calliditatem.

Qui capite est paruo, non erit balbus, neque caluus, nisi fuerit glaucus.

Obseruatio physiognomonica hæc esse videtur, eius philosophiæ peritis experimento cognita. Si quã tamen rationem oportet dicere, hæc erit. Capitis exiguitas, aut ex debilitate facultatis, aut ex materiæ penuria videtur orta. Penuria materiæ cum bona temperie caput facit exiguum, non tamen caluum, neque balbum: debilitas facultatis quæ exiguum capitis incrementum peperit, multorum etiam crudorum causa erit. Crudum autem alimentum oculorum glaucedinem solet facere. Nisi ergo glaucus fuerit homo, non habebit exiguum caput ob defectum facultatis. Si autem ob facultatis defectũ, qui cum vitio temperamenti coniunctus est semper, poterit esse balbus, aut caluus, atque alia etiam habere vitia, præter exiguitatem capitis.

In conuulsionibus si vox in die legitimo restituitur, liberat à magno morbo.

Conuulsiones nunc vocat, eas venarum interceptiones, quæ succis aut vaporibus copiosis occupãtibus neruos fieri solent, vt in ebriis: aut sine occasione plethora occupatis, & in mortem cum manifesta conuulsione finiri possunt. A qua quidem liberantur, si loquuntur legitima hora solutionis ebrietatis, qui ebrii sunt: aut qui repleti, qua solent solui apoplexia, & aliæ apoplecticæ passiones. De his aphorismo quinto sectionis quintæ ita dicit. Si ebrius quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi eum febris corripiat, aut ad eam horam veniens, qua solent solui crapulæ, loquatur: Hic addit nunc, in conuulsionibus (in his scilicet passionibus) si vox soluitur in die legitimo (est verò legitimus solutionis dies cuique morbo, quo solet solui) liberat à magno morbo. Vox quidem non liberat vt causa, sed vt signum, quia indicat liberari hominem à conuulsione lethali. Nimirum in omni vocis interceptione, maximus metus est ex conuulsione, siue ex manifesta causa, siue sine ea vocis interceptio acciderit. Nam de iis, qui ob manifestam causam voce priuantur, dixit in iam citato aphorismo. De iis qui citra talem causam, dixit in libro de ratione victus in morbis acutis his verbis. Cum aliquis repentè voce priuatur, venarum interceptio significatur, si sanè hoc

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 113 sur 489

contingat abſque manifeſta, aut alia forti cauſa. Interiectis paucis addit, incidunt autem plurimis ipſorum hæc, rubores faciei, oculorum ſtabilitates, digitorum in manibus diſtentiones, dentium ſtridores, maxillarum contractiones. Conſtat verò hæc conuulſiua ſigna eſſe. Sed & libro 1. prædictionum, de vocis interceptione in communi, ſiue ex cauſa manifeſta, ſiue aliter, ita ſcriptum eſt. Vocis interceptiones cum ſingultu peſſimæ. Et rurſus, in vocis interceptione ſpiritus, velut iis qui ſtrangulantur, malus eſt. Nimirum hæc conuulſionis ſunt ſigna, cum quibus aphonia peſſimè affectos ſignificat homines, qui ſi legitimo ſolutionis tempore loquuntur, euadunt, & à morbo quidem grauiſſimo. Atqui profectò multò magis euadunt, qui ex forti apoplexia non loquũtur vſque ad legitimum ſolutionis tempus, vt vſque ad tertii diei initium, aut vſquè dum ſaltem totus dies naturalis exactus eſt, quàm qui ſtatim, aut non multò poſt quàm correpti ſunt. His enim paulò poſt redit grauiùs & moriuntur. Ac multo magis ſi ſine vlla partis cuiuſpiam reſolutione loqui incipiunt, quia multo magis præter rationem ea ſolutio eſt, cui meritò non fidas. Sed tunc ſolum putetur euaſiſſe homo, cum legitimo ſolutionis tempore loquetur.

A B C D

Parturienti febricitanti, & dolore affectæ aquam affundere prodeſt, & dare, ter in die ptiſſanam craſſam calidam.

Vbi ego legi parturienti; habetur Græcè λεχοῖ, quod nomen recens enixam potius ſignificat, atque proinde omnes vertunt puerperæ febricitanti. Mihi tamen videtur nomen λεχὼ non de ea tantum, quæ peperit, ſed de parturiente dici poſſe, & iuxta hanc lectionem ſenſus eſt valdè conſentaneus. Nam ob puerperas febricitantes, aut dolore affectas, non hæc tantum leuia, quæ Hippocrates conſulit, ſed magna quædam, vt in primis miſſiones ſanguinis, ſolemus facere. Tamen vtero gerentes, nullas curationes, niſi omnino exiguas ferre poſſunt, quia miſſo ſanguine abortium, & expurgandæ non ſunt, niſi cum magna cautione, ſi materia turgeat, neque ita quidem ſemper, ſed à quarto menſe vſque ad ſeptimum. Sed neque tenuem admodum victum ſuſtinere poſſunt, quia priuatur fœtus alimento, neq; auxilium aliud, quod magnoperè poſsit corpus permouere. Atqui diureticorum vſum multo minus, quia mouent etiam menſtruas euacuationes, & abortus. Proinde, ſiue febricitent, ſiue doleant, blandiùs tractandæ ſunt, atque ſi fieri poſsit, febris ſolo victu, & dolor ſolo fomento anodino curari debet, victu vero humectante, nam talem amat febris, non autem admodum tenui. Huiuſmodi eſt ptiſana craſſa (quam totam ptiſanam ſolet vocare) data ter die, ne, ſi detur ſemel, aut bis, detur pluſquam ventriculus benè ferat, ſi neque tantùm, neque pluries, minùs quàm res deſideret. Detur vero hæc actu calida, quandoquidem cibi loco ſumitur, ita enim melius coquitur, nãque proinde eſt minus humectans. Atqui eadem ratione tu poſsis vti pulli exigui cum lactuca elixati cremore, atque etiam carnibus, & alio quocumque tali cibo. Non enim vnicus eſt ad affectionem aliquam idoneus, ſed nominauit Hipp. ſibi maximè familiarem. Fomentum quoque anodinum ſi fieri poteſt, ne ſit ſtupefaciens, ſed aliquod eorum, quæ ob mediocritatem, & blandum ſenſum, quem faciunt anodina propriè nuncupatur, cuiuſmodi maximè eſt aqua calida. Ergo dixit Hipp. parturiẽti febricitanti ptiſanam craſſam calidam ter die dare prodeſt, calidam dolore affectæ affundere. Quaſi diceret has blandius tractandas eſſe. Non tamen proinde nunquam eſt aliis vtendum, ſed niſi res vrgeat. Hoc enim alia omnia præcepta tollit.

E F

Puerulus nutritur ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, & voce pollet, & robur aſſequitur, & manibus validus eſt. Voce ſoluta omnia ſoluuntur, horum enim ſolutio vocis ſolutioni ſimilis eſt. Soluitur autem in legitimo.

Quædam tempora eſſe legitima partui, hæcque eſſe ſeptimum, nouum, & decimum menſem, præcipuè, & quas ob cauſas, dictum anteà eſt. Nunc docet eaſdem ob cauſas hæc eadem tempora eſſe legitima, quibuſdam mutationibus, quas editi iam in lucem pueri ſubeunt. Hæ ſunt dentitio, & tempus dandi cibos ſolidiores, & ſoluendi manus, & ambulandi, & edendi voces, & loquelæ. Eſt enim vocis duplex ſolutio, prima qua voces articulatas incipiunt edere nihil ſignificantes: ſecunda, quâ iam loquuntur. Et reliquæ etiam mutationes geminæ ſunt, & ad proportionem accidunt, vt ipſa vocis ſolutio. Nam ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo (rarò autem tardiùs) incipiunt garrire, & hoc ipſo tempore incipiunt dentire, quod ob miram naturæ prouidentiam iam ſignificat opus eſſe vt aliquid cibi infanti detur, & tunc iam manibus apprehendunt, incipiuntque manuum vſum noſſe. Duplo tempore 14. inquit 18. aut 20. menſe iam loquuntur, & ambulant, & poſſunt omnino carere lacte, cibos ſolidiores iam capientes. Hoc eſt, quod dicit voce ſoluta omnia ſoluuntur, ἡ γὰρ λύσις τῆ φθέγξει ὁμοίη, ideſt ſimilem ſolutionem habent omnia ſolutioni vocis; ſoluitur autem quodcumque horum in tempore legitimo. Sunt hæc tempora dictis ſolutionibus legitima, quia duplum & triplum tempore partus.

Si venæ in manibus pulſent, & facies rectè valeat, & hypochondria non ſint mollia, diuturnus morbus ſignificatur, qui ſine conuulſione non ſoluitur, aut multo ſanguinis ex naribus fluxu, aut dolore in coxam decumbente.

Videntur eſſe hic duæ ſententiæ, alia ad morbi diuturna ſigna ſpectans, alia ad doloris coxæ ſolutionem. Mihi vero non ita videtur (nam cur in coxæ dolore ſperetur ſalus ex fluxu ſanguinis de naribus?) ſed vnicam eſſe hanc, venarum in manibus pulſum, & faciem rectè valentem, & hypochondria non mollia, ſignificare morbum diuturnum, & cuius ſolutio non contingat ſine conuulſione, aut ſanguine multo ex naribus, aut dolore coxæ. Proinde vbi dicit ἢ ὀδύνη ἐς τὴν ἰσχία, ideſt dolor in coxam, legendum fuiſſe cenſeo ἢ ὀδύνης ἐς τὴν ἰσχία, ideſt,

G

aut

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 114 sur 489

aut dolore coxæ. Facit enim hæc exigua literæ mutatio magis congruentem ſermonem. Sed perpendamus ſingula. Si venæ (inquit) in manibus pulſent. Hoc certè nihil aliud eſt, quàm ſi diceretur ſi pulſus indicet febre teneri hominem Nam venæ nomen de arteriis dici conſtat, cùm addat, pulſent. Manus Hippoc. non dicuntur ſolùm extremæ manus, ſed brachia tota: atqui pulſare vocat ille, non vtcumque pulſare, ſed pluſquàm benè valentibus ſolèat. Itaque perinde eſt, ac ſi diceret, ſi pulſus deprehendatur in brachiis, iis ſcilicet locis, quibus commodius attrectatur ad carpum, maior, celerior, & crebrior quàm ſoleat. Eſt verò hoc, quod nobis ſolet febres indicare. Vt ex hoc loco cõſtet Hip. ad deprehendendas febres, vſum fuiſſe pulſu, vt & Gal. & alios poſteriores. Si itaque dicit, febricitet, & facies recte valeat, ideſt, non ſit pro febris magnitudine extenuata, diuturnus morbus ſignificatur. Quod etiam in aphoriſmo dixerat his verbis. Febricitanti non omnino leuiter, nihil minui corpus, aut pluſquàm pro ratione extenuari, prauum: alterum enim longitudinem morbi ſignificat: alterum autem imbecillitatem. Sed addit, & hypochondria non ſint mollia Merito profecto: quia nihil eſt, quod tam faciat ad citam morborum indicationem, quàm hypochondria libera ab obſtructione eſſe: per ea enim agitur omnis humoris diſtributio, & omnis commeatus, ſiue ad ventrem per meſenterium, ſiue ad veſicã per vreteras, ſiue ad totum corporis habitum ex alto ſit penetraturus. Durities vero hypochondriorum ſignificat obſtructiones. Sed & alia ratione ſignificat hypochondriorum durities morbum longum fieri, quia ſignificat ſuccos, ex quibus morbus pendet, craſſos eſſe, aut craſſos eſſe factos. Si igitur dicta ſigna adſint, morbum fieri diuturnum ſignificant: cum vero qui talis eſt, non ſperes ſoluendum ſine abſceſſu Nam, vt in prognoſtico dicitur, ſi qua febris prorogatur ſaluo affecto homine, abſceſſum exſpectare oportet. Abſceſſus verò plerũque fiunt ad articulos, vt innumeris in locis Hippocrat. dixit, atque in illo loco prognoſtici, & in hoc libro, iam ſæpè ad articulorum ligamenta, & tendines, qui ex eis in muſculos producuntur: nam ſectione prima huius ſecundi libri dixit, abſceſſus aut per venas, aut oſſa, aut neruos. Abſceſſus ergo in neruos aut tendines faciunt conuulſiones, aut reſolutiones: in articulos, articulares dolores, in quibus præcipuè eſt dolor coxæ. Merito ergo ex longo facto morbo, timetur conuulſio, aut dolor coxæ. Nam vt in aphoriſmo dicitur, quibus febres diuturnæ, iis vel tubercula, vel dolores in articulos fiunt. Fiunt verò niſi talem abſceſſum anteuertat fluxus ſanguinis de naribus. Nam vt dixit nuper, ſectione quinta huius libri, dolorem in locis infernis fortem ſurditas ſoluit, & ſanguis multus ex naribus erumpens. Sed & aliæ copiolæ euacuationes poſſunt etiam abſceſſum tollere. Nam vt in aphoriſmo dicitur, quibus ſpes eſt ad articulos abſceſſum fore, liberat ab abſceſſu vrina multa & craſſa, & alba facta Si autem etiam ex naribus ſanguinis profluat, admodum citò ſoluitur.

Gutture affecto aqua calida capiti affundenda, niſi frigus adſit: ſin minùs farina quàm calidiſſima danda eſt & vinum meracum.

Guttur eſt caput aſperæ arteriæ. Conſtat vero non poſſe ad omnes gutturis affectiones vllum auxilium, nedum tam ſimplex, vtile eſſe. Ergo ad aliquam certam gutturis paſſionem, intelligi oportet hanc curationem eſſe vtilem. Ea vero non poteſt eſſe alia, quàm tuſſis arida, ob deſtillationem tenuem & acrem è capite in guttur. Ea enim ſi non ex multo, ſed ex exiguo, tenui, ſalſo, aut acri ſucco pendet, neque corpus vnà plenum ſit, affuſione aquæ calidæ in caput curatur, præcipuè quibus caput lauare conſuetum eſt. Nam ita reuocatur ad cutem, per eamque expirat quod in guttur deſtillabat, atque ſi quid reliquum eſt, mitigatur, &, citra irritationem gutturis, excreatur. Id vero fieri nihil magis prohibet, quàm frigus aeris ambientis. Nam laxatum balneo caput facilè frigore læditur, & nouam ac deteriorem fluxionem patitur. Confert quoque ad deſtillationem, vti cibis craſſitudinem afferentibus, & hebetantibus, cuiuſmodi pulticulæ ex farina paratæ, aut ex amylo, aut etiam oryza, & huiuſmodi: contrà ac cum ex craſſis & crudis fluxio pendet, in qua vtendum cibo calorifico & extenuante, ſed & in his exiguo vt excrementa cruda abſumantur: in illis, ſatis copioſo, ne reddantur acriora. Sed oportet omnia quibus ad pectus vtimur, indicatione partis, actu eſſe calida, etiam ſi alioqui medicamenta frigida, ob humoris ſpeciem, ſint. Meritò ergo dicit, aquam calidam capiti affundendam eſſe, niſi frigus adſit, ſin minùs, ideſt ſi frigus adſit, ac prõinde nõliceat balneo vti, farinã quàm calidiſſimã dandã. Addit & vinum meracum. Hoc ſanè mihi eſt in talibus maximè ſuſpectum, ac proinde haud ſcio an id præbere aliquando tentauerim: conferre verò poteſt, vt & ad oculorum dolores, & ad dolores capitis, & ad ſoluendam ebrietatem. Coquendo ſcilicet, & diſſipando. Cauendum tamen quàm maximè eſt, ne tentetur pleno corpore, neque cum fluxio poteſt denuo concitari. Id enim faciet potiùs, quàm priorẽ abſumet. Ego proinde prioribus auxiliis contentus, & aliis eiuſcemodi, malo paulatim huic malo ſuccurri, quàm ſemper in fluxionibus periculoſum vinũ propinari. Propinat verò ille vinum, cum frigus eſt, pro balneo, vt diſcutiat. Neque enim, quia dicit, ſin minùs farinam quàm calidiſſimam dandam eſſe, intellige non eſſe hæc danda, niſi quibus affundere aquam non liceat. Nihil enim prohibet ſimul, & fieri balneum, & cibos tales dari, ſed perinde eſt, ac diceret. Si autem non liceat vti balneo, & farinam quam calidiſſimam dare, da farinam, & potionem copioſam vini meri, & dormiat, vſque dum cum vino partim abſumatur, partim coquatur fluxio.

In turbatione ventris fabas coctas dare oportet, niſi ſuperiora ſunt admodùm bilioſa, aut cuminum edendum dare cum fabis.

Quos in calce primæ ſectionis vocauit crudos, & liquidos feceſſus, nunc vocat turbationem ventris & qua ratione illic milium coctum dari iuſſit, nunc

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 115 sur 489

iubet fabas coctas, vt cibos tardi deſcenſus, vt ſi orizam etiam diceret. Cæterùm fabæ integræ ſint, ac cum corticibus. Nam farina deterget pluſquam vt poſſit ſiſtere. Habet id incommodi, quod multus flatus ex ea prouenit, qui in ſupernarum partium imbecillitate maximè debet timeri. Nam effert ad ſuperna, excrementa, atque ita capitis dolores facit, aut auget. Proinde cum caput repleri excrementis ex toto corpore paratum eſt, vel etiam thorax, vt cum calida intemperie laborant, vitari debet vſus fabæ, aut aliquid, quod flatum poſſit tollere, & ventrem nihilominùs ſiccet, cuiuſmodi cuminum, cum fabis eſt admiſcendum.

Interceptio morbi non poteſt fieri, niſi in die legitima, neque quidem principium fieri poteſt, niſi in die illegitima, & menſe, & anno legitimo.

Dictum non ſemel iam eſt, dies legitimos vocari iudicatorios, quibus ſcilicet moriuntur ægroti, & quibus ſalui fiunt. Itaque dies ſũt fatales, & extremi morborum acutorum. Qui menſes, & anni, dicantur legitimi, exigit hic locus, vt dicamus. Huiuſmodi quidem ſunt, qui iudicatorii, qui fatales, qui inſignes mutationes nati ſunt afferre. Non tamen hi perinde atque dies, ſunt velut articuli quidam morborum, ſed ætatum, & vitæ hominum. Itaque menſes & anni, qui inſignes vitæ hominum mutationes afferre ſolent, ſunt legitimi. Menſes quidem, vt nuper dixerat, partus, dentitiones & loquelam fieri ſolere quibuſdam menſibus: anni autem, velut ſepteni finiunt infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, & reliquis etiam ætatibus mutationes afferunt. Atqui in his ipſis naturalibus mutationibus morbi noui ſolent fieri. Ac proinde Hippoc. tertia particula aphoriſmorum, omnes morborum differentias, quæ cum ætatum mutatione fieri ſolent, perſequutus eſt. Accepimus præterea ab antiquiſſimis rerum naturalium obſeruatoribus, annos certos eſſe hominum vitæ fatales, quos climacterícos (attigit id Plinius lib. 7. capit. 49.) quaſi ſcalares appellabant, quod per eos velut per ſcalæ quoſdam gradus, ex quibus omnibus ſoleant præcipitari, homines procedant. Illos annos eſſe periculoſos, quòd aut mortem aut morbos inſignes (fortunarum etiam iacturas dicunt quidam, ſed hæc non curo) afferre ſoleant. Hos eſſe dicebant ſeptenarios, & nouenarios, & qui ex multiplicatione numeri ſeptenarii & nouenarii fiunt. Veluti imprimis 63. quòd ſit ſepties nouem: deinde 81. quòd nouies nouem: & 49. quod ſepties ſeptem, ſed & 54. quia eſt ſexies nouem, eſtque à 63. gradus proximus, quia fit ab illo detractis nouem: ſed & 70. quia eſt ſeptenarius factus ex 63. additis ſeptem. Sed & ante hos ſunt climacterici omnes ſeptenarii qui à primo, quin & ſeptimus, & nouus menſes ſunt climacterici infantibus, morbis enim maximis illis menſibus tentantur, & multi deficiunt in dentitione, & in lactis cum ſolido cibo commutatione, ex febribus, ex ventris profluuio, ex epilepſia, ex vermibus, & aliis puerilibus morbis. Sunt itaque dies legitimi ſolutionis morborum: & menſes, & anni legitimi ægrotandi. Non tamen perinde ſunt dies legitimi incidendi in morbos. Non enim vt dicimus ſeptenis menſibus, & annis, morbos accidere ſolere ita poſſis dicere hoc aut illo die. Nulli enim ſunt legitimi dies morborum, ſed accidunt incertis diebus. Proinde dicit Hippocrates, interceptio morbi non poteſt fieri niſi in die legitima, neque principium fieri poteſt, niſi in die illegitima, & menſe, & anno legitimo. Cum verò audis non poteſt fieri, perinde intellige, ac ſi diceretur, non fit, aut non ſolet. Si enim rigidius intelligas, profectò, neque anno climacterico ægrotare, neque morbum die decretorio finiri neceſſe eſt. Alia quoque ratione dici poteſt dies ægrotandi illegitima, quam quòd incerta, Nimirum Gal. lib. de dieb. decretoriis autor eſt, omnes dies eſſe plus minuſve decretorios, præter primum, & ſecundum. Primum enim non eſſe decretorium. Significare ergo poteſt hic locus Hippocr. finiri morbos die decretorio, diem quo incipit decretorium non eſſe, ſed illegitimum, malum, improſperum, contrarium dici ſolutionis. Huc ſpectant, quidam, qui, dies decretorios cum muſicis numeris conferentes, dicunt, decretorios dies eſſe eos, qui diſſoni ſunt primo.

Nitrum Aegyptium, & coriandrum, & cyminum terere, & cum vnguine inungere prodeſt.

Malè coniecta videtur huc hæc ſententia. Nam & ipſa videtur aliunde deciſa, & ceptum ſermonem interrumpit. Sed hoc non adeò multùm facit ad rem, ſi ſingula legitimè enarrentur. Nitrum Ægyptium ſecundo loco commendatur à Dioſcoride, ſolum enim præfert Philadelphicum, eſtque, vt & coriandrum & cyminum, calidum ſiccans, & diſcuſſorium. Non explicat autem Hippocrates ad quas paſſiones, neque cui loco debeat hoc linimentum, ex nitro coriandro & cymino & oleo paratũ inungi. Quare oportet nos ex aliis coniectemus. Profectò non ad vnicam affectionem, neque vnica in parte vtebantur eo antiqui: ſed ad quamcumque frigidam paſſionem, quæque calorem cum quadam diſcuſſione deſideraret. Nam paulò poſt in hac ipſa ſectione Hippocrates dicit, vt mulier in vtero concipiat, nitrum Ægypticum tritum, coriandrumque, ac cyminum, in paſtillos efformato, in pudendumque ſubdito. Quoties ſcilicet ob frigidam & humidam vteri intemperiem non concipit: Dioſcorides cap. 80. lib. 5. tritum, cum cumino, aut ruta, aut anetho potum ex hydromelite, aut ſapa, ſedare tormina: illiniri verò ad febres circuitu redeuntes, ante ſuſpectam acceſſionem. Ad hæc ergo omnia illiniri vtiliter poteſt, & ad alia huiuſmodi nitrum cum coriandro & cumino & oleo. Ori vteri ad ſteriles, ad febres circuitu redeuntes, lumbis, & toti ſpinæ, quia vt in aphoriſmo dicitur, & hoc ipſo libro, inde incipiunt rigores: ſed & ad ventris perturbationes, ad quas cuminum edendum dare iuſſerat, ſi ex inteſtinorum frigida intemperie initium traxerint, illitio hæc ventri facta vtilis erit.

Quicumq; moriũtur, neceſſum eſt in die legitimo.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 116 sur 489

& legitimo menſe, & legitimo anno. Prædicere autem mortem aut vehementes dolores medico decorum eſt.

Qui ex acutis morbis moriuntur, die legitimo mori ſolent. Nam ſolent mori ex iudiciis. Moriuntur verò homines eiſdem diebus, quibus ſalui fiunt. Sed & menſe & anno legitimis mori ſolent, quia his ſolent ægrotare, eiſdem autem menſibus & annis neceſſe eſt moriantur ex morbis, quibus ægrotant. Cęterum non eſt ea ſolùm vis diei decretorio, ac menſi & anno climacteri eis, vt interitum afferant, ſed menſes quidem & anni morbos inſignes & acutos, à quibus vix euadunt, aut chronicos dolores, quibus reliquum vitæ vexantur, vt podagram, aut calculum renum inferre ſolent: dies decretorii, etiam cum malè iudicant, aut mortem, aut mutationes in deterius afferunt. Proinde dicit, prædicere autem mortem aut vehementes dolores medico decorum eſt. Nimirum vt in initio prognoſtici dicitur, medicum vti prouidentia optimum eſt. Atqui profectò ad medici honorem, & admirationem artis, magis refert prædicere mortem in morituris, quàm ſalutem in euaſuris. Nam in his, maxima laus eſt in reſtituta ſanitate, & ſeruata vitæ incolumitate: in illis nulla ſupereſt; niſi vt culpa putetur medicus vacare, quòd prædixerit.

Quibus oculorum vigor non conſtat, mors breui imminet, ſi autem in anno legitimo fiat, ab vtroque legitimos fieri neceſſe eſt: ſi autem illegitimo anno, & illegitimo die, neceſſe eſt mori die legitimo.

Vnum quoddam lethalium ſignorum eſt, oculos non eſſe robuſtos in morbis acutis. Nam in prognoſtico dicitur, ſi lucem effugiant, aut nolentes illacryment, aut diſtorqueantur, aut alter altero maior fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas liuidas, aut nigras in ipſis habeant, aut lippæ circa oculos appareant, aut etiam ſint inſtabiles, aut eminentes, aut cauì vehementer facti, aut ſqualentes, & obſcuri, hæc omnia mala & pernicioſa eſſe putandum eſt. Et rurſum alibi, ſi neque videat, neque audiat, mors in proximo eſt. Sed ſcire oportet, vt bona ſigna diebus decretoris accidentia meliora fiunt, ita mala illis diebus fieri deteriora. Nimirum dies decretorius addit ſignis omnibus firmitudinem, ſed & annus legitimus & menſis. Si quis enim in anno climacterico laboret morbo acuto cum ſignis lethalibus, maiorem metum facit, quàm ſi alio anno. Nimirum ipſe annus horribilis eſt, proinde ſi hoc ſignũ, aut aliud quodpiam valdè lethalium appareat anno legitimo, & die legitimo, ab vtriſque ideſt, vtriuſque temporis vi, legitimas fieri ſignificationes neceſſe eſt, & proinde eodem die morietur. Si autem fiat anno illegitimo, & illegitimo die, morietur quidem (tanta eſt ſigni vis) tamen non eodem die: ſed aliquo ſequentium decretoriorum, aliquanto quidem tardiùs, ſi vterque eſt illegitimus: aliquanto citius, ſi alter ſit legitimus, dies inquam, aut annus.

Numerorum quidem, tertius validiſſimus eſt.

Tertius numerus, ſi generatim, & quantum in ipſa numeri ratione agitur, conſideretur, eſt omnium perfectiſſimus: quia primus impar, atq; primus numerus. Vnitas enim & binarius principia potiùs numeri ſunt, vt forma & materia. Horum congreſſu conflatur ternarius, primus, totus & perfectus, & primi tres dicuntur omnes, & ob id omnia conſtant trinitate, phyſica, principiorum: mathematica, dimenſionum: intellectualia, potentiarum & virtutum. Sed & ſi in diebus contemplabilibus morborum ſpectetur, tertius eſt validiſſimus. Nam eſt primus decretorius in acutis tertius, quique affert paroxyſmum, & tertii eſt tanta vis, vt vix vnquam permittat quarto (alioqui in primis iudicatorio) iudicare, præripiens illi iudicationem.

Cynanchem & ophtalmiam venæ ſectio curat.

Vtraque harum affectionum miſſione ſanguinis curatur, ſiquidem vtraque eſt inflammatio, & ex eadem vena ambæ, putà ex cephalica, cùm ambæ ad partes ſupra clauiculas pertineant. Non tamen eadem ratione ad vtramque mitti debet. Nam ad opthalmiam licet copioſè mittere, & affatim, nullo ex deliquio animi timore imminente; tamen ad anginam non licet vti niſi repetita, ne præ deliquio animi introrſus collectus ſanguis, in pulmonem incumbat, & perineumoniam faciat. Nam hæc poſt pleuritidem aut anginam, deſperata affectio eſt.

Vulnerato inteſtino, reſpiratio deſcendit obſcura per vulnus, vacuanturq; pectora, date igitur lac & vinum æquale æquali cõmixtum.

Hanc ſententiam meritò reiicit Petrus Iacobus Steue, tanquam ſuppoſititiam, quia neque per ventris vulnus reſpiratur, neque idoneum ita vulnerati, ſit lac cum vino mixtum.

Quorum pectus eſt admodum bilioſum, balbi, furibundi & calui ſunt: horum quicumque ab ortu etiam ſtrabones ſunt, amentes, lapidei, maniaci; quibus autem non, alterius mali ſolutio.

Dixerat ſectione quinta, morbos habent, balbus, caluus, & hirſutus fortiter attrabiliarios. Hoc idem eſt, quòd nunc dicit, quorum pectus eſt admodũ bilioſũ, ſunt balbi, furentes, & calui. Nam hirſuties pectoris calidi indicium eſt. Porrò hac eadem ſectione ſuper dixerat. Balbi, celeris linguæ, atræ bilis humori obnoxii, bilioſique ſunt, oculis non nictates iracundi. Hæc quoq; verba cõtinent eãdem ſententiã, pũtà

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 117 sur 489

©BIUM

iracundos, hirſutos, balbos, & caluos paratos ad maniam, quia calidi ſunt & ſicci, atque atrabiliarii. Nunc addit his aliud ad maniam parati hominis ſignum, dicens, horum qui ſtrabones etiam à primo ortu ſunt, amentes, maniaci, λυθιῶντες, ideſt, parati ad inſaniam, & ad ſtupidam quandam immobilitatem, quæ creſcens, ſolet in cathocum finiri. Hoc idem ſignificant oculi non nictantes, quorum mentionem anteà fecerat. Sed quod ſtrabiſmus à primo ortu inſaniam ſignificet, argumentum phyſiognomicum eſt, relatione ad paſſionem. Nimirum qui iam inſaniunt, ita ſolent oculos iactare: quibus autem non eſt ſtrabiſmus à primo ortu, ſed ſucceſſit, alterius morbi eſt ſolutio. Solere enim abſceſſu ex alio morbo oculos diſtorqueri, didiciſti nuper ab Hippocrate dicente, ſolutio doloris coxarum fit per oculorum diſtortionem.

Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, & oculus dexter, & quæ infra ſunt, nam & mares dextris partibus hærent.

Multùm præſtant naturali calore dextræ partes ſiniſtris, quia in dextra parte hepar ſitum eſt, principium omnis nutritionis. Iam verò & generatiua membra ſunt dextra ſiniſtris valdè calidiora, teſticulus enim dexter ex vena caua venam accipit, ſiniſter ex emulgente ſeroſum ſanguinem. Porrò ren dexter ſublimior, & hepati propior. Sed & arteria aorta, à ſiniſtro ventriculo cordis orta, mox verſus dextram partem flectitur, & dextro corporis lateri maiores arterias impertitur. Hinc fit, vt omnes partes dextræ ſiniſtris ſint firmiores, quod vel inde cognoſces, quòd mares dextris vteri partibus hærent magis, vt in aphoriſm. dicitur. Ergo plurimam vim habent circa naturam dextræ partes. Hoc eſt magnum momentum habet, dextra pars an ſiniſtra ſit, quæ affecta eſt, aut vtcumque patiens aliquam ſignificationem præſter. Nam ſi pars dextra quàm ſiniſtra præſtantior eſt, etiã morbus dextræ quã ſiniſtræ maior, ac deterior. Porro ſi oculũ peruerti in morbo acuto, aut lachrymare graue eſt, peruerti dextrum, aut lachrymare, grauius. Si mammam gracileſcere gerenti vtero ſignificat abortum, gracileſcere dextram abortum maris. Si hypochondrium alterum habere tumorem & dolorem eſt periculoſum, dextrum ita ſe habere, multo grauius eſt. Atque ita dextra pleuritis, & arthritis, & hemicrania, quàm ſiniſtra, deterior eſt.

Mulieri menſtrua vt cohibeas, cucurbitulam maximam ſecundum mammam affigere oportet.

Hic eſt aphoriſmus quinquageſimus ſectionis quintæ, in cuius commentario diximus nullius partis cum alia vllã eſſe rectitudinem maiorem, quàm mammæ cum vtero. Cauſa autem eſt communio partium thoracis cum genitalibus, quam eſſe præcipuè in communibus venis, quæ per rectos muſculos abdominis producuntur, iam diximus, non ſemel in hoc ipſo libro.

Trimeſtris fœtus omnia habet manifeſtè figurata, & lac tunc habet. Si multum fluat lac, neceſſe eſt, vt langueat, quod in ventre eſt: ſi ſolidiores ſint mammæ, magis ſanus eſt embrio.

Secunda pars huius ſententiæ, eſt aphoriſmus quinquageſimus ſecundus ſectionis quintæ. Illa vero verba, τρίμηνον παιδίον πάντα δηλοῖ, καὶ γάλα πίπτει ἔχει, ſignificant tertio menſe eſſe iam partes omnes fœtus diſtinctas, itaque finitam partium figuram, ſeu formationem, & tunc primùm apparere lac in mammis vtero gerentium. Quod de figura dicitur aliis omnibus placitis videtur conſonum. Siquidem cùm Hippocrates, & in libello de alimeno & in libello de carnibus, & in hoc ipſo libro, multos ac diuerſos figuræ fines ponat, nullum tamen non intra tertium menſem. Nam fœminæ etiam, quæ tardiùs quàm mares figuram accipiunt, circa ſexageſimum diem accipiunt, cùm tardiſſimè. Huc enim videtur ſpectare, quod Deus ſexaginta ſex dies prohibuit templum adire, eam quæ filiam peperiſſet. Communis enim analogiſmus eſt, tempus expurgationis enixæ, reſpondere tempori formationis infantis. Sed quod dicit de lacte repugnare videtur ipſi Hippoc. qui nuper in hoc ipſo lib. ſectione 3. dixerat, lac nutrimento mutationem accipiente, octimeſtri vero perficiente. Quibus verbis diximus ſignificari octauo menſe lac fieri, quin & Galen. in comment. ſententiæ trigeſimæ nonæ particulæ quintæ, octauo menſe lac fieri docet, quo pacto ergo tertio? Certè Ariſtot. 4. de generatione animal. cap. 8. decidit hanc controuerſiam, dicens, ſeptimo menſe primùm fieri mulieribus lac vtile, ac concoctius, & copioſius, ante id tempus exiguum eſſe & inutile quod apparet. Sed quid quod vtile ne octauo, ne nono quidem menſibus fit, ſiquidem etiam vſque ad peractum tempus expurgationis ſunt, enixis etiam, quæ vocantur coloſtra? Sunt enim coloſtra (dicit Plinius lib. 28. capit. 9.) prima à partu, ſpongioſa denſitas lactis, & infantes eo lacte vtentes inuadit morbus, qui dicitur coloſtratio, dicunturque coloſtrati? Certè ita eſt, lac vſque ad exactum tempus purgationis non eſt ſatis vtile, tamen ante ſeptimum, aut octauum menſem omnino inutile, & exiguum, ab hoc tempore plus iam eſt, & nutrire, tametſi cum aliqua incommoditate, poteſt, fit tamen qualecumque lac menſe tertio. Quidam tamen pro γάλα legunt μέγα.

Vena habetur craſſa in vtraque mamma, in his maxima eſt ſita prouidentiæ pars.

In vtramque mammam erumpit ab internis vena quædam valdè manifeſta, tunc ſaltem cum mulier gerit vtero, aut lactat, aut cum inſtant menſtruæ euacuationes. Huius venæ pars maxima in mammam diſtributa inſumitur, reliquum venæ repit deorſum per muſculos rectos abdominis vſque ad vterum. In his (inquit) maxima eſt ſim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 118 sur 489

prouidentiæ. Hoc eſt, hæc multùm præſtare poteſt ad præſentionem. Nam vt ſuperiori ſectione dixerat, pituitæ fluxus ex mammis oculi trahunt, & rurſum in aphoriſmo, ſi lac in mammis appareat inſanum & furibundum. Quæ ſignificant, tumorem mammarum ſignificare tranſmiſſiones ſuccorum à capite ad corpus, & contrà, ob has ſcilicet venas. Sed & alium ſenſum, quem nunc probo magis, hæc verba ferunt. Nimirum magnam ſignificationem præſtare prouidentiæ formatoris, has venas erumpentes in mammas ob infantis neceſſitatem, & in vterum productas, ob neceſſitatem fœtus, & vt eadem materia nutriatur, quâ genitus eſt.

Vrinæ ſtillicidium ſoluit venæ ſectio.

Trigeſimus ſextus aphoriſmus ſectionis ſextæ eſt hic. Quare eius enarrationem ſuo loco requite ex meis commentariis, Galen. enim putauit eſſe adiectitium.

Si ſupernæ partes, quæ ſunt circa caput, turgeant vlcerum purgatio, vomitus, & aqua conferunt.

Vbi ego ſcripſi aqua, in omnibus Græcis codicibus ὕδρωψ, ideſt aqua intercus. Tamen quia nihil poteſt illa lectio continere, quod dignum ſit Hippocrate, immo neque quod verum, ſuſpicor ſcriptum fuiſſe ab Hippocra. ὕδωρ, ideſt aqua. Nam facilis lapſus librariorum erit pro ὕδωρ ὕδρωψ, & hæc ſententia eſt vera, & aliis Hippocr. præceptis valdè conſentanea. Illud σπαργᾷν, ideſt turgere, ſignificat tumere, & irritatam eſſe partem vlcere. Si igitur, inquit, ſupernæ partes quæ circa caput turgeant, ideſt ſi caput habeat vlcus, & adhuc tentetur inflammatione, & tumeat, vlcerum purgatio, vomitus, aqua. Ideſt curatio eſt, dare in potu aquam, & expurgare corpus pharmaco, deinde vti ad vlcera extergentibus, & aliis idoneis medicamentis. Nam Hippocrates vomitum vocare ſolet expurgationẽ, quæ pharmaco fit. Quia expurgare bilem crebro ſolebat illic vomitione. Huiuſmodi eſt illud, helleboro qui non facilè ſupra purgantur, eorum corpora pluri cibo & quiete humectare: & rurſum illud, ſi velis magis ducere helleborum, moue corpus. Hæc enim, & huiuſmodi omnia, nomine hellebori, & vomitionis, de omni expurgatione dicuntur. Igitur purgationem & aquam commendat in talibus vlceribus capitis. Atqui vtrumque in præcipuis poſuit. Nam lib. de vlceribus, non longè à principio, ita ſcriptum eſt. Modicus cibus & aqua quàm maximè omnibus vlceribus conducunt, & magis recentioribus, quàm veteſtioribus, & ſi quod aliud vlcus, inflammatum eſt, aut inflammationem minatur, atque ſi periculum eſt corruptionis, & vlceribus, ac inflammationibus in articulis, & vbi conuulſionem fieri periculum eſt, & vulneribus in ventre: maximè verò omnium fracturis in capite & femore. Porrò de purgatione paulò inferiùs dicit: Purgatio ventris deorſum plurimis vlceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite. Quod purgationem vomitu fieri iubeat, conſentaneum videtur aphoriſmo decimo octauo ſectionis quartæ, in quo dicitur. Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, qui purgatione opus habent, ſurſum verſus purgatione indigere ſignificant: qui verò infrà, deorſum. Quamquam vt in commentatione illius aphoriſmi dixi, purgatio ſurſum ob caput facta, magna conſideratione indiget, & raro poteſt magna noxa carere. Cuius gratia in capitis vlceribus, ego non tantùm non moueo expurgatorium vomitum, ſed ne purgationem quidem pharmaco per os ingeſto facere ſoleo, præcipuè ſi tempus anni calidum ſit, ſed ſi poſſum clyſteribus acrioribus, & tenui victu contentus ſum, timens, quod libr. de locis in homine dicitur. Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat. Calfaciunt enim caput pharmaca purgantia, & ad caliditatem febrilem accedente ea, quæ in medicamento eſt, inſaniam facit. Hæc illo loco, quæ mihi videntur admodum rationi conſentanea, ac proinde, ſiue homo vehementer febricitet, & præcipuè ſecundùm partes ſuperiores, ſiue caput inflammatione tentatum ſit, ſiue tentari periclitetur, ſiue phreniticus ſit, ſiue magnum habeat vlcus, quod poſſit non ſine periculo irritari, debito pharmaca quoad poſſum, certò ſciens his magnoperè tentari capita. Indicat enim id ſomnus, qui iis, qui expurgantur, mox ingruit.

A ventris turbatione, aut à tuſſi, oborto cancro, os amareſcit. Dandum autem in potu elaterium bis aut ter, niſi balbus ſit. Alligare oportet æris florem cum vſſeris vſque dum rufus ſit, & ſpongiam, niſi balbus ſit.

Dictum mihi eſt in enarratione aphoriſm. 24. particulæ quartæ, dyſenteriam ex atra bile, quam lethalem Hippocrates vocat, eſſe cancrum inteſtinorum: atra enim bilis in eo loco, vt in aliis, ſolet cancrum cum vlcere excitare, vt flaua bilis, aut ſalſa pituita facit, per minus periculoſas dyſenterias, vlcera alia ſimpliciora. Simile quiddam accidit in aſpera arteria per tuſſes. Nimirum vt dyſenteria fit diſtillationem patientibus inteſtinis, & ea quidem primo radente, deinde exulcerante manifeſtè, mitiùs aut maligniùs, vt eſt ipſa influentis ſuccí ſpecies: ita per tuſſim aſperæ arteriæ tunica interna, primò deterſionem patitur, procedente malo etiam exulcerationem, aliquando etiam tantam, vt magnæ membranæ fruſta tuſſi reiiciantur, atque adeo etiam cartilaginum: & hæc vlcera pro ſpecie ſuccí aliquando ſunt ſimplicia, aliquando maligna, non aliter ac in ipſo ore videmus fieri, nunc aphtas, nunc malignas nomas. Itaque maligna, & dyſenteria, & tuſſis eſſe ſolet, adeo vt cancrum patiantur inteſtina, aut aſpera arteria. Cuius affectionis eſſentiam, & notas, & curationem, complectitur breuis hæc dictio. Eſſentiam quidem his verbis, à ventris turbatione, aut tuſſi aborto cancro: notas, his, os amareſcit: reliquis, curationem. Nimirum alui turbatio dicitur omnis ventris fluxio immodica, ſiue diarrhœa, ſiue dyſenteria, ſiue lienteria ſit: quæ verò cum inteſtinorum exulceratione fit, dyſenteria eſt, & tuſſis etiam fit patiente aſpera arteria diſtilla-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 119 sur 489

©BIUM

tionem acrem, quæ cum procedit multum, exulcerat. Exulceratio vtraque, timeri debet, ne cancrosa fiat: vbi enim facta erit talis, erit incurabilis. Timebis autem multo magis, si videris os ægroti amarescere, non vtcumque, sed multum. Quia vlcera tunc fiunt, κακοήθη, cum corpora ægrotantium sunt cacochyma: nam quæ bono vtuntur succo, aut nulla aut simpliciora habent vlcera: cacochymiæ autem biliosæ nota est, oris amaritudo, qua quidem multum vtitur Hippocrates, vt innumeris in locis videre licet. Non quidem est hæc sola cacochymiæ eius nota, sed est hæc magna; mala quidem in omni febre, tumore, aut vlcere, communi ratione: peculiari autem magis in tussi atque dysenteria, quia oris tunica interna habet cum ventre continuitatem & rectitudinem, atque cum aspera arteria viciniam & continuitatem, per gulæ partem anteriorem, & asperæ arteriæ posteriorem. Significat ergo oris amaritudo non solùm esse in corpore multam bilem, sed etiam regurgitare in illas partes. Satius autem fuerit, non hanc solam considerare, sed alias etiam notas adiungere cacochymiæ totius corporis & harum partium, quæ ab excrementis præcipuè, & totius corporis colore capiuntur. Sed veniamus ad curationem, quam duplici auxiliorum genere exequi iubet, pharmaco, & admotis ventri medicamentis. Elaterium inquit dandum bis, aut ter. Elaterii historiam & vires, apud omnes qui de materia medicinali scripserunt, licet legere, vtque is sit succus valdè purgans. Quem quidem ego, aliis omnibus medicamentis expurgantibus, ad dysentericos, potiorem esse non existimo, sed fortè aliis minùs commodum. Verùm antiquus mos est Hippoc. expurgationem præcipere, nominato semper aliquo medicamento, eorum quæ sibi erant familiaria, vt elleboro, elaterio, aut cnico. Perinde ergo tu intellige, ac si diceret, expurga. Illud, bis aut ter, festinationem continet, quasi diceret, expurga citò, ac si opus sit, repete medicamentum sine mora. Sed quorsum expurget quis in dysenteria? Annon trahat ad partem affectam excrementa? Certè. Læserit ergo interim? Haud dubiè, tamen præseruat expurgatio multos à maligna dysenteria, tempestiuè extrahens multam copiam succorum. Quia multo magis exulcerantur intestina paulatim in ea excrementis influentibus, quàm affatim per ea effluentibus multis. Itaque expurgatio non tollit periculum, quod à succis ipsis impendet, siquidem hos trahit ad intestina, sed quod à mora & lenta fluxione. Proinde si expurgandum in dysenteria est, præproperè faciendum, quia vbi multum processerit malum, frustrà suscipietur. Neque tamen hoc curationis genere in omni dysenteria vtendum: temeritatis enim aliquid habet excrementa omnia eò vocare, quò cum magno hominis malo sponte fluunt: sed tunc solùm cum maligna dysenteria imminet, adeò vt non videatur mediocris alia curatio, quæ detergentibus & abstringentibus agitur, posse esse satis. Tunc enim satius est, aliquid cum temeritate facere, quàm sinere hominem certò perire. Hæc igitur iubet facere, cum turbata est aluus, & os amare scit, nisi ægrotus sit balbus. Balbo enim familiaris est turbatio alui, vt in aphorismo dicitur, æquum ergo est cum eisdem notis minorem morbum esse suspicari, quàm in alio quopiam homine. Cùm ergo non sit expurgandum, nisi in periculosissima dysenteria, non mirum si in balbo, his ipsis apparentibus, expurgatio deuitetur. Accedit, quod vt facilius fit alui fluxio in balbo, ita facilius augebitur, & fiet nimia, & minùs poterit sisti. Ergo à morbo est balbo periculum minus, ab expurgatione maius. Quare satius sit in talibus non expurgare, etiam si in aliis dysentericis, eisdem & æqualibus symptomatis apparentibus, expurgandum sit. Docet deinde eam rationem, curationis quæ exterius admotis perficitur, dicens, alligare oportet florem æris, vstum adeò vt rufus sit, & spongiam. Flos æris medicamentum est siccans & astringens, quale vlcera desiderant, sed est etiam exedens, & nimis acre, verùm hanc acrimoniam (vt alia omnia acria) vstione deponit, adeo vt fiat, pro exedente, valdè extergens, quod etiam amant vlcera, præcipuè maligna. Spongia vti possumus, vt instrumento ad fomenta & irrigationes accommodato, & vt medicamento, ipsa enim per se, præcipuè recens, & quæ mare adhuc olet, siccans admodum est, & multa vlcera sanat. Quare inspergere florem æris vstum, & spongiam alligare, citra aliud quidpiam, erit ad vlcera sananda potentissimum: aut etiam puluis spongiæ recentis, & vstę, cum flore æris mixtus, & inspersus. Neque verò mirum tam vehementi medicamento Hippocratem vti. Non enim quamcumque dysenteriam, sed malignam docet curare. Poscente verò nobilia medicamenta vlcerum specie, pars affecta tale admodum poscit, quia est natura sicca, & in alto posita, & excrementiam humiditatem habens multam: quæ omnia siccantium vim augeri postulant. Sed quoniam hæc curatio est vehemens, non nisi cum vehementis morbi suspicio est, ea vtemur: quare rarò ad balbos: quia vt dictum est talium natura minuit eam suspicionem, proinde nunc quoque adiecit, nisi balbus sit.

In inquietudine, horrore, oscitatione, vinum æquale æquali permixtum confert.

Hic est aphorismus quinquagesimus sextus septimæ particulæ, figura sermonis tantum differens. Illic enim legitur, inquietudo, horror, oscitatio, vinum æquale æquali potum morbū soluit. In aliis codicibus inquietudinem, horrorem, oscitationem, vinum æquale æquali potum soluere. Sed hæc differentia sermonis, nihil addit aut detrahit sententiæ. Hoc loco occurrit in omnibus græcis codicibus, quos mihi contigit videre, adiectum præscriptis verbis, aut lac. Verùm suspicor, vt alij etiam multi, corruptionem esse codicis, atque illas duas voculas, malè in hunc locum cecidisse: quia non sunt in aphorismo. Sententiam autem in aphorismis & in epidemiis scriptam eandem, consentaneum est, in aphorismis perfectiùs scriptam censeri, atque ita lectionem aliam emendari. Nam aphorismos scripsit Hippocrates, elaboratissimas sententias colligens, hos autem libros non ita, sed vt adhuc obseruans, & elaboranda deinceps compilans: accedit quòd ad has passiones minimè est vtile ἀλύκη, quam ego inquietudinem appello, aut anxietatem, quidam etiam vocant pandiculationem. Tamen luce clarius est,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 120 sur 489

eos errare, ex iis quæ Galen. dicit in commentario citati aphorismi (æquum autem est illi credere in nominis græci expositione.) Dicit enim esse eam passionem, quâ qui tenentur, nunquam quiescunt, sed semper præsentibus molestantur, & ab vna re in aliam se transferunt. Itaque inquietudinem seu anxietatem licet dicere. Anxij enim inquieti sunt. Hoc verò nihil est minus quàm pandiculatio. Nam hæc est in totius corporis musculis, quod oscitatio in buccis, fitque vt hæc, quòd crassus flatus moueatur inter musculos, eique exitum præstent musculi, variè sese mouentes, vt ille erumpat. Itaque hæc multum crassumque flatum indicant, qui aut ob multum crudumque adhuc cibum in ventriculo fiunt, vt iam iam dormituris, aut quod excrementa in ventrem confluant, vt esurientibus, aut quòd alioqui crasso & crudo excremento abundent, vt iam iam ægrotaturis. Horror sponte obortus (de tali enim Hippocrates nunc loquitur) excrementa abundare, quæ per cutem delata compassionem inferant, significat. Anxietas seu inquietudo, nulla causa magis fieri potest, quàm quod os ventriculi maligna aliqua excrementi qualitate molestetur, vnde & cardialgia, ac lipothimia fieri nata est. Dictum verò est Hippocrati proxima sectione, ad cardialgiam vtile esse, panem cum vino dare. Nunc ad omnes has passiones iubet vti vino mediocri, & temperato, scilicet æquale æquali. Nimirum hæ passiones sunt neutræ potius quàm morbi, proinde ad eas omnes nihil vtilius, quàm victum ita moderari, vt cruda coquantur, & quæ digeri possunt, digerantur, euacuatione manifesta, aut insensibili. Quæ omnia vinum præstare potest, valde dilutum, debiliter: & meracius, cum febris periculo: proinde iubet æquale æquali temperare. Intellige autem hanc mensuram in vino mediocri retinendam, non in omni. Nam perinde erit vereri & generoso vino duplum aquæ infundere, & oligophoro subduplum, & mediocri æquale. Sed & totum victum oportet, ad procurandam concoctionem, & corporis puritatem, adhiberi idoneum. Nihil enim refert vinum temperare, si vtaris multis horariis fructibus aut porris, cepis, & aliis.

Ad auris dolorem concurbitulam affigere conuenit.

Multo familiarior erat Hippocrati vsus cucurbitulæ ad dolores omnes, quàm medicis huius tempestatis, qui eam adeo timent, vt ne nominare quidem audeant, nisi semimortuo iam ægroto, quum scilicet satius esset agere nihil. Verùm Hippocrates (vt videre licet libro de medico) multis ad dolores vtebatur, & pro dolorum differentia, figura differentibus, ad dolores scilicet in alto positos, ad magnam aut fortem tractionem, opus est angusti ore, ad dolores per cutem velut effusos ampliori bus. Ego certè in doloribus circa quasdam partes cõsistentibus rarò non vtor cucurbitulis cum scarificatione, aut sine ea, cum dolor non cedit vniuersali vocatæ euacuationi. Quamuis enim id nunc Hippocrates taceat, tamen intelligi debet quod dicitur, salua methodo. Nimirum affigere oportet cucurbitulam, prægressa totius corporis euacuatione, quam affectus exigat, & ægrotus possit tolerare. Nam neque ad aliud aliquod auxiliũ valenter resoluens, veniendum est prius. Neque tamen proinde expectandum est, vsque dum totum corpus sit euacuatum, & exsuccum, vt plerique medici hodie faciunt, quibus nulla euacuatio ad cucurbitularum admotionem videtur esse satis, sed quantum vrgeat partis passio considerandum, atque, vt resoluentia medicamenta admouemus vacuari cæpto corpore, non semper euacuatione finita, ita non raro vrgente passione cucurbitulæ euacuationibus sunt interponendæ, vt morbus qui non potest expectare totam euacuationem, cum eam partiri opus est, alternatim secta vena & cucurbitulis admotis, perficiatur. Neque enim vbi nondum est iam admodum plenum corpus, neque fluxionis primus insultus est, suspicari oportet tantam futuram tractionem, vt toto ex corpore in affectam partem fluxio commoueatur, aut augeatur: satis enim erit, si de interna doloris sede ad cutem trahatur. Neque enim hypochondrio admouere, hepati aut lieni: & admouere hypogastrio, vesicæ, aut vtero: & admouere lumbis, renibus admouere, est. Intersunt enim musculi & alia multa. Quod si post admotas cucurbitulas dolor recurret denuo, & fluxio, quid prohibebit iterum misso sanguine deriuare? Nam & in aliis curationibus, cum vrgentiæ aliqua ratione satisfactum est, redimus ad legitimas indicationes, quæ procedunt à causis. Libuit hæc fusiùs dicere, propter eos medicos, qui non tantùm non volunt Hippocratem hac in re imitari, sed meam etiam praxim hac causa vituperant. Quod hic Hippocrates ad auris dolorem; in calce libri de iudicationibus commendauit ad omnes partes circumcirca caput dolentes, his verbis, Caput circumcirca dolenti, quicunque ex supernis locis doluerit, cucurbitam affige. Itaque & ad dolorem oculi, & occipitis, & temporum. Ob aurem quidem humero in primis, deinde ceruici è regione, deinde, post aurem glandulis eius loci. Nam ipsi auri admoueri non potest, sed neque oculo, sed si alter laboret eisdem partibus quibus ad aurem, sin ambo, mediæ ceruici ad occiput, vt & ob tempora. Dixerat proxima sectione Hippocrates, si auris doleat lacte vtatur. Quæ sane videntur longè diuersa auxilia. Sed non mirum, multis sæpe opus est ad eandem passionem, aut ob differentiam causæ, aut temporis. Velut si ad phlegmonem auris in primis instilletur lac, temperandi partem & mitigandi dolorem gratiâ, procedente malo affigatur cucurbitula reuellens & euacuans: aut ad plegmonem, instilletur lac, ad dolorem ex flatu, admoueatur cucurbitula.

Quæcunque superiorum partium doluerit, in coxas aut in genua dolor, & asthma obortum, soluit omnia.

Hæc quoque sententia scripta est loco citato libri de iudicationibus, & non est à proxima dictione decisa, sed eadem sententia. Nimirum dicit quæcunque pars supernarum in capite doluerit, curari cucurbitula. Quod verò curationi non cedat, neque

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 121 sur 489

hominem interimat, ſed producatur, ſolui ſolere cum abſceſſu, vt alios omnes morbos productos & ſalutares. Abſceſſus quos ſolent habere, ſunt in coxas, aut genua, aut firmantur in thoracem, & faciunt aſthma. Quod quidem cõſonum eſt illis verbis, quæ proxima ſectione enarrata ſunt, ſi caput doluerit ad pectus deſcendit, deinde ad hypochondria, poſtea ad coxam. Omnia verò vt doleant fieri non poteſt.

In voluulo tenui frigidam vinum multum merum ſecundùm rationem dandum, donec ſomnus aut crurum dolor oboriatur, quem etiam ſoluit & febris, & dyſenteria ſine dolore.

Pulcherrimam, & mihi iam experimento probatam, docet curationem voluuli: non omnis (neque enim eius qui ob inflammationem fit, & quem acuta febris comitatur) ſed eius qui à flatu craſſo diſtendente, aut feces duras ad inteſtina gracilia afferente, aut à ſucco frigido impacto. Talem enim nihil poteſt ſoluere melius, quàm vinum merum. Coquit enim cruda, extenuat craſſa, diſſipat flatus, digerit deducitque per corpus. Quare aut coquendo, diſſipandoque cauſam, aut in aliam partem trudendo, liberat ab hoc malo. Accerſere enim ſomnum ſolet vinum, aut artuum dolores, aut articulorum, ſuſcitare: & vtraque harum eſt in hac affectione cauſa ſalutaris. Somnus quidé, quia per quietem & indolentiam facultas reficitur, & reuocato intro calido, cauſa coquitur. Dolor articulorum, aut artuum, quia facto tali abſceſſu ceſſare ſolet morbus prior, velut in podagricis habemus obſeruantiſſimum. Vix eſt morbus à quo non liberentur podagra ſuperueniente. Nimirum vt Hippocrates nuper dixit, non poteſt fieri vt omnia ſimul doleant. Igitur vel iis rationibus eſt vtile vinum, quod ſomnum conciliet, & dolores crurum afferat, & cum horum aliquid fecerit, ſatis vini putetur datum. Si enim in his doloribus ſtupefacientia ſæpe ſunt vtilia, quod ſomnum faciant, ipſa alioqui per ſe noxia morbo quanto vtilius fuerit vinum, quod ſomnifetum etiam eſt, & per ſe vtile ad morbi cauſam tollendam? Non tamen vtcunque datum hæc faciet, ſed vt quam optimè hoc poſſit facere, dato ſatis multum & merum. Dilutum enim aut exiguum, neque ſomnum, neque dolores crurum affert. Multum ſi affatim detur non poterit retineri, ſed ſtatim euometur, vt fieri poteſt ventriculo conuerſo ad vomitionem taliũ, quin etiam fœcũ, neq; multum & merum ſi retineretur, coqui poſſet à facultate debili, aceſceret ergo, & factum acetum augeret morbum. Quid ergo ſupereſt? vt detur multum merum, ſed paulatim, crebro ſcilicet & exiguo hauſto. Ita enim paulatim retinebitur, & coquetur, & coquet, & reliqua præſtabit bona. Hoc in calce libri de iudicationibus, vbi hæc eadem ſententia verbis nonnihil differentibus, ſcripta eſt, docuit Hippoc. dicens, vinum multum merum κατ' ὀλίγον ideſt paulatim dare. Et hoc idem eſt quod nunc intelligit dicens, κατὰ λόγον, ideſt ſecundùm rationem. Nimirum illud datur ad hanc paſſionem ſecundùm rationem, quod datur frigidum, multum, merum, & paulatim. Reliqua quidem ob cauſas dictas, frigidum verò, vt ita quoque minus euomatur. Addit, ſoluit autem & febris & dyſenteria ſine dolore. Quę verba partim nouum ſenſum, partim prioris confirmationem continent. Nimirum febris & dyſenteria ſine dolore, cum ſponte ſuperueniunt, tollunt voluulum: febris quidem, eum qui à flatu, aut craſſis & pituitoſis: dyſenteria, & hunc, & eum qui à ſiccis fæcibus. Sed vinum multum paulatim datum poteſt facere febrem, & dyſenteriam: omnes ergo bonos voluuli exitus, qui numerantur quatuor, ſomnus, dolor artuum, febris, & dyſenteria ſine dolore, facere ſolet vinũ. Quare voluulo admodũ ſalutare eſt. Sed quã vocat dyſenteriã ſine dolore? Si enim in teſtinorum exulceratio, quo pacto ſine dolore eſt? Certè Hippoc. loco citato ex lib. de iudicationibus, non addidit illud ſine dolore, ſed ſimpliciter dixit, febris aut dyſenteria. Quapropter quidam cenſent hinc delendum, vt codicis corruptione interiectum. Ego verò non ita cenſeo, ſed dyſenteriam hic & illic dici quãcunque alui perturbationem, addi verò hoc loco ſine dolore, vt ſignificetur diarhœa, quæ in hoc differt à peculiariter vocata dyſenteria, quod ſine dolore, aut cum minori dolore inteſtinorum eſt crebra deiectio, & hæc ſane ſuccedens illi, ſolet ſoluere voluulum.

Si hypochondrium diſtentum fuerit, eomprimere manu oportet & lauare; aquæ recedentis à lacte, octo cotylas bibendas dare: ſi autem vomat, & non bibat, allij intritum acutum.

Diſtentiones hypochondriorum fiunt flatu, aut aqua, aut ſuccis crudis eo loco redundantibus, aut tumoribus ſcirrhoſis cum obſtructionibus viſcerum conſiſtentibus, vt per hydropis duo genera, aſcytem & tympanitem, & per morbum focatum flatuoſum (eſt verò melancholia hypochondriaca) & ventriculi apepſias frigidas. Fiunt etiam hypochondrii elationes ob inflammationes magnas. Quacunque ex cauſa intumeſcat hypochondrium, curatur horum aliquo, aut his omnibus, compreſſione manus, lotione, expurgatione, & mouentibus vrinas, ac aperientibus cibis: inflammationes miſſionem ſanguinis ante hæc omnia amant, & reliquæ etiam affectiones aliquando, ſed non ſemper, neque tam copioſè. Verùm comprimere, cùm flatu, aut aqua, aut etiam tumoribus ſcirrhoſis eleuantur, vtile eſt, quia aqua & flatus expulſi inde, coguntur exitum quærere, & tumores prohibentur adeo creſcere, & cùm ſint indolentes, nihil lædantur. Comprimere autem manu quàm fascia; maiorem quandam habet vtilitatem, quia manus calore naturali, & nobis familiari, coquit, & ſoluit flatus. Lotio ſanè ſeu irrigatio hypochondrii, ad omnes dictas paſſiones vtilis eſt, ſed non exquacunque materia, neque ex eadem ad omnes, ſed ex diuerſa pro affectionis & partis indicatione: velut ad obſtructiones ventriculi, ex mentha & abſynthio: hepatis, ex hoc ipſo & mentha, cum exiguo aceto: lienis, tamariſco, cappari, & aſplenio, & aceto pluri. Et his

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 122 sur 489

verò parantur olea, aut decocta, & hæc, ex aqua marina, aut vrina. Serum lactis, quod aquam succedentem ex lacte vocat, frigidum & humidum medicamentum est, verùm participatione quarundam acrium particularum est expurgans, & extergens deobstruens, & mouens vrinam. Quare in dictis obstructionibus maximi est vsus. Vtimur verò eò, nunc simplici, vt cum obstructiones cum calore aliquo præter naturam, siue febricula consistunt, nunc verò composito, vt cum sunt cum frigida materia, & intemperie. Tunc enim, ad pituitam, admiscemus illi mel & salem: ad melancholiam infundimus quæ eum humorem possint extrahere. Iubet verò Hippocrates dare octo cotylas. Capit verò cotyla vncias nouem, quare octo cotylæ ferè capiunt, quod Hispani vocant azumbre. Hippocrates certè potiones omnes medicamentosas dabat maiori quantitate, quàm nunc est in vsu, verùm hæc maxima quantitas est, vt bibatur vno die. Ille verò dabat vt affatim satisque multùm expurgaret. Ego hanc expurgandi rationem nondum sum expertus. Seri autem duas cotylas sæpe dedi ad expurgandum paulatim: vt per aliquod dies cotylæ duæ summo mane acciperentur, nunc simplicis, nunc cum aliqua infusione. Atque ad expurgationes copiosas, in sero lactis medicamina bene purgantia dissoluo. Meritò verò timet Hippocrates ne tantum seri non possit bibi, sed euomatur, præcipuè distento anteà ventre: proinde iubet intrito, quod paratur ex allio, vti. Nam hoc vt Dioscorides cap. de allio monet, vrinam ciet, & hydropicis est vtile. Certè & flatus dissoluit, & obstructiones omnes tollit. Febricitantibus vero, aut dolentibus capite, ne detur, præcipuè insuetis. Alioqui vero ad distentiones ex flatu aut aqua eius vsus est vtilissimus.

A

B

C

D

E

F

G

Ad reduuias galla nigra cum melle prodest.

Abscessus qui iuxta vngues oritur, exiguus esse solet, quare siue suppurauerit iam, siue nondum, siccante medicamento ac resoluente, quale hoc est, aut fieri prohibebitur, aut factus breui delebitur, & citra vnguis corruptionem. Nam galla repellit & siccat, ac siccando absumit humorem. Mel resoluendi vim habet.

Vt mulier concipiat, polypos super flamma assatos quàm calidissimos & propè semiustos edendos dare oportet. Et nitrum Ægyptium, & coriandrum, & cuminum terere, & pastillos facere, & apponere pudendo.

Non ad quascunque steriles vtilis curatio est hæc, sed ad eas solùm quæ frigidæ, & semine fæcundo parùm abundantes sunt. Polypus enim est salacissimum animal, & quod coitu nimio resolutum tabescit. Quæ verò talia sunt, necesse est vt augendi semen vim habeant, tali enim succo sunt, & in talem nata mutari. Iam vero quod apponi iubet calorificum est, ac proinde tentiginem faciens. Quanquam ego cuminum detraherem, vt pote quod absumit flatū, veluti ruta. Dixi ego antè, hanc illitionem in dorso factam, ad vehementes rigores esse vtilem.

Si caput ex crapula doleat, vini cotylam bibere oportet: si vero aliter doleat, panem calidissimum cum vino mero edendum exhibere.

Non temerè dari debet vinum dolentibus capite ex vino, sed tunc solùm, cum etiā dolores oculorum soluit, vt in aphorismo dicitur, cum scilicet corpus plenum non est, & dolor firmatus ob causæ difficilem discussionem. Quod dicit si verò aliter doleat (intellige si verò ob cardialgiam vt plerunque fieri solet) edere oportet panem quàm calidissimum cum vino mero. Nimirum superiori sectione dixerat, hoc soluere cardialgiam. Constat verò sympathiæ curationem debere incipere à curatione protopathiæ.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 123 sur 489

©BIUM

LIBER TERTIVS EPIDEMIORVM.

SECTIO I.

Ægrotus primus.

PYthion qui habitabat iuxta telluris templum. Hunc cepit tremor à manibus, prima die febris acuta, delirium. Secunda omnia exacerbata sunt. Tertia eadem. Quarta à ventre pauca, mera, biliosa fluxerunt. Quinta omnia exacerbata sunt, somni tenues, & aluus restitit. Sexta sputa varia, subrubra. Septima os distortum est. Octaua omnia exacerbata sunt, tremores perseuerabant, vrinæ autem ab initio, & vsque ad octauam tenues, decolores, suspensiones habentes nebulosas. Decima sudauit, sputa subcocta, iudicatus est, & vrinæ subtenues circa iudicium, quadraginta autem diebus post iudicium suppuratio circa sedem, & strangurios⁹ factus est abscessus. π. π. lv. M. v.

Ne liber hic incipiat à solœcismo, satius est putare, verbailla, Pythion qui habitabat iuxta telluris templum, seorsum scripta esse, vt titulum huius narrationis, & narrationem incipere ab his, cepit tremor à manibus. Ex tota narratione constat, hanc fuisse acutam febrem à principio, vnam earum, quæ intra decimamquartam diem finiuntur (iudicata enim est vndecima) sed imperfectè iudicatam decidisse ex acutis, in genus earum quæ durare solent quadraginta dies. Est consideratione digna motus figura, quam ab initio retinuit. Incidit enim exacerbatio in secundum diem, vt fieri solet in iis quæ mouentur per pares: sed iam inde non habuit exacerbationes per omnes pares, sed quartanas. Nam exacerbatio repetiit quinto, & octauo, & iudicatio vndecimo. Atqui iudicatio eiusdem diei est, cuius esse solet exacerbatio. In diem secundum incidere exacerbationes, morbi est ex multa materia pendentis: quartana verò figura, atrabiliarii. Atqui profecto morbus erat ex multis, & variis, & concoctu difficilibus. Patiebatur verò præcipuè cerebrum, & neruorum principium, quia cepit primo die delirium, & tremor à manibus. Nam etsi Galenus putet, tremorem hic vocari, eum qui per animalis facultatis debilitatem euenit, atque hic significare debilitatem ex aggrauatione, ego verò suspicor motum conuulsiuum, per quem non possunt manus consistere, vocari tremorem, quia perrarum est incipientibus febribus tremere: tentari vero conuulsione, aut concuti rigore quodam, admodum frequens, atque hunc etiam vocare tremorem est consuetissimum. Accedit, quod cum hic teneretur febre acuta, & deliraret, & somni essent tenues, irritabatur cerebrum biliosis & acribus. Quid ergo magis consentaneum, quàm neruos quoque in principio irritatos, conuulsiuè moueri? Maximè cum Galenus mox dicat, quia habuit die sexta sputa varia & subrubra, & deinde subcocta citra difficilem respirationem, fuisse collecta excrementa multa circa spatia prima & suprema intercostalia, ex quibus nascuntur nerui manuum, quæ enim fingi potest maior conuulsionis occasio, quàm excrementa congeri in partem ex qua nerui oriuntur? itaque die prima cepit febris acuta, tremor manuum, & delirium. Secunda omnia exacerbata sunt. Maximæ profectò acutiei. Acutus enim est morbus in quo pericula cito veniunt. Tertia eadem. Quarta à ventre pauca mera biliosa fluxerunt. Iam hinc licuit agnoscere morbum lethalem aut difficilis iudicij, quia deiectiones intempestiuæ erant, hoc est non prægressa concoctione, quas euacuationes vocauerat Hippocrates decretoria non decernentia: sed & quia exibant pauca, nam & stillas sanguinis de naribus vituperat hac ratione Hippoc. Nimirum cum tentat natura pellere, tanto maioris impotentiæ est, quanto minùs pellitur: sed quia mera & biliosa. Nam excretiones omnes metaciores vituperat Hippocr. in prognostico, ponitque in lethalibus biliosas deiectiones. Mortuus ergo haud dubiè hic homo esset, nisi admodum firma facultate fuisset, quâ quia fuit, euadere potuit, sed cum difficili iudicio, decidentia, ac tandem duplici abscessu. Quinta, omnia exacerbata sunt, & somni tenues, quinetiam somni significabant cerebri passionem. Quin etiam & aluum ea die restitisse, malum. Restitit enim ægro non leuato, sed malignè ægrotante: quare sine vlla conferentia. Præterea recursum in superiora minabatur: maximè cum contigerit septima die os distorqueri: quod sine conuulsione aut paralysi musculorum mouentium buccas, non potuit fieri. Vnde magis adducor vt suspicer, manuum tremorem fuisse conuulsionem, aut paralysim. Quia nerui motus buccarum & manuum, proximum ortum habent. Si igitur sputa sexti diei varia, subrubicunda, signi

ficabant redundantiam ſanguinis & pituitæ intra thoracem, non autem in pulmone, neque ſepto tranſuerſo, neque humilibus intercoſtalibus (quia Hippoc. difficilis reſpirationis meminiſſet) ſed in ſupremis intercoſtalibus, quà oriuntur nerui manuum, & proximi his nerui buccarum, apertè ſunt conuulſi aut reſoluti, quis iam non ſuſpicetur tremulum manuum motum, conuulſionis aut reſolutionis fuiſſe initium? Accedit quod octaua, quâ omnia rurſum exacerbata ſunt, perſeuerabant tremores, quâ die probabile eſt euacuatam fuiſſe iam multitudinem, partim ſpontaneis deiectionibus quæ antecesſerant, partim ab ipſo Hippoc. Narrat poſteà quales vrinæ fuerint in Pythione. Hoc enim nunquam contemnendum eſt. Narrat verò id diſtinctiſſimè perſequens omnes vrinæ partes. Nam fuſuræ ſubſtantiam & colorem, & id quod continetur, & quibus diebus ſimiles fuerint, & quibus receperint mutationem, dicens, vrinæ ab initiis, & vſque ad octauam tenues, decolores, ſuſpenſiones habentes nebuloſas Decolores dicuntur aquoſæ, Tales enim ſunt, quæ colorem minimè omnium habent. Tenues verò & aquoſæ maximã cruditatẽ indicãt, quare ſuſpenſiones non fuerunt bonæ, candidæ & læues quales in coquenda materia fieri conſueuerunt, ſed obſcuræ, turbidæ, nebuloſæ, quales crudis adhuc morbis apparere ſolent. Perſeuerauerunt tales vrinæ vnam ſeptimanam. Ab octauâ die quæ ſecundæ ſeptimanæ eſt prima, cœperunt fieri, pro tenuibus aquoſis, ſubtenues, quales perſeuerauerunt vſque ad diem vndecimam, quâ iudicatus eſt. Decima enim ſudauit, ſputa ſubcocta, quæ ſcilicet anteà varia, & ſubrubra, iam candida, & mediocriter craſſa, copioſiùs excreari cœperunt, & ita iudicatus eſt, die ſcilicet proxima quæ quarta erat ob octaua, quâ fuerant exacerbata omnia, & viſus eſt à febre liberari: ſed quia ſine concoctionis ſignis iudicatus eſt, imperfectiùs eſt iudicatus, ac proinde, exactis aliis quadraginta diebus, duplex abſceſſus contigit, ſuppuratio circa ſedem in clune ſcilicet, in quam veriſimile eſt craſſa & cruẽta abſceſſiſſe: & ſtrãgurioſus abſceſſus, hoc eſt fluor vrinæ cum dolore receptis in vrinæ vias acribus tenuibus, & ſalſis. Hoc genus iudicationis eſt quod apparuiſſe in multis eorum, qui in Thaſo ægrotauerunt, ſecunda ſectione libri primi narrauit, dicens. Multis autẽ & vrinæ fluxiones cum dolore, bilioſæ, aquoſæ, ramentoſæ, purulentæ cum ſtillicidio, non renales. Sed his alia pro aliis Sed hæc verba ſuo loco enarrauimus. Nunc ſupereſt literas has exponamus π. π. ου Μ υ. has literas, & multas alias, quæ in ſequentibus hiſtoris ſubſcribuntur, conſtat ſcriptas eſſe ab Hippo. breuitatis cauſa, vt ſolent poni notæ exitus morbi, & ſpeciei iudicationis. Nam in omnibus qui mortui ſunt, vltima litera eſt. θ. in his qui euaſerunt υ vnde euidens fit illud ſignificare θάνατον id eſt, mortem: hoc, ὑγείαν, ideſt ſanitatem. Prima litera ſemper eſt. π. quæ cùm in omnibus ſcripta ſit, quid aliud eſſe poteſt, quam Πιθανὸν id eſt probabile: mediæ verò literæ variè pro differentia iudicationis ægrorum ſcriptæ ſunt. Quare oportet in ſingulis, quæ eis euenerunt conſiderare, indeque conjectari quid literæ ſignificent, idque habere pro vero, quod maximè quadret. Velut nunc, quia vrina fluente quadrageſimo ſanatus eſt, fuerit, π. Πιθανὸν, i. probabile. π. Πλήθει, i. multitudine. υ. ὕδρων. i. vrinarum. M. hoc eſt quadrageſimo (nam eius numeri nota eſt.) υ. ὑγείαν. i. ſalutem contigiſſe homini. Dubitare verò poſſis, an quadrageſimo à primo abſceſſum habuerit, an ab vndecimo quo eſt iudicatus. Mihi quidem ab hoc videtur, qui fuerit à primo quinquageſimus. Nam etſi quadrageſimus ſit magis iudicatorius, fuerit verò duplicis generis morbus, acutus & decidens, & duplex motus, & duplex iudicatio, & duplex dies decretorius. Non alia ratione adducor, quam quòd Hippocrates ipſe ita factum narrat, dicens, μετὰ κρίσιν ὕστερον ideſt, poſt iudicationem poſteriùs, πεντηκοστὸν ἡμέρην quadraginta diebus. Sed hæc hiſtoria non petit plura.

AEGROTVS. II.

Hermocratem qui decumbebat iuxta nouum murum, febris ingens corripuit: cepit autem capitis & lumborum dolore affici. Hypochondrium molliter contendebatur, lingua autem ab initio aduſta fuit. Statim obſurduit, inſomnis erat, nec valde ſiticuloſus, vrinæ craſſæ, rubræ, repoſitæ non ſubſidebant. A ventre autem vſta non pauca exibãt. Quinta minxit tenuia, habebant ſuſpenſionem. Non ſubſidebant. Sub noctem delirauit. Sexta ictericus factus eſt, omnia exacerbata ſunt, mente non conſtabat. Septima cum difficili tolerantia, vrinæ tenues ſimiles, ſequentibus diebus eodem modo ſe habuit. Circa vndecimam verò omnia viſa ſunt eſſe ſubleuata. Coma incepit, vrinæ craſſæ, ſubrubræ, infrà tenues non ſubſidebãt, placidè ratiocinabatur. Decimâ quartâ ſine febre, non ſudauit, dormiuit, intelligebat omnia, vrinæ ſimiles. Circa decimam ſeptimam rediit morbus, incaluit diebus ſequentibus, febris acuta, vrinæ tenues: rurſum autem vigeſima iudicatus eſt à febre liber, non ſudauit. Cibum non capiebat per totum tempus, mente conſtabat, loqui non poterat: lingua arida, non ſitiebat, dormiebat ſoporoſus. Circa vigeſimam quartam calefactus eſt, aluus humida, multis tenuibus fluens, & ſequentibus febris acuta, lingua exuſta eſt. Vigeſima ſeptima mortuus eſt. Huic ſurditas ſemper perſeuerabat, vrinæ aut craſſæ & rubræ, non ſubſidentes, aut tenues & decolores, ſuſpenſum quid habentes. Cibum capere non poterat.

Galenus narrat, priores enarratores commentos eſſe multa, excogitantes cauſas quibus dixerat Hippocrates Hermocratem decumbere ad nouum murum, putantes magnum aliquid eis verbis inſinuari, continerique occaſionem, quâ febricitare ceperit. Verùm omnia illa merito cenſet Galen. meras nugas eſſe, hæc enim & huiuſmodi alia quæ occurrent, quale etiam fuit Pyrhionem iuxta telluris templum habitaſſe, ſolùm memoriæ gratia ſcripta

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 125 sur 489

©BIUM

ab Hippocrate ſunt. Sed febris ſpeciem & conſtitu- A
tionem conſideremus. Fuit haud dubiè febris ar-
dens, quæ ab hepatis inflammatione præcipuè ince-
pit, & phrenitidem attulit, ac tandem per naturalis
caloris extinctionem interemit: durauit verò vſque
ad vigeſimum ſeptimum. Vt iam hinc conſtet, non
omnes acutos morbos finiri intra vigeſimum vt Ga-
len. videtur putaſſe, ſed ad vigeſimum ſeptimum
etiam poſſe produci, non depoſita acutie. Neque id
profecto immerito. Nam quatuor ſeptimanæ, quæ B
eo die finiuntur, vnico lunæ motu complentur à
quo vires diebus decretoriis accedere probabile eſ-
ſe, indicatum iam alibi non ſemel eſt. Habuit mor-
bus hic ſemper ſigna pernitioſa, multa, ac varia,
partim phrenitica, partim extinctionem facultatis
præ ſe ferentia. Illud verò habuit inſigne, intra di-
ctos dies viſum eſſe hominem febre liberatum non
ſemel, cùm tamen eſſet tam citò moriturus. Sed ſin-
gulorum ſignificationes & cauſas percurramus. C
Hermocratem inquit corripuit πῦρ hoc eſt ingens
febris, cepit capitis & lumborum dolore affici: hæc
cauſæ morbum facientis multitudinem & commo-
tionem indicant, ſolentque magis in morborum ini-
tiis vrgere, quàm cùm iam ſunt plurimum aucti:
contrà ac ſymptomata alia, quæ ob materiæ alterà-
tionem contingunt. Agitata autem multa materia
caput dolet, quia fumum è toto corpore excipit: &
lumbi, ob magnam venam, quæ per illos cum ar- D
teria etiam magna, perreptat. Verùm hæc etſi mul-
tarum febrium initiis fiant, non ſunt illis pathogno-
mica, proinde non fiunt in omnibus, ſed quibus
maximè contingit repleri caput, & ſanguinem con-
turbari. Hypochondrium diſtédebatur molliter, hoc
eſt ſentiebatur hypochondrium diſtentum, ſed non
ſentiebatur durities, ſed velut vacua diſtentio. Hoc
oportet conſiderare hoc loco, diligentiſſimum Hip-
pocratem, nunquam in febribus acutis omiſiſſe hy- E
pochondriorum attrectationem, quam in progno-
ſtico commendauit, & merito quidem. Vix quippe
vnquam occurrit vlla earum febrium quæ vehe-
menter ardent, vt per quas lingua exuſta eſt, & per
quas exeunt de ventre torrefacta, quin aliquod in-
ternorum viſcerum præcipuè patiatur; habeatque
inflammationem, aut eam quam phlegmonem græ-
ci vocant, aut pro hac eryſipelas, aut quam vocant
phlogoſim, hoc eſt ardorem. Sentiunturque hæc,
duritie, tumore, dolore, aut calore inſigni in ea re-
gione, quâ viſcus affectum locatum eſt, velut F
nunc Hermocrati hypochondrium erat diſtentum,
verùm, quia non dicit vtrum fuerit, dextrum an ſini-
ſtrum, cùm ſoleat vbi ambo intelligit, dicere hypo-
chondria, alterum, idque dextrum magis conſonum
eſt intelligere, quia lingua erat exuſta, & quæ exi-
bant valdè bilioſa, quæ in hepar referre ſanguinis
officinam, eſt conſentaneum: & quia huius hypo-
chondrij quàm contrarii tumor periculi plus af-
fert. Sed quia non ſentiebatur durum, licet intelli- G
gere, ſi quæ fuit phlegmone, fuiſſe in parte caua,
aut fuiſſe exiguam, aut fuiſſe ſolum eryſipelas, aut
ardorem. Ita enim ſumere potuit pars fluxio-
ne, ſine duritie. Atqui ego mox ac vſtionem maxi-
mam in febricitante intueor, ſi phlegmonis internæ
ſigna, quæ diligenter requiro, non apparent, de ali-
qua tamē tali affectione cogito, etiam eò curationis
rationem dirigo. Statim, inquit, obſurduit, inſom-
nis erat. Hæc duo ſigna phrenitica ſunt, hoc eſt phre-

nitim futuram ſignificantia. De ſurditate video con-
ceptam vulgo hanc opinionem, quæ in medicos
etiam transfuſa iam eſt, in morbis acutis bonum ſi-
gnum eſſe. Eos enim qui morituri ſint, plus ſatis au-
dire. Verùm hi ex quibuſdam quæ reuera ſolent
euenire falſam aſſertionem colligunt, & Hippocra-
ti ac Galeno valdè repugnantem. Qui ex tenuati plu-
rimùm, illæſa mente moriuntur, aut fortaſſe etiam
læſa, auditorio tamen poro non occupato, acutiùs
ſolēt audire, vt mirentur qui adſunt. Quod in exte-
nuationem partium pori auditorij, & nuditatem
nerui, reiiciendum puto. Quanquam non raro qui
adſunt mirentur, non quod ægri plus aliis audiant,
ſed quod eos auditúros iam non putarent. Sed ſit
ita, quidam morientium audiant ſolito plus (nam
id aliquando fieri non nego) cur tamen proinde ſur-
ditas bonum ſignū putetur? Verum eſt etiam quoſ-
dam acutè febricitantium, quibus ſurditas ſuperue-
nit, liberari fluente ſanguine de naribus, alios flu-
xione alui, alios coxæ & genu dolore, nihilominùs
ſurditas nihil boni per ſe fert, niſi bonum ſignum ha-
beatur, quod ſignificet ægrum aliquo modo poſſe
euadere periculum. Certè ſurditas conſtante
facultate ſignificat phrenitidem imminere, debi-
litatâ mortem. Si verò poſt phrenitidem, aut gra-
uem alium capitis morbum ſurditas ſuccedat, prio-
ri morbo ceſſante, aut alleuato, & facultate non
debilitata, haberi poteſt bonum ſignum, quia pote-
rit eſſe facta, abſedente materia ab interno cerebro
ad externas eius partes, expectabunturque tunc
temporis à ſurditate parotides. Huic igitur cui ſur-
ditas non in extremo ſuperuenit, ſed ſtatim, ſignum
fuit raptus bilis in caput, maximè ſublato ſomno.
Bilis enim in cerebro peruigilium, vt pituita veter-
num facit. Addit non valdè ſiticuloſum fuiſſe, quod
in tanta febre duorum alterum ſignificare poterat,
corruptionem ſenſus, aut delirium. Nam non dō-
lere cùm ſit cauſa dolendi in parte, nulla alia ex cau-
ſa fieri poteſt, quàm aut quod propria partis natura
admodum ſit corrupta, ac proinde in ea ſenſus, aut
quod mens, quam partibus omnibus, (vt in con-
trouerſiarum lib. quinto capite de ſympathia pro-
topathia, antipatia & conſenſu, indicauimus) vt
ſentiant adeſſe oportet, ſit per delirium auocata, Ac
proinde etſi patiatur non ſentiat. Iuxta id quod in
aphoriſmo dicitur. Quicunque parte aliqua dolen-
tes omnino dolorem non ſentiunt iis mens agrotat.
Senſum ſtatim non eſt conſentaneum fuiſſe corru-
ptum, ſed cepiſſe eum à principio mente capi, fuiſſe-
que hoc etiam ſignum phreniticum, vt priora. Ex-
euntia maximam bilioſorum redundantiam ſignifi-
cabant. Vrinæ enim erant craſſæ rubræ, & deiectio-
nes multæ, vſtæ. Vrinę porrò repoſitæ non ſubſide-
bant, quod agitationem magnam ſanguinis bilioſi
ſignificabat, ac proinde, hoc quoque capiti mina-
batur. Itaque vrina ſimul ſignificabat paſſionem ca-
lidam quæ hepati aderat, colore, & quæ cerebro
imminebat, perturbatione. Hæc à principio vſque
ad quintum diem adfuerunt. Quinto vrinæ cepe-
runt apparere tenues, habentes ſuſpenſiones ſubli-
mes, quæ magis etiam quam priores ſignificauerunt
phrenitidem. Nam cum ſemper miſtæ eſſent craſſæ
& rubræ, repentè factas eſſe tenues, quid aliud quàm
in contrarias & ſuperiores partes rapta excrementa
ſignificabant? Id enim ſignificare ſolere tenues vri-
nas, dictum ab eodem Hippocrate eſt in aphoriſmo,

his

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 126 sur 489

his verbis, Quibus vrinæ perſpicuæ & albæ ſunt, malæ: maximè in phreniticis ſi apparuerint. Iam vero ſuſpenſiones ſublimes idem ſignificabant. Cùm enim non ob manifeſtam coctionem fierent, vt nubes bonæ ſolent, conſtat flatum multum in cauſa fuiſſe, qui crudum ſuccum efferret. Merito ergo eadem die ad noctem mente commotus eſt, durauitque hæc commotio vſque ad vndecimum diem, quo, vt dicemus, cepit placidè ratiocinari. Sed priora percurramus. Sextâ, inquit, ictericus eſt factus. Hoc in acuta febre ante ſeptimum grauiſſimum eſſe in aphoriſmo dicitur, ſignificabatque phlegmonoſi affectus in hepate magnitudinem: ſed & quia ſexto, ſe habebat multò grauius. Omnibus enim euacuationibus & abſceſſibus infauſtus eſt is dies. Quanquam aliquos etiam contingit ictericos eo die factos liberari, quod primo huius operis ſectione ſecunda multis accidiſſe narrauit. Sed hic nullum aliud ſignum renuebat, omnia enim erant lethalia, & ea die omnia exacerbata ſunt, & non mente conſtabat. Hoc dicit, quòd non fuerit delirium interciſum, vt per paraphrenitidem ſolet, ſed perpetuum, vt per phrenitidem. Septimam tranſegit cum difficili tolerantia, omnia ſcilicet maleferens, & langueſcens. Vrinæ adhuc perſeuerabant ſimiles prioribus, tenues ſcilicet, vt & in ſequentibus vſque ad vndecimam. Circa vndecimam verò omnia viſa ſunt eſſe ſubleuata, non tamen leuata ſunt reuera, ſed peruigilium, anxietas, ac magnitudo commutata cum comate, quod nihilo melius erat. Non enim minùs ſomnus quàm vigilia, ſi modum excedit, malus eſt: fit enim aut debilitatâ facultate, adeo vt non poſſit vigilare, aut refrigerato, aut obſtructo primo ſenſitiuo frigidis & pituitoſis. Hic non erat veriſimile, cum tam multis ſignis morbi merè bilioſi, repentè pituitam cepiſſe abundare, ſed potiùs langore naturalis caloris, & debilitate facultatis, hominem deinceps non potuiſſe vigilare. Vrinæ, ſpecie mutatâ, redierunt ad craſſas ſubrubras. Erant verò nunc infrà tenues, hoc eſt in ſummo craſſæ & perturbatæ, in imo minus craſſæ, quaſi elatâ fæce, vt fieri ſolet in vini doliis, cum bullit muſtum. Has vrinas putat Galenus mediocres fuiſſe, ac proinde ob contrarii ſigni concurſionem, tardatam fuiſſe hominis mortem vſque ad vigeſimum ſeptimum. Ego verò nihil boni puto præ ſe tuliſſe has vrinas: & longè diuerſas fuiſſe ab illis, quas in prognoſtico longitudinem morbi & ſecuritatem ſignificare dixit. Hæ enim erant perturbatæ ſine ſubrubro ſedimento, infima parte tenuiores, quas arbitror ſignificaſſe exuſti ſanguinis perturbationem, cum craſſioris flatus redundantia. Neque mirum duraſſe hominem vſque ad vigeſimum ſeptimum. Nam cùm duplex ſit moriendi modus, & alij moriantur vi morborum perempti, alii ſenſim extinctâ facultate, illi breuiùs, hi tardiùs mori ſolent, contingitque mirari ſæpe medicos, quod poſt ſigna deſperationis, tandiu vita producatur. Nimirum extinctio facultatis, non afferente morbo repentinum caſum, magis producitur, quàm atroces morbi ſolent. Hic autem Hermocrates à quinto vſque ad vndecimum phrenitide tenebatur: iam indeſoluta phrenitide naturalis calor ſenſim elanguit. Addit, ἡσυχῇ κάμνων hoc eſt, inquietudine depoſitâ redibat ad mentem aliquando, quia deinceps fuit delirium interciſum vſque ad diem decimum quartum, quo omnia intelligebat, libet iam omninò à delirio. Conſideratione dignum eſt, poſt diem ſeptimum non amplius facere mentionem Hippocratem ſingulorum dierum, ſed vndecimi, decimiquarti, decimiſeptimi, vigeſimi, vigeſimiquarti, & vigeſimi ſeptimi. Nimirum hi ſunt quaternarii, qui imprimis ſunt contemplabiles in morbis acutis, & afferunt inſignes mutationes, & ſingulorum mutationes indicant mutationes alias in ſequentibus proximè. Vt cùm vndecima viderentur aleuata omnia, decima quarta attulit mutationem maiorem, quia à febre fuit liberatus. Addit, non ſudauit, quod non de ſudore ſolo intelligi debet, ſed de omni alia euacuatione, quaſi diceret, liberatus eſt à febre, tamen non habuit euacuationem aliquam, quâ febris ſolueretur. Nominat autem fortaſſe ſudorem, quod hic ardentibus febribus ſit familiaris euacuatio. Sed quorſum hæc dicit Hippocrates? non enim videbatur neceſſarium, vt narraret, quæ non acciderunt, ſed quæ acciderunt Hermocrati. Certè, vt inſinuaret cauſam, quâ non eſt ſoluta febris tutò, ſed habitura proximo quaternario recidiuam. Nam quo tuta habeatur iudicatio, debet fieri cum ſignis concoctionis, & euacuatione idonea pro morbi ratione: quæ aliter fit, etiam præter rationem fit, quare non eſt ei fidendum, vtpote bono quod præter rationem euenit. Cum ergo Hermocrates neque concoctionis ſigna, neque ſudorem, aut aliam euacuationem habuit (nam inquit, non ſudauit, & vrinæ ſimiles prædictis,) quiuis medicus ſolertiæ particeps iudicationem habuiſſet ſuſpectam, timuiſſetque recidiuam. Sed qui valdè ſolers eſſet, mortem etiam timeret ab eo morbo, qui videretur eſſe ſolutus. Perinde enim iudicaret, ac ſi non eſſet febris ſoluta. Cum vero nondum eſſent concoctionis ſigna, & antecediſſent ſigna tantæ debilitatis, vt per impotentiam comate eſſet tentatus, timeri debuit, ne non poſſet durare virtus, donec morbus coqueretur, maximè cùm ſigna contraria concoctioni apparere cepiſſent in vrina, non ſolùm cruditatis. Subleuatus autem adeò eſt, vt febre liber dormiret: dormiret ſcilicet ſine ſopore, & omnia intelligeret. Sed contingit hic dubitare, quî fieri poſſit (videtur enim id admirationem parere) vt qui reuera ſunt propiores morti, videantur habere melius, & à febribus, & doloribus, & anxietate liberari. Triplex autem mihi nunc ſuccurrit ratio. Quibuſdam emoriente ſenſu per partes internas, & ceſſantibus concoctionibus remittuntur dolores & febres, vt incipiente gangræna in parte inflammata ſolet contingere: quibuſdam naturalis facultas præ debilitate ceſſat excrementa mouere, ea vero quieta minores dolores faciunt, quàm mota, quantumuis putreſcant, quia minus occurrunt nouis partibus: & minores febres, quia minùs fumi mittunt ad principes partes. Quibuſdam etiam abſcedunt excrementa à partibus principibus ad tempus, extremos conatus apponente facultate. Hoc mihi perſuadeo factum in Hermocrate à die decimo quarto vſque ad 17. quia dormiit, & intelligebat omnia, quod liberati aliquantiſper cere-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 127 sur 489

bri magis, quam corruptæ naturæ esse videbatur. Decimo septimo rediit & ἐθερμάνθη homo, hoc est febre correptus. Et sequentibus diebus vsque ad vigesimum fuit febris acuta, vrinæ nihil habuerunt boni, sed mutatæ in crudiores fuerunt. Iam hinc tenues. Nihilominus vigesima rursum est iudicatus, & liberatus à febre, quæ febris sublatio multò magis quàm prior in extinctionem caloris referenda fuit. Nam vrina fuit tenuis, & neque nunc sudauit. Itaque neque concoctionem neque euacuationem habuit, & præterea neque cibum neque potum appetebat, cùm vtroque indigeret, & non deliraret. Quantum ergo periculi præ se ferret non sitire illa indicant, quod mente constabat, & loqui non poterat linguâ aridâ, ideſt non poterat loqui præ linguæ ariditate: supererat enim vt casus facultatis esset. Quam coniecturam confirmabat, quòd etiam dormiebat soporosus, cùm ergo ex tam lethali causa esset non soluta, sed extincta febris, circa vigesimam quartam rursum calefactus est, & aluus humectata, fluentibus multis tenuibus, per debilitatem cessante iam retentione, vt in moribundis [qualis postremo hoc quaternatio Hermocrates fuit) fieri solet. Et sequentibus vsque ad fatalem diem, febris acuta, & lingua combusta. Quare vigesima septima mortuus est vltimo die mensis lunaris. Quem proinde ego finem morborum acutorum esse existimo, tametsi Galen. vigesimum, & Hippocrates decimumquartum aliquando statuat. Reliqua dicit Hippocrates velut epilogum faciens & in summa redigens, quæ maximè notari oportuit in tota hac historia. Hæc scilicet, surditatem huic semper à principio perseuerasse, de qua primo prædictionum ita scriptum est. Surditas in acutis & turbulentis succedens, mala. Vrinæ fuerunt semper, aut crassæ & rubræ non subsidentes, aut tenues & decolores, & sublimem suspensionem habentes: nec cibum capere poterat, neque cibum enim neque potum appetebat. Addit. π, ε. δ. κ. ζ. θ. quas notas continuere hæc πλεῖστον ἐξιόντων διαχωρημάτων. κ. ζ. θάνατον ideſt probabile exeuntibus deiectionibus vigesimo septimo mortem accidisse. Constat ex morbi fine respondente literæ vltimæ, & numero respondente proximis, & ex communi explicatione literæ primæ, & ex modo moriendi, fluente iam aluo, & omninò dissipata vi, qui reliquis literis congruit. Quanquam Galeno magis placet pro ε dicere ὀπισθέντων, ideſt suppressis, putatque die 27. suppressis deiectionibus quæ 24. ceperant, obiisse, id vero Hippocrates non narrauerat, & his literis nihil noui solet narrationi addere, sed quæ dicta sunt literis notare. Accedit locus ex primo prædictionis, qui cum hoc adeò consonat, vt eadem omnino res narrari videatur, & literas in meam expositionem trahit. Nam ita habet. Surditas, & vrinæ non subsidentes valde rubicundæ, innatantes, mentis emotionem portendunt. His morbo regio corripi malum est, Mala etiam est, & ex morbo regio stoliditas. Hos voce priuari sed sentientes esse conringit, venterque arbitror his copiosè fluit, vt Hermippo accidit, vnde obiit. Ferè eadem videtur narrare accidisse illic Hermippo, quæ hic Hermocrati, vt mihi contigerit dubitare, an forte hic vocatus fuerit Hermocrates Hermippus, fueritque eiusdem vtrobique facta mentio. Tamen illic dicit ex fluxu obiisse, quare & hic censeo magis consentaneum intelligere ἐξιόντων quàm ὀπισθέντων διαχωρημάτων. Nam etsi Galenus censet librum prædictionum non esse Hippocratis, vtpote minùs quàm aphorismos & librum [prognostici elaboratum, ego tametsi minus elaboratum, ac proinde minus dignum fide esse video, non proinde despero scriptum ab eo viro esse, quem video non tantum scripsisse, quæ firma iam & rara esse putaret, sed quædam solùm, vt obseruationes, quædam vt assertiones. Huiusmodi sunt quæ hi libri Epidemion continent, nondum satis experimentis confirmata, sed cum quadam suspitione probabili. Huiusmodi etiam quę in libro prędictionum scripsit, non quasi ita statuenda, sed quasi examinanda magis (scribebat vero fortasse sibi soli hæc & illa] quędam vero vt experimentis iam exploratissima, & rationibus confirmata satis, vt quę in aphorismis & prognostico. Itaque mediocrem quendam modum doctrinę mihi videtur tenuisse in libro prædictionum, hisque libris de morbis popularibus, atque in illis aphorismorum, ac prognostici. Hic enim maxima ex parte agit tantùm historicum: in aphorismis & prognosticis, certus iam rerum agit doctorem: in libro prædictionum de multis velut inuestigans dubitat. Quare is liber non habebit aliis parem fidem, erit tamen fortasse in eiusdem Hippocratis scriniis, & ab eodem scriptus.

AEGROTVS III.

Qui decumbebat in horto Dealcis, capitis grauitate & dextri tẽporis dolore affectus per diuturnum tempus, ex leui autem occasione vehementi febre correptus decubuit. Secunda, ex sinistra nare paucus & merus sãguis fluxit, à ventre autem stercora benè exierunt: vrinæ tenues, variæ, suspensionem habentes minutatim dispersam, farinam crassiorem referentes & genituræ similes. Tertia febris acuta, excretiones nigræ, tenues, spumosæ, & quæ in deiectionibus subsidebant liuida erant, sopore premebatur, difficulter surgebat, in vrinis subsidentia liuida, subuiscosa. Quarta, euomuit biliosa, flaua, exigua, paulò post aeruginosa. Ex sinistra nare paucus sanguis merus effluxit. Deiectiones similes, vrinæ similes, exudauit circa caput & clauiculam. Splen eleuatus intumuit, femoris dolor accidit secundùm rectitudinem, hypochondrij dextri contentio submollis. Nocte non dormiuit, delirauit aliquantulum. Quinta deiectiones plures, nigræ, spumosæ, & quæ in deiectionibus subsiderant nigra erant, noctem non dormiuit, delirauit. Sexta, deiectiones nigræ, pingues, viscidæ, fœtidæ, dormiuit, mente melius constabat. Septima lingua sicca, siticulosa, non dormiuit, deliranit, vrinæ tenues, nõ boni coloris. Octaua,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 128 sur 489

deiectiones nigras, exiguas, conſiſtentes, dormi- A
uit, intelligebat, ſiticuloſus non valde. Nona
ex rigore febris acuta corripuit, ſudauit, per-
frixit, delirauit, dexter oculus diſtortus eſt,
lingua arida, ſiticuloſus erat, & inſomnis.
Decima, eadem. Vndecima, intelligebat ſem-
per omnia, à febre liberatus erat, dormi-
uit, vrinæ tenues circa iudicationem, duos di- B
es febris intermiſit, decimaquartâ rediit,
ſtatim autem per noctem non dormiuit, mente
motus eſt, omninò delirauit. Decimaquinta,
vrina turbata, qualis fit ex iis quæ ſubſede-
runt, quum agitantur. Febris acuta, omninò
delirauit, non dormiuit. Genua & tibiæ dole-
bant, à ventre autem, glande appoſitâ, nigra C
ſtercora exierunt. Decimaſexta vrinæ tenues,
habebant autem quod in eis ferebatur nebulo-
ſum. Delirauit. Decimaſeptimâ ſummo mane
extremæ partes frigebant: contegebatur. Fe-
bris acuta. Toto corpore ſudauit, ſubleuatus eſt,
mente melius conſtabat, non eſt à febre libera- D
tus, ſiticuloſus, vomuit biliosa, flaua, pauca.
A ventre autem ſtercora exierunt. Paulo au-
tem poſt nigra, pauca, tenuia, vrinæ tenues,
non boni coloris. Decimâ octaua, mente non
conſtabat, ſopore tenebatur. Decima nona eo-
dem erat in ſtatu, vrinæ tenues. Vigeſima dor-
miuit, intelligebat omnia, ſudauit, à febre li-
beratus eſt. Non ſitiuit. Vrinæ autem tenues.
Vigeſima prima parum delirauit, parum ſitie- E
bat, hypochondry dolor, & circa vmbilicum
palpitatio vſque ad finem manens occupauit.
Vigeſima quarta vrinis hypoſtaſis, intelligeba-
tomnia. Vigeſimâ ſeptima coxæ dextræ do-
lor cepit. Vrinæ tenues, & habebant ſubſiden-
tiam. Alia autem placidiſſimè ſe habebant.
Vigeſima nona dexter oculus doluit, vrinæ te-
nues erant. Quadrageſima egeſſit pituitoſa, F
alba, aliquantò plura, ſudauit multùm & toto
corpore. Perfectè iudicatus eſt.

Morbus hic acutus fuit, quique hominem intra finem acutorum interemiſſet, niſi forte eum contigiſſet eſſe robuſtiſſimum, quod cùm eſſet, factum eſt, vt morbus, qui neque finiri potuit ob multam, variam, & concoctu difficilem materiam inter ſuos fines, neque hominem interimere ob eius firmitudinem, decidens ex acuto, quadrageſimum G diem attigerit, qui iudicatorius eſt acutorum ex decidentia. Miretur itaque aliquis percurrens ſigna lethalia, quæ omnibus ferè diebus apparuerunt, ſignificantia partim multam, partim variam & craſſam, partim malignam materiam, partim etiam membrorum principum affectionem, non interiiſſe hominem. Cuius cauſa puto, hanc narrationem incepiſſe ab ea diſpoſitione, quæ febrem anteceſſit, quam vocare ſolemus neutram diſpoſitionem, & monuiſſe hominem ex occaſione cepiſſe febricitare. Nimirum occaſio vocatur cauſa procatarctica, ſeu manifeſta. Dicit ergo hunc capitis grauitate & dextri temporis dolore diu fuiſſe affectum, & cùm ita ſe haberet, ex occaſione vt ex ira, aut longa mora in Sole, aut vini potu, aut cauſa aliqua tali, cepiſſe febricitare. Sed quid intererat hæc monere? maximè cùm non dicat quæ occaſio fuerit? Certè capitis grauitas & tẽporis dolor ſignificabant plenũ eſſe hominem, præcipuè ſecundum caput multis ſuccis (dolere enim ſolet caput cum grauitatis ſenſu ex ea abũdantia, præcipuè ſecundum tempora, ob vaſa notatu digna, quæ in eo loco ſunt, & multam carnem, & neruos, & oſſium commiſſuras) ac proinde paratum eſſe in morbum, timerique debere capiti, ac præcipuè dextræ illius parti, qui vt in aphoriſmo dicitur, ſi quæ pars ante morbum doluit in eam morbus firmatur. Quia ergo morboſus apparatus aderat, quæcunque occaſio accederet, potuit in febrem acutam incidere: eam verò, quòd ex occaſione fieret, minùs periculoſam eſſe, quàm foret alioqui, erat conſentaneum: quia vt in commentario in prognoſticum ſatis iam diximus, ac monſtrauimus, procatarcticæ cauſæ præſagiis omnibus detrahunt, atque lethalia ex occaſione facta, minùs lethalia ſunt, quàm ſi aliam ob cauſam acciderent. Potuit ergo non mori ex morbo, qui toto ferè tempore morbi acuti, videbatur lethalis, quod homo eſſet robuſtus, & ex occaſione ceperit ægrotare. Potuit verò ea occaſio facere morbum in homine, etſi robuſto, parato tamen. Robuſtum verò natura, paratum eſſe, & diſpoſitione neutra teneri, non mirum. Aut ſi quis miretur, legens quæ Hippocrates dicit innumeris in locis, maximè in initio primi libri de dieta, deſinet mirari. Ibi enim mõſtrat fieri non poſſe quin homo paulatim congerat morborum cauſas, & ex quibuſdam interuallis ægrotet. Sed videamus ſigillatim quæ huic homini acciderunt. Die prima ex occaſione cepit febricitare & vehementi febre correptus decubuit: ſecunda fluxit ex nare ſiniſtra exiguũ meri ſanguinis. Quod quidem iam hinc ſignificabat ſine robuſta facultate, mortem: cum ea, difficile iudicium. Nam omni ratione vituperanda fuit euacuatio, & quia ſecunda die (dictum enim erat ante Hip. iudicationes ne ſtatim appareant) & quia fluxit paucus ſanguis. Cùm enim id in omni euacuatione tentata vituperetur, in ſanguinis ſtillis vituperatur maxime, primo prædictionum, neque immerito. Quod enim aliæ euacuationes tentatæ ſignificant alus in partibus, putà morbum malignum & debilitatem, illud eadem in capite indicat. Sed & quod id exiguum fuit meri ſanguinis. Merus enim ſanguis dicitur, qui ſine ſero & pituita (his enim diluitur, vt aqua vinum) craſſus & niger, is verò ſignificabat malignam qualitatem. Ex omnibus enim temperari amat ſanguis. Sed & quod ex nare ſiniſtra, doluetat enim tempus dextrum, quare tentata iam ſine rectitudine euacuatio debilitatem facultatis, & multis in partibus abundantem maligni morbi cauſam ſignificabat. Illud vnum habuit bonum ea dies quod ſtercora à ventre benè exierunt. Vrinæ enim ſatis malæ fuerunt, tenues enim & variæ, ideſt, non æquè tenues, ſed variæ per partes, aut etiam fortaſſe coloribus variegatæ, & minutatim habentes ſuſpenſionem, quæ quidem referebat farinas craſſiores, & genituræ partes, & crudorum ſuccorum vi febris exuſtorum redundantiam ſignificabat. Tertia die fuit febris acuta, excretiones ex aluo nigræ, tenues

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 129 sur 489

©BIUM

& ſpumoſæ, referentes redundantiam bilis vſtæ, & ſtatum perturbantem ſuccos. Spumoſæ enim deiectiones aliquando fiunt præ feruore, vt in ollis ſpuma, & tales comitatur colliquatio & pinguedo, ſuntque ſimul ſpumoſæ & pingues: aliquando fiunt redundantia flatus, quæ & ipſæ peſſimæ ſunt in acutis febribus, quia ſignificant perturbari ſanguinem flatu per totas venas & arterias, id quod capiti ſignificat adeſſe, aut affuturum eſſe malum. Huic vtraq; cauſa ſpumoſæ deiectiones affuerũt, nã erat ea die febris acuta, & non multo poſt delirauit. Vrinæ quia tenues erant, habebant ſubſidentiam, partem ſcilicet craſſiorem quæ ſubſidebat. Eam dicit fuiſſe liuidam. Qui color omnium deterrimus cenſetur, quia ſemper putatur eſſe extinctionis naturalis caloris ſoboles, adeò vt nunquam putetur bene ac ſalubriter exire poſſe. Quare mirum eſt, ſi liuida tam citò exierunt homini ſuperuicturo, & morbo tam longo. Ac fortaſſe remiſsè nigra erant hæc magis, quàm liuida, aut liuoris illa ſpecies, ex mixtione excrementorum aliorum colorum naſcebatur. Sopore, inquit, premebatur. Hoc quoque ex pituita erat, aut pituitoſo ſanguine, qui ante febrem nondum putreſcens, grauabat tantùm: iam putreſcens fecit carum. Difficulter ſurgebat, vt caro preſſus, & vt pondus alienum toto corpore ex multitudine excrementorum ſentiens. Vrinis erat ſubſidentia liuida, & ſubuiſcoſa, facta arbitror mixtione pituitæ & nigræ bilis, hac præſtante remiſſam quandam nigritiem, illa lentorem. Quarta die euomuit bilioſa, flaua, exigua, paulò poſt æruginoſa, quas vomitiones in prognoſtico vituperat, vtpote meraciores, & magnum receſſum à mediocri temperamento, quod natura partium amat, ſignificantes. Ex ſiniſtra nare paucus & merus ſanguis effluxit. Quod quidem & ſecundo ſic factum fuerat cum mala ſignificatione: ſed nunc illud etiam mali acceſſit, quòd quarto die euenit. Id enim etiam per ſe vituperatur primo prædictionum in initio, vbi ita ſcriptum eſt. Stillatio è naribus his perniciosa, tum aliàs, tum ſi quarto ceperit die. Neque ſane citra cauſam, quodcumque enim ſignum graue, die iudicatorio grauius eſt. Dies autem quartus eſt primus impetus, eorum qui mouentur per pares, & quod ad cœleſtem cauſam attinet, primus eorum qui magnam vim habent. Primi enim quaternarij finis. Vrinæ & deiectiones fuerunt ſimiles iis quæ in die tertio, ſudauit circa caput & clauiculam, quod ſudoris genus poteſt duo ſignificare, aut exolutionem innati calidi (in iis enim qui animo linquuntur fieri ſolet) aut redundantiam excrementorum in ſublimibus partibus, quia vbi ſudor ibi morbus, vt in aphoriſmo dicitur. Atqui nunc, hanc ſecundam ſudoris eius cauſam veriſimile eſt fuiſſe, cùm tam multa adeſſent, vel antè morbum, ſigna redundantiæ humorum in capite. Splen eleuatus, & femoris dolor ſecundum rectitudinem, hoc eſt ſiniſtri. Hunc ſolum abſceſſum commendat Gal. inter ea quæ quarto die apparuerunt. Mihi verò & hic videtur malam ſignificationem præſtitiſſe, quia abſceſſus in febribus in prima eruptione non ſoluentes morbum, longitudinem morbi ſignificant, vt in aphoriſmo dicitur. Conſtat verò hunc abſceſſum non ſoluiſſe neque ſubleuauiſſe morbum. Quare quia abſceſſus, ſignificauit longum fore morbum, vt euenit: quia verò ad lienem & ſiniſtrum femur in ſiniſtro etiam latere, ex quo etiam ſanguis deſtillauit, magnam redundantiam excrementorum ſignificabat. Sed & hypochondrium dextrum habuit contentionem mollem, hoc eſt, ſine duritie quæ premendo digitis ſentiri poſſet. Quod quidem ſignificabat hepatis affectionem, quin & noctem egit inſomnem, & delirauit aliquantulùm, quod pertinebat ad caput, vſque adeò in omnes partes principes redundabant excrementa, & turgere non nihil videbantur: atqui iam hinc fuit phrenitis. Neque mirum, quia ante febrem etiam doluerat caput. Sed videamus quæ attulit dies quinta. Deiectiones plures, nigræ ſpumoſæ, & habentes ſubſidentiam nigram: ferè quales proximis diebus, & ob ſimiles cauſas, quia & inſomnem egit noctem, & delirauit. Sexta fuerunt deiectiones etiam nigræ & pingues, & viſcidæ, & fœtidæ. Nimirum ſignificantes ſuccum nigrum malignè putreſcentem, cum colliquatione & mixtione aliqua crudioris pituitæ. Dormiuit & intelligebat omnia. Fortaſſe liberatum ad tempus cerebrum eſt, inclinantibus ad inferna excrementis. Nam ſeptima, quâ vrinæ apparuerunt tenues, non boni coloris, hoc eſt, minùs tinctæ colore quàm naturales ſolent, & lingua ſicca, & ſitis maior, quæ recurſum in ſuperiora ſignificare poterant, rurſum non dormiuit, & delirauit. Octauâ rurſum videtur bilis ſuperiora reliquiſſe, quia deiectiones fuerunt nigræ, & dormiuit, ac intelligebat, non valde ſiticuloſus. Quod autem deiectiones nigræ fuerint exiguæ & conſiſtentes, vſtio faciebat, & quod bilis vſta quæ deſcendit cum fecibus, non erat tanta, vt ſoluere ac diluere feces, ſed vt tingere ſolùm poſſet. A nona die vſque ad vndecimam peractum eſt iudicium quoddam, ſpecie ſanè, morbo ſatis accõmodatum, rigore enim & ſudore[quæ quidem iudicatio febribus ardentibus ſatis commoda eſſe ſolet, vt in aphoriſmo dicitur) difficile tamen fuit, & imperfectum. Difficile quidem malignitate ſymptomatum, imperfectum defectu euacuationum, quæ etſi liberare interim potuerunt, non ita tamen, vt non rediret citò febris: Nimirum ante concoctionem fuit iudicium, quod declarabat vrinæ quæ tenues erant circa indicationem. Cùm itaque iudicatio duas partes habeat, difficultatem & laborem qui fit ob ſecretionem, & euacuationem quę ſecretioni ſuccedit: illam habuit difficilem, putà rigorem, febrem acutam, frigus extremorum, maius delirium, oculi diſtortionem, ariditatem linguę, ſitim, peruigilium: hanc inſufficientem, putà ſudorem, & inſenſilem euacuationem, & occultos in aliquas internas partes abſceſſus. Nam ſine his, ob ſudorem noni & decimi diei, non adeo conualuiſſet vndecimo, vt ſine febre & delirio dormierit. Eſt hic notatu dignum, quod oculi etiam diſtortio, quę conuulſiuum tantùm ſignum eſſe ſolet, fuit huic iudicatorium, humore qui ſecernebatur, vt exudaretur, interim muſculum oculi penetrante. Duos dies intermiſit febris, rediit decimo quarto, vno ſcilicet quaternario à die quo intermiſit, atque die, per ſe primę notę inter decretorios: talibus vero diebus omnes inſignes morborum mutationes, & bonę & malę, fieri conſueuerunt. Rediit vero cum febre acuta phrenitis, delirauit enim rurſum, & ſine ſomno fuit. Neque ſane ſolùm ante hunc diem fuerant delirii interruptiones: ſed neque reliquis diebus ęquè ſemper delirauit. Ex quo fortaſſe dubitabit ali-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 130 sur 489

quis, quo pacto id fieri possit, cùm hanc phrenitidē fuisse concedamus & phrenitidem perpetuum delirium esse, inter omnes medicos conueniat. Sed scias vix vllam esse phrenitidem, per quam nulla interruptio delirij fiat, & non tantillùm ægrotus ad mentem redeat: nihilominus verè ac propriè delirium perpetuum appellari, quòd non habeat intermissiones certas, & ex statis periodis inuadat. Velut profectò hūc ægrotū febre continua laborasse nemo negauit (non enim intermittente, cùm neque quotidiana, neque tertiana, neque quartana) tametsi duos dies sine febre fuit. Nimirum illa interruptio non fuit ex propria morbi figura, vt in intermittentibus, sed ex casu contingentibus iudicationibus imperfectis; ita de perpetuo delirio phrenitidis sentiendum est. Vrina turbata decimiquinti diei, cruditatis succorum & morbi capitis nota erat. Nam ita dicitur in aphorismo. Quibus vrinæ perturbatæ quales sunt iumentorum, iis dolor capitis adest aut aderit. Eadem die tentauit natura abscessum ad inferiora, qui tamen non processit, & dolore genuum & tibiarum iudicarus est. A ventre autem (inquit) glande apposita nigra stercora prodierunt. Sed quorsum nunc dicit glande apposita, cùm non ceperit narrare auxilia, quibus ad morbos vtebatur: sed quæ ægrotis euenerunt, & sponte facta sunt? Nunquid sola glande vsus est Hippocrates in toto hoc morbo? non sanè. Sed dicit apposita glande, vt insinuet fuisse aluum suppressam ea die, & indiguisse glande, aut etiam fortasse quòd commendet assiduam curam exonerandi ventrem, glandibus, aut clysteribus. Id enim nisi sponte aluus effluat, nunquam omittendum est, vtpote sine noxa vtile. Quamquam neque hoc ita accipiendum est, vt crebrò diuque, non expectantes naturales euacuationes, vtamur illis instrumentis. Assuescit enim natura illis, & impotentior in reliquum fit, & eiusdem opis indiga: sed tunc solùm cùm natura cessat, aut cum occasionibus quibusdam ipsam iuuare opus est. Decima sexta, mutata est vrinarum species, factæque sunt tenues, & continentes quiddam nubilosum & turbidum, cruditatis quidem signa non minoris, sed maioris etiam, quàm turbidæ. Decima septima, vtpote finis huius extremi quaternarii, & recidiuæ quæ à decimaquarta cepit, attulit iudicationem aliā difficilem, & imperfectam, aliqua ex parte similem ei quæ die nona incepit. Nam illa die habuit rigorem febrem & sudorem, hac habuit febrem & sudorem, & pro rigore solùm frigus, quale fieri solet per febres pituitosiores, vt meritò putemus, talem fuisse partem succi, qui ea die motus est. Sed mirum in modum nos potest admonere hic ægrotus, ne leuiter & ex quacunque occasione de morbi exitu, aut constitutione, aut etiam figura propria, sententiam feramus, aut bene iam conceptam, mutemus. Sed tardiores in ferendis sententiis, expectemus singulorum exitus. Quotus enim quisque non affirmasset nonā die, atque hac etiam decima septima, illà quidem tertianam exquisitam, hac verò quotidianam aut tertianam non exquisitam esse factam, abiisseque iam continuam febrem in intermittentem, aut factam duplicis febris complicationem? Quorum neutrum euenit: sed fuit vtraque iudicatio quædam imperfecta, sanè etiam hæc. Nam etsi leuatus sit, & mente melius constitit, tamen non est à febre liberatus, & fuit siticulosus plus etiam quàm antè, quòd verisimile est fecisse bilem in ventriculum irruentem. Nam vomuit bilosa flaua pauca, à ventre exierunt stercora imprimis, hoc est ciborum fæces, & paulò post nigra pauca, tenuia, ex bile atra. Vrinæ fuerunt tenues, non boni coloris, hoc est albæ & tenues, quæ maximam cruditatem testātur. Proinde iudicatio proxima imperfecta fuit & morbus quasi denuò inchoatus, & denuo auctus, vsque ad vigesimum, quo rursum iudicationem aliam imperfectam recepit, vsque adeo per singulos quaternarios videtur malum rediisse ad principium, habuisseque multa principia, atque reliqua etiam tempora. Nam decima octaua, iam non intelligebat soporosus, & decima nona eadem, & vigesima dormiuit, intelligebat omnia, sudauit, & fuit à febre liberatus. Sed considera quàm attentè omnia narret Hippocrates, qui cùm dixerit eum fuisse decima octaua, ac nona soporosum, dicit vigesima dormisse: quasi sopor, non sit somnus, sed impotentia vigilandi, aut somnus cum addito, putà præter naturam. Exercitatus vero medicus facilè distinguet à sopore somnum, ille enim grauis, & ex quo difficilè excitantur, aut si non excitantur difficilè, tamen excitati malè redeunt ad sese & vigilant. Quin potius non nisi magna vi continēri possunt vigiles, & somno terrentur, aut conuulsiuis motibus tentantur, aut pulsus concidunt, & refrigerantur extrema, & colorem viuidum faciei amittunt, aliquando febres augentur plurimùm, vt de his verè scriptum ab Hippocrate sit, somnum laborem facere: dormientibus vero sine sopore, nihil tale accidit, sed contraria omnia. Itaque hoc modo dormiuit die vigesima, qua & sine febre mansit, & non sitiuit. Sed cur non fuit hæc iudicatio satis fida, & sine recidiua? Nam quia sine febre fuit homo, ea videbatur esse perfecta, quia non sitiit, videbatur manere sine signis recidiuæ, sitim enim intus relictam dicet Hippocrates 6 huius operis, præcipuum signum esse reliquiarum praui humoris à quo timere debeamus recidiuam. His accedebat, vt fides tribueretur iudicationi, dies, qui optimè iudicatorius est. Ita est sanè, hæc omnia aderant: sed deerant signa concoctionis, sine quibus nulla iudicatio fida esse potest. Quod vt innueret Hippocrates, addit, vrinæ autem tenues, & proxima die, putà decima nona, dixerat, vrinæ tenues. Proinde rediit mox malum, & nihilo mitius quàm anteà, etsi vergere iam ad inferna magna ex parte succi ceperint, quamquam portiones quædam exiguæ sursum sunt elatæ. Nimirum non tam est tota materia, aut vno genere euacuationis pulsa, aut in vnam partem, quàm per multas euacuationes, & in multas partes pulsa & dissipata. Vigesima prima rediit delirium, & sitis, etsi vtrumque parum. Hypochondrii dolor, aut totius aut certè dextri, & palpitatio circa vmbilicum. Vigesima quarta, vt per omnes quaternarios consueuerat, mutationem in melius fecit, habuit in vrina hypostasim (non quidem quantum suspicor, optimam & quæ concoctionis perfectæ esse dicitur, sed multam crassam & ex succis crudis) & intelligebat omnia. Vigesima septima, quæ alio quaternario distat à vigesima quarta, attulit aliam iudicationem, partim per abscessum ad coxam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 131 sur 489

©BIUM

dextram, partim euacuatione vrinæ tenuis, multæ, & habentis multam ſubſidentiam. Sed conſidera, vt euenerint abſceſſus poſtremi huic ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm rationem, reſponderintque morbi principio. Nam vt quinta ſectione libri ſecundi dixit Hippocrates, ſi caput doluerit deſcendit ad pectus, deinde ad hypochondria, poſteà ad coxam Huic caput primùm, hypochondrium deinde doluit, & circa vmbilicum palpitauit, deinde coxa. Tempus quidem dextrum, & hypochondrium dextrum, ac dextra coxa. Palpitationem docet Galenus in commentario prognoſtici, non aliter ac pulſum in hypochondriis, ſignificare delirium, aut perturbationem. Vtrumque quidem erat in hoc ægroto, delirabat enim, & ægrotabat cum periculo, quod perturbationem facit. Si autem palpitatio erat hæc, & non pulſus, haud dubiè fiebat flatu aliquo fumoſo quærente exitum, atqui fortaſſe illemet, illatus in caput, fecit dolorem dextri oculi, qui vigeſima nona hominem vexauit, & eadem die finitus eſt, & reliqua omnia fuerunt à die vigeſima ſeptima conuenientiſſima. Scilicet fuit ſine febre, ſine delirio, ſine ſopore, aut peruigilio, ſine ſiti magna, aut magno faſtidio, & aliis huiuſmodi. Sed neque hæc omnia ſatisfuerunt, vt homo integrè liberaretur, neque hæc iudicatio perfecta fuit, quia adhuc vrinæ tenues. Sed reliquum tempus mitiùs ægrotans tranſegit vſque ad quadrageſimum, qui eſt finis morborum acutorum ex decidentia. Et tunc habuit deiectiones copioſas & albas, atque ſudorem: illis craſſa, hoc tenuia euacuata ſunt. Et homo perpurgatus. Sed hic quoque ægrotus confirmat, quod ego antea dixi, finem morborum acutorum eſſe integrum lunæ menſem, nam vſque ad vigeſimum nonum fuit huic morbo acuties.

SECTIO II.

AEGROTVS IV.

IN Thaſo Philiſtes diuturno capitis dolore conflictatus, tandemque ſopore aliquantulùm correptus decubuit. Excitatâ verò poſt potationem febre, dolor exacerbatus eſt. Nocte incaluit primùm. Prima die vomuit bilioſa pauca, flaua primùm, poſteà verò æruginoſa plurima. A ventre ſtercora fluxerunt, Noctem difficulter tulit: ſecunda ſurditas accidit, & febris acuta cum hypochondrij dextri cõtentione, quæ in partes internas vergebat: vrinæ tenues, pellucidæ, quæ habebãt ſuſpenſũ quid genituræ ſimile: parũ inſaniuit circa meridiẽ. Tertiâ grauiter ſe habuit. Quartâ cõuulſiones acciderũt, exacerbata sũt omnia. Quintâ mane mortuus eſt.

PHiliſtes paratus erat ad graues morbos capitis. Nam dolorem capitis multo tempore habebat & aliquando ſubſoporoſus decumbebat. Quæ duo redundantiam ſanguinis crudioris ſignificant, & vſus vini largiori potu incidit in febrem continuam, & dolor exacerbatus eſt. Atqui fortaſſe dolor & ſopor, qui multò ante febrem acciderunt, ex aſſiduo vini potu naſcebantur, quòd homo vinoſus eſſet, aliquando verò potu aliquo ſolito largiori, etiam febricitauit. Fortaſſe illa ob alias cauſas acciderunt, & potus inſolitus febrem fecit, & dolorem auxit. Vtcunque hoc habuerit, grauis febricitandi cauſa, parato homini, ſuperuenit. Quo factum eſt, vt grauiter, acutè ſcilicet, & lethaliter, ægrotauerit. Et euenerunt ſanè omnia, vt talis cauſa nata erat facere. Euomuit enim prima die bilioſa, primùm flaua, deinde æruginoſa, bile ſcilicet ad modum vſta. Noctem tulit difficulter creſcente vſtione. Secunda die ſurditas accidit, bile cum vino irruente in caput. Febris eadem ratione acuta. Hypochondrium dextrum contentum eſt & vergebat in internas partes quaſi retractum in internas, & ſuperiores partes, quæ ſunt in thorace ſub coſtis: quod etiam ſuccorum in ſuperna irruentium indicium erat. Nam cùm hepar ſit venarum radix, & ſuccorum fons, quum ſucci, velut plenis canalibus, per venas in ſuperiora feruntur, turgent venæ, & diſtrictæ retrahi faciunt ſurſum hepar. Vrinæ erant tenues & pellucidæ, habentes ſuſpenſum quid ſemini ſimile: colore & ſubſtantia propria ſignificantes cruditatem, & raptum in caput: contento verò, vſtionem crudi ſucci. Inſaniuit parùm circa medium diei, & tertiam diem tulit difficulter, creſcente cum reliquis delirio. Meritò ſanè. Nam vt in primo prædictionum ſcriptum eſt, qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus patiuntur, vigilantque cum ſurditate, citò & vehementer inſaniunt: quarta die acciderunt conuulſiones, quaſi vomitus æruginoſi ſolùm apparuiſſent, ſuſpicaretur aliquis conſenſum cerebri cum ore ventriculi fuiſſe: verùm cùm ſurditas etiam apparuerit & delirium, conſentaneum magis eſt fuiſſe propriam paſſionem cerebri, & neruorum: maximè, cùm vinum tantopere ſoleat neruos tentare, & vt in aphoriſmo 5. quintæ particulæ dicitur, ebrij ſoleant conuulſi mori. Velut etiam hic, qui cum conuulſione mortuus eſt, quinta die mane. Meritò hoc quoque. Quia morbus hic eſt acutiſſimus exactè, quales qui quarto die finiuntur. Nam & in aphoriſmo citato proximè dicitur, eos qui conuulſione corripiuntur, quatuor diebus perire.

AEGROTVS. V.

CHerionem qui decumbebat iuxta Demenetum, ex potu febris vehemens corripuit: ſtatim autem capitis grauitate cum dolore laborauit. Non dormiuit. Aluus turbata eſt tenuibus, ſubbilioſis. Tertia febris acuta inuaſit, & capitis tremor, præcipuè autem labij inferioris: paulò poſt autem rigor, conuulſiones, omnino delirauit. Noctem difficulter tulit. Quartâ quieuit, parùm dormiuit, delirauit. Quintâ laborioſè ſe habuit, omnia exacerbata

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 132 sur 489

sũt. Deliriũ, difficulter tulit noctẽ, non dormiuit. Sexta, per eadem. Septima super riguit, febris acuta corripuit, toto corpore sudauit, iudicatus est. Huic perpetuò ab aluo deiectiones biliosæ, exiguæ, sinceræ prodierunt. Vrinæ tenues, boni coloris, suspensum quid nebulosum habentes: circa octauam minxit melioris coloris vrinas, habentes hypostasim albam, exiguam. Mente constabat, febris intermisit, quæ non à rediit. Decimá quartá autem febris acuta prehendit, sudauit. Decima sexta vomuit biliosa flaua, satis multa. Decima septima superriguit, febris acuta, sudauit, à febre decretoriè liberatus est. Vrinæ post recidiuam & iudicationem melioris coloris, subsidentiam habentes. Neque delirauit in recidiua. Decima octaua incalescebat parùm, insuper sitiebat. Vrinæ tenues, suspensum quid nebulosum habebant. Parum delirauit. Circa decimam nonam à febre liberatus; circa ceruicem habebat dolorem. Vrinis subsidentia aderat. Perfectè iudicatus est vigesima. π. χ. π. ω. κ. υ.

Hic quoque ex vino cœpit ægrotare, vt proximus ægrotus, ac proinde primis diebus habuit symptomata sæua, quæ vinum solet parere: verùm quia anteà quàm in febrem incideret, non erat paratus ad grauem morbum capitis, vt ille, non est mortuus breui, sed euadens hæc vini symptomata, per mitiorem & salutarem morbũ, ad vigesimum vsque diem processit, quo vt legitimo fine multorum morborum acutorũ, liberatus est. Sed quæ habuit ex vino? febrẽ vehementẽ, & capitis grauitatem dolorosam. Non dormiuit. Vinum quibusdam affert soporem, quibusdam peruigilium. Quibus non tam bilem vrit quæ pungere & siccare potest cerebrum, quàm vaporum multitudine replet, somnum humiditate facit, quibus verò contrà, facit peruigilium calore. Quod euenit puero illi, quem Galenus narrat, ex vini potu nunquam amplius dormiuisse. Sed & hic Cherion, ex vino non dormiuit, vsserat enim illi bilem, quod deiectiones etiam indicarunt. Nam aluus turbata est tenuibus subbiliosis. Tertia die febris etiam acuta fuit, & capitis tremor, maximè labii inferni, & paulò post, rigor, conuulsiones, & delirium. Hæc omnia vino erant imputanda, illud enim tremores, & incontinentiam partium afferre solet, ob multam copiam vaporum replentium, & debilitantium neruos: rigores verò quum pungit partes sentientes, tum propter bilem, quam reddit acriorẽ, & agiliorem: conuulsiones, quum pungit & occupat radices neruorum: delirium, quum perturbat mentis sedem. Hæc ergo omnia potuit his rationibus afferre Cherioni. Quamquam vbi dicit Hippoc. capitis tremor, suspicor id nomen dici de motibus conuulsiuis, quia addit, maximè autem labii inferioris. Labium autem inferius conuulsiuè moueri crebrò solet, tremere non nisi rarò, inter loquendum. Sed si tremores illi conuulsiones capitis & labii fuerint, quas alias conuulsiones dicit, addens, conuulsiones? certè manuum, crurum, oculorum, palpebrarum, nasi, & aliarum partium. Hæc cùm habuisset die tertia, & noctem tulisset difficulter, auctis fortasse illis omnibus: quarta iam *di' νυχὸς* dormiuit parum, hoc est, quieuit, & dormiuit nonnihil, tametsi delirauit hac quoque die. Nimirum factus est, ob dictam causam, phreniticus. Quinta laboriosè sunt omnia exacerbata, maximè delirium. Noctem tulit difficulter, non dormiuit: atqui fortasse, quia non dormiuit. Duo enim hæc video huic ægroto accidisse, quod diebus imparibus habuit deterius, & quod his ipsis tulit noctes difficilius. Illud arbitror factum, quia morbus erat ex bile sincera tenui, talis autem per impares mouetur: hoc quia parum dormiebat. Grauius autem est laborare vigilem cum dormire soleas, quam interdiu, quia id etiam difficultatis accedit, quòd non dormias. Sexta eadem fuere, quanquam fortasse mitiora. Septima iudicatus est, rigore, & nouo quodam feruore, & sudore superueniente, quasi superueniente febris tertianæ vnica accessione, sed aliud erat: nimirum rigor, de quo in aphorismo scriptum est, superuenire febri ardenti, & eam soluere. Optimum verò est rigori iudicatorio calorem & sudorem superuenire, quia sudor perficit motum, qui per rigorem inchoatur. Nimirum rigor fit excrementis à venis internis ad habitum corporis exeuntibus. Sudor ex habitu extra cutem. Dicit huic perpetuò exisse deiectiones biliosas exiguas, sinceras, quales scilicet à principio inceperant, significantes biliosam esse febrem. Vrinæ in hunc vsque diem fuerant tenues, boni coloris, tales videntur esse rufæ tenues, de quibus in prognostico dicit Hippocrates crudam ægrotationem significare. Nimirum est tenuis cruditate: bonum colorem contrahit bilis flauæ portione exigua, quæ colorem sine crassitie tribuere potest. Sed fortasse hæc ne rufa quidem erat, sed coloris minus boni. Nam quo pacto quæ caloris essent optimi, factæ fuissent die octaua melioris? Quare videntur die septima fuisse tenues, coloris non mali, quæ cruditatem significant maiorem etiam quàm rufa tenuis. Et habebant suspensum quid nebulosum, hoc est, obscurum, & turbidum. Iam hinc cœperunt vrinæ mutationem in concoctiores facere, vsque ad decimum septimum. Nam octaua die fuerunt vrinæ melioris coloris, habentes hypostasim albam exiguam, itaque colore sunt factæ meliores, & hypostasi; quia pro nebuloso & turbido habere cæperunt sedimentum candidum, illud tamen tenue, & exiguum. De substantia, quandoquidem nihil dicit, intelligere oportet fuisse quales prius, tenues scilicet, & per totum hunc diem mente constitit & à febre liberatus fuit, quæ cùm solura esset die septima, octaua intermisit: tamen mox rediit nona die, quia sine signis concoctionis, quæ iudicationem possent satis firmare, intermiserat. Atqui recidiua vsque ad decimum septimum duranit, quanquam decimo quarto cepit imperfectè iudicari (est enim notatu dignissimum, vt omnes dies contemplabiles afferant insignes mutationes) nam ea die facta est febris acutior, & sudauit, processit tamen febris, & decima sexta (fortasse incipiente iam motu decimæ septimæ) vomuit biliosa, flaua, satis multa. Decima septima superriguit, & febris acutior est facta, & sudauit, & iudicatus est, factusque sine febre. Quapropter notare oportet, per totum morbi decursum à principio, in quas partes inclinent euacuationes, nam tales debent exspectari. Velut huic ægroto tertia die rigor accidit, septima rigore se-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 133 sur 489

brem iudicauit: & rursum decima septima rigore iudicauit recidiuam. Atqui profectò non solùm ad præsensionem iudicationes futuræ refert notare, in quas partes excremẽta inclinent, sed etiam ad curationem aliquando, quia illæmet euacuationes promouendæ sunt, si natura pigriùs mouet. Quia ab octaua vsque ad decimam septimam, vrinæ nullam, & aliorum accidentium exiguam mentionem fecerat. Addit, vrinæ post recidiuam, & iudicationem, hoc est, postquam facta iudicatione die septima cepit recidiua die nona; semper fuerunt melioris coloris, & subsidentiam habentes: hoc est, tales semper perseuerauerunt, quales apparuerunt die octaua, neque delirauit homo in tota recidiua. Verùm quia vrinæ, nondum processerunt ad concoctas, neque hæc iudicatio carere potuit recidiua, sed die decima octaua visum est malum cepisse denuo, nouo calore, & noua siti accedente, & vrinæ rursum crudiores: eædem enim quæ fuerant primis diebus, tenues cum suspenso quodam nubiloso. Non arbitror eadem materia facta crudiori, quæ coqui ceperat, sed portione alia denuo putrescente, & motâ. In hac secunda recidiua parum delirauit, Circa decimam nonam factus est à febre liber. Supererat tamen quidam dolor circa ceruicem. Successit vrinis subsidentia, multa scilicet & crassa, qualis solet iis qui per vrinam purgantur, & iudicatus est perfectè vigesima. Dolorem illum ceruicis suspicor fuisse signum decretorium. Nimirum iudicatoriam euacuationem antecedit semper secretio, & in secretione dolores partium multarum. Nam si instat euacuatio aliqua, earum quæ per cutem aguntur, vt rigor, sudor, & insensilis euacuatio, exũdantia excrementa de venis & arteriis in musculos, dolores excitant tensiuos, aut punctorios, vt sunt excrementa: si verò aliqua earũ, quæ agũtur per internas vias vt ventres, vesicam, & vterũ: cõfluunt excremẽta ex corporis habitu in venas maiores, inde in vias euacuationum transmittẽda, & tùm commeantibus excrementis, tùm, tumentibus venis, fiunt dolores partium. Quod in iis quibus instant menstruæ euacuationes, sæpè licet obseruare. Itaq; dolor hic ceruicis ita factus est, durauitq; donec copia in vrinarias vias colligeretur. Sed quo pacto cessare potuit febris ante iudicationem? Certè vt bis iam desierat febris, homine nondum à morbo liberato, qui, si ante recidiuam euacuatio sufficiens materiæ anteuertisset, potuit à recidiua præseruari, & liberari à morbo, cuius iam ante soluta esset febris, vt certè fit sæpè. Sed superest exponamus has literas π. χ. π. ου. κ. υ. primùm. π. significare πιθανὸν. idest probabile, & vltimum. υ. ὑγίειαν, ideſt salutem, indicatum est anteà. Indicatum etiam penultimam literam significare numerum, quod hic maximè respondet. χ. enim significat vigesimum. Indicatum etiam hanc priorem, prioresve significare speciem euacuationis. Quòd hic quoque satis quadrat: nam π. ου. significare solet πλήθει οὔρων, hoc est multitudine vrinæ. Hunc verò ita iudicatum esse, iam diximus. Vnde rursum constat subsidentiam illam vrinæ vigesimi diei fuisse copiosam, & euacuatoriam, non indicatoriam solùm, vt exiguam illam, quæ octaua die cepit apparere. Voco indicatoriam, illam quæ ad agnoscendum materię concoctionem, & morbi tempus, consideratur: ad euacuationem autem nihil, aut omninò exiguum præstat: euacuatoriam verò, eam quæ copiosa est, adeò vt magna materiæ pars vrina expurgetur. X. in multis codicibus non est, vbi tamen est, nomini ægroti respondere videtur, quasi illis literis diceretur, probabile Cherionem multitudine vrinæ vigesimo sanatum.

ÆGROTVS VI.

Evryanactis filiam virginem febris vehemens corripuit, permansit autem vsque ad finem sine siti, & quæuis alimenta respuebat, á ventre pauca exierunt. Vrinæ tenues, exiguæ, non boni coloris. Incipiente autem febre circa sedem dolebat. Sexta autem die febre libera, non sudauit, iudicata est. Quod autem circa sedem, parùm suppuratum est, & exiuit cum iudicatione: post iudicationem verò die septima riguit, nonnihil incaluit, sudauit. Post iudicationem verò octaua die riguit non multum, postea verò extrema frigida semper fuerunt. Circa decimam post eum quem habuerat sudorem delirauit, & rursum confestim ad mentem rediit. Dicebant autem, eam hæc pati, quòd gustasset racemum. Intermittens autem, duodecima rursum delirauit, vẽter turbatus est biliosis, paucis, & meris, tenuibus, mordacibus. Crebro surgebat, septimâ autẽ qua postremũ deliraverat, mortua est. Hæc autẽ incipiẽte morbo doluit fauces, & perpetuò ruborẽ habebat, & columella reuulsa fuit, fluxiones multæ, exiguæ, acres: tussiit cõcocta. Nihil excreabat. Nullum cibũ toto tempore accipere poterat, neque appetebat quidquam, neque sitiebat. Neque bibit quidquam notatu dignum. Tacita, nihil loquebatur. Tristis, desperata statim erat. Erat autem natiua quædam ad talem propensio.

Narratio hæc duas partes habet: prima continet, quæ quibusdam diebus acciderunt, vsque ad eam quâ virgo mortua est: secunda, quæ per totum morbum perseueraverunt. Hæc duos morbos habuit, inflammatiunculam quandam in ano, quæ sexta die, cum suppuratione soluta est, vt nihil notatu dignum ex ea inflammatione post eum diem relictum sit: & destillationes quasdam acres, quæ à morbi principio fluxerunt à capite in columellam, fauces, ventrem, & pulmonem, & tandem intra vigesimum nonum diem, vt ego existimo (non enim est dierum supputatio facilis in hac narratione) in tabem finita est. Quod ad hanc secundam affectionem attinet, in ægrotantibus, quos tabe periisse, prima sectione primi libri narrauit, virgo hæc esse videtur, ferè enim habuit, quę ea tempestate in ęgrotis apparuisse, narrauit. Sed persequamur totam narrationem figillatim. Euryanactis (inquit) filiam virginem vehemens febris corripuit, permansit autem vsque ad finem sine siti, & quęuis alimenta respuebat. Hęc fuit grauissima pars mali illius, sine siti & fame tandiu fuisse, vt neque potum, neque vllum omnino

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 134 sur 489

cibum, vel gustare, sustineret. Est enim hoc maximæ corruptionis, facultatis eius quâ appetimus, inditium. Ea verò non potest tantoperè deficere, nisi extincto calore naturali in ea parte, ad quam ea facultas pertinet. Hoc proinde vt grauissimum, & maximam mortis quæ successit causam, in principio narrationis ponit Hippocrates & in calce repetit. A ventre exierunt pauca, & vrinæ etiam tenues, exiguæ, non boni coloris. Quæ omnia debilitatis concoctricis, & expultricis erant. Incipiente autem febre, circa sedem dolebat. Hunc dolorem ex inflammatione sedis fuisse, exitus declarauit, quia die sexta à febre est liberata, & iudicata sine sudore, & exiit cum ea iudicatione pus. Nimirum facto pure cessauit febris, quæ dum pus fieret, ardebat, vt solet. Sed quia non id solum malum erat mulieri, sed destillationes etiam acres è capite, cito post hanc iudicationem rediit febris. Nam septima die riguit, nonnihil incaluit, & sudauit, & sudore rursum iudicata est. Et rursum octaua post iudicationem (post iudicationem scilicet proximam septimæ diei) riguit non multùm. Nimirum est familiare admodum, distillationibus ex capite decurrentibus, sæpè, & citra certam partium rigere, & ardere, & sudare excrementis nunc tangentibus sentientes partes, nunc putrescentibus per partes, nunc earum calore dissipatis. Sed ex hoc secundo rigore non recaluit satis, nam extrema frigida semper fuerunt, quod debilitatis naturalis caloris erat. Circa decimam, post eum quem habebat sudorem (nimirùm sudabat decimâ) & post ceptum sudorem delirauit, & rursum circò resipuit. His dictis interponit Hippoc. causam externam, quâ dicebant hanc mulierem cepisse ægrotare, incondito profecto ordine, in principio enim totius narrationis oportuit dici, aut certè in fine. Sed Hippocrates fortasse die morbi decima factus est certior eius occasionis, & scripsit rem totam, vt accepit. Fortasse vetustate codicum est conturbatus ordo. Vtcũque hoc habeat, occasio erat satis noxia mulieri, & morbus rectè occasioni respondit. Comedit enim vuæ racemum (magnum arbitror) mulier natura parata ad tabem, & fluxionibus de capite tenuibus & acribus correpta est. Vuæ verò fluxionibus maximè replere consueuerunt. Dictâ ægrotandi occasione, redit ad narrationem, dicens, intermittens autem (diem scilicet vndecimam, delirandi intermissionem faciens) duodecima die rursum delirauit: Venter turbatus est biliosis, paucis, & meris, tenuibus, mordacibus, & crebro surgebat, ex biliosis scilicet destillationibus, quæ in intestina repebant. His ita procedentibus, die septima, à qua posterius delirauit, hoc est septima à duodecima (nam decima delirauit prius) mortua est: Die itaque decima, haud dubiè, tabida facta ex dictis destillationibus. Fuisse verò has, quas dixi, legitimas singulorum causas ostendunt, quæ subdit in secunda orationis parte. Hæc (inquit) incipiente morbo doluit fauces, & perpetuò ruborem habebat, & columella reuulsa fuit. Constat hæc fluxionis à capite esse, quod ipse etiam dicit apertè, addens, fluxiones multæ. Columella reuellitur aliquando multitudine fluxionis tumens, nonnunquam siccante fluxione velut salita, & corrugata: cum illa est causa, est tumida: cum hæc, flaua, aut rubra, siccata, & exasperata, atque facta exigua. Talem fuisse in hac constat, quia fluxiones fuerunt tenues & acres. Itaque fuerunt multæ, non quod copiosæ, sed quod affligentes continenter, & in multas partes incumbentes. Nam in fauces, & columellam (quod indicauit dictus rubor) & in asperam arteriam, quod fecit, vt extussiret concocta, & nihil excrearet, hoc est, vt crebro tussiens, rarò extussiret, vt per tenuissimas destillationes fit: aliquãdo verò concreta & crassa quasi vstam pituitam (hæc enim nunc ob similitudinem cocta vocat) quia tamen præ intemperie sicca & calida pectoris fiebant, referri debebant magis ad efficientem causam, quàm ad materiam, cùm non esset morbus pituitosus. Esse vero hanc legitimam expositionem, intelliges ex his verbis primæ sectionis libri primi. Spuebant autem exigua densa cocta, modicum quiddam vix excreantes. Sed & in ventrem superiorem decubuit maligna fluxio, tantam noxam illi inferens, vt ferè mori fecerit, ac substulerit cibi & potus appetentiam (nimirum vt solet externa pars ἐσθιόμενα pati, præ maligna fluxione, quam excipit) & in inferiorem, faciens crebram cupiditatem desidendi, cum biliosis, paucis, meris, tenuibus, & mordacibus deiectionibus. Teneri eum grauissimo aliquo morbo interiùs, non tàm magno, quàm mali moris, & quasi subdolo, indicabat tanta taciturnitas, vt nihil loqueretur, & tristitia tam desperata, vt neque conquereretur, neque auxilium peteret, aut omnino velle videretur. Tale quiddam est hoc, quale quod in externis morbis videmus. Si quæ pars magna inflammatione corripitur, quæ, vt magnæ solent, in suppurationem mutatur, febres accidunt & dolores ingentes, & æger vigilans vociferatur, sin autem in gangrænam abit, febres exiguæ sunt, & dolores nulli, sed pars velut silens (liceat metaphora vti) moritur. Non mirum ergo, si caloris naturalis tabe, mulier tam breui contabuit, & mortua est. Quo minùs autem mireris, monet Hippocrates fuisse huic natiuam quandam ad tabem propensionem. Itaque in illis erat hęc, de quibus Hippocrates dixerat citata sectione: Est autem quibus incepit primùm: his vergebat natura in tabem: moriebantur autem celerius, quàm solent hęc transigi. Mihi vero citę consumptionis, causa alia maxima videtur accedere, illa integra ferè cibi & potus abstinentia. Nam cùm vita hominis iuxta Hippocratem septem dierum sit, quomodo potuerit non marcescere hęc virgo decem & nouem.

ÆGROTVS VII.

Anginosa quæ iuxta Aristionem agebat. Hæc primum à lingua incepit. Obscura vox erat, lingua rubra & resiccata. Prima die horrida, incaluit. Tertia rigor, febris acuta inuasit, cervicis tumor subruber, durus, & super pectus ab vtraque parte. Extrema frigida. Liuida. Spiritus sublimis. Potum per nares reiiciebat, bibere non poterat. Deiectiones & vrinæ restiterunt. Quartâ omnia exacerbata sunt. Quintâ mortua est. Anginosa.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 135 sur 489

©BIUM

Hæc angina tenuit partes internas oris, & externas ceruicis, quia incepit à lingua, quæ rubra, & resiccata erat, quasi erysipelatosa. Vnde vox facta est obscura, & fuit tumor durus, & subruber, inflammatio scilicet erysipelatodes, ceruicis, & super pectus ab vtraque parte. Horrorem primi diei, & rigorem tertii, bilioſa fluxio, quæ in eam partem ferebatur, occurrens partibus sentientibus, fecit. Illa verò frigida & liuida extrema, & spiritus sublimis (hoc est, qui superioribus thoracis partibus trahitur) longè deterrima erant, significabantque, naturalis caloris, & facultatis extinctionem. Quòd potum per nares reiiciebat, & bibere non poterat, angustiæ viæ inflammatione compressæ ascribi potest, aut resolutioni gulæ, vel fastidio extremo, quòd scilicet ob facultatis corruptionem deglutire mulier non posset, & cùm ore quàm maximè conaretur, per nares reiiceret. Atqui Galen. extremæ debilitati id vult ascribi, quia deterrima illa signa aderant, quæ dicta sunt. Ego verò vtramque causam adfuisse suspicor, & viæ incommoditatem, & facultatis debilitatem. Deiectiones & vrinæ restiterunt præ debilitate expultricis, in internis manentibus excrementis. Quarta, sunt exacerbata omnia. Quinta mortua est anginosa π. δ. ε. ε. θ. hoc est, πθανὸν διαχωρημάτων ὑποχθέντων πέμπτη θάνατον, hoc est, probabile deiectionibus suppressis quintâ mortuam: hæc enim significari his literis antea explicatū est à Galeno. Ob has censet, non fuisse tales literas scriptas ab Hippocrate, sed ab aliis adiectas, quia non probat mortuam esse hanc ob suppressas deiectiones, sed ob anginam, deiectiones verò esse suppressas ob debilitatem facultatis. Ego an ab Hippocrate scriptæ, an ab alio adiectæ hæ literulæ sint, non possum dicere, tamen has literas non esse malè hoc loco adiectas, affirmo. Nam angina per quam fauces & ceruix rubent, maximè descendente rubore ad pectus, diuturnior est, & multi ex ea euadunt, vt in prognostico dicitur, neque alia ratio moriendi in tali est, quàm recurrentibus intrò excrementis. Non ergo hæc mulier mortua esset ex hac angina, nisi facultas fuisset debilissima, quod frigus & liuor partium, & sublimis spiritus indicabant, neque omninò fuisset mortua, nisi recurrissent intrò excrementa: recurrerunt verò, quia suppressæ sunt deiectiones, & vrinæ: itaque & ob hanc causam est quinta mortua, alioqui non moritura, aut non tam citò. Si enim valuisset per ventrem, & vesicam, atque vndique facilè pellere, neque tantam naturalis caloris extinctionē passa fuisset, neque mortua. Cur enim ab angina externa? Quia verò non valuit, excrementa retenta sunt, quæ extinxerunt calorem, & debilitatem facultatum rectricum, & mortem attulerunt. Tam longè abest à vero loci huius sensu Galenus, vt miretur, quî potuerit hęc angina produci vsque ad quintum, quin prius mulier mortua fuerit.

A miuit, siticulosus fuit. *Secunda omnia exacerbata sunt, deiectiones plures, intempestiuiores, non dormiuit, mente turbatus fuit & leui sudore perfusus. Tertiam difficulter tulit, siticulosus, anxius: multùm se iactauit & perplexus erat, delirauit. Extrema liuida, & frigida. Hypochondrii contentio submollis vtrinque. Quarta non dormiuit, peius se habuit. Septima mortuus est, circiter vigesimum ætatis annum* B *agebat. Acutum. π. ξ. ζ. θ.*

AEGROTVS VIII.

A Adolescentem illum qui decumbebat in foro mendacium vehemens febris corripuit, ex lassitudinibus, & laboribus, & cursibus insolitis: prima, aluus turbata est bilioſis, tenuibus, multis. Vrinæ tenues, subnigræ, non dor-

Adolescentia ægri duorum quidem causa fuit: primùm, vt ex occasione tam acuto & calido morbo corriperetur, deinde vt cum tam graui morbo vsq; ad diem septimum durare posset. Proinde bis id monuit Hippocrates in principio, narrationem inde incipiens, adolescentem illum: in fine, dicens, circiter vigesimum ætatis annum agebat. Quia ergo erat adolescens, ac fortasse natura calidus, & nutritus calidis, etsi alioqui otiosus, potuit ex labore corripi C tam calido morbo. Atqui quanquam reliqua omnia, quæ naturam & victū calidum spectant, facerent ad facilem passionem, tamen otiosum fuisse, non subleuauit periculum, immo auxit plurimum, nulla enim causa magis labores læserunt, quàm quòd insoliti: quia insolita omnia fert malè natura. Proinde hic malè tulit, etsi adolescens, & alioqui fortis. Nimirum vt in aphorismo dicitur; soliti labores ferre, minus lædi solent, etsi sint debiles, & senes, quàm si D qui non sunt assueti, etsi sint robusti & iuuenes. Quoniam autem dicit, lassitudinibus, & laboribus, & cursibus significat, vehementes & multiplices motus eum sustinuisse, atque inde defatigatum esse. Labores enim sunt motus nimii, longè productiores quam exercitationes: lassitudines vero affectiones, quas labores pariunt. Ergo cursibus & aliis motibus laborauit, vsque ad magnas lassitudines. Nam exiguas, & velut incipientes lassitudines, exercitationes etiam faciunt, non solum labores, & ea est E meta exercitationis, vbi lassari ceperit corpus, statim quiescere: vltra quam, si motus procedit, iam est labor. Hic homo, bile vehementer agitata, & malignè putrescente, videtur in hepate & liene contraxisse inflammationem tantam, vt septum etiam transuersum attigerit. Nam ambo hypochondria inflammata fuisse, declarauit, cum reliquis, contentio submollis hypochondrii vtraque ex parte: attigisse fortasse etiam septum transuersum, ex delirio sus- F picio est. Quamquam per malignas etiam hypochondriorum inflammationes, contingit delirare. Acutissimum & malignum affectum significauerunt euacuationes symptomaticæ, quæ, & tempore, quia statim apparuerunt, & qualitate etiam, malæ erant. Putà bilioſa tenuia multa ex aluo, & secunda die deiectiones plures. Quod dicit intempestiuiores: non quidem intelligendum prioribus. Nam tales deiectiones, quanto citiùs apparent, tanto intempesti- G uiores sunt, sed accipiendum comparatiuum pro positiuo, quasi intempestiuæ. Sed & vrinæ à primo die tulerunt præ se contraria concoctioni, & lethalia, tenues enim fuerunt subnigræ. Præter excuntia vero, reliqua etiam quæ sunt in genere signorum salutis, aut mortis, statim ceperunt maligna apparere, & vrgere continenter, quod acutiem & pericu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 136 sur 489

lum ſignificabat. Graue enim die prima non dormiſſe, & fuiſſe ſiticuloſum (intellige enim valdè) grauius verò, ſecundâ omnia exacerbata fuiſſe, ſitim ſcilicet, & peruigilium, & mentem turbatam fuiſſe, & ſudaſſe parum. Graue enim ſecundâ die ſudaſſe, grauius autem quòd parum. Exiguos enim ſudores in talibus animi deliquia comitari ſolent: grauiùs adhuc quòd diem etiam tertiam difficulter tulit, (hoc grauia omnia ſymptomata ſignificant) ſiticuloſus, anxius. Anxietatem verò indicabat multa iactatio, & perplexitas, & quod delirauit. Quod quidé verbum maius aliquid ſignificat, quàm mentem turbatam eſſe. Quare intellige, die hac tertia creuiſſe delirium. Longè autem dictis omnibus grauius, extrema liuida & frigida fuiſſe. Hìc profectò nullus non putaſſet hominem die quarta, qui primi morborum impetus finis eſt, moriturum, præcipuè cùm iam videret die quarto non magis quàm prioribus dormire, & ire in peius. Quid enim iam peius, excepta morte, poterat expectari? Atqui profectò ita eſſet factũ, niſi hic beneficio ætatis, quæ ferè viginti annorum erat, & robuſtæ facultatis, vſque ad ſeptimam duraſſet, quâ neceſſario mortuus eſt. Hoc vt ſignificaret, cùm dixiſſet ſeptima mortuus eſt, addidit (vt antea etiam dixi) circiter vigeſimum ætaris annum agebat. Itaque ætas effecit, vt tardiùs interiret, quàm pro morbi acutie. Ergo morbus acutior fuit, quàm pro exitu quem habuit. Hoc vt ſignificaret, addidit, acutum. In quatuor autem literis his, πξζθ, ſolùm dubitari poteſt, quid ξ ſignificet. Nam primùm ſignificare probabile, vltimam, mortem; penultimam, diem, quæ hic ſeptima fuit, ex dictis antea eſt apertum: ξ verò ſignificare ſolere ξανθὴν χολὴν, ideſt flauam bilem, aut ξένιον ϗ σπάνιον, ideſt nouum ſeu rarum, aut ξυσμὸν, ideſt ſtrigmentum, aut ξηρότητα, ideſt, ſiccitatem, ex ſua & antiquiorum ſententia dicit Gale. Hunc verò magis conſentaneum eſt, dici mortuum ex nouitate, hoc eſt, quòd repentè mutata multùm conſuetudine, ad labores magnos ſe tranſtulit, quam ex bile, aut ſiccitate, aut ſtrigmẽtis. Nam quòd nouitas cauſam externam, & non affectionem ſignificet, nihil refert. Non enim ſolùm ex affectu, aut interna eius cauſa, aut magno aliquo ſymptomate dicuntur homines interire, ſed & ex cauſa aliqua externa, cum eam contingit eſſe valde noxiam, velut Philiſtes ex potationibus.

A craſſa, & in eiſdem habet eſſentiam, & cauſam. Eſt enim obſtructio aliquando ex induratis fæcibus, aliquando ex craſſis ſuccis, & crudo, craſſoque flatu, nonnunquam etiam ex inflammatione. Hic morbus tanto periculoſior eſt colico, quanto inteſtina gracilia, & tenuiora, & acrioris ſenſus, & propiora præcipuis partibus, hepati, lieni, fundo ventriculi, & ſepto tranſuerſo. Vnde contingit ea trahi ad compaſſionem. Hoc morbo occupatam fuiſſe mulierem hanc dicit, narrans primùm ſigna pathognomonica, deinde etiam ſuperuenientia. Pathognomonica
B ſunt hæc, vomitus erãt multi, & potũ cõtinere non poterat, dolores ac tormina continenter affligentia circa hypochondria, & infernam ventriculi partem, hoc eſt, inter thoracem & vmbilicum. Hæc enim per hunc morbum accidunt, & nihil videtur deſcẽdere deorſum, ſed totus ventris motus videtur ad os ſurſum præter naturam concitatus, vſque adeo vt nonnunquam fæces etiam ſoleant vomere, quod fortaſſe huic non contigit (ac fortaſſe etiam contigit, etſi Hippocrates non expoſuerit vomitus ſpeciem) ob vim & acutiem morbi, anticipante mulie-
C re mori. Illa vero ſunt ſuperuenientia [quæ quia lethali adeo morbo ſuperuenerunt, fuerunt etiam lethalia] non fuiſſe ſiticuloſam cum incaleſceret, hoc eſt, febricitaſſe, & non ſecundùm rationem febris ſitiiſſe. Quod quidem peſſimum erat: nam delirii, aut corruptionis magnæ facultatum in ventriculo. Atqui faſtidiſſe ſimul cibos, ad ipſummet genus pertinebat, & corruptionem magis facultatis, aut mali-
D gnos ſuccos indicabat. Extrema frigida vſque ad finem, hoc eſt, ex quo non recaluerit, magnitudinem internæ inflammationis ſignificabat, vnde & ex febre, & ex tanta totius mali acutie, manifeſtum, eam eius voluuli cauſam inflammationem fuiſſe: eamque magnam & malignam, quæ non minus peruigilium, quàm alta dicta, erat nata facere. In calce narrationis, ſpeciei exeuntium mentionem facit. Quæ quidem ſpecies eſt in genere ſignorum, quæ Galenus vocat aſſidentia, quia quocumque tem-
E pore morbi poſſunt accidere, & non accidere. Meminit vero Hippocrates vrinæ in morbo, qui non erat venarum, ob communem rationem quam Gale. attigit, quo ſcilicet conſtet, an venas attigerit affectio, ſed & ob peculiarem etiam, quam ego addo: quia ſcilicet, cum ſoleat hepar ad compaſſionem cum inteſtinis trahi, & inde maximum ægri periculum incurrant, refert quàm plurimùm ſcire, quantam læſionem hepar acceperit, quod ex nulla re meliùs, quàm ex vrina intelligi poteſt: præcipuè, ſi ſe-
F cundùm gibbam partem patiatur hepar, vt ſi ſecundùm cauam, ex deiectionibus. Vrinæ ergo tenues & paucæ, cruditatis, & mali hepatis eſſe poterant. Sed quia tenues, præcipuè vero ſi etiam paucæ ſint, fieri ſolent raptu humorum in aliam partem, vt cum in phrenitidis apparent: mihi ſignificaſſent potiùs inflammationis magnitudinem rapientis ad ſe omnia more cucurbitæ. Mirum vero, quod voluulo tanto laborans, deiectiones habuerit. Nam vt diximus, ni-
G hil omnino ſolent per ſedem emittere. Sed neque hic fuit pars quæpiam excrementorum, expultricis facultatis vi præcipuè pulſa, ſed tenue quiddam & crudum, vt quidam ichor, calore hepatis & meſenterii liqueſcens. Tantus erat morbus, ex quo tam cito mortua eſt, vt nullus fuerit remedio locus. Quare veriſimile eſt, etſi id tacuerit Hippocrates, mor-

AEGROTVS IX.

MVlier, quæ decumbebat iuxta Tiſamenum. Huic voluuloſa moleſtè concitabantur. Vomitibus multis torquebatur, potum continere non poterat, dolores aderant circa hypochondria, & in inferioribus ſecundùm ventriculum partibus, dolores & tormina continenter affligebant, non erat ſiticuloſa, incaleſcebat. Extrema frigida vſque ad finem, faſtidioſa, ſine ſomno. Vrinæ tenues, paucæ: excretiones crudæ, tenues, paucæ, non erat remedio locus, mortua eſt.

Voluulus affectio eſt acutiſſima, & grauiſſima, quæ ad inteſtina gracilia pertinet, vt colicus dolor ad

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 137 sur 489

tuam fuiſſe ſecunda die, aut paulò poſt. Nam de iis, quibus ob morbi breuitatem ſubuenire non poſſumus, dicit ipſemet Hippocrates in initio prognoſtici; Quidam enim diem viuentes vnam, aut paulò plus, moriuntur, antequàm medicus arte repugnet. Eiuſmodi fuit hæc, & Hippoc. tacuit diem mortis, vt hinc multò magis intelligeres citiſſimè mortuam eſſe, vt vix dies interfuerit, quaſi diceret, ſtatim mortua eſt.

ÆGROTVS X.

Mvlierem quandam, earum, quæ apud Pantimedem degebant, ex abortu recentis fœtus vehemens febris prima die corripuit, lingua ſicca, ſiticuloſa, faſtidioſa, inſomnis erat. Aluus turbata eſt tenuibus, multis, crudis. Secunda ſuperriguit, febris acuta inuaſit, ex aluo multa egeſſit. Non dormiuit. Tertia dolores augebantur. Quarta delirauit. Septima mortua eſt: aluus per totum morbum humida cum deiectionibus multis, tenuibus, crudis. Vrinæ paucæ, tenues. Febris ardens.

Febres acutæ in recens enixis, & iis, quæ fœtus corruperunt, valdè periculoſæ ſunt. Non enim fiunt iis, quæ ritè purgantur, ſed quibus ſupprimuntur euacuationes. Id verò fit locis vteri, à quibus euulſæ ſunt ſecundinæ, ob rupturas inflammatis, & proinde obſtructis, atque materiâ, alioqui malignâ, multùm redundante, & ita incuneatâ vt non poſſit exire. Atqui, etſi poſſit aliter, citra inflammationes inquam, fieri, tamen acuta febris in enixa rarò aliter fit, & ita ſemper fieri putare oportet, quia huc curationis rationem dirigens nunquam errabis. Neque profectò minùs periculi eſt, in patientibus abortum, quàm in enixis, ſed, vt Hippocrates lib. de morbis dicit, multò plus, quia quod naturaliter in his fit, in illis fit præter naturam. Quod verò violentum, periculoſius, quàm quod naturale. Sed, vt in materia dicatur apertiùs, conſtat magis dilacerari acetabula vteri, à quibus vi fœtus euellitur, quàm à quibus naturaliter excidit: vt pomum nondum maturum ex arbore decerpitur difficiliùs, quàmſi ſponte cadat. Minus. n. lacerum, & ſano propius manet id, vnde naturaliter velut ſeparatur. Si ergo in abortiente magis vlcerantur vteri, faciliùs etiam inflammabuntur, ac reliqua mala fient, vſque adeo vt de iis quæ corruperunt dicat loco citato Hippoc. In huiuſmodi enim periculum eſt, ne vteri exulcerentur, & inflammentur. Hoc autem eſt periculoſum. Non parùm autem refert, quo menſe conceptionis abortus fiat. Nam quæ corrumpunt fœtum nondum menſtruum, aut non antiquiorem, quæ ſcilicet primo prægnationis menſe abortiunt, exiguum, aut vix vllum periculum habent, quia acetabula adhuc ſunt mucoſa, vt ſeparari nullis manentibus viceribus poſſint: ſanguinis vero expurgatio non maior deſideratur, quacumque earum, quæ ſingulis menſibus contingunt, vtpote cùm nulla antea talium euacuationum intermiſſio facta ſit. Quæ aliquanto tardius, vt ſecundo aut tertio menſe abortiunt, cum periculo id faciunt, ſolidioribus iam aliquanto acetabulis, & ſuppreſſionibus menſtruorum prægreſſis, non tamen cum tanto, quanto quæ mediis, aut poſtremis menſibus: quarum quæ mediis menſibus, ob firmitudinem acetabulorum periclitantur plus quàm aliæ omnes: ob multitudinem autem excrementorum, plus quàm quæ primis, minùs quàm quæ vltimis: quæ vltimis, multitudine excrementorum plus omnibus, firmitudine acetabulorum non quantum quæ mediis, vt omnibus collatis, in mediis & vltimis menſibus non admodum impar ſit periculum: in primis autem manifeſtè minùs quàm in aliis. Itaque huic mulieri non admodum erat futurus periculoſus abortus, vt qui recentis fœtus, niſi magnus apparatus in corpore fuiſſet. Contigit autem fuiſſe tantùm, vt ex febre ardente, bilioſa, acutiſſima, facta phrenitide quarta die, mortua fuerit ſeptima. Acutiem autem maximam ſatis indicauit, quod prima ſtatim die fuit lingua ſicca, & mulier ſiticuloſa, & inſomnis. Bilis redundantiam & malignam qualitatem indicabant hæc ipſa, & faſtidium, & aluus turbata, tenuibus, multis, crudis. Bilioſorum enim eſt valde ſitire, & cibos non poſſe capere. Deiectiones vero tenues, & crudas vocat ex tenui bile, quæ prima die non niſi ob redundantiam aut malignam qualitatem excernebatur. Secunda die eadem fuerunt. Nam non dormiuit: & ex aluo fluxerunt multa, & inſuper riguit: id quod in iis quæ ex abortu, aut partu laborant, ſæpè euenit ob ſenſus vteri acrimoniam. Tertia die fuerunt eadem, & inſuper augebantur dolores, vterinos fuiſſe arbitror. Quarta eadem, & inſuper deliravit, facta iam inde phrenitica, quia, arbitror, proximæ dieì dolores facti fuerunt malignis ſuccis occurrentibus ad vterum, qui non poterant erumpere, cùm ergo exire prohiberentur, inde impetum fecerunt in ſublimem partem, & tenuerunt caput: cætera trãſacta ſunt, vt par eſt, in poſtrema parte lethalis morbi, vſque ad ſeptimam, quâ mortua eſt, quam indicauerat maligna permutatio quartæ. Dicit deinde per recapitulationem. Aluus per totum morbum humida cum deiectionibus multis, tenuibus, crudis, vrinæ paucæ, tenues. Fortaſſe repetit hoc, quod de deiectionibus dicitur, ſignificans id fuiſſe à principio ſignum omnium grauiſſimum. Vrinę verò fuerunt tenues, quòd crudę; paucę vero, ob deiectionum tenuium multitudinem, & ob febrem vrentem. Talem enim fuiſſe teſtatur Hippocrates ipſe, dicens, febris ardens. Si modo verba hæc vltima Hippocratis ſunt, ac non potius, vt Galenus putat, adſcriptitia.

ÆGROTVS XI.

Alteram ex abortu circa quintum menſem, Oeceta vxorem, febris vehemens corripuit. Initio comatoſa erat & rurſum inſomnis cum renum dolore & capitis grauitate. Secundâ aluus turbata eſt paucis, tenuibus, meris primùm. Tertia plura & deteriora. Nocte nihil dormiuit. Quartâ delirauit. Timores, triſtitiæ aderant, dexter oculus diſtortus eſt, ſudore circa caput pauco & frigido maduit, extrema frigida. Quintâ omnia exacerbata ſunt. Multùm

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 138 sur 489

tùm delirauit, & rursum celeriter ad mentem redyt. Siticulosa erat & insomnis, Aluus multis & meris vsque ad finem defluxit. Vrinæ erant paucæ, tenues, subnigræ. Extrema frigida subliuida. Sexta eadem. Septima mortua est. Phrenitis.

Periculosior abortus est quinto mense, quàm primis tribus, quanquam huic, & proximæ mulieri par malum & periculum videtur superueniſſe, cum ambæ septima die mortuæ, & ambæ quarta die phreniticæ factæ sint. Id quod factum fuit, quòd prior illa tantò maiorem ad acutum morbum apparatum habuerit, quanto minus periculosam ægrotandi causam. Atqui profectò ita fuisse, vtriusque morbi symptomata indicant. Semper enim fiunt tales morbi, quales antecesserunt apparatus. Illa verò habuit biliosissimum morbum, vt omnia symptomata indicarunt, hæc verò ex variis succis. Nam quædã symptomata pituitam, quædam bilem, quædam etiam nigram bilem, indicarunt, atque adeo quædam sanguinis redundantiam. Illa ergo biliosior erat, hæc succorum habebat quandam commixtionem. Coma enim pituitam indicabat, peruigilium, & aluus turbata tenuibus & meris, bilem: dolor renum & capitis grauitas, redundantiam sanguinis, & toto corpore, & circa vterum præcipuè, cùm non ritè expurgaretur: timores vero & tristitiæ, melancholiam. Itaque prima die fuit comatosa, & rursum insomnis eadem die. Scilicet prima diei parte domiebat ἀδιεκρίτως, altera vigilabat, vt nunquam amplius dormitura. Quod quidem in semitertianis, aut quæ illarum naturam referunt, vsu venit. Hæc verò febris causam habuit causæ hemitritæi non valde dissimilem, ex pituita enim & bile maximè. Eadem die renum dolor, & capitis grauitas. Secunda aluus turbata paucis, tenuibus, meris, exeunte bile, vtpote tenuiori, ante alios succos: tertia exierunt plura & deteriora, putridiora, scilicet, & variegata, ex variis iam excrementis. Nocte eius diei nihil dormiuit, antecedente scilicet, vt solet, peruigilio, delirium. Nam quarta delirauit, occupantibus putridis succis cerebrum. Fuit verò species delirii in timore, & tristitia, vt iis qui ex atro succo delirant. Fuit verò eadem die dexter oculus distortus, quod signum non fuit huic iudicatorium, vt ei, qui decumbebat in horto Dealcis, qui huius libri fuit tertius ægrotus, sed lethale, iuxta illud quod in aphorismo dicitur. In febre non intermittente, si labium, aut palpebra, aut supercilium, aut oculus, aut nasus, distorqueatur. Nimirum hoc erat signum conuulsiuum, quod quidem cum delirio coniunctum, & febri ardenti superueniens, grauiter affici cerebrum indicauit. Reliqua etiam omnia, quæ ea die accidisse narrat, lethalia esse, ex prognostico didicimus, vt sudore circa caput pauco & frigido maduisse & habuisse extrema frigida. Quæ omnia quinta exacerbata sunt, & multum delirauit. Quod dicit celeriter ad mentem rediisse, non significat phrenitidis solutionem, sed quod in plerisque phreniticis obseruamus, vt cum valde commoti mente sunt, repentè quædam prudenter loquantur. Siticulosa etiam fuit, & insomnis. Quamquam hæc duo non erant tam grauia, quam reliqua. Non enim erant præter rationem febris, quin potius fortasse, siticulosa fiebat, cum ad mentem redibat. Aluus, inquit, turbata multis meris vsque ad finem, id verò non potuit cum vrinis tenuibus & subnigris morbum soluere: euacuationes enim sine signis concoctionis, nedum cum concoctioni contrariis, symptomaticæ sunt. Extrema etiam hac die non frigida solum, sed liuida etiam fuisse dicit, quod vt in prognostico dicitur, magis pestiferum est, quàm si nigrescant quamquam hoc quoque morientibus iam partibus fieri soleat. Sexta eadem fuisse, & septima mortuam, dicit. Merito quidem, quia acutissimè processerat morbus, & die quarta facta fuerat insignis mutatio in deterius. In calce dictionis scripsit, phrenitis. Quamquam in quibusdam codicibus reperi φρενιτεῖα, idest, phrenitica, ego sequor eam lectionem, quam ex eius commentariis intelligo, sequutum fuisse Galenum: illa enim fuit antiqua & certa. Galen. dicit scriptum fuisse φρενῖτις, quam vocem, vt nuper dixi, non putat scriptam ab Hippocrate, sed ab alio adiectam. Ego nihil possum de ea re affirmare. Sed si Hippocrates voces has solutas, in fine narrationum adiecit, cur hanc potius phrenitidem, & proximam, febrem ardentem vocauerit, cum vtraque fuerit febris ardens, & vtraque in phrenitidem abierit, non habeo quod dicam aliud quam vtramque laborasse vtroque affectu, proinde licuisse illi vtramuis ægrotationem alterutrius nomine appellare.

AEGROTVS DVODECIMVS.

Mvlierem, quæ decumbebat in foro mendaciorũ, enixam primũ laboriosè masculum, vehemens febris corripuit. Mox in principio siticulosa, fastidiosa, dolebat cor, lingua arida: aluus turbata tenuibus paucis, non dormiuit. Secunda parum riguit, febris acuta inasit, paucus sudor circa caput & frigidus effusus est. Tertia laboriosè ex aluo cruda multa tenuia fluxerunt. Quarta superriguit. Omnia exacerbata sunt. Insomnis. Quintâ laboriosè se habuit. Sexta per eadem. Ab aluo fluxerunt humida multa. Septima superriguit, febris acuta prehendit, sitis multa aderat, & corporis iactatio: Circa vesperam frigidus toto corpore sudor dimanauit. Perfrixit, extrema erant frigida, nec recalescebant, & rursum ad noctem superriguit. Extrema non recalescebant, non dormiuit, parum quiddam delirauit, & rursum cito mente constitit. Octaua circa medium diei recaluit, siticulosa, comatosa, fastidiosa, vomuit biliosa, pauca, flaua. Noctem difficulter tulit, non dormiuit, minxit multùm, confertim, insicia. Nona remissa sunt omnia, erat comatosa. Ad vesperam parum superriguit. Vomuit amara, biliosa. Decima rigor accidit, febris exacerbationem habuit, non dormiuit quidquam. Manè minxit multùm, subsidentiam non habens. Extré-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 139 sur 489

ma recalefacta ſunt. Vndecimâ vomuit virulenta bilioſa, riguit non multò poſt, & rurſum extrema frigida. Ad veſperam rigor, ſudor, vomuit multa, noctem laborioſè trāſegit. Duodecimâ vomuit multa, nigra, fœtida, ſingultus multus adfuit & ſitis laborioſa. Decimâ tertiâ nigra, fœtida, multa vomuit, rigor obortus eſt. Circa meridiem autem voce priuata eſt. Decimaquartâ fluxit ſanguis de naribus. Mortua eſt. Huic per totum aluus humida fuit & horrebat, annum ætatis agebat circiter decimum ſeptimum. Febris ardens.

Haud dubiè febris hæc incepit cum maiori acutie, quàm priores duæ, at non minore temporis interuallo terminata eſt. Nam prima ſtatim die habuit omnia, quæ mulier quæ habitabat apud Pantimedem, & inſuper dolorem cordis, hoc eſt oris ventriculi, & reliqua omnia acutiſſimè proceſſerunt, vt miraculo ſimile fuerit, ſeptimum diem mulierem hanc effugiſſe: durauit tamen vſque ad ſecundum ſeptimum, fortaſſe quia erat ætatis tam florentis: qua cauſa veriſimile eſt Hippocratem in calce narrationis, vt huic admirationi occurreret, dixiſſe, annum ætatis agebat circiter decimum ſeptimum. Nam in hiſtoria adoleſcentis illius, qui decumbebat in eo ipſo foro mendaciorum, quo hæc mulier, perinde fecit Hippocrates. Eſt conſideratione dignum, in iis, quæ ex partu laborare ceperunt, nunquam non dicere Hippocratem, marem an fœminam peperint. Nam hanc dicit marem, & vxores Sileni, & Dromeadæ, quæ etiam ex partu mortuæ ſunt, dixerat filias peperiſſe. Qua in re apertè inſinuat, non parum facere id ad partus difficultatem, & periculum. Longè enim difficilior eſt affectio gerentium vtero fœminas, & periculoſior partus. Nam & ob deteriorem apparatum, & maiorem excrementorum redundantiam, fœminæ concipiuntur, & maiori expurgatione indigent filias enixæ. Nam ſexaginta ſex diebus expurgari ſolent, enixæ filios ſolis triginta. Suppreſſio ergo in illis eſt maior. Atqui profectò ſi memoria velimus repetere omnes Hippocratis hiſtorias, plures enixarum filias mortuas fuiſſe, reperiemus. Ergo peperiſſe filias periculum auget, ſed peperiſſe filios, & nihilominus mortuas fuiſſe, auget admirationem. Quamquam filios peperiſſe, & æquè grauibus teneri morbis, periculoſius eſt, quia minùs naturale. Multos rigores citra vllum ordinem habuit per totum morbum hæc: quod familiare eſſe omnibus enixis, aut quæ fœtus corruperunt, ex illis ipſis hiſtoriis, quarum nunc memini, & aliis eiuſmodi, licet intelligere. Quin etiam omnibus ſuppreſſione menſtruorum laborantibus, tam familiares eſſe rigores putauit Hippocrates, vt in aphoriſmo 61. quintæ particulę dixerit. Si mulieri purgationes non prodeunt, neque horrore, neque febre accedente, verùm cibi faſtidia ipſi accidant, hanc in ventre habere exiſtimato. Quaſi ſcilicet ſuppreſſionem patientibus ſine conceptu, rigores accidere ſoleant, multi autem ſine febribus, aut per febres. Neque ſane id citra rationem. Maligna enim qualitas excrementorum, & acer ſenſus vteri, poſſunt id facere. Quibus accedit conſenſus oris ventriculi. Quod in hac muliere peculiare etiam fuit. Nam plus quàm in proximis, & pluſquàm in aliis multis ſolet, laborauit os ventriculi, quæ pars cùm mordetur, omnium maximè, rigores ſolet facere, vt ipſe Hippocrates lib. 6. huius operis dicet. Laboraſſe verò in hac tantopere os ventriculi, indicauit prima die præter ſitim, & faſtidium, & linguæ ariditatem, cardialgia, ſeu dolor oris ventriculi, præcipuè. Iam enim inde in eam partem ferri excrementa conſtabat, ſed & ex proceſſu morbi nauſeæ, & vomitiones. Primum enim tantum bilioſa, deinde virulenta bilioſa, poſtremò etiam vomuit nigra fœtida. Hic enim decurſus indicabat materiam morbi ſemper ire ad deteriorem putreſcentiam, ventriculum verò continenter pati, quæ eadem cauſa fuit, vt poſtremò etiam ſingultus magnus ſuperuenerit, ſignum adeò lethale, cum extenuatis iam, aut ardente febre, malignaque afflictis, ſuperuenit, vt nunquam me ex hoc ſigno deceptum meminerim, tametſi ex eo multos moritutos eſſe prædixerim. Huius etiam particulæ paſſio, & materiæ mala qualitas in cauſa fuerunt, vt ſudor paucus frigidus circa caput, & aliæ extremorum refrigerationes, quæ iam iam morituris ſolent accidere, vſque adeò anticipauerint, vt vel à ſecunda die inceperint. Nimirum huiuſmodi non fiebant primis diebus, ob extremam naturalis caloris extinctionem, vt ſolent, ſed per deliquia animi, ſimilia iis quæ afferre ſolet cardialgia, etiam in non morituris, ac nonnunquam in nondum decumbentibus. Licet autem, inter cætera, in hac narratione vires dierum decretoriorum obſeruare. Per ſingulos enim quaternarios videtur ſemper morbus denuò inualuiſſe, facta ſemper acceſſione deteriorum ſignorum. Nam quarta, dicit, omnia exacerbata ſunt. Die ſeptimâ fuit extrema illa frigiditas ſudoris, & totius corporis, quæ plus quam viginti horas durauit. Nona cepit vomitus pernitioſus, virulentus, & bilioſus: & inde fœtidus, & niger. Decimaquarta mortua eſt. Non ſanè penuria euacuationum. Sed quod nullæ fuerint morbo congruentes, neque concoctionis materiæ ſigna fuerint vlla. Nam huic fuit per totum morbum aluus humida, & vomitus non paucus, ſudores quidam, & poſtremo ſanguis de naribus. Sed hic morbus expurgationem ex vtero deſiderabat, hæ aliæ euacuationes nihil aliud indicabant, quàm multam & malam materiam à natura coerceri non poſſe, ſed inuictam erratico modo, hac & illac effluere.

SECTIO III.

STATVS PESTILENS.

ANnus auſtrinus, pluuioſus fuit, & continua à ventis ceſſatio facta eſt. Cùm maximæ accidiſſent ſiccitates in paulò ſuperioris anni temporibus. Circa Arcturum flante Auſtro multum pluit. Autumnus vmbroſus fuit & nebuloſus cum magna aquarum copia. Hyems Auſtrina, humida, mollis. Multò autem poſt Solis conuerſionem circa æquinoctium ſera hyems aduenit, & iam prope

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 140 sur 489

æquinoctium Aquilonares flauerunt venti & ninxit non multo tempore. Verrursus Austrinum, aut à ventis quietum, pluuiæ multæ & vsque ad Canem continuæ. Æstas serena, calida, Æstus magni & præfocantes. Etesiæ paruæ sparsim spirauerunt. Rursus verò circa Arcturum flante Borreâ multùm pluit.

Describit statum quendam pestilentem: habet verò narratio duas partes, primâ narratur aëris intemperies, quæ pestilentem statum fecit; secundâ, narrantur morbi populares, qui ex ea intemperie nati sunt. Fuit verò annus integer, qui insignem habuit intemperiem ab ortu arcturi incipiens, vsque ad alium eiusdem syderis ortum. Totus hic annus fuit austrinus, pluuiosus, sine ventis. Nam etsi partes quædam exiguæ eius anni fuerunt flatuosæ, & quædam etiam sine pluuiis, tamen exiguæ partes non prohibent totum annum talem appellare. Toti enim tribuitur quod secundum omnes ferè partes conuenit. Proinde primis verbis summatim totius anni temperiem complectens, dicit status pestilens, annus austrinus, pluuiosus fuit, & continua à ventis cessatio facta est. Deinde percurrit singulas anni partes. Sed quo pacto fuit annus austrinus, si sine ventis? Certè auster est ventus quidam placidus, & qui sæpè flat leuiter, vt non videatur rapidè moueri aër: dicimus autem non esse ventos, cum non flant vehementius. Itaque quod dicit, est, toto anno flasse placidè austrum, & pluuias multas fuisse, & rāros, aut nullos ventos fortiores. Singulas anni partes percurrere incipit, dicens; αὐχμῶν δ' γινομένων, τὲς ἐπιπροσθεν χρόνους ἐπ' ἐνιαυτὸν, id est, cum in temporibus superioribus, & proximis anno ei de quo dicimus, æstate scilicet superioris anni, fuissent siccitates magnæ, circa arcturum, ideſt, in vltima parte mensis Augusti (Arcturus enim oritur vigesima sexta, & vigesima septima eius mensis, & inchoat autumnum) flante austro multùm pluit. Autumnus etiam totus fuit vmbrosus, nubilosus, & pluuiosus. Hyems quæ inchoat ab occasu vergiliarum, septima scilicet & octaua Nouembris, fuit austrina itidem, humida, hoc est, pluuiosa: mollis, hoc est, sine frigore multo; & ita se habuit ferè tota hyems. Nam solum post solstitium hyemale, quod vocat ἡλίου τροπὰς, non statim, sed multo post, iam scilicet propè æquinoctium, quod inchoat ver, fuerunt seræ hyemes, hoc est, sera frigora. Explicans quid vocet seras hyemes, & quo pacto hoc actum sit, dicit, & iam circa æquinoctium, βόρεαι, χαῶδεαι, ἐ πολὺν χρόνον. Ver quod ab æquinoctio incipit, rursum rediit ad statum priorem, factum austrinum, sine ventis, & pluuiosum semper, vsque ad Canem. Scilicet, durauit illud, totum ver, quod ortu vergiliarum in fine Aprilis finitur, & primam æstatis partem, quæ durat vsque ad ortum Canis. Æstas serena, inquit, calida, vltima. s. æstas (nam dixerat primam fuisse quale ver) erat calida, serena, sine pluuiis, cum forti æstu, & etesiæ, quæ illis diebus interdiu spirantes, magnum remedium æstus esse solent, paruæ fuerunt, & sparsim spirarunt. Non tamen diu durauit serenitas: nam ne per totam quidem hanc postremam æstatem, quæ ferè quadraginta dierum est, sed iam prope arcturum, ideſt, circa medium Augusti cum iam instaret ortus arcturi, rursus multùm pluit, hoc solum à superioribus pluuiæ diuersæ, quòd flante borea descenderunt. Constat itaque totum hunc annum, vix exiguis quibusdam particulis exceptis, fuisse austrinum, humidum, & tranquillum.

Cum autem factus esset annus austrinus, & humidus, & mollis, per hymem quidem salubriter agebant, præter tabidos, de quibus scribetur: ante ver autem vnà cum frigoribus consecutis erysipelata multa contingebant, quibusdam cum, quibusdam sine occasione, quæ cùm essent maligna, multos peremerunt. Multis fauces doluerunt, voces vitiatæ erant. febres ardentes cum phrenitide, ora vlcere feruido affecta, pudendis tubercula, ophthalmiæ, carbunculi. Alui turbatæ, fastidiosi, quidam autem siticulosi erant, quidam non. Vrinæ turbatæ, multæ, malæ reddebantur. Comatosi plurimùm, & rursus vigiles, morborum iudicationes aut nullæ aut difficiles: Hydropes, tabidi multi. Hi quidem morbi populariter grassabantur.

Morbos qui ob dictam intemperiem populariter grassati sunt, nunc colligit, postea de singulis seorsum acturus. Sed cur incipit narratio hæc à hyeme? Cur non dicit, qui morbi fuerint in eo autumno, quo status ille pluuiosus incepit? Certè quia illo autumno nihil noui actum fuit, nondum enim mutata fuerant adeò corpora, vt morbos gignere potuerit. Semper enim necesse est causas externas morbos antecedere. Autumno ergo illo nihil noui in hominum communi valetudine fuit, sed neque in hyeme multùm. Sed per hyemem salubriter degebant, præter tabidos, de quibus scribetur postea. Et meritò sanè tabidi facti sunt multi in hyeme humida, & austrina, quam autumnus etiam talis, & æstas valde sicca antecesserat. Nam vt in aphorismo 13. tertiæ dicitur, si æstas sicca fiat, & aquilonaris, autumnus verò pluuiosus, & austrinus, capitis dolores per hyemem fiunt, & tusses, & raucedines, & grauedines, quibusdam etiam tabes. Sed si hæc omnia in tali statu per hyemem fiūt, quomodo factum est, vt ex sola tabe ægrotauerint in hoc qui describitur? Certè illa omnia ad eandem affectionem pertinent. Nam capitibus repletis dolores fiunt, inde destillantes succi faciūt, partim grauedines, partim tusses & raucedines, procedentes verò faciunt etiam pulmonū corrosiones, & hę tabes. Sed hi, & reliqui omnes morbi, quos ante ver vnà cum frigoribus consecutis, ideſt, in postrema illa hyemis parte, qua flante aquilone ninxit, dicit incepisse, merito in hoc anno acciderunt, fueruntque pestilentes, vtpote anno pluuioso & austrino. Nam vt in initio huius operis dictum est, pestilētem statum facit putrescentia aëris, nulla autē intem-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 141 sur 489

perie magis putrefcit aër, vt neque res alia quępiam, quàm calidâ & humidâ, cuiuſmodi eſt auſtrina, & pluuioſa. Atqui quoniam plerique, & peſſimi morbi ſunt qui ex putredine ortum trahunt, meritò dicit Hippocrates in aphoriſmo. Ex anni conſtitutionibus, in ſumma, ſiccitates pluuioſis ſalubriores ſũt, & minus lethales. Sed qui morbi fiant in pluuioſis temporibus quę ſunt inſalubriora, & magis lethalia, in aphoriſmo alio, qui eſt decimus ſextus tertię particulę, ita dicitur; Morbi per aſſiduos imbres magna ex parte fiunt, febres longę, alui deiectiones, putredines, epilepſię, apoplexię, & anginę. In his generibus ſunt omnes morbi, quos hoc anno accidiſſe dicit. Nam eryſipelata cacoethe, & ora vlcere feruido affecta, & pudendorum tubercula, & ophthalmiæ, & carbunculi ex putredine fiunt, quin & febres ardentes cum phrenitide. Quandoquidem in commentatione illius aphoriſmi diximus, intelligi putrefcentiam ſuccorum in venis & arteriis, & vlceribus, & tumoribus præter naturam, & vitiis cutis. Dolores faucium, & vitiatæ voces ad anginas referuntur, alui turbatę vt ibidem dictum eſt, ad alui deiectiones. Hydropes, & tabes videntur mihi referri ad febres longas, vtrumque enim mali genus ſolent longiſſimæ febriculæ comitari. Reliqua huius orationis ſymptomatum nomina ſunt, non morborum. Faſtidioſos enim fuiſſe eius tempeſtatis ægrotos, & alios ſiticuloſos, alios ſine ſiti, & vrinas fuiſſe turbatas, multas & malas, & comatoſos fuiſſe multum, & rurſum vigiles, & iudicationes ſublatas, & iudicationes difficiles, ad ſymptomata pertinuit: non pathognomonica, ſed partim aſſidentia, partim ſuperuenientia. Sed ſingulorum cauſas nos ſummatim dicamus, vt ab Hippocrate narrantur. Bilis collecta æſtate, ob blandam hyemis temperiem non eſt extincta, & per hyemis humiditatem ſine frigore, collecta eſt pituita ſalſa: duplici hoc humore, aut eorum altero putrefcente malignè orta ſunt omnia. Biliоſis enim, quibus bilis ab æſtate in id vſque tempus retinebatur, conſtipata cute vehementi paucorum dierum frigore, putruit, & ad externas partes pulſa, eryſipelata fecit. Fuerunt verò ea maligna ob malam putredinem. Poteſt enim quicumque morbus, vt febris quæcumque, & quicumque tumor præter naturam, eſſe magnus etſi ſimplicior, aut malignus, etſi minor. Illud quidem eſt in cauſæ facientis magnitudine, vt multo ſucco, magna vſtione: hoc in malignitate, vt malo modo putrefcendi. Proinde hæc eryſipelata fuerunt cacoethe, & multos peremerunt. Quòd quidem eſt fuiſſe peſtilentes morbos. Fauces, & partes circa illas, paratiſſimæ ſunt recipere excrementa cerebri, pulmonis, & ventriculi, in quibus omnibus, per annum humidum, multos ſuccos contineri neceſſe fuit. Proinde fauces excipientes fluxiones doluerunt. Deinde cùm hæ partes, vt & genitales facilè putrefcant, vocalibus inſtrumentis, aut aliquibus partium proximarum, quæ vſum aliquem præſtant exeſis, voces vitiatæ ſunt. Eandem ob cauſam fuerunt in multorum ore vlcera feruida, ideſt nomæ malæ cum magno caloris ſenſu. Nimirum ex bile aut ſalſa pituita, malignè putrefcentibus in pudendis etiam fuerunt tubercula, in adenoſis videlicet partibus circa genitales: vt fauces excipiebant excrementa ſuperiorum partium, vt cerebri & pulmonis: ita genitalia excipiebant excrementa inferiorum, vt renum, & meſenterii, & hepatis. Nam hoc mittit in vtraſque partes. Febres ardentes fiunt putrefcentibus in venis bile, aut ſalſa pituita (nam ex duplici hoc ſucco ponit Hippocrates duplex febrium ardentium genus eſſe) malè autem patientibus capitibus, vt flante auſtro ſolent (dicũtur enim in aphoriſmo auſtri caput grauantes) merito ex illis phrenitici facti ſunt, ſucco putri delato in caput. Oculis verò excipientibus excrementa capitis, acciderunt ophthalmiæ, non aridæ, quales ſolent fieri in aquilonaribus, ſed humidæ, & ex multo ſucco Anthraces, fiunt in peſtilentibus conſtitutionibus, ex ſanguine feruente præ maligna putredine, vt in Cranone accidiſſe proximo libro dictum eſt. Profluuia alui contingebant præ multitudine excrementorum, & maligna qualitate, & debilitate rerentricis, quam humida intemperies maximè facit. Quę eadem in humidis natura corporibus faciebat hydropas. Tabidi verò euadebant quidã ex hydropicis per atrophiã, quidam ex putrefcẽtia pulmonũ, initiũ capiente à deſtillationibus. Faſtidia mali ſucci abundantiã, aut corruptionẽ facultatis in gula, & ore vẽtriculi ſequi conſueuerunt; ſitis ingens bilem aut ſalſum ſuccum ibidem imbibitum: ſitis vacuitas per febres, deteriores cauſas ſequi ſolet, de quibus dictum ſæpè eſt. Vrinæ multæ, multorum ſuccorum: turbatæ, multorum flatuum: malæ, ideſt contraria concoctioni ſigna habentes, malè putrefcentium ſuccorum erant ſoboles. Quòd comatoſi & vigiles alternatè erant, duplicem ſucci ſpeciem, quam diximus, referebat. Quòd iudicationes ſublatæ & difficiles fierent, rationi erat cõſentaneum, quandoquidem, vt in aphoriſmo dicitur. Cum non tempeſtiuè tempeſtiua redduntur, inconſtantes & difficilis iudicii morbi fiunt.

Hi erant morbi populariter vagantes. Ex vnaquaque autem ſubſcriptarum ſpecierum multi ægrotabant, & moriebantur plurimi.

Niſi ex vnaquaque morbi ſpecie laboraſſẽt multi, etiamſi plurimi morbis non eiſdem ægrotarent, nulli fuiſſent epidemiales, ſed ſparſi omnes: atque etiam ſi fuiſſent epidemiales, niſi ex eis morirentur multi, nulli fuiſſent peſtilentes. Quandoquidem autem fuerunt multa morborum genera, & ex ſingulis ægrotauerunt multi, & multi mortui ſunt, conſtat non vnicam ſolum, ſed multas fuiſſe peſtes: quodammodo autem etiam vnicam eamque maximam, qua commune quiddam omnibus erat maligna putrefcentia.

Accidebat autem ſingulis horum hoc modo Multis quidem eryſipelas accidit cum occaſione, ex fortuitis omninoque paruis vulnuſculis per totum corpus; maximè autem iis qui ſexageſimum circiter annum attingebant: & quidem circa caput, ſi quid vel minimùm negligeretur. Multis autem etiam in ipſa curatione magnæ inflammationes contingebant, & ipſum eryſipelas multùm, celeriter, & vndique depaſ-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 142 sur 489

cebatur. Plurimis igitur ipſorum abſceſſus in ſuppurationes vertebantur. Carnium & neruorum & oſſium deperditionem magnam patiebantur. Neque autem quæ colligebatur fluxio puri erat ſimilis, ſed putredo quædam alia, ipſáque fluxio multa & varia. Quibus igitur circa caput aliquid huiuſmodi fieri contigit, his glabricies totius capitis & menti accidebant, oſſiúmque denudationes & prolapſus, & multæ fluxiones, hæcque in febribus, & ſine febribus aderant: hæc autem magis horrenda erant quã funeſta: quibus enim ad ſuppurationem peruenit iſtorum maturatio, plurimi horum ſeruabantur. Quibus autem inflammatio & eryſipelas euanuerunt, nec vllum eiuſmodi abſceſſum fecerunt, multi horum mortui ſunt. Similiter etiam quacumque corporis parte oberrarunt, iſta acciderunt. Multis enim brachium, & totus cubitus defluxerunt; quibuſdam autem hæc mala infeſtabant latera, aut anteriorem vel poſteriorem aliquam partem. Quibuſdam autem femur totum aut tibia aut per totus denudabantur. Horum autem omnium grauiſſimum erat, ſiquid circa pubem & pudenda accidiſſet. Atque iſta quidem contingebant circa vlcera & cum occaſione. Multis autem in febribus & ante febres, & poſt febres, acciderunt. Illud autem habebant, vt quæcumque horum abſceſſum per ſuppurationem feciſſent, ſi aut tempeſtiua quædam alui perturbatio aut bonarum vrinarum excretio contigiſſet, per hæc ſoluerentur. Quibus autem nihil horum accidiſſet, ſed temerè & ſine ſignis euanuiſſet, mortem inferrent. Vere igitur multò plures appetiuerunt quæ ex eryſipelate naſcebantur mala; per æſtatem tamen & ſub autumnum extendebantur.

Particulatim nunc percurrit ſingula mala, quæ antea ſummatim narrauerat, recenſens ſingula eodem ordine, quo prius. Proinde de eryſipelatis dicit nũc: horum enim primam mẽtionem fecerat, dicens: Ante ver autem vnà cum frigoribus conſecutis eryſipelata multa contingebant, quibuſdam cum, quibuſdã ſine occaſione, quæ cùm eſſet maligna, multos peremerunt: Hæc eadem nunc dilatat & explicat. Explicat inquam, cum quibus occaſionibus acciderint quibuſdam, & quibus partibus, quibus hominibus præcipuè, & quæ acceſſerunt illis eryſipelatis, & quos exitus habuerunt. Multis quidem, inquit, eryſipelas accidit cum occaſiones, & fortuitis omninoque paruis vulnuſculis. Vocat omninò parua vulnuſcula eadem quæ & occaſiones appellauit. Erant verò hæ cauſæ manifeſtæ, ſeu occaſiones, vlcuſcula exigua cutis, vt quæ per vulgarem ſcabiem fiunt, aut pruritus, aut tale quidpiam, quæ ſcalpentibus, initiũ præſtabant eryſipelatis. Conſtat verò hæc eſſe, quas vocat occaſiones. Nam paulò infrà dicit: atque iſta quidem contingebãt circa vlcera, & cum occaſione.

A Ergo dicit eryſipelas contingebat in quibuſuis hominibus ex valde paruis cauſis, vt vlcuſculis, aut pruritu toto corpore, præcipuè autem circa caput in ſexagenariis. Non quidem arbitror, ſexagenarios reliquo corpore liberos eſſe à morbo, ſed (quod erat omnium grauiſſimum) ſecundum capita plus aliis laboraſſe, quia, arbitror, ſunt excrementoſi, & ob naturalis caloris debilitatem facilè eis pituita putreſcit, fitque ſalſa. Quo fit, vt familiares ſint illis pruritus totius corporis, vt in aphoriſmo vltimo tertiæ particulæ dicitur. Ergo ex pruritu, & ſcalptu cõtingebant illis in capitibus vlcuſcula, & inde eryſipelata. Hæc verò quibus parùm negligebantur, quibuſdam verò etiamſi non negligerentur, ſed in ipſa curatione, fiebant in medio eryſipelatum magnæ inflammationes, & ipſum eryſipelas multum vndique celeriter depaſcebatur. Duplicem exitũ dicit habuiſſe hæc eryſipelata, quædam abſceſſus quoſdam horrendos, per quos multi liberabantur, feciſſe; quædam, ex quibus mortui ſunt, nullo relicto ſigno euanuiſſe: neque mirum, nihil enim periculoſius eſſe poteſt, quàm recurrere intrò excrementa, periclitãtur enim omnia membra præcipua, & veriſimile erat, iis quibus euaneſcebãt, interiùs retrocedere id, quod iis, in quibus fiebant abſceſſus, ad exteriora pellebatur. Abſceſſus verò erant huiuſmodi. Vertebantur abſceſſus in ſuppurationes, & putreſcentibus, & in pus reſolutis partibus: contingebant carnium, neruorum & oſſium ὀκπώσεις μεγάλαι. Et fluxio collecta in vomica, non erat puri ſimilis, ideſt bono puri ſimilis, quale fieri conſueuit ex bono ſanguine, in inflammata particula mediocriter putreſcente, ſed putredo quædam alia multa & varia, nimirum ſanies ex bile collecta & partibus computreſcentibus. Et quibus circa caput horum aliquid euenit fieri, glabricies etiã totius capitis & menti facta eſt, putreſcentibus radicibus capillorum: & oſſium nudationes, exeſa cute & ſubiecta carne, & oſſium prolapſus. Quaſi diceret, computreſcebant etiam ſubiecta oſſa capitis, vt particulæ eorum extraherẽtur exciſæ. Et multæ fluxiones, hoc eſt, multæ ſordes, & copioſum virus redundans in affecta parte: & hæc, quibuſdam cum febribus, quibuſdam ſine febribus euenerunt. Erant autẽ inquit hæc horrenda magis, quàm funeſta, quia quibus ad ſuppurationem peruenit horum maturatio (certè vt non erat bonum pus, ita neque bona maturatio, ſed qualiſcumque maturatio, vt qualecumque pus) plurimi horum ſeruabãtur, liberatis ſcilicet internis partibus. Quibus autem inflammatio, & eryſipelas (dixerat in eryſipelatis oriri plegmonas) euanuerunt, repente ſcilicet, & inſperatò, ac præter rationẽ, & huiuſmodi abſceſſum nullũ fecerunt, multi mortui ſunt. Nimirũ vt in prognoſtico dicitur, & in hoc ipſo opere nõ ſemel iam notatũ eſt, eryſipelas intro recurrere periculoſum eſt. Indicat vero intro recurriſſe, euaneſcẽtia. Non tantũ autem quibus circa caput oriebatur eryſipelas, eueniebat quod dictum eſt, ſed ſimiliter, quibus in alia quacumque corporis parte oberrabat eryſipelas (oberrare dicit, quia, vt dictum eſt antea, depaſcebatur vndiq; & ſerpebat) multis enim brachiũ & cubitus defluxerũt, quibuſdã inciderũt hæc mala in latera, quibuſdã in aliquã partium anteriorũ aut poſteriorũ. Quibuſdã femur totũ & tibię nudatę ſunt, & pes totus, quibuſdã circa pubẽ & pudẽda eryſipelas depaſcebatur. Itaq, rectè dixerat, quacũq; corporis parte. Nullã .n. externarũ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 143 sur 489

nō enumerauit. Erat autem inquit omniū grauiſſimū cum circa pubem & pudenda accidiſſet. Nimirum hæ partes ſunt putredini valde opportunæ: in quibuſque ob eam naturam adeo ſolet putredo ſerpere, vt cogantur in eis chyrurgi, mox vrere & ſecare. Non mirum ergo ſi in tam maligna putreſcentia, quibus abſceſſus, aliis in partibus futuri ſalutares, in has erumperent, periclitarentur. Atque iſta quidem, inquit, contingebant circa vlcera & cum occaſione, aliis verò fiebant ſine omni occaſione, ideſt nullo vel exiguo prægreſſo in cute vitio. Fiebant verò his (vt prioribus etiam) quibuſdam cum febribus, quibuſdam ſine febribus: & quibus ſine febribus, quibuſdam ante febres, quæ poſtea ſuccedebant: quibuſdam poſt febres, quæ anteceſſerant. Malum autem eſſe, & cum febre, & ante, & poſt febrem, quodcunque eorum quæ ad cutem erumpunt, conſtat ex iis quæ mihi dicta ſunt in commentatione aphor. quinquageſimi quinti quartæ particulæ. Contigit hæc quoque eryſipelata, vt priora, ſi euaneſcebant ſine ſigno, ideſt nullo veſtigio relicto in parte (quod in puella Polimarchi vituperauerat, ſectione tertia libri ſecundi) neque facta aliqua euacuatione per vētrem, aut vrinam, aut alſter (quod eſt præter rationem euaneſcere) lethalia eſſe. Soluta autem ſunt per abſceſſum cum ſuppuratione, vt priora: & quædā etiam per turbationē alui tempeſtiuam, ideſt per ſigna concoctionis accidentem, aut per excretionem vrinarum vtilium, ideſt, exeuntium cum conferentia & tolerantia, ſoluebantur. Dicit tandem hæc eryſipelata, quæ vere inceperunt, duraſſe per totam æſtatem & autumnum. Neque mirum, nam & intemperies aëris per totum annum durauit.

Multa autem turbatio quibuſdam contingebat, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & circa dentes abſceſſus. Multiſque vocis vitiatæ & impeditæ ſignificatio facta eſt, primùm quidem tabeſcere incipientibus, ſed & febre ardente & phrenitide laborantibus.

Cum ſatis iam de eryſipelatis dixerat, ad reliqua properat. Dixerat vero mox poſt præſcripta de eryſipelatis verba, multis fauces doluerunt, voces vitiatæ. Hęc nunc explicat, dicens, circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, circa dentes abſceſſus, & voces vitiatæ, & impeditæ. Quâ cauſâ fauces, & partes circumcirca laborauerint, dictum antea eſt. De abſceſſu in dentes dixeramus ſectione prima ſecundi libri in hæc Hippocratis verba, abſceſſus quibus hæc non fiunt, ſunt velut dentes. Vbi & loci alterius ex calce libri quarti, meminimus. Sed cur dicit, voces vitiatæ & impeditæ ſignificationem præſtabant? An quia vitium vocis non ſemper fuit pathognomonicum, vt fortaſſe in tuberculis faucium, & linguæ inflammationibus, ſed in quibuſdam, vt ſignum pravum ſuperueniens, vt in tabidis, & in laborantibus febre ardente & phrenitide. Quod dicit, multa turbatio quibuſdam contingebat, & ad priores, & ad eos qui ſequuntur, referri poteſt: turbatio enim Hippo. ſignificat periculum, quod perturbationem & timorem afferre ſolet ægrotis, & iis qui adſunt.

Inceperunt igitur febres ardentes & phrenitides antè ver poſt ea quæ præceſſerant frigora, & plurimi tunc ægrotauerunt, & in acutos & lethales affectus inciderunt. Talis autem erat febrium ardentium quæ vigebant, conſtitutio. A principio comatoſi erant, faſtidioſi, febris acuta, non valdè ſiticuloſi, non delirabant. E naribus paucus exibat ſanguis. Plurimis paroxyſmi diebus paribus contingebant, circa paroxyſmos autem obliuio, exolutio, & vocis priuatio. Iis pedum & manuum extremitates ſemper frigidiores erant, maximè autem circa paroxyſmos: rurſumque tardè nec probè recaleſcebant & iterum ad mentem rediebant & loquebantur. Illos verò detinebat aut ſopor continuus, non ſomnolentus, aut cum laboribus vigiles erant. Plurimis horum alui turbabantur deiectionibus crudis, tenuibus, multis. Vrinæ multæ, tenues, neque iudicatorium neque bonum quicquam habebant. Neque aliud quicquam iudicatorium ita affectis accidit. Neque enim ſanguis benè fluebat è naribus, neque alius quiſquam abſceſſus eorum qui conſueti ſunt, decretorius accidebat. Vnuſquiſque moriebatur fortuitò & inordinatè, plerumque tamen circa iudicationes: quidam diu voce priuati, multi cum ſudoribus. Iis igitur qui ſeſe lethaliter habebant, hæc acciderunt. Similia verò phreniticis fiebant, atque hi ſine ſitierant. Neque vehementer inſaniuit phreniticorum quiſquam, vt in aliis ſolet, ſed ex alia quadam graui ac lenta propenſione in ſomnum, grauiter peribant.

Poſt faucium dolores, & vitiatas voces febrium ardentium & phrenitidum meminerat Hippoc. hæc nunc dicit qualia fuerint, primùm quidem agens de laborantibus ſola ardente febre ſine delirio, deinde de phreniticis. Ambo genera malorum (erat verò id quodammodo etiam vnum, ſuccedente phrenitide in multis ardenti febri) dicit cepiſſe ante ver, cùm iam fierent frigora flante Aquilone, & plurimos tunc ægrotaſſe. Sed mirabitur quiſquam, quomodo factum fuerit, vt cum conſtitutio quæ morboſum fecit annum, fuerit auſtrina & humida, tunc ægrotare cœperint, cum ad contrarium mutata eſt, antea ſalubriter degentes: cum tunc temporis emendari potius anni intemperiem, quàm augeri, eſſet conſentaneum. Tamen id factum eſt ex accidenti, non quòd ea mutatio aëris ad frigidiorem excrementa auxerit: ſed quòd obſtructione cutis excrementa anteà genita cohibuerit, & putreſcere fecerit: ὀξέα δὲ τύπτει, inquit, καὶ θανατώδεα ξυνέπιπτεν, ſymptomata ſcilicet, quæ autem ea fuerint, deinde percurrit, dicens, erat autem cōſtitutio febrium ardentium quæ vigebāt, talis: ἀρχόμενοι, ideſt à principio catomatoſi erāt, ob grauitatem capitis quā Auſter fecerat: faſtidioſi, ob malignā putreſcentiā: horreſcebāt, quia familiare eſt morbis omnibus cum deſtillationibus è capite,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 144 sur 489

aut vndecunque fluxionibus vagantibus, atque adeò ſolis catharrhis citra alios morbos, horrores inordinatos habere. Neque id immerito, ſi enim certæ fluxiones, & ordine quodam repetentes, ex certis partibus in partes certas, certos & ordine repetentes faciunt horrores, & alternatè febres incertæ & vagæ facient incertos. Febris, inquit, acuta, id eſt acuta ad manum. Nam quod ad conſtitutionem attinet, omnes ardentes ſunt acutæ. Tamen non valde ſiticuloſi, addit, non delirabant, quaſi diceret, non erant valdè ſiticuloſi, etſi non delirarent. Si enim deliraſſent, non mirum ſi fuiſſent ſine ſiti, tamen citra delirium & cum febre acuta, ſatis præter rationem, ac proinde etiam malum. Significare enim poterat naturæ corruptionem, tametſi in his non puto illud ad malignã cauſam debere referri: ſed ad multæ humiditatis redundantiam, quam aſſiduæ pluuiæ illius anni pepererint. E naribus paucus exibat ſanguis, quod vituperatum ſæpe ab Hippoc. eſt: nimirum, vt alia quæuis euacuatio tentata, & vt propriam capitis abundantiam repræſentans, aut raptum humorum in illud. Omnia verò quæ grauitatis capitis ſigna ſunt, erant auſtrinæ conſtitutioni congruentia. Quod paroxyſmi contingerent diebus paribus, malum eſſe, & quam ob cauſam, dictum eſt mihi tertia ſectione primi libri huius operis. Graues admodum fuiſſe paroxyſmos, ſymptomata ſatis indicabant. Per paroxyſmos enim, inquit, obliuio, exolutio, & priuatio vocis. Obliuio ſanè ob mentis alienationem, non enim ob abolitam memoriam, cum id frigoris ſit. Exolutio & priuatio vocis, deliquij animi erant: itque debilitatis calidi innati, vt & illud etiam atque adeò multò magis, extremas manus, & extremos pedes frigere ſemper, maximè verò circa paroxyſmos, & tardè nec probè, id eſt non ſatis recaleſcere. Sed quo pacto, ſi ſemper hæc erant frigida, aut ſaltem ſubfrigida, erat febris acuta ad manum? Certè ſecundũ ventrem, & coſtas. Rurſum, inquit, intelligebant, & loquebantur, inſinuans, illam obliuionem eſſe non intelligere. Non ſanè delirare [dixerat enim non delirabant] ſed velut mentis ſtupore teneri, ac proinde attonitorum modo, neque meminiſſe, neque loqui: diſpoſitio catoeho ſimilis. Tantopere laborabant ea tempeſtate capita: quod id etiam quod addit, indicabat. Detinebat, inquit, eos, aut coma perpetuum non ſomnolentum, aut erant vigiles cum doloribus. Id eſt, niſi dolore aliquo excitarentur, tenebat eos coma vigilans vocatum, hoc eſt, paſſio media inter comatum & vigiliam. Fit verò id à cauſa etiam media ex bile & pituita, quos duos ſuccos merito per illam tempeſtatem redundaſſe, nuper iudicatum eſt. Erant his multæ euacuationes intempeſtiuæ, nihil conferentes: quod redundantiæ maximæ eſt, & vt in inconſtantibus temporibus ſolent, inconſtantes morbi fiebant, per quos neque moriendi dies certus erat, vt ſolet, aut ob certam morborum conſtitutionem, multis idem: ſed incerta omnia. Proinde dicit, adeò turbabantur plurimis horum, deiectionibus crudis, tenuibus, multis. Vrinæ etiam tenues multæ, neque iudicatorium neque vale quidquam habebant, id eſt neque tollebant, neque ſubleuabant morbos. Neque aliud quidpiam iudicatorium ita affectis contingebat. Iudicatorium ſcilicet iudicans, nam qualia iudicatoria non iudicantia ille vocauit, libri ſecundi prima ſectione, multa apparuerunt, iudicantia autem, non: quia neque ſanguis bene fluebat, neque alius quiſpiam abſceſſus, eorum qui conſueti ſunt, decretorius accidebat. Moriebatur quicunque, οἷς πυκνὰ παραπλησίως id eſt incertis diebus, pleruncque autem circa iudicationes, id eſt cum aliquibus euacuationibus. Hæ enim etſi non iuuent, immo verò etſi lædant, iudicationes aliquando appellantur: tametſi id nomen de bonis dicatur antonomaticè, quo ſenſu ante dixerat, nihil habentes iudicatorium. Sed certè non minus mors quàm ſalus ſolet ægrotis cum euacuationibus ſubrepere, vt his qui circa euacuationes moriebantur, quidam in aliis euacuationibus, multo antè, quàm morerentur, priuati voce, quidam ſudãtes. His igitur, inquit, qui lethaliter ſe habebant, ex ſolis ſcilicet febribus acutis, acciderunt hæc. Similia autem, inquit, & phreniticis, ſine ſiti autem hi erant, priores dixerat non valde ſiticuloſos, hos qui delirarunt fuiſſe ſine ſiti omnino. Neque mirum: nã ſi qui ſine delirio erant, non erant valdè ſiticuloſi, quo pacto alienati mente percepiſſent paſſionem, alioqui leuem, cùm vt in aphoriſmo dicitur, quibus mens ægrotat, etſi dolendi cauſam habeant, paſſionem non ſentiant. Sed quod eſt illud ænigma quod addit, dicens, neque phreniticorum inſaniuit quiſquam? Quo pacto erant phrenitici, ſi non inſanibant? Certè non dicit id ſimpliciter: ſed, neque phreniticorum inſaniuit quiſquam, vt in aliis: in aliis ſcilicet phreniticis, qui vigiles & loquaces, & inquieti, & apertè delirantes ſunt: ſed cum grani ac lenta in ſomnum propenſione, grauiter peribant. Voeat vero, vt cum alias tum vel maximè toto hoc opere conſtat, phreniticos, non eos ſolùm, quibus calidis excrementis abundat cerebrum: ſed vtcumque alienatos mente, in quibus ſunt etiam lethargici, & typhomania laborantes. Sed de ardente febre & phrenitide hæc.

Vigebant inſuper aliæ febres, de quibus ſcribetur.

Cum morbos ſummatim collegit, febrium ardentium ſolùm meminit, quamquam non illis ſolis laboratum eſt, neque conſentaneum, nam vt in aphoriſmo tertiæ particulæ quem citauimus dicetur, longæ febres familiares ſunt piuuioſis tempeſtatibus, quare non ſolæ ardentes: proindè quaſi aliarum febrium antea oblitus, obiter, & velut aliud agens, nunc eas etiam viguiſſe dicit, acturus de eis poſtea, ſuo loco.

Ora multis aphthis affecta fuerunt & vlcerata, fluxiones multæ circa pudenda, vlcerationes, tubercula foris & intus, quæ circa inguina erant, Ophtalmiæ humidæ, longæ, diuturnæ cum doloribus: eruptiones palpebrarum foris & intus exoriebantur, quæ multis oculorũ aciem corrumperent, & ficus nominant. Erumpebant autem & in alijs vlceribus multa, & in pudendis: carbunculi multi per æſtatem,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 145 sur 489

alia quæ putredinis nomine donantur, exanthemata magna, herpetes multis magni. Circa aluum autem multis multa & noxia acciderunt, primùm quidem teneſmi multis cum dolore, plurimis verò puerulis, & pueris impuberibus, eorumque plurimi peribant. Lienterici multi, dyſenterici, neque hi admodum moleſtè ſeſe habebant. Bilioſa autem & pinguia, & tenuia, & aquoſa excernebant, multis quidem ipſe morbus eò decubuit, & ſine febribus, & in febribus, cum doloribus tormina & voluuli maligni, multorum quæ inerant & ſuppreſſa erant, exitus: nec exeuntia dolores ſoluebant, & ijs quæ offerebantur ægrè cedebant. Nam purgationes multos lædebant, multi autem eorum qui ita ſe habebant, citò moriebantur, multi autem diutiùs viuebant. Vt autem ſummatim dicam, omnes qui & longis & acutis morbis tenebantur, ex alui affectibus maximè moriebantur, omnes enim aluus ſuſtulit. Omnes autem in quos equidem tunc incidi, præter morbos anteà ſcriptos, etiam cibos faſtidiebant. Multi autem, maximè hi ipſi, & qui ex talibus aut alijs morbis laborabant, & qui lethaliter ſeſe habebant, alij quidem ſiticuloſi erant, alij autem non. Nec vllus eorum qui febribus & alijs afficiebantur, potum intempeſtiuè ſumpſit, ſed quoad potum inſtituere victũ quem velles, licebat. Vrinæ autem multæ prodibant, ingeſto quidem potui non reſpondentes, ſed multùm ſuperantes. Multiplex autem erat exeuntium vrinarum vitium, neque enim craſſitiem, neque concoctionem habebant, neque per eas vtile quicquam expurgabatur. In multis enim probæ per veſicam purgationes conferunt. Plurimis autem colliquationem, & turbationem, & dolores & iudicationem nullam ſignificabant. Comatoſi autem erant præcipuè phrenitici, & qui febribus ardentibus laborabant, ſed & in alijs omnibus morbis maximis, qui cum febre contingebant. Plurimos autẽ omnino aut ſopor grauis comitabatur, aut tenues & exiguos ſomnos habebant.

Hæc quæ nunc percurrit, vt ipſemet monet, quibuſdam cum febribus, quibuſdam etiam ſine eis accidebant, atque adeo quibuſdam cum ardentibus, quibuſdam cum aliis, de quibus mox ſcribetur. Atque adeo omnia ea mala, quorum in hac conſtitutione fit mentio, alia cum aliis complicabantur, etſi quædam cum quibuſdam magis, & hæc eſt cauſa quâ Hippocrates viderũr repetitionibus quibuſdam vti, quas niſi quis quod dicimus intelligat, putabit eſſe inutiles. Nam vel nunc dicit, quod & antea dixerat, comatoſos fuiſſe phreniticos, & febre ardente laborantes. Sed antea de ipſis febribus & phrenitidibus agebat ſeorſum, nunc alia, quæ ſine eis in quibuſdam contingebant, in quibuſdam autem cum eis, vult in memoriam reuocare. Cur internæ partes oris, & pudenda, & laxę partes inguinum, per ſuccorum putreſcentiam, facilius quàm alię partes, vlcera, fluxiones, & tubercula, interius & exterius contrahant, dictum antea eſt. Dictum eſt etiam oportuiſſe ophthalmias humidas eſſe, per hanc tempeſtatem pluuioſam & Auſtrinam, non aridas, quales per Aquilonares fieri ſolent. Conſtat verò, eas quæ ob humiditatis abundantiam fuere humidæ, ſtatim debuiſſe eſſe longas & diuturnas, ac cum doloribus. In diuturnis autem & concocto difficilibus opthalmiis, multorum malorum periculum oculis impendet. Nam vngues, leucomata, ſuffuſiones concretæ, rixæ, hypopia, encantydes, & alii multi abſceſſus fieri ſolent, à quorum quibuſdam viſio, ab aliis oculus etiam corrumpitur: velut nunc fiebant ficus, hoc eſt tubera quædam carneæ, ficus ob figuram vocata, quæ in vlceribus, vt ipſamet vlcerata caro rotunda, ſubdura, ſubrufa naſcuntur. Oriuntur verò magna ex parte in capite, vt autor eſt Paulus cap. 3. libri 3. ſed & in reliquo corpore, quod & hic dicit Hippocr. addens, erumpebant autem & in aliis vlceribus. Multi in pudendis carbunculi per æſtatem naſcebantur, & vlcera altiùs exedentia, & ſerpentia, quæ ob id vocantur ὀφεις, ideſt ſerpens. Nimirum carbunculi vrendo ſanguine & feruente fiunt. Vlcera illa ab atra bile acerrima nimirum ſunt cancri vlcerati: æſtas verò tales ſuccos maximè parata eſt gignere, & ea corporis pars omnem malignam putreſcentiam maximè parata recipere, eadem prorſus ratione quâ erypelata, de quibus multa iam dicta ſunt, fiebant exanthemata magna, & herpetes magni multis. His dictis de malis quæ in cute efflorebant, tranſit deinde ad ea mala quæ ex aluo patiebantur ægroti, quæ omnia cùm ſummatim mala omnia colligeret, dixit alui turbabãtur: nunc hæc explicans, dicit, circa aluum autem multis multa & noxia acciderunt. Primum quidem teneſmi multis cum dolore (magno intellige, nam ſine omni dolore nulli accidunt) plurimis verò puerulis, & pueris maiuſculis, denique vſque ad pubertatem quæ pueritiam finit, & adoleſcentiam inchoat: fortaſſe humida natura, in humida conſtitutione præcipuè, patiendi occaſio fuit. Acciderunt etiam lienteriæ, dyſenteriæ, & diarrhœæ quæ ſunt tria genera deiectionum morbidarum. Neque dyſenterici fuerunt cum magno dolore inteſtinorum vt ſolent, quia arbitror multitudo humiditatis mordentem qualitatem hebetabat. Diarrhœæ verò fuerunt nunc bilioſorum, & pinguium, & tenuium, & aquoſorum, aliquando cum his, ſimul exeuntibus deiectionibus variegatis, aliquando ſeorſum. Bilioſis quidem ex eius ſucci redundantia: pinguibus ex colliquatione: tenuibus, & aquoſis, ex crudis & pituitoſis. Multis quidem inquit, morbus eò decubuit, & ſine febribus & cum febribus μετὰ πόνων, ideſt cum doloribus inteſtinorum. Nam dixerat anteà eryſipelata illa horrenda, quæ nunc cum febribus nunc ſine febribus accidebant, aliquando ſoluta per alui turbationem, iam verò per febres turbatas fuiſſe aluos, plurimis dictum etiam iam antea eſt. Sed cum de dyſentericis dixerit, neque hi cum magno dolore, quo pacto dicit decubuiſſe morbos ad aluum cum dolore? Certè dolores dyſentericorum, qui ex inteſtinorum exeſione fieri ſolent, fue-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 146 sur 489

runt exigui: alii verò dolores inteſtinorum, vt tormina & voluuli, magni, & maligni. Maligni erant quod periculoſi, quod inde maximè deprehendebatur, quod non ſoluebantur euacuationibus. Multorum enim, inquit quæ inerant, & ſuppreſſa erant, fiebant exitus & exeuntia dolores non ſoluebant, & iis quæ offerebantur, medicamentis ſcilicet expurgantibus, ægrè cedebant. Ægrè cedere dici poterant, aut quod non exirent dato pharmaco, aut quod exeuntia non prodeſſent: dici autem hoc ob hoc vltimum, conſtat, quia addit, nam purgationes plurimos lædebant. Certè grauiſſimum ſignum eſt in quouis morbo, nihil prodeſſe, neque quæ ſponte fiant, neque quæ arte tententur Pharmaca vero non raro lædunt in morbis peſtilentibus, quia conuocant malignos ſuccos verſus cor, & in os ventriculi, niſi mox in initiis & turgentibus ſuccis exhibeantur. Neque ſanè niſi raro in talibus ſponaneæ alui fluxiones vtiles ſunt, accommodatiores enim ſunt euacuationes quæ ex alto corpore in cutem euocant, & tales etiam ſunt arte procurandæ: vt euocatio ad cutem per frictiones, cucurbitulæ cum ſcarificatione adhibitæ, & prouocatus ſudor, non tamen ob hæc nego antecedere debere miſſionem ſanguinis, ac ſi res exigat, expurgationem turgentium. Maximum verò impedimentum expurgationis, hypochondriorum inflammatio. Hoc autem quod dicimus ex hac tempeſtate licet agnoſcere, nam inquit, eorum qui ita ſe habebant multi quidem cito moriebantur, multi autem etiam diutius viuebant, vt autem in ſumma dicatur, omnes & qui longis & qui acutis morbis tenebantur, ex alui affectibus moriebantur præcipuè, omnes enim aluus ſuſtulit. Repetitione ſignificat Hippocrates ſe velle, vt hoc velut notatu digniſſimum conſideremus, quid enim aliud erat dicere omnes ex aluo moriebantur, quàm omnes aluus ſuſtulit? His dictis de alui turbationibus tranſit ad alia quorum erat facta mentio, ea verò diximus eſſe ſymptomata potiùs quàm morborum ſpecies, faſtidium ſcilicet, ſitim, & vrinas copioſas Proinde magna diligentia explicat, quibus morbis illa acciderent. Omnes autem, inquit, in quos equidem tunc incidi, præter morbos antèa ſcriptos, etiam cibos faſtidiebant. Nimirum Hippocrates multas vrbes, quin & inſulas multas perluſtrabat. Non enim vt ridiculè quidam Luſitanus interpretatur, id dicit, quòd ipſemet Hipp. illis omnibus ægrotauerit. Quis enim id diceret, niſi leuiſſimus? Multi autem maximè hi ipſi, ideſt maximè autem multi cibos faſtidiebant qui laborabant ex aluo, & qui (inquit) ex talibus, vt qui etſi non præcipuè ex aluo ſed febre laborarent, fluxiones alui habebant (nimirum quibus vtcunque ſemiebantur mali ſucci repere ad ventrem) & ex aliis autem morbis fiebant faſtidioſi, qui pernitioſe affecti erant. Nimirum faſtidium maximum magnum caſum facultatum ſignificat. Sitis non perinde ac faſtidium omnes ægrotos tenebat, ſed alij quidem erant ſiticuloſi, alij autem non. Qui laborabant cum febribus, illi omnium maximè ſitiebant, quanquam neque illi omnes æquè. Eorum autem qui in febribus, & aliis eiuſmodi, in phrenitide ſcilicet, nullus potum intempeſtiuè ſumpſit, ſed quoad potum victum inſtituere quem velles licebat. Dictum etiam antea erat, hos non fuiſſe ſiticuloſos, & qua cauſa. Vrinas dicit fuiſſe multas, & potum

A multo exceſſu ſuperantes, initium fortaſſe diabeticæ paſſionis, quæ, vt in aliis ſolet, ex renum calore, & nimio potu incipere, ita in iis inciperet ex renum ardore febrili, & multa humiditate, ob anni ſtatum in corporibus redundante. Multiplex autem dicit fuiſſe in vrinis vitium, quia neque vt ſigna, neque vt cauſæ boni aliquid habuerunt. Quia neque craſſitiem & concoctionem præ ſe ferebant, vt inde boni aliquid ſignificaretur, neque his humores purgabantur, vt ita ſaltem aliquid corporibus conferrent. Itaque neque bonam ſignificationem præ-
B ſtabant, neque conferentia euacuabantur, vt ſæpè ſolent. In multis enim probæ per veſicam purgationes conferunt. Hoc eſt, nam multis fiunt expurgationes vtiles per vrinas, præſtatque talis expurgatio bonam ſignificationem morbi integre ſoluendi, & hominis ab abſceſſibus, & aliis morbis liberandi. Meritò profectò Hippocrates vſus hic eſt occaſione laudandi euacuationem per vrinam: quia morbis quam plurimis eſt accommodata. Rari enim
C morbi nobis curandi contingunt, qui non ſint in genere febrium putridarum, quæ omnes cauſam præcipuam habent in venis & arteriis, vnde vrina deſtillat, quæ decretoriè excernitur. Nam quotidiana mictio, ex potu eſt nondum diſtributo. Congruit verò per vrinam purgatio reliquorum etiam morborum maximæ parti, nam conuenit morbis veſicæ, renum & hepatis partis gibbæ. Hepar verò, vt bene ſe habens bonorum ſuccorum præcipua cauſa plerunque eſt, ita etiam malorum, quum male afficitur. Sed & alii omnes morbi, quibus cauſa proxima intra venas non eſt, habent tamen ibi cauſam
D quam vocant antecedentem, quæ velut radix proximæ, & per eam morbi, plurima mictione ſolui poſſunt. Merito ergo in multis purgationes per vrinas vtiles ſunt Qua cauſa ego ſoleo, hac in re Galenum imitatus, omnes ferè morborum ex materia pendentium curationes diureticis finire. Non autem, quia in omnibus poſſunt, & ſolent eſſe vtiles, & bonã ſignificationem præbere, neceſſe eſt vt ſemper adſint, & ea præſtent, ſed tunc ſolũ, cum fiũt facultate expultrice eò excrementa pellente Cũ verò
E præ mala vĕtris affectione, quod dolores ſignificãt, aut præ corporis colliquatione, aut ob malignam qualitatem ſuccorum facultate non potente retinere, lædunt & malam ſignificationem præbent, vt horum plurimis ſignificabant colliquationem, turbationem, & dolores & iudicationum ſublationes. Nam vbi copioſa aliqua & noxia euacuatio adeſt: ea quidem non iudicat, & alias iudicationes fieri prohibet. Comatoſi autem erant præcipuè phrenitici,
F & qui febribus ardentibus laborabant. Ita quoque antea dixerat, neque inſaniuit phreniticorum quiſquam, vt in aliis, ſed alia quadam graui ac lenta in ſomnum delatione grauiter peribant. Addit vero, & in aliis omnibus morbis maximis, qui cum febre contingebant. Nimirum omnia mala eius tempeſtatis dixit fieri aliquando cum febribus, etſi quædam eorum ſine febre etiam aliquando: vtcunque ergo eſſent grauia mala & cum febre, erant etiam comatoſa. Plurimos autem, inquit, eorum qui hoc anno
G ægrotauerunt, omnino aut grauis ſopor comitabatur, aut tenues & exiguos ſomnos habebant, ideſt, habebant coma vigilans.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 147 sur 489

Multa autem alia febrium genera populariter vagabantur, tertianæ, quartanæ, nocturnæ, continuæ, diuturnæ, erraticæ, fastidiosæ, inconstantes.

Omnia febrium putridarum genera populariter vagata sunt, nam continuæ, & intermittentes, quæ tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, & erraticæ; & acutæ, & longæ, & malignæ, & inconstantes. Sunt vero hæ omnes febrium differentiæ, neque secundùm vnam solùm, sed secundùm multas partitiones. Nam secundùm figuram sunt hæ, febres continuæ & intermittentes, atque intermittentes tertianæ, quartanæ, quotidianæ, & erraticæ; secundùm constitutionem acutæ & longæ; & rursum constantes, & inconstantes; secundùm morem, simpliciores aut malignæ. Inconstantes enim sunt, quæ illegitimas habent constitutiones, & non recipiunt diebus legitimis legitimas mutationes, ac proinde sunt iudicatu difficiles. Intelligit vero nomine nocturnarum quotidianas. quotidianę enim sunt, vt primo Epidem. sect. tertia dicebatur, nocturnæ aut diurnæ. Non refert autem parum, hæ sint aut illæ, quia vt illo loco Hippocrates dixit, neque æquè longæ, neque æquè periculosæ sunt, sed diurnę nocturnis deteriores. Proinde voluit Hippoc. hic vno nomine dicere fuisse quotidianas, & quales fuerint. Ἀσθενίων nomine intellexit malignas, quia magnum fastidium, vnum quoddam accidens est eorum, quæ maximè possunt significare morbi malignitatem. Omnes ergo ex genere putridarũ febriũ, & omnes malignæ, & inconstantes. Nam circuitus quartanis longiores, vt quintanarum, & septimanarum, rariores sunt in febribus. Vt non opus fuerit, si dicti tres circuitus febrium eo anno erant, illos etiam fuisse. Sed miror Galenum censere, quod de illis febribus loco citato ex primo Epid. dicitur, non esse Hippocratis, quia hic nullam quintanarum aut septimanarum mentionem fecit. Quasi vero hic omnes febrium differentias persequi statuerit, ac non potius narrare quę acciderint illo anno; aut quasi necesse sit febriũ omnia genera, quę omnino sint, eo anno grassata esse. Nõ est sane necesse, etiamsi omnia quę nõ sunt rarissima, populariter vagata sint, neque sanè citra causam. Nã calor bilem vtramque, humiditas pituitam peperit, in tribus autem his generibus sunt febres omnes putridę. Malum autem morem maligna putrescentia fecit; incõstantiam, quòd non fuerit tempestiua & constans temporum anni temperies.

Omnes autem hæ cum multa turbatione contingebant, alui enim plurimis turbabantur cum horrore, sudores nihil decernebant, & vrinæ præscriptis similes erant. Plurimis autem eorum hæc erant diuturna, neque enim qui ipsis contingebant abscessus, vt in aliis, decernebant. Omnia quidem difficulter iudicabantur omnibus, vel nullo modo iudicabantur vel producebantur, his verò multò maximè. Paucis horum verò circa octogesimam diem iudicium contigit, plurimis autem vt contigit, defecerunt. Moriebantur horum pauci ex hydrope erecti & stantes & multos etiam in aliis morbis infestabant tumores, multò autem maximè tabidos.

Turbationem cum sine addito dicitur, significare periculum dictum iam est, dictum etiam alui profluuia esse in malignis febribus periculosa. Dicit ergo omnes dictas febres cum multo periculo fieri, quia alui plurimis turbatæ sunt. Sed quia dictum est antea fuisse inconstantes, necesse est fuisse difficilis iudicationis, hoc verò est euacuationes omnes esse non iudicatorias, aut saltem non bene iudicatorias: quare merito fiebant sudores non iudicatorii, idest non soluentes febres. Sudores certè ob pluuiosam anni tempestatem; non iudicatorii, ob malignitatem morborum. Vrinæ, inquit, præscriptis similes erant. Significat verò illud ὑπογεγραμμέναι, idest scriptum est, hoc loco & multis aliis, quod antea scriptum est. Erant ergo vrinæ multæ potum superantes, & neque cõcoctionem, neque excretionem vtilem habentes. Hæ verò eandem causam habebant, quam sudores. Longa ergo mala fuerunt plurimis horum, hoc est ita febricitantium, quia abscessus qui contingebant his non iudicabant, idest quia euacuationes (has enim vocat plerunque Hippocrates abscessus) non soluebant febres, neque deiectiones scilicet, neque sudores, neque vrinæ. At verò vt dicitur aphorismo 56. particulæ 4. Febricitanti sudor oboriens febre non remittente, malum. Moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat. Aliarum euacuationum est eadem ratio. Merito ergo dicit fuisse longa mala, quia euacuationes non conferebant, vt in aliis solent. Horrores etiam, vt & rigores, iudicationes tentatæ erant, & præterea passionem oris ventriculi sequi poterant. Omnia, inquit, difficulter iudicabantur omnibus, vel nullo modo iudicabantur, vel producebantur, his verò multò maximè, febricitantibus scilicet his febribus. Iudicabãtur verò horum pauci circa octogesimum, quia in affectionibus diuturnis habent magnam vim quadragenarii dies, octogesimus verò absoluit duos quadragenarios. Plurimis autem defecerũt febres vt contigit, idest incertis diebus, quod etiam ad inconstantia febrium pertinebat. Horum pauci euadebant hydropici, & recti obambulantes moriebantur. Neque solum, inquit, in his, sed in aliis morbis infestabant tumores, idest, hydropes; multò autem magis infestabantur hydrope qui tabescebant, per debilitatem scilicet facultatis concoctricis.

Maximum autem & grauissimum malorum fuit tabes & multos occidit. Namque cùm multis circa hiemem incepisset, partim hi decumbebant, partim erecti ambulabant. Ante ver autem moriebantur plurimi ex decumbentibus. Nulli autem aliorum cessauerunt tusses, sed per æstatem remiserunt, sub Autumnum autem decubuerunt omnes & multi interierunt: diu autem eorum multi ægrotarunt. Horum igitur plurimi ex his repẽtè laborare cepe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 148 sur 489

runt, frequentes erant rigores, sæpè febres continuæ, acutæ, sudores intempestiui, multi frigidi perpetuò, multùm refrigerabantur, rursúsque vix incalescebant, alui variè substiterunt, rursúsque citò humectabantur, & omnia quæ circa pulmonem erant per inferna distribuebãtur. Copia vrinarum non bonarum, colliquationes malæ. Tusses autem inerant vsque ad finem multæ, & multa cocta & humida educentes, nõ admodum cum doloribus. Quod si etiam aliquantulum dolerent, admodum leniter purgatio ex pulmone procedebat. Fauces non admodum mordebantur; neque salsugines quicquam infestabant. Viscida tamen & alba & humida & spumosa multa è capite descendebãt. Longè autem maximum malum & hos & alios comitabatur cibi fastidium, vt antèa scriptum est. Nam neque potum neque cibum libenter sumebant, sed prorsus sine siti degebant, grauitas corporis aderat, & sopore detinebantur. Plurimi eorum tumebant & in hydropem euadebant, horrebant & circa mortem delirabant. Species autem tabidorum erat ex iis qui glabri erant, subalbidi, pituitosi, subrubri, cæsios habentes oculos, albâ pituitâ referti, ii quibus scapulæ alarum instar eminebant, muliereſque eodem modo se habebant. Melancholici item & subsanguinei. Febres ardentes, & phrenitides, & dysenteriæ his accidebant, tenesmi iunioribus pituitosis; longæ diarrhææ, & acres deiectiones & pingues biliosis.

In prima morborum narratione, qua breuiter omnes morbos qui illa tempestate fuerunt, complexus est, omnium vltimum meminit tabis, dicens φθινώδεις πολλοὶ, non sanè quòd leuissimum malum, aut minime commune fuerit, fuit enim, vt dicit, tabes maximum & grauissimum malum, & occidit multos; sed quòd morbus is diutius quàm alii, productus sit, vltra totum illum annum, partim incipiens à principio, ex sola tussi & destillatione, vt fieri solet, partim capiens initium ex acuto aliquo morbo. Atque adeò omnes, qui non sunt acutorum vi sublati, sed diutius vixerunt, videntur mihi facti tabidi ex acutis, vt aliis etiam à tussi sola & destillatione tabidis factis, acuti morbi accedebant, vsque adeò omnia contigit eo anno complicari. Dixerat in principio totius narrationis, per hyemem quidem salubriter agebant, præter tabidos de quibus postea scribetur. Huc nunc redit, & præstans quod promiserat, de solis tabidis seorsum scribit, ad illam hyemem reuocato sermone. Multi, inquit, cœperunt hyeme tabescere, non tamen omnes æquè grauiter, sed quidã eorum decumbere cogebantur, quidam non, sed erecti ambulabant. Decumbentes, quique grauiter affecti erant, plurimi moriebantur ante ver, postremis scilicet hyemis diebus, quibus ninxit, & flauit boreas, quia, vt in aphor. 17. sectionis 3. dicitur. Boreales constitutiones, si circa thoracem aliquis dolor prius sit, magis affligunt, non autem dolorem so-

A lùm, sed eadem ratione morbum quemcunque thoracis auget Boreas, quare qui graui tabe tenebantur, non immerito hac mutatione temporis mortui sũt; nulli verò aliorum qui non decumbebant omnino cessauit tussis, sed remisit plurimis per æstatem, quia scilicet, cùm æstas esset serena & sicca, minuebatur destillatio. sub autumnum autem, hoc est postrema parte æstatis, ac prope autumnum, cùm rediit boreas, omnes decumbebant, & eorum multi etiam moriebantur. Neque mirum eos, qui primam aeris ad borealem conuersionem sustinere potuerant, se-
B cundam non sustinuisse, sed aut mortuos esse, aut saltẽ decubuisse, & per longũ tempus deinde ægrotasse. His verò qui longum tempus ægrotarũt, quid euenerit facilius quiuis intelligat. Nam quod crebrò solet, cum longa scilicet tussi, & putida excreatione; lenta extenuatio. Cæterum quod euenit iis qui tam grauiter ægrotarunt, vt eadem hyeme qua ægrotare cæperunt, mortui sint, opere preciũ est audire. Proinde ad hos rediens dicit. Cœperunt igitur horum plurimi ex his laborare repente (repente enim dici-
C tur malum incipere, quod breuius quàm solet sit summum) ergo dicit plurimi horum repente cepe-runt laborare, ex his, seu cum his quæ sequuntur. Rigores crebri, quales scilicet fieri solere ex catharris dictum à me antea est. Sæpe febres continuæ acutæ. Idest erratico modo accidentes febres continuæ, & satis ardentes, quales fieri solent excrementis per partes putrescentibus, aut fientibus in pulmone suppurationibus: sudores intempestiui, significantes scilicet nimiam excrementorum abundantiam, qui deteriores etiam erant, quòd multi, frigidi vsque ad
D finem malorum contingebant. Frigidi enim sudores fiunt, aut quòd valde cruda sint, quæ abundant excrementa, aut ob calidi innati debilitatem. Ad quam etiam causam refertur, quod erat multa extremorum refrigeratio, & rursum vix recalescebant. Alui variè substiterunt, humida esculentorum parte eunte in caput & pectus, aut declinante in vrinas, quæ multæ erant, & rursum celeriter humectabantur, regurgitante succorum multitudine in aluum, &
E omnium eorum quæ circa pulmonem, distributione deorsum facta. Neque est quod hic labores, dubitans, quibus viis de pulmone in vẽtrem abire possint succi: natura enim ipsa inuenit sibi vias, vt in hoc ipso opere dicit Hippocrates, & vt alibi dicit, omnia confluxibilia, & per pauci admodum abscessus sunt, qui per manifestas vias fiunt, præ iis qui per occultas. Atqui Hippocrat. non ea solùm, quæ in ipso pulmone sunt, dicit in aluum distribui, sed quæ circa pulmonem in capite & thorace. Vt ego quæ surditatem faciunt, ad aluum inclinare solent, ita & quæ
F circa pulmonem, sed & iis quæ intra ipsum pulmonem concluſa sunt, manifestas vias esse ad aluum & vesicam cap. 4. lib. 6. de locis affectis, Galenus indicauit, per arteriam scilicet venalem, & cordis sinistrum ventriculum, sed & per venam arterialem & dextrum ventriculum, & venam cauam, & hepar, & meſenterium. Itaque nullo modo hoc admirationem habet. Illud solum oportet meminisse, tales fluxiones phtysicis non solere esse vtiles, quia vt apho-
G rism. 14. sectionis quintæ dicitur. A tabe habito diarrhœa superueniens, lethalis. Πλῆθος, inquit, ὕδατος χρηστοῦ. Multitudo enim humiditatis anni illius augebat vrinæ copiam, & symptomaticè excernebatur vi caloris colliquantis. Quare colliquationes

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 149 sur 489

©BIUM

malas significabat, magis quàm iudicationes. Tusses inerant multæ vsque ad finem, neque enim poterat aliter fieri malè putrescente pulmone. Educebant multa, concocta, idest suppurata, & humida, idest fluxilia quod quidem fiebat ob nimiam humiditatem & putrescentiam circa pulmonem, atque quia è pulmone affecto eductio fiebat, non admodum cum dolore, quia pulmo exiguo sensu ac ferè nullo præditus est. Quod si aliquando doleret tangente corrosione membranulam qua vestitur, statim leniter, facile scilicet, & expedite ac sine dolore purgatio procedebat: quæ tamen ob nimiam redundantiam quam annus attulit, non fuit satis ad perpurgandum. Atqui quoniam in tanta multitudine non poterat, quod acre, & mordax, non esse contemperatum, & dilutum, fauces non admodum mordebãtur ab acribus, neque à salsis. Dictam autem multitudinem aperte indicabant, quæ è capite descendebant, viscida quidem, & alba, & humida, & spumosa, multa. Pituitosa scilicet & flatu permixta, qualia peperisse erat consentaneum pluuias & Austrum. Hic enim flatus capita replet, ibique moram trahẽs, & cum pituitosis se admiscens, spumosa facit è capite descendere. Longè autem maximum malum inquit, comitabatur hos, & alios omnes eius anni ægrotos, καθάπερ ὑπογεγραπται, idest vt anteà scriptum est, cibi fastidium, idque non qualecumque, sed maximum, per quod neque cibos, neque potus libenter sumebant: sed prorsus sine siti erant. Cur non dicit sine fame? Quia certè id dictum erat, cum dixisset fastidium, poterat autem esse fastidium cum siti, non erat tamen, sed fastidium, quod facultatum omnium, & sensus in ventriculo corruptionem indicabat. Erat præterea grauitas corporis, & ægroti comatosi ob dictas iam causas, ac fortasse etiam iam prope mortem constrictis, vt fieri solet, tabidis ob debilitatem facultatis, & impotentiam vigilandi, coma fiebat. Plurimis ipsorũ accidebant tumores, ventris scilicet, & (hæc est particula declaratiua) ad hydropem deuenichant, collecta cò multa, quæ per totum corpus redundabat, humiditate. Iuxta mortem iam, horrebant & delirabant. Horrores debilibus facere facile poterant Boreales flatus, qui & sustulerunt. Delira horum, vacillationes mentis sunt, natæ ex debilitate. His dictis de iis qui intra hyemem mortui sunt, narrat qualis fuerit species, seu facies tabidorum omnium eius anni. Talem verò fuisse qualem esse tabidorum, in hydropem ob pituitæ redundantiam abeuntium, consentaneum erat. Læuis scilicet & subalbida: non enim alba, vt nix aut papyrus, sed ob caloris debilitatem inter mortuum quẽdam candorem, & cineritium referens; & pituitosa tota scilicet, qualis pituita redundante fieri solet. Erant denique leucophlegmatiæ tumidæ. Addit, & subrubra, fortasse eadem facies erat reliquis partibus subalbida, & maxillis subrubra ob calidam passionem pulmonis. In multis enim tabescentibus, id vidimus, aut fortasse alii erant albidi, alii subrubri. Fuerunt enim subrubri, quibus forma melancholica & subsanguinea, de quibus mox dicitur. Dicit fuisse tabescentium, parirerque hydropicorum faciem charopam. Quod haud dubie ad oculos pertinet. Explicatum verò iam est sectione quinta libri secundi, cũ illa verba enarraremus quæ ad hunc locũ multum faciunt, hydropici charopos oculos habent, hic & illic charopi nomen abusiuè vsurpari, dicique de glauco, quod exemplo aniculæ cuiusdam, cuius historia in calce libri quarti occurret, confirmauimus. Itaque his fiebant oculi glauci, pituita in oculos abscedente. πτερυγώδεις etiam fuisse dicit tabidos, non arbitror quòd tabe alati fierent, quanquam extenuatio carnium aliquid nonnunquam ei figuræ adiicit, sed quod alati tabescerent, vtpote ad tabem paratissimi, vt primo libro huius operis dictum iam est. Addit Hippocrates καὶ γυναῖκες, ἔπω, idest, & mulieres ita afficiebantur, non quidem solæ, sed quasi diceret non tantùm viri, sed & fœminæ, ac fortasse hæ plus etiam quàm viri, quod per sese sint humidiores, & excrementis magis affluentes, cui naturæ accedens anni humida intemperies, maior morborum occasio aderat. Quorũdam etiam tabescentium forma erat melancholica & subsanguinea, hoc est subnigra & subcruenta, referens redundantiam sanguinis crassioris, in iis scilicet in quibus sanguis redundaret. Dictum enim antea est, succorum omnium eo anno fuisse redundantiam, iuxtà cuiusque naturam. Horum ergo facies fuit subrubra vt pituitosorum subalbida. His etiam quibus tabescentibus forma melancholica & subsanguinea, acciderunt febres ardentes, & phrenitides, & dysenteriæ, dum corpus cum pulmonis putrescentia tabesceret, putrescente & bilescente sanguine per totas venas: aut irruente in caput aut ventrem. Cùm verò dictis ægrotis multa circa aluum mala acciderint, vt tenesmi, diarrhœæ longæ, & deiectiones acres, & pingues; narrat Hippocrates, quibus & quæ acciderint, secundũ ætates, & naturales temperaturas differentiam accipiens. Galenus legit, tenesmi iunioribus pituitosis; longæ diarrhœæ & deiectiones acres, ac pingues, biliosis. Ego verò non video cur minus longæ diarrhœæ acciderent pituitosis quàm biliosis, aut cur potius acria & pinguia iunioribus (quorum nomine adolescentes, aut pueri adolescentiæ proximi, videntur intelligendi) quàm iuuenibus, & consistentibus ætate. Proinde ego ita lego. Tenesmi iunioribus, hoc verò est quod antea dixerat, tenesmi pueris (& quos vocauerat παῖδας, nunc vocat νέους) & pituitosis longæ diarrhœæ, ob abundantiam scilicet multæ fluxionis; & bilosis deiectiones acres & pingues ob calorem. Vbi legi, forma tabidorum erat læuis, sub albida, pituitosa, in quibusdam codicibus pro φλεγματώδεις legitur φακῶδεις, idest lentes referens, tamen apertum est mendum, quia Gal. lectionem hãc sequutus est, & multo magis videtur congruere, vt ex ipsa interpretatione iam patere potest.

Omnibus autem quos suprà descripsimus ver erat grauissimum, plurimósque sustulit: æstas verò commodissima, pauciss imique interierunt. Sub autumnum autem & sub vergilias rursus perierunt multi quartanarii.

Dictum ante erat tabidos multos abstulisse primum ver, æstate melius habuisse, & autumno rursum multos esse mortuos, eorum qui ver euaserant, dictumque quam ob causam. Quod nunc dicit τῶν φθινοπώρα καὶ ὑπὸ πλειάδα, est idem ac si diceret toto autumno, incunte scilicet, & sub autumnum & ad occasum Pleiadũ, qui occasus finit autumnum & inchoat hyemẽ. Dixerat nuper multos eorũ qui antea decum-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 150 sur 489

decũbebant, extremâ æstate mortuos esse, & eorum qui non antea decũbebant multos tunc decubuisse. Consentaneum ergo est, hos, qui ineunte autumno decubuerant ὑπὸ πλειάδα, hoc est, occidentibus pleiadis, tempore mutato ad frigidissimum (ea enim hyems fuit qualis solet, finito iam anno intempestiuo) decubuisse. Vox illa quartanarii, censetur à Galeno esse adiectitia, quia nihil pulchrum videtur significare posse. In quibusdam codicibus occurrit scriptum τεταρτη id est quarta, in quibusdam τεταρταῖοι id est quarti seu quartanarii. Quid autem significet, multiplex coniectura est, quidam antiquorum dicebãt quarta die mortuos, sed quo pacto tabidi quarto die moriebantur? An superueniebat illis in extremo constitutis malum quatriduanum? At id oportebat dictum prius. Quidam dicebãt, hos esse quartos ægrotos, quasi quartam constitutionem epidemialem, post duas in Thaso, in primo libro scriptas, & tertiam in Cranone scriptam in secũdo. Sed vix constat, an hos libros omnes in ordinem digesserit Hippocrates quasi in lucem emittendos, quomodo ergo putabimus tantam præscriptorum toto opere habuisse rationem? Alii putant multos eorum, qui ex febribus erraticis hunc annum euaserant, sequenti anno fuisse quartanarios, vt fieri solet. Aut hoc est quod Hippocrates dicit, aut nihil, sed adiectitia est illa dictio. Supersunt vsque ad extremum huius libri tertii decem & sex ægroti, quos quidam interpretum putarunt, fuisse quosdam eorum qui dicto anno ægrotarunt, seorsum exempli gratia scriptos, adducti illa vocula ὑπογεγραμμένοισι, quæ videtur significare non scriptos antea, sed subscribendos deinceps. Dicunt ergo cum hic dicit, erat autem omnibus ὑπογεγραμμένοισι grauissimum ver, intelligi, omnibus qui sequuntur, indeque constare eosdem esse qui sequuntur, & qui antea dicti sint. Ego quidem suspicor quosdam fuisse eorum qui eo anno ægrotarunt, non tamen hoc argumento [pluries enim iam vidimus, tota hac tempestate dici ὑπογεγραμμένον, id est subscriptum, quod antea scriptum] sed quia sitim adiecti sunt huic constitutioni, & quidam illorum videntur habere multa symptomata quæ narrata sunt, & qui aliis modis videntur ægrotasse, fortasse hác ipsa ratione à communi narratione excepti sunt, quod peculiari morbi forma ægrotauerint. Sed veniamus ad singulares historias.

SEXDECIM ÆGROTI.

Ægrotus primus.

IN Thaso Parium, qui decumbebat supra dõmum Artemisii, febris corripuit acuta, circa initia continua, ardens, siticulosa, ab initio comatosus erat, rursúsque insomnis. Aluus turbata in principiis. Vrinæ albæ. Sexta minxit oleosum, delirauit. Septima exacerbata sunt omnia. Nihil dormiuit, sed vrinæ similes, & mens turbata. Ex aluo autem biliosa pinguia fluxerunt. Deinde octauâ parùm à naribus destillauit. Vomuit viridia pauca, parùm dormiuit. Nonâ eadem adfuerunt. Decimâ omnia remiserunt. Vndecimâ sudauit non per totum, circumfriguit quidem, citò autem recaluit. Duodecima febris acuta fuit, deiectiones erant biliosæ, tenues, multæ, vrinis enæorema, delirauit. Decima septima laboriosè transmissa est. Neque enim somni aderant, neque febris intendebatur. Vigesima sudauit toto corpore, insomnis, deiectiones erant biliosæ, cibum auersabatur, comatosus erat. Vicesima quartâ recidiua contigit. Trigesima quarta sine febre, aluus non substitit, & rursum recaluit. Quadragesima sine febre, aluus non diu restitit. Cibum auersabatur, parùm rursus febricitauit, & perpetuò erraticè, aliquando à febre liber, aliquando non, si enim aliquid intermisisset, & alleuata esset, rursum reuertebatur, cibariis multis & malis vtebatur. Somni mali in recidiuis. Delirabat. Vrinas crassitiem quidem habentes: mingebat tunc, turbatas autem & prauas, & aluus astricta fuit, & rursum soluta. Febriculæ aderant continuæ, deiectiones multæ tenues. Centesimâ autem vigesima die mortuus est. Huic aluus ab initio ad finem vsque lubrica erat, excernebatque biliosa, liquida, multa, aut si subsisteret, feruida & cruda. Vrinæ vsque ad finem malæ. Comatosus erat, aut plerumque cum doloribus insomnis, cibos fastidiebat, & continenter febre ardente laborabat.

Hæc fuit febris ardens & acuta vsque ad diem vigesimã, inde cepit ex acutie cadere, acutiem adhuc aliquam retinens vsque ad quadragesimam, qua finiuntur morbi medii inter acutos & diuturnos, inde iam cronicus factus est morbus, & sensim tabescens homo, aliós duos quadragenarios durauit. Tribus verò exactis, die vigesima supra centesimam mortuus est. Habent enim suos dies decretorios morbi omnes, sed in acutis habent meritò vim maiorem, & notantur breuioribus interuallis, in longis minorem, & ex longioribus. Proinde Hippocrates vsque ad vigesimum, omnes ferè dies percurrit, à vigesimo iam attingit rariores, vsque adeò vt post quadragesimum nullum vsque ad centesimum vigesimum, nominauerit. Habent vero vim magnam vt in acutis septimanæ, ita in longissimis affectionibus quadragenarii: quorum tres dicta dies finit. Sed percurramus singula, quæ ex dictis antea non semel intelligi possunt facile, legentes, solum quæ nondum explicata sunt, interpretantes. Nam ita fiet, vt opus neque fastidiosum sit, neque in immensum crescat. Parium, inquit, febris corripuit acuta, circa initia continua, ardens, siticulosa, ideſt quæ primum fuit acuta, continua, & ardens, etsi deinde in longam decidit. Ἀπ' ἀρχῆς, ideſt, primis morbi diebus fuit comatosus, rursúsque insomnis. Quibus quidem notis satis videbatur esse vnus quidam eorum, qui illo anno ægrotarunt, dixerat enim eos nunc sopore, nunc peruigilio teneri, redundantes scilicet duplici succo. Aluus turbata in

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 151 sur 489

©BIUM

principiis,& vrinæ albæ: fuerunt verò vrinæ tales ob A
cruditatem: & declinante in aluum bile. Talia habuit vſque ad diem ſextam, qua minxit oleoſum, id-eſt vrinam oleo ſimilem. De hac vrina dubitatum eſt à prioribus interpretibus, quibuſdam putantibus eſſe omninò ſimilem oleo, craſſitie, & pinguitudine, fierique liquata corporis pinguedine. Galeno, cuius ſententia mihi magis placet, videtur hoc fieri non poſſe, quia pinguedo liquata mox cohæreſcit & ſupernatat, atque adeo, etſi aliquandiu vi caloris fieret vt non concreſceret, tamen innataret; nam & o- B
leum ipſum euehitur in aqua. Proinde ſuperſunt duæ probabiles opiniones, oleoſum eſſe in qua innatat pingue dictamque oleoſam, quaſi pinguem, eò quod oleum pingue ſit; aut eſſe vrinam ſimilem oleo craſſitie, & colore, etſi ipſa fuſura lentam pinguedinem non habeat. Pinguis colliquationem ſignificat, aut ſecundùm renes cum confertim mingitur, aut ſecundùm corpus totum, cum aliter. Fieri verò hanc in Pario ſexta die, non erat diſſonum; ita enim fieri ſolet in aliis febribus acutis. Neque verò
pinguedinem liquari tam graue eſt, vt propterea du- C
bites potuiſſe huic tam citò fieri craſſam, & olei colore: quidam putabant ſignificare colliquationem multò maiorem, quàm pinguē, fieri enim ex partibus carneis velut aſſatis, vt ſi ſuccum eum qui ex aſſatis carnibus deſtillat, quis colligat. Tales fortaſſe erant de quibus nuper dicebat Hippoc. multitudo vrinarum non vtilium colliquationes malas indicat. At verò conſumptio tanta non poſſe ſexta die fieri, victuro vſque ad centeſimam vigeſimam. Proinde
cenſeo, vt & Galenus oleoſam vrinam, vnam quan- D
dam earum eſſe, quæ conturbatione eraſſeſcunt. Itaque eſſe conturbatam, referentem colore oleum. Talibus vero malum capitis imminere ſolet. Velut huic accidit qui talem mingens, mox delirauit. Sed, & de Pithione, qui tertius eſt huius partis ægrotus, ita ſcriptum occurret. Vrinam minxit oleoſam, noctu turbatio multa, delirabat. Licet conſiderare mutationes inſignes ſeptima, vndecima die, & decima ſeptima. Miror quod decima quarta nihil noui attulerit, aut quod ille omiſerit. Fortaſſe Hippocra- E
tes non affuit ægroto ea die. Die octaua ſtillæ ſanguinis de naribus malam ſignificationem præſtare poterant, vt non ſemel iam dictum eſt. Sed & illud quod duodecima die dicitur accidiſſe vrinis enæorema, & deliraſſe, eſt conſonum ei quod primo prædictionum, dicitur, vrinæ innatantes phreniticæ. Quod dicit, decima ſeptima laborioſe tranſmiſſa eſt, quia neque ſomni aderāt, neque febris intēdebatur, videbitur fortaſſe diſſentaneū. Dices .n. laborioſius fuiſſet ſomnos & febrem intendi, vt febris eſſet in- F
gens cum comate. Verùm non ita intelligendum eſt; ſed, neque ſomni erant, ideſt dormire non poterat; neque febris intendebatur, ideſt, neque extrema caleſcebant, effuſo æqualiter per totum corpus calido; ſed erat inſomnis cum extremorum frigore. Nihilominus vigeſima iudicatus eſt, non tamen perfectè, neque enim poterat nullis concoctionis ſignis prægreſſis; neque ſanè id, ea ipſa die quis poſſet expectare, quia exiguæ conferentiæ notæ aderant. Tametſi enim factus eſt ſudor non qualis vndecimâ, ſed toto corpore: tamen erat inſomnis nunc, nunc
comatoſus, aut fortaſſe inſomnis comatoſus, ideſt G
cum comate vigili, & cibum faſtidiens. Satis ergo fuit, neque ſanè parùm fortis naturæ argumentum, imperfectè iudicari, ſudore & deiectionibus ſolùm tunc bilioſis, euacuationibus quidem ſymptomaticis, ſed ex parte factis ea die vtilibus. Itaque febris non ſanè, quantum intelligo, ſublata, ſed remiſſior multò facta eſt. Sed quia imperfecta fuerat iudicatio, fuit etiam infida, & rediit febris aperte vigeſima quarta. Trigeſimaquarta, inquit, ſine febre eſt factus. Addit, aluus non ſubſtitit, & rurſum recaluit. Sed cur dicit, aluus non ſubſtitit? aut ſi dici oportebat, quæ non fiebant, cur non dicit etiam non ſudauit, aut non vomuit, aut aliud quiduis? Certè ſignificat melius actum fore cum ægroto ſi aluus reſtitiſſet: atque adeò conſentaneum fuiſſe ſiſti. Nam velut conſentaneum eſt in mutationibus in melius, fieri euacuationes vtiles, ita ſiſti noxias. Huic vero noxiæ erant bilioſæ & pingues euacuationes, conſumentes magis quàm expurgantes corpus. Conſentaneum ergo, ceſſante febre, ceſſare aut minui liquationem, & bilis fluxionem, & ſiſti aluum. Dicit itaque aluus non ſubſtitit, & rurſum recaluit, quaſi inſinuans inter cætera, ob
hoc etiam cito recaluiſſe, quod non ſubſtiterit. Hoc C
multo magis declarat, quod addit, quadrageſima ſine febre, aluus reſtitit. Sed quia ne tunc quidem diu reſtitit, & cibum auerſabatur: rurſus, non vt prius, ſed patùm febricitauit. Nimirum faſtidium, & oris amaritudo, & ſimilia, vt dicetur ſexto libro huius operis, ſignificant intus manere reliquias, & recidiuam. Verum vt facta eſt mutatio inſignis, & declinatio ab acutie, die vigeſima, abeunte morbo acuto in morbum medii generis, ita oportuit die
quadrageſima agi, quia qui hanc excedunt, apertè D
iam fiunt diuturni, & vt vigeſima multorum acutorum eſt finis, ita quadrageſima morborum medii generis. Quare iam inde febris erat minor, & perpetuo erraticè, aliquando ſine febre, aliquando cum febre erat. Intellige vero id non exactè, ſed quod videretur. Nam reuera, numquam ſine febre fuit, ac multo minus poſt quadrageſimum, quia tabeſcebat iam, tabeſcentes autem ex febribus ſemper habent febriculas. Et
ipſemet Hippocrates mox addit, febriculæ conti- E
nuæ. ſed & hic ita debere intelligi, vt explicui, ipſemet indicat, addens, ſi enim aliquid intermiſiſſet, & alleuata eſſet, rurſum reuertebatur. Nam illud eſt declaratiuum, quod illud, aliquid intermittere, ſit non ſimpliciter intermittere, ſed aliquid intermittere, & alleuari, quare & illud reuerti, eſſet rurſum intendi. Addit cibariis multis & malis vtebatur. Sed quo pacto, ſi, vt in fine hiſtoriæ dicitur, cibos auerſabatur? Certè ſuſpicor hunc, vſque dum iam tabeſceret, fuiſſe faſtidioſum, vt nullum cibum libenter caperet (dixerat enim Hippocrates bis, ἀπόσιτος) deinde tamen, penuriam alimenti ſentientibus partibus, & excrementis cibi boni appetitum corrumpentibus, ingeſſiſſe multos & malos. Itaque ſemper fuit quodammodo faſtidioſus, quia ſemper faſtidiuit bonos, etſi multis diebus vſus ſit multis malis. Dicit, vrinas mingebat craſſitiem quidem habentes, turbatas autem & prauas. Merito ſanè addit, turbatas autem & prauas, quia cum ſimpliciter dicit craſſas, coctas ſolet Hippoc. ſignificare, aliter profecto ac Galenus, qui craſſarum nomine turbatas intelligit. Perducta narratione vſque ad

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 152 sur 489

diem vigesimam supra centesimam, quâ mortuus est, epilogo colligens quæ fuerunt in Pario deterrima, dicit, huic aluus ab initio vsque ad finem lubrica erat (id est fluens biliosis, humidis, fluxilibus, & liquidis, multis) aut si subsisteret, feruida & cruda excernebat. Sed quo pacto feruida & cruda, si subsisteret? Certè nunc erat laxa fluentibus multis biliosis liquidis, nunc astricta fluentibus paucis feruidis & crudis: feruidis sanè exustis; crudis, ex malè coctis in ventre cibis; vtrisque tamen, paucis, & non fluxilibus, cessante fluxione ad ventrem. Dictis aliis signis pessimis, finit sermonem, dicens, continenter febre ardente laborabat: quod intelligi debet, dum acutè laborabat, & vsque ad vigesimum.

AEGROTVS II.

Mvlierem in Thaso iuxta frigidam decumbentem, cùm filiam peperisset nec purgationes procederent, tertia die febris acuta cum horrore corripuit. Multo autem ante partum tempore ex febre decumbebat, & cibum fastidiebat. Postquam autem riguisset, continuæ fuerunt febres, acutæ, & cum horrore. Octauâ & sequentibus diebus multùm delirauit, rursúsque citò ad mentem rediit. Aluus turbata est multis, tenuibus, & aquosa bile permixtis. Nō sitiebat. Vndecimâ constabat mente, comatosa tamen erat. Vrinas multas, tenues & nigras reddidit, insomnis erat. Vicesima parùm circumfrixit, & rursus citò recaluit. Parùm delirauit, insomnis erat. Venter eadem demisit. Vrinæ aquosæ & multæ erant. Viceſima septima à febre immunis fuit, & aluus substitit. Non multò post autem vehementi & diuturno dextræ coxendicis dolore vexata est. Febres rursus comitabantur & vrinæ aquosæ. Quadrageſima coxendicis dolores remiserunt, tussis autem continuæ, humidæ, multæ. Aluus substitit. Cibos auersabatur. Vrinæ eædem. Febres autem omnino quidem non desinebant, sed erraticas aliquando habebant exacerbationes, aliquando non. Sexageſima tussis quidem sine signis euanuerunt, nulla enim sputorum concoctio apparuit, neque alius consuetus abscessus. Maxilla autem dextra conuulsa est, comatosa, rursus delirauit, & citò ad mentem rediit. Cæterùm à cibis auersum habebat animū. Maxilla quidem ad locum suum rediit, aluus autem biliosa pauca reddidit. Febricitauit acutiùs cum horrore, & sequentibus diebus vox defecit, rursúsque rediit ad mentem, & loquebatur. Et octogeſima mortua est. Huic vrinæ vsque ad finem erant nigræ, & tenues, & aquosæ, & coma comitabatur. Cibum non sumebat, animo erat deiecto, insomnis, irâ & inquietudine torquebatur, animo erat melancholico.

Vt Parius tertio, ita hæc secundo quadragenario, qui die octogesimo finitur, mortua est, ex partu fœminæ. Dictum verò & obseruatum in hoc opere iā sæpe est, difficiliores esse partus fœmellarum quàm masculorum. Dictum est etiam sæpe, enixis occasionem ægrotandi, ferè semper esse in purgatione non satis procedente, peculiariter verò noxia est hęc causa enixis fœminas, quia hæ pluribus abundant sordibus, & maiori expurgatione indigent. Erat autem hoc conspicuū maximè in hac, quæ multo tempore ante partū erat febriculosa, & fastidiosa, & decūbens in lecto, aut continenter, aut assiduè, vt fieri solet. Animaduerte hoc loco Hippo. diei computationem ducere, non à die febris, sed partus, iuxta id quod in prognostico docuerat. Dicit enim tertia die febrem horridam mulierem corripuisse. Tertia ergo mali fuit prima febris, & ea dies in qua primò febris orta est, fuit tertia, & fuit octaua qua delirauit, & octogesima qua mortua est. Nimirum in his primariū ac præcipuum malum, est partus malus. Dictum etiam antea est, semper solere esse febres enixārum, & earū quæ ex suppressione magna menstruarum euacuationum laborant, acutas & horridas. Acutæ quidem sunt quia magnæ & periculosæ: horridæ verò, ob naturam vteri, ad quem præcipuè pertinent illæ affectiones, & ob hanc ipsam causam, cepit hæc febris ex rigore: nimirum rigor est horror magnus, & quæ causæ ante quàm febris magna fieret, rigorem fecerant: hæ eædem, aucta iam febre, afferebant horrores. Quia horror est exiguus rigor, & febris rigorem minuit, vt & in hemitritæis fieri consueuit. Meritò ergo postquam riguisset, factæ sunt febres continuę, acutæ, horridæ. Octaua & sequentibus diebus vsque ad vndecimam, nunc delirabat multum, nunc breui redibat ad mentem, habente scilicet compassionem cerebro cum vtero, & totius venis, non autem firmam passionem, vt veram phrenitidem. Aluus turbata tenuibus multis, ὑδατώδεσι, ex redundantia humiditatis aquosæ, & bilis, quod, vt vidimus, ægrotis omnibus illius anni commune fuit, vt & sine siti esse; quod in hac, præter humiditatis redundantiam, delirium etiam facere poterat. Vndecima κριτικὴ, id est iam tota ea die fuit sine delirio, comatosa tamen, pituita abundante in superioribus, deriuata bile ad inferiora, per deiectiones dictas, & vrinas multas tenues, & nigras, quæ bile nigra tingebantur. Nosse verò oportet, has vrinas familiares fuisse passioni, quæ valde fuit melancholica, vt vltima totius narrationis verba declarāt: hæc scilicet; Vsque ad finem erant vrinæ nigræ, tenues, & aquosæ, animo deiecto, insomnis, irę, difficiles tolerantiæ, mens autem melancholica, idest, cum metu & mœstitia. Hæc enim omnia melancholicæ passionis sunt signa. Neque sanè, quod vrinæ erant tenues & multæ, prohibet ex melancholia esse. Nam hæ non erant decretoriæ expurgationes melancholiæ, vt si multa exiret quæ crassas vrinas faceret: sed symptomaticæ, cū exiret serū quod vrinā non crassam, sed nigram facere posset, & melancholiam non euacuare, sed significare. Neque verò alienum est à melancholia abundare multo sero; per incoctionem enim fit melancholia serosa, & hanc ob causam videas melancholicos, tenuem & multam saliuam habere, & copiosè ac frequenter sudare. Qua eadem causa fuit familiare huic morbo habere has vrinas, familiare etiam est iis qui-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 153 sur 489

bus menſtruæ euacuationes retinentur, melancholicis paſſionibus tentari: nimirum hæ deterioris ſanguinis euacuationes ſunt, vt & hæmorrhoides. Sed veniamus ad reliqua. Quo pacto eadē erat inſomnis die vndecima, ſi ſoporoſa? Certè vt ægroti alii huius tempeſtatis, comate vigilanti. Vigeſima (decima-quartâ, & decima ſeptima, aut nihil fuit noui, aut fortè non affuit Hippoc.) ψυχὴ ἀπέψυξε, ideſt ſecundùm extrema parùm refrigerata eſt, & rurſum breui recaluit. Parum delirauit, inſomnis, venter eadem demiſit, vrinæ etiam aquoſæ multæ. Vigeſima ſeptima facta eſt ſine febre, & hic fuit finis acuti morbi. Nimirum dictum mihi eſt ſæpe, menſem lunæ eſſe legitimum finem acutorum morborum, etſi Galenus vigeſimum ſtatuerit. Iam hinc decidit morbus ex acutie. Eſt verò in hac, vt & in Pario, in iudicatione febris ſublata euacuatio, quæ ſymptomaticè, & inutiliter antea fluebat: non tantum verò ſuppreſſa hæc euacuatio fuit; ſed & pro ea factus abſceſſus, quia non multo tempore poſt, vehementi & diuturno dextræ coxendicis dolore vexata eſt; nam vſque ad quadrageſimam. Neque febris intermiſſio durauit diu; ſed febres rurſum comitabantur, & vrinæ aquoſæ. Quadrageſima, quæ finit morbos medii generis, facta eſt alia inſignis, & perinde mala permutatio. Nam dolor coxæ alleuatus eſt, factæ autem tuſſes continuæ, humidæ, multæ, ideſt, per quas multùm excreabatur. Nam tuſſis arida vocari conſueuit, per quam nihil excreatur. Non autem ſolum alleuata eſt tuſſis; ſed & aluus ſubſtitit, recurrentibus ſurſum vitioſis ſuccis, patientibus autem inſtrumentis reſpirationis, quia hic morbus erat, vt dixi, præcipuè vteri. Eſt verò vt li. 2. ſect. prima dictū eſt, magna cōmunio vocalium cum genitalibus; qua ipſa cauſa omnes mulieres, quæ ob has occaſiones ægrotant, ſolent incidere in morbos thoracis, tuſſes, aſthmata, hęmoptoicas paſſiones, phthiſes, aut pleuritides. Reliqua fuerunt qualia prius, & febres nunquam omnino deſinebant, iam enim habebat mulier habitualem febriculam, erant tamen præterea exacerbationes erraticæ, ob excrementa multa, & varia putreſcentia per partes. Sexageſima rurſum attulit aliam inſignem mutationem, nimirum tuſſes deſierunt ſine ſignis, ideſt euanuerunt repente, nullo relicto veſtigio, quod genus deſinendi in omni abſceſſu, quin & in omni paſſione vituperatum eſt, quia quod repente euaneſcit, ac non potius paulatim, aut ſimul cum euacuatione aliqua, præter rationem ſoluitur, quæ verò ita euaneſcunt maligniùs redeunt, aut in grauiores alias paſſiones permutantur. velut nunc, quia nulla concoctio ſputorū manifeſta accidebat, vt cocta, & expurgata materia ſolueretur tuſſis, neque alius conſuetus abſceſſus, vt expurgatio ex vtero, quæ maximè omnium erat huic expetenda, aut coxæ dolor denuo factus, aut tumor aliquis circa genitalia, quæ etſi minùs bona, ſolent tamen tuſſi ſuccedere, dicitur tuſſis deſiiſſe ſine ſigno. Et re in deterius eunte, maxilla dextra diuulſa eſt, ſecundùm dextri lateris rectitudinem mutatis abſceſſibus, contra tamen ac oportebat, ab infernis enim ſurſum. Nam à dextræ coxæ dolore tuſſis, ab hac dextræ maxillæ diuulſio facta eſt. Quod quidem ſuperna petente excremento fieri, confirmarunt coma & delirium accedentia. Sed ne tunc quidem fuit firmata phrenitis; ſed citò ad mentem rediit. Non tamen proinde non erat iam affectus grauiſſimus, habebat enim iam à cibis animum auerſum, non ſolùm, vt anteà, cibum non capiebat. Nimirum magnæ exagerationis gratia dicit, πρὸς δὲ τὰ βρώματα ἀποστροφώτερος ἦν, quod haud ſcio an melius verti poſſit, quā habebat auerſum animū à cibis, aut ſaporibus. Vſus eſt verò vt Gal rectè cenſet, dictione affectata, vt ſignificaret faſtidiū ſummū. Quod ſanè maximū iam periculū portendit, quia fit corruptis facultatibus rectricibus. Quod vbi factum eſt, nulla ſalutis ſpes ſupereſt, quia etiamſi aliqua euacuatio ſuccedat, nihil confert, immo verò quæ conferre ſolent, ea ipſa videntur mortem properare, deficiente facultate quę tolleret. Velut huic accidit, quæ cum redeunte maxilla ad locum ſuum, alui fluxionem biliоſam haberet, nihil eſt iuuata, ſed febricitauit acutiùs, & fuit magis horrida, & ſequentibus diebus eſt voce priuata, & octogeſima mortua eſt. Sed quo pacto priuata iam voce & morti proxima, rurſum ad mentem rediit, & loquebatur? Sed quid mirum? Certè & ex magna apoplexia vidi quā plurimos morti iam proximos, ad mentem & vocem rediiſſe, vt aſſiſtentibus viderentur liberati. Hęc ſanè facit extremus conatus, qui, ſi non expellit, facit tamen abſcedere à quibuſdam partibus, ad quas, ob virium impotentiam, nouo impetu irruentia excrementa mortem afferunt, cum ſpes aliqua ſalutis ſeſe ceperat inſinuare. Reliqua quę per epilogum dicit, explicata iam ſunt.

AEGROTVS III.

IN Thaſo Phythionem, qui decumbebat ſupra templum Herculis, ex laboribus & laſſitudinibus, & prauo victu, rigor magnus, & febris acuta corripuit. Lingua arida erat, ſiticuloſus, biliоſus. Non dormiuit, vrinæ ſubnigræ ſuſpenſum quid ſublime habebant, non ſudauit. Altero ſub meridiem die extremarum partium refrigeratio accidit, & maximè circa manus & caput, obmutuit, vox defecit, breuem ſpiritum traxit, poſt diuturnum tempus recaluit, ſitiit, nocte quieuit. Sudauit circa caput paruum. Tertiam diem quietam habuit. Veſperi circa Solis occaſum aliquantulum frixit. Turbatio accidit. Noctem laborioſè tranſegit. Nihil dormiuit. Ex aluo autem pauca ſtercora compacta exierunt. Quarta manè quieuit, circa meridiem autem omnia exacerbata ſunt. Frixit obmutuit, vox defecit, deterius ſe habuit recaluit. Poſt aliquod tempus minxit nigra ſuſpenſum quid habentia. Noctem quietam habuit, & dormiuit. Quinta alleuatus eſſe viſus eſt. Circa ventrem tamen pondus ſenſit cum dolore. Siticuloſus fuit, noctémque habuit moleſtam. Sexta manè quidem quieuit, veſperi autem dolores creuerunt, exacerbationem habuit; iniecto autem clyſtere veſperi ex aluo probè deiecit, noctu dormiuit. Septimo die faſtidioſus erat &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 154 sur 489

inquietus, minxit oleoſum. Noctem turbulentè tranſegit, delirauit, nihil dormiuit. Octauâ manè quidem dormiuit parùm, mox autem accidit refrigeratio, vocis defectio, ſpiratio exilis & imminuta. Veſperi autem rurſus recaluit. Delirauit, inſtante iam die parùm leuatus eſt, deiectiones erant meræ, paucæ, bilioſæ. Nonâ ſoporoſus erat, faſtidioſus, & quũ excitabatur non valdè ſiticuloſus. Circa Solis occaſus moleſtè ſeſe habuit, delirauit, noctem habuit incommodam. Decimâ manè vox defecit, multa refrigeratio, febris acuta, multus ſudor. Mortuus eſt. Labores huic in diebus paribus accidebant.

Duplici cauſa mihi videtur Hippocrates meminiſſe cauſæ procatarcticæ huius morbi, primùm quia hic non admodum videtur laboraſſe, vt alii eius tempeſtatis ægroti: ſed modo quodam proprio, & inſinuat non eſſe illud referendum ad communem cauſam intemperiei aeris, ſed ad peculiare vitium in victu. Deinde quia morbus videtur duraſſe diutiùs quàm pro malignitate, quam præ ſe ferebant ſymptomata, quod fortaſſe factum fuit, quòd morbus ex manifeſta cauſa inceperit, non ex ſolo interno apparatu. Nam quodcunque ſignum, ſiue bonum ſiue malum, fit tantò debilius, quantò cauſam habet apertiorem, Si igitur hic nullo victus vitio prægreſſo ægrotaſſet, meritò cenſeretur, eſſetque reuera grauiùs affectus, & mortuus citius. Ne ergo grauiſſima ſymptomata legens, mireris non mox fuiſſe extinctum, dicit ὀκ πόνων ϗ κόπων, ideſt laſſatum ex laboribus, ϗ διαίτης γεγομένης ἀμελέος. Non explicat qua in re. Pertinet verò victus ad res omnes non naturales, & præcipuè ad cibum & potum. Significat ergo hominem negligenter vſum illis omnibus rebus, ſed & prauis, & nullo ordine ingeſtis cibis. Conſiderandum in hoc morbo eſt, quod Hippocrates monet, fuiſſe labores, hoc eſt, exacerbationes diebus paribus. Nam ſecunda, quarta, ſexta, octaua, diebus interiectis difficiliores fuerunt, & decima mortuus eſt, quia eiſdem diebus moriuntur homines quibus ſalui fiunt: & morbi qui per pares mouentur paribus iudicantur, qui per impares, imparibus. Eandem ob cauſam nox ſecũdæ diei fuit quieta, & noctem quartæ dici quietam habuit, & ſextæ nocte dormiuit. Noctem autem tertiæ moleſtam habuit, & noctem quintæ laboriosè tranſegit, & ſeptimæ noctem turbulentam habuit, & nonâ die noctem habuit incommodã, quia nox quę acceſſionẽ præcedit difficilis eſt, quæ verò ſubſequitur magna ex parte leuior exiſtit. Octauæ etiam noctem quietam eſſe oportuit, proximus vero iam ſtatus morbi lethalis id prohibuit. Nihilominus poſtrema noctis parte, iam inſtante die parùm leuatus eſt. Sed redeamus ad initium, & breui omnia perſtringamus. Incepit hæc febris à rigore. Vnde conſtat, à rigore incipere non eſſe proprium intermittentium, ſed quibuſdam etiam continuarum accidere, iis vero maximè quę à cauſis procatarcticis incipiunt: velut hæc incepit à rigore, vel ob excrementa per corporis habitum (vt in laſſatis fit) effuſis, vt & vlceroſæ laſſitudines rigores afferre conſueuerunt: vel corruptis aliquibus ſuccis in ventriculi ore ob prauum victum. Sed & malignam febrem hoc indicat. Maligna enim qualitas rigorem intempeſtiuum, vt alium quemcunque abſceſſum, facere poteſt. Merito ergo hæc, alioqui continua, à rigore incepit, quia vtrumque habuit, & eſſe malignam, & à procatarctica cauſa incipere. Cum dicit fuiſſe febrem aliquam acutam, ad cõſtitutionem referri debet, vt cum in calce narrationis occurrit ſubſcriptum, acutum, aut febris acuta. Cum vero dicit die aliqua fuiſſe acutam, vt die prima, quinta, aut ſeptima, aut alia, non ad conſtitutionem (conſtitutio enim non vnius diei, ſed totius morbi eſt) ſed ad tactum, & eius diei ſymptomata: hoc eſt ea die calor ẽ acutè mordiſſe, aut ſymptomata magnam acutiem referentia affuiſſe. Velut prima die huius morbi fuit rigor magnus, calor acutè mordens, lingua arida, ſiticuloſa, bilioſa, ideſt amara & pallens, non dormiuit, quæ omnia bilis vrentis abundantiam ſignificabant. Sed & vrinæ ſubnigræ, quæ vſtam iam bilem præ ſe ferebant, & ἐναιώρημα ſublime. Galen. quod ſublime vult vocari nubeculam: quod ſubſidens, ſedimentum; quod pendet in medio, ἐναιώρημα. At vero Hippocrates hæc omnia nomina generatim vſurpat pro eo quod in vrina continetur, proinde plerumque addit aliquid, quo explicet, quod contenti genus dicat, velut nunc dicit, ἐναιώρημα μετέωρον, innuens nubeculam tenuem. Non explicat, an illa nubecula fuerit etiam ſubnigra, vt ipſæ vrinæ; vtcumque autem hoc habuerit, ſignificabat tenuem bilem vſtam, & flatum capiti periculum portendentem. Quale illud eſt de quo dicitur primo prædictionum. Vrinæ ſublimes phreniticæ. Nimirum, vt in pituitoſis ſolet apparere ante concoctionem craſſum quiddam, album, hærens fundo matulæ: ita in bilioſis, tenue, ſublime, diuulſum. Addit, non ſudauit. Id dicit, quia tota ea die febris alicuius tertianæ ſpeciem præ ſe tulerat, incipiens à rigore, ac deinde breui ardens, & cum ad extremum expectaretur ſudor, qui tertianæ paroxyſmum finiret, non ita factum eſt, ſed continua euaſit, & nullus ea die ſudor fuit. Secunda die ad meridiem fuit refrigeratio extremorum, præcipuè circa manus, & caput, & homo fuit ſine loquela, & ſine voce, & breuiſpirus. Quod idem accidens aliis ferè omnibus diebus paribus factum eſt; nam & quarta, & octaua, & poſtrema, qua mortuus eſt; quin etiam fortaſſe, & ſexta, quanquam id minus explicet. Dicit tamen exacerbationem habuit, quam veriſimile eſt fuiſſe tunc quoque ſimilem iis, quas alii difficiles eius morbi articuli afferebant. Si ſine voce erat, non poterat non eſſe ſine loquela, nam vox materia ſermonis eſt. Dicit vero velut exagerans periculum, ἄναυδος ϗ ἄφωνος, & ſine voce, quaſi diceret, non ſolum ſine loquela, ſed etiam ſine voce. Illud βεκχύπνους, neceſſe eſt, ſignificet ſpirituum exiguum. Magnus enim non diceretur curtus, aut breuis. Non tamen perinde conſtat, crebrum, & paruum, an rarum, & paruum, ſignificet. Nam vtcunque ſit ſpiritus paruus, videtur poſſe ita appellari. Si tamen hic ſpiritus fuiſſet creber & paruus, inflammationem aliquam in partibus ſpiritalibus, ſignificaret, & refrigerationem etiam extremorum tali ſpirationi accedentem, in eam cauſam reiicere, eſſet conſentaneum,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 155 sur 489

©BIUM

Sed ſi inflammatio magna & maligna (nam non poſſet quæcumque) ea ſymptomata faceret, non ex quibuſdam circuitibus nunc faceret, nunc non, ſed continenter, vt febris lipiria ſolet. Præterea inflammatio non tolleret loquelam, ſaltem non vocem, & querulos gemitus. Conſentaneum ergo magis eſt, eam refrigerationem indicare debilitatē naturalis caloris, quare & ſpiritum illum fuiſſe rarum & paruum, velut ſi ad ἀσφυξίαν tenderet. Vnde alia etiam ſymptomata ſerie quadam procederent. Si enim frigus tollebat ſpiritum ſublato vſu, neceſſe erat cum ſpiritu tolli vocem, & cum voce loquelam. Nam vt ſermonis materia vox, ita vocis expiratio, non quātulacunque, ſed maiuſcula. Accedit, quod eandem ſpiritus ſpeciem ſignificans dixit, octaua λεπτὸν πνεῦμα ἢ μινυθώδες. Videtur autem imminutus dici, per quem ſpiratur parum aëris, is verò eſt rarus & paruus. Nam per crebrum & paruum non ſpiratur minus, ſed per minores partes. Meritò itaque videtur Galenus putaſſe hunc ſpiritum fuiſſe paruum & rarum. Sed eſt admiratione dignum, quî poſſet, qui præ caloris naturalis extinctione tantoperè frigebat, denuò tantoperè recaleſcere, & qui recaluiſſet, frigere rurſum, arſurus iterum non ſemel. Certè cū naturalis calor eſt exiguus, & is qui præter naturam magnus, accidunt hæ viciſſitudines, excitata nunc flamma ingente à putreſcētibus ſuccis, & eorum fuliginibus, vt vel in cadaueribus aliquando; nunc ipſiuſmet ignei caloris vi conſumptis quibuſdam, & diſſipatis, apparente interno frigore. Ita enim fit in aliis omnibus rebus natura conſtantibus, quæ frigida ſunt naturali frigore. Accedente enim igne caleſcunt, cum recedit, refrigerantur. Corpus ergo ægroti, in quo frigus internum iam vincit, accedente cauſa calorifica inflammatur, & recedente frigeſcit; accedit verò & recedit per viciſſitudines, vt in aliis cum facit exacerbationes. Nam exigua illa febricula, quæ per remiſſiones ſupereſt in aliis continuis febribus, non poteſt, cum calor naturalis eſt exiguus, totum corpus calefacere, ſed eam ſolum particulam, in qua putreſcens ſuccus hæret. Quia niſi calor naturalis calorem, à quacumque cauſa excitetur, in corpus deferat, non poteſt is in totum corpus ſe effundere, niſi omnino ſit maximus. Si enim cadaueri vna in parte ignem admoueris, eam ſolam partem vrens, reliquum corpus frigidum eſſe ſenties, neque certè totum calefacies, niſi totum occupet flamma: ſcilicet non adſunt ſpiritus, & arterialis ſanguis, qui calorē præter naturam concipientes, in totum deferant. Hinc fit, vt qui debili calore ſunt, vt ſenes, exiguis febribus tententur, & vt quædam corpora præ debilitate naturalis caloris febricitent interius, exterius refrigerata, atque adeo non ſolum ſecundùm caput manus ac pedes, ſed & ſecundùm aſperam arteriam, pulmonem, & thoracem, & internum os: vt hanc ob cauſam exſpirent frigidum, exiguū, & rarò, & habeant frigidas linguas. Conſtat verò hæc in valde lethalibus eſſe ſignis. Reliqua ferè omnia ex dictis intelliges, quid portenderent, & quas haberent vires. Pauca illa compacta ſtercora, quæ ab aluo prodierunt die tertia, fæces in inteſtinis ex multis diebus impactas ſignificabant; per longam enim moram fuerant compacta, quod magis declarauit, pondus cum dolore circa aluum, die quinta. Semper enim dolor grauans multitudinem ſignificat in dolente parte, quod ſentiens Hippocrates, ſexta die veſperi clyſterem infundi iuſſit, quo ab aluo eiecit bene, id eſt, copioſè ſtercora, vt ſani ſolent. Sed rogabis, cur Hippocrates cum curationes morborum faceret toto hoc opere, nunc clyſteris meminit, & cur clyſteris ſolius, quin etiam cur toto opere vix vnquam auxilii cuiuſpiam meminerit, præterquam glandis, aut clyſteris. An his ſolis curabat hos morbos? Non ſanè, nam & miſſionis ſanguinis alicubi meminit, & in narratione ſtatus peſtilentis huius anni, dixit, iis quæ offerebantur difficulter cedere. Nam purgationes plurimos lædebant. Quod ſanè videtur dixiſſe, vt purgationes expertus, niſi fortè, vt qui alios purgationibus lædere animaduertiſſet. Vtcumque autem hoc habeat, ex innumeris locis conſtat, eum plurimis aliis auxiliis vſum eſſe, quin etiam omnia quæ in hūc vſque diem in vſu ſint, ab eo viro fluxiſſe, & quædam alia, poſteritatis negligentia, concidiſſe. Meminit verò crebrius in ſingularibus hiſtoriis huius libri, glandis & clyſteris, vt qui curationes vellet tacere, hæc verò non tam vt auxilia curantia, quàm vt quibus aliquid tentaretur, & à quibus aliqua caperetur indicatio, nominat. Velut nunc, quia clyſtere benè euacuata aluo, dormiuit, conſtat quid grauitas cum dolore ſignificaret. Nolo tamen proinde non intelligas, familiares fuiſſe Hippoc. clyſteres, & glandes, & multi vſus eſſe hæc in re medica. Oleoſa vrina qualis ſit, proxima hiſtoria dictum eſt, atque ex eo loco dictis conſtat, meritò ab hac mictione hunc deliraſſe. Exitus etiam huius morbi conſideratione dignus eſt. Nimirum decima die mortuus eſt cum ſudore multo, vt conſtet hoc exemplo, & multis huic ſimilibus, quæ partim occurrerunt, partim etiam occurrent, non tantum eiſdem diebus mori homines, quibus ſalui fiunt, ſed eiſdem prorſus euacuationibus, vt meritò dicat Galenus euacuationes, & alia omnia decretoria, neque bona, neque mala eſſe ſimpliciter, ſed vt euenit, amanda ſcilicet & expetenda, ſi ſigna futuræ ſalutis ſe exhibeant, deteſtanda verò & fugienda, ſi lethalia. Nam tunc temporis ſimul cum humoribus vitalis ſpiritus exhalat.

AEGROTVS IV.

PHreniticus prima die qua decubuit, vomuit æruginoſa, multa tenuia, febris corripuit cum horrore, multus ſudor & continuus capitis & colli accidit per totum, & grauitas cum dolore. Vrinæ tenues, ſuſſenſiones exiguæ, diſperſæ. Non ſudauit. Ab aluo verò eiecit ſtercus confertim, multa delirauit, nihil dormiuit. Secunda mane vox defecit. Febris acuta inuaſit. Sudauit. Non intermiſit. Palpitationes per totum corpus. Nocte conuulſiones. Tertia exacerbata ſunt omnia. Mortuus eſt.

In multis codicibus latinis & græcis occurrit ſcriptum, quarta mortuus eſt. Ego verò nolui eam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 156 sur 489

lectionem ſequi, quia Galenus, vt conſtat ex eius commentario, non habebat voculam illam, quarta, in ſuo codice, quem veriſimile eſt, vt antiquiorem, ita fuiſſe certiorem. Miratur tantoperè Galenus phreniticum mortuum eſſe ante diem quartam, vt putet id non factum eſſe vi phrenitidis, ſed ſucci praui, & venenati, quem homo collegerit ob prauum victum, phrenitidem verò fuiſſe, vt vnum quoddam veneni ſymptoma. Velut ſi quis accepto veneno, aut morſus à fera, delirans moreretur: non diceremus ſuſtulisſe eum phrenitidem, ſed venenum. Videtur verò hoc quod Gal. affirmat multo probabilius effici, vomitu illo æruginoſo, qui niſi materia venenoſa eſſet, & celerrima corruptio, non poſſet die prima fieri. Ego verò, etſi Galeno concedam, rarum admodum eſſe phrenitidem finiri ante quartum, & produci vltra vigeſimum, impoſſibile tamen neutrum eſſe ſuſpicor. Neque miror admodum, ſi id Galen. nunquam viderit, & Hippoc. occurrerit: quin potius ob hanc raritatem puto propoſitum nobis ab eo eſſe, & ſcriptum in initio narrationis, phreniticus. Rarò enim Hippoc. narrationem inchoat à morbi ſpecie, nec niſi cum momentum aliquod habet inde incipere, velut fortaſſe nunc dixit phreniticus, quia illud erat maximè notandum, phrenitico ita euenisſe. Sed ſi inflammatio aliqua maligna partis cuiuſpiam, externæ, poſſit intra diem ſeptimum interimere, cur non poterit inflammatio cerebri, ſi malignam eam eſſe contingat, interimere tertia, vel etiam citius? Quod ſi tunc dicas, non eſſe imputandum inflammationi, ſed maligno ſucco, perinde eſt, ac ſi dicas, nunquam phrenitidem interimere, ſed ſuccum à qua illa fit. Imputatur tamen hoc inflammationi malignæ. Neque ſanè morbi lethales, & exactè acutiſſimi quarta die interimunt, ſed quarta aut citius, vt in prognoſtico ipſemet dicit Hippoc. Itaque ego Galeno conceſſerim, poſſe intra noſtra corpora gigni venena, quia horrendi quidam caſus id indicant, atque adeo poſſe paulatim genitum, aliquando noxam repentinam inferre, aut repentinum impetum capiens in partes principes, aut quod verius puto, venenatam qualitatem repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore tantùm diſponebatur. Velut ligna multo tempore ſiccantur, & repentè inflammantur: atque adeo in hoc talem ſuccum fuiſſe ob vomitum illum æruginoſum, & febrem acutam, & horridam, & ob incredibilem illum lapſum virium, quo factus eſt die ſecunda manè ſine voce, & ob palpitationes per totum, ac denique ſecunda die factas conuulſiones: tamen non proinde non ſuſtulit hunc phrenitis maligna ex maligno ſucco. Nam præter dicta, ad extremum non eſt hic mortuus ſyncope, ſed conuulſionibus, quæ ad cerebri noxam pertinebant. Sed quo pacto dicit, prima die multus ſudor continuus per totum, mox que eadem die dicit, non ſudauit? Certè non eſt legendum, vt occurrit in multis codicibus ſudor multus continuus per totum, capitis & colli grauitas cum dolore; ſed ſudor multus continuus capitis & colli per totum, ſcilicet diem. Ac deinde grauitas cum dolore. Nimirum per totum diem ſudauit multùm capite & ceruice, vt ſolent, qui linquuntur animo, & præterea habuit grauitatem cum dolore, ſignificantem multitudinem prauæ materiæ: non ſudauit tamen æqualiter, vt qui iudicantur. Reliqua, ex dictis iam ſæpè intelliges, quam præſtarent ſignificationem.

AEGROTVS V.

IN Lariſſa caluus femoris dextri repentino dolore correptus eſt, nihil eorum quæ offerebantur iuuabat. Prima die febris acuta & ardens ſenſim corripuit, dolores autem comitabantur. Secundâ quidem femoris dolores remiſerunt, febris autem intenſa eſt, ſubmoleſtè ſeſe habuit, non dormiuit. Extremæ partes frigidæ erant, vrinarum non probarum copia prodibat. Tertiâ, femoris dolor ſedatus eſt, mentis autem alienatio accidit & perturbatio & multa iactatio. Quarta circa meridiem mortuus eſt acutiſſimè.

Periculoſum admodum eſt ſimul cum abſceſſu febrem inuadere, & periculoſius multò, cum ita inuaſerit, abſceſſu euaneſcente febrem augeri, ac multo magis ſi cum ille euanuerit, quæ partis principis læſionem indicent, ſuperueniant ſymptomata, quæ omnia in hoc caluo videre licet. Repentè enim correptus eſt femoris dextri dolore, & febre acuta ardente, quæ paulatim creſcebat, & dolores conſequebantur, ideſt, creſcebant pariter cum ipſa febre: & ſecunda die dolores femoris remiſerunt, & febris intendebatur, ſymptomata alia difficilia, quod ſignificatur illo verbo ὑπεδυσφόρει & tertia, omninò ſedatus eſt femoris dolor: & vt dolor femoris tollebatur, ita apparebant inditia paſſionis membrorum principum. Nam ſecunda non dormiuit, tertia mentis alienatio accidit, quæ ad caput pertinebant; ſecundâ extremæ partes frigidæ erant, tertiâ & perturbatio & multa iactatio adfuit, quæ ad facultatem vitalẽ cordis. Non mirum ergo, cum tam celeriter facultates labeſcerent, & præcipuæ partes læderentur, tam breui hominem mori. Vrinarum multitudo, quæ exibat, redundantiam ſucci maligni ſignificabat. Dicit verò fuiſſe eas vrinas inutiles huic, vt plurimis eius tempeſtatis ægrotis, de quibus antea diſſerens, dixerat, multa autem malitia erat vrinarum exeuntium, neque enim craſſitiem, neque concoctiones, neque expurgationes vtiles habebant. In multis enim purgationes per vrinas vtiles fieri, bonum. Itaque hunc non iuuabat euacuatio, quæ multis vtilis eſſe ſolet, ſed neque quidquam eorum, quæ à medico offerebantur, proderat: quod ſanè grauiſſimum ſignum eſſe, non pridem dictum eſt. Nihil refert nunc dicere, quæ ſit conſentaneum feciſſe Hippocrat. ſed illud vnum ſibi facilè perſuadeat quiuis, Hippocr. ſecundum artem feciſſe rectè, omnia quæ expedirent, ſiue aliquid quod ore acciperet offerendo, ſiue aliquid circa ægrotum faciendo, vt ſecando venam, aut tale aliud, ſiue admouendo exterius repellentia, aut anodina. Illud eſt admodum conſentaneum, etſi, aliis locis, oblata, aut quæ offeruntur, ea ſolum dicantur ab Hipp. quæ ore accipienda dantur, hic tamen id nomen dici de exterius etiam admotis. Non dubium enim in tanto dolore, illa etiam tentata eſſe, præcipuè cum dicat, nihil eo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 157 sur 489

©BIUM

rum, quæ offerebantur, proderat, quasi tentato omni genere auxiliorum. Grauissimi ego mali erat, cùm rectè omnia, quæ secundùm artem possunt, agerentur, nihil iuuari, neque etiam iis euacuationibus, quæ sponte fierent. Non ergo, licui videmus dolorem magnum partis cuiuspiam externæ repentè accidere, hoc exemplo territi, debemus mox tantum periculum valde formidare, sed si simul cum dolore febris ardens fiat, & mullis auxiliis malum cedat, & reliqua, vt huic caluo, succedant lethaliter per symptomata grauissima. In quibusdam codicibus habet hæc narratio in fine ὀξύ, ideſt acutum: in quibusdam ὀξυτάτως, ideſt, acutissimè: in aliis ὀξύτατον, ideſt, acutissimũ. Gal. suspicatur nihil horum esse Hippoc. sed adiectitium, nihil refert. Malum fuit acutissimum exactè.

AEGROTVS VI.

ABderæ Periclem morbus corripuit acutus, continuus, cũ dolore. Multùm sitiebat, anxius erat, potum continere non poterat, erat autem sublienosus, & capitis grauitate laborabat. Prima fluxit sanguis multus ex sinistra nare, febris intendebatur, minxit multum, turbatum, album, repositum non subsidebat: secunda omnia exacerbata sunt. Vrinæ autem crassæ quidem erant, residentes autem magis, & anxietas leuata est, dormiuit. Tertia febris remissa est. Vrinæ copiosæ, coctæ, multam hypostasim habentes. Noctem quietè transegit vsque ad medium diem, sudauit sudore multo calido quarta die per totum corpus, à febre liberatus est, & iudicatus. Non rediit. Acutum.

Ecce exemplum iudicationis quarti diei, quam tam raram esse dicit Gal. vt Archigeni toto vitæ tempore contigerit videre bis, & ipsi in eum vsque diem, quo id scribebat, semel: quia etsi hæc dies cælestes causas habeat adiutrices, quia est dimidium primæ septimanæ, tamen motum materiæ, quem causam infernam dicimus, non ita adiuuantem habet, hic enim in tertium, aut quintum semper ferè incidit, (qui enim acuti per pares mouentur ex multa materia pendent, & contumaci, vt dictum antea est, ac proinde vix possunt esse constitutionis adeo breuis) cum autem materia non obedit, causa efficiens non multum potest: Rarum ergo meritò est. Verum huic euenit, quia euenit illud quod rarum esse dicimus, tam breuem scilicet fuisse morbum & exacerbari per pares. Secunda enim, inquit, omnia exacerbata sunt, & tertia febris remissa. Fuit in hoc morbo aliud notatu dignissimum, quod iam dicam. Velut medici cum nihil nimis vrget, legitimè prosequuntur curationes, studentes concoctioni primum, deinde incisioni & apertioni, vltimò euacuationi, verum aliquando vrgentiæ cuiuspiam gratiâ omnia peruertunt, auxilium quod ex curatione legitima non expectant, se posse consequi, illegitimâ procurantes; ita natura, cum nihil plurimum irritat, ordinem sibi familiarem retinet, retinendi primùm, & coquendi. secernendi, deinde & expellendi, cùm verò irritationem, quæ multitudine, aut qualitate sit, non potest sustinere, euacuat antequã coquat, quæ euacuationes cũ ex bonâ causâ aliquando oriantur, euenit aliquando in robustis, morbos etiam magnos, ab ipsa natura curari præpostero ordine, antequam coqueret. Id quod rarissime fit perfectè, imperfectè autem valde rarò. Atqui cum hoc fit, euenit quiddam aliud, quod rarum etiam est, minui febrem, & propria eius symptomata, materia concoctionem non consequuta, sed coquenda, quia euenit, vt etsi materiæ alteratio crescat aliquantum, minuatur tamen quantitas magis, & proinde affectus decrescat. Exemplo est hic ægrotus, qui cùm laboraret acuta febre, & lienis tumore, & capitis grauitate cum dolore, & siti, & anxietate, quæ ambo calidæ intemperiei sunt familiaria, & non posset sustinere potum quin euomeret, fortasse ob eandem intemperiem debilitata retentrice, aut (quod ego magis consentaneum puto) ob tenuem & multam humiditatem, quæ in melancholicis ex liene redundat, qua solent fieri saliuosi: cum inquam hæc haberet, fluxum multi sanguinis de nare sinistra, & mictum multæ vrinæ turbatæ & albæ, quæ prima die acciderunt, adeo diminuta materia morbi est, vt tametsi secunda, tendente morbo in incrementum, omnia exacerbata sint, tamen durante expurgatione per vrinas, tertiâ remissa, & quartâ sublata febris sit. Sed quo pacto euacuationes tam intempestiuæ, vt prima die apparerent, fuerunt tam vtiles causæ? Certe quia etsi contigit illis id mali, vt intempestiue fierent, contigerunt tamen alia bona, sanguis enim ex sinistra nare secundùm rectitudinem lienis & capitis fluxit, neque fluxit stillatim, sed multus. Et duplici malo duplex euacuatio, vtraque accommodatissima accessit, tumori lienis & grauitati capitis fluxus sanguinis, febri acutæ expurgatio per vrinam. Sed quo pacto tam perfecta & secura iudicatio esse potuit, quæ ab intempestiuis euacuationibus incepit? Certe etsi ab intempestiuis inceperint euacuationes, euaserunt in tempestiuas. Nam vrinæ ceperunt coqui obscurè die secunda, tertia die iam manifestè tales apparuerunt. Quanquam ergo fluxus sanguinis, & mictus copiosus, qui morbum minuerunt, fuerint ante concoctionem, tamen sudor qui finiuit, post concoctionem fuit, multus, & calidus, per totum corpus. Quare meritò fuit à febre liberatus nec rediit morbus.

AEGROTVS VII.

ABderæ virginẽ, quæ decũbebat in via sacra, febris ardens corripuit, erat autem siticulosa, & insomnis. Fluxerunt autem muliebria primum ipsi. Sexta fastidium multum, rubor em contraxit, cum horrore & inquietudine. Septima eadem perseuerauerunt. Vrinæ tenues quidem, boni autem coloris, quæ verò circa aluum sunt partes non conturbabantur. Octaua, surditas accidit & febris acuta, in-

somnis erat & anxia, horrebat, intelligebat. Vrinæ similes. Nona eadem, & sequentibus, manebat item surditas. Decimaquartâ mens turbata. Febris remisit. Decimaseptima è naribus sanguis fluxit multus, surditas parum remisit: & sequentibus fastidium, surditas inerat, & delirabat. Vigesima pedum dolor cepit, surditas & delirium intermisit, fluxit parum sanguinis de naribus, sudore à febre liberata fuit. Vigesima quarta febris redijt, surditas rursum, pedum dolor permansit, alienatio mentis. Vigesima septima sudauit multum, à febre liberata fuit. Surditas desiit. Dolor pedum permanebat. Alia autem perfectè iudicata sunt.

Vt nunquam tacere solet, fœmina an vir ægrotet, ita neque nunc tacuit fuisse virginem. Nimirum vt sunt morbi proprii mulierum, ita & in ipsis mulieribus, virginum: ac proinde Hippoc. scripsit post morbos mulierum, seorsum de morbis virginum. Morbi mulierum, ex redundantia eius sanguinis, qui singulis mensibus solet fluere, nascuntur, virginum verò, ex ea ipsa redundantia, & seminis. Quo fit, vt horrenda magis sint virginum mala (sunt verò eadem & iuuenum viduarum) quam aliarum mulierum. Hæc virgo non multum habuit earum passionum, quæ virginibus præcipuè familiares sunt, earum autem quæ mulieribus, multum. Nam cum laborauerit febre acuta, quæ iudicata est vigesima septima, qui ferè est postremus finis acutorum, processisse morbum ex redundantia sanguinis illius praui, expurgatio muliebris, quæ in principio statim apparuit, ostendit. Non valente tamen ea euacuatione minuere multum materiam, factus est recursus ad superiora sexta, septima, & sequentibus diebus: qui recursus facilè cognosci poterat, ex iis quæ aderant, & iis quæ non aderant. Nimirum cessauit muliebris euacuatio, & iam non aderat, neque pro hac fluxit aluus (hoc enim est, quod dicit, neque aluus conturbabatur) aderat verò rubor faciei, & mœstitia, quæ significabant malum sanguinem ferri in caput, & superuenit octauâ surditas, & perugilium, quæ omnia pertinebant ad caput. Sed & fastidium, & horror significabant, ventriculi, & partium eius oris passionem, quæ etiam accidebat petentibus excrementis sursum. Sed cum dixisset hæc superueniisse, addit, intelligebat, quasi aliquid mirabile, quia rubor ille, & surditas fuerant signa phrenitica. Contingit tamen non tam cito lædi mentem, neque vsque ad decimamquartam, qua iudicatio quædam imperfecta est facta, febre non soluta, sed remittente, cum mentis turbatione. Nimirum mentis turbatio aliquando est signum decretorium. Non dicit quæ euacuatio die decimaquartâ affuerit, verisimile autem est affuisse aliquam: aut certè cum euacuatione insensili, & copiosa, ipsa suam causam absumens & dissipans febris inclinauit. Non potuit tamen fieri iudicatio perfecta, etsi multæ ac copiosæ euacuationes affuerint, quia nullæ manifestæ notæ concoctionis antecesserant. Vrinæ enim tenues, & boni coloris, sunt rufæ tenues, quas crudum morbum significare, in prognostico dicit. Itaque videtur, in principium morbi insumptos fuisse dies quatuordecim: quare meritò in totum morbum viginti septem insumpti sunt. Legitimum enim est insumi duplum principii in totum morbum. Reliqui omnes quaternarii, post decimamquartam sequentes ordine, attulerunt aliquid insigne. Decima septima, fluxum multi sanguinis de naribus, quo surditas parum remisit (notat remisisse parum, quia cõsentaneum erat multum remittere) sed illa euacuatio alioqui multi sanguinis, tanto fuit minor, quàm pro capitis redundantia, vt manserit surda & delira vsque ad vigesimam, qua rursum recurrentibus deorsum succis, factus est ad pedes abscessus: acciditque pedum dolor, fluxitque simul parum sanguinis de naribus, & sudauit: atque ita, materia partim abscedente, partim euacuata, intermisit surditas, & delirium, & febris: surditas & delirium abscessu, & sanguinis fluxu: febris sudore. Nihilominus suspectam oportuit esse hanc iudicationem, vt pote cum non esset absoluta constitutio legitima, longius enim fuerat principium, quàm vt vigesima solui febris posset. Atque ita vigesima quarta febris rediit, & surditas rursum, & mentis alienatio. Illud verò habuit hæc mutatio boni, quod dolor pedum permansit, alioqui magnus raptus in superna rursum significaretur. Vigesimâ septimâ (quam acuti morbi esse postremum finem censeo) rursum sudauit multum, & liberata est à febre, finito iam morbo legitimè. Dolor solus pedum permansit, ita vt fit, ex morbis iudicatu difficilibus, alia autem perfectè iudicata sunt, febris scilicet, & surditas, & delirium, & fastidium, & reliqua symptomata. Vnde manifestum erat, nisi quid committeretur in victu, illum morbum nullam recidiuam habiturum. Nam cum intus manet aliquid causæ, etiam symptomata aliqua illorum restant.

AEGROTVS VIII.

Abderæ Anaxionem, qui decumbebat ad portas Thracias, febris acuta corripuit, lateris dextri dolor continuus, tussis erat sicca, neque expuit primis diebus. Siticulosus, insomnis. Vrinæ boni coloris, multæ, tenues. Sextâ delirauit, post fomenta autem calida nihil remittebatur. Septimâ laboriosè se habuit, febris enim intendebatur, & dolores non sunt minuti, & tussis infestabant, & difficulter respirabat. Octauâ venam in cubito secui, fluxit multum, vt debebat, remissi sunt dolores, tussis quidem aridæ permanserunt. Vndecimâ febres remiserunt. Parum circa caput sudauit. Tussis adhuc durabant & quæ à pulmone exibant humidiora erant. Decimaseptimâ incepit pauca concocta spuere: leuatus est, sitibundus autem erat. Et eorum quæ à pulmone exibãt probæ non erant expurgationes. Vigesima sudauit, à febre liberatus est. Post iudicationem autem subleuatus. Vigesima septima

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 159 sur 489

©BIUM

febris rediit; extuſſiit, excreauit cocta multa. In vrinis erat ſubſidentia multa alba. Deſiit ſitire, dormiuit. Trigeſimâ quartâ ſudauit toto corpore, liberatus eſt à febre & omnino iudicatus.

Pleuritis fuit hæc multò longior ſolito. Non enim ſolet citra ſuppurationem vltra vigeſimum produci. Non tamen proinde receſſit à conſtitutione legitima; nam decimaſeptima videtur, finem principio, & incremento initium dediſſe, qui dies duplicati faciunt triginta quatuor, quibus liberatus à morbo eſt. Fuit enim tempus cruditatis ſummæ vſque ad vndecimum, cùm ſemper habuerit tuſſim ſiccam, & nihil excreauerit vſque ad eum diem, quo mutatione facta ad concoctionem obſcuram (quæ & ipſa eſt principii) tuſſes factæ ſunt humidiores. Verum decimoſeptimo incepit excreare pauca concocta. Eſt enim pleuritis principium, cum neque multa, neque concocta excreantur; ſtatus & inclinatio, cum multa & cocta; incrementum, cum aut multa non cocta, aut pauca ſed cocta. Itaque incrementum habuit à decimoſeptimo vſque ad vigeſimum ſeptimum, quo excreauit cocta multa, ſtatum ab hoc vſque trigeſimumquartum, quo iudicatus eſt omninò. Mirum eſt, ſi pleuritico Hipp. non ante octauũ diem venam ſecuerit: mirum etiam, ſi neque vllo ſequentium dierum, ſed ſemel extraxerit quãtum extrahere erat neceſſarium, Galen. putat Hippocratem ſecuiſſe etiam venam priùs, neque dicere octauo venam ſecui, quod tunc primùm, ſed quòd tunc quoque venam ſecuerit, præter opinionem antiquatam, quæ fortaſſe illa tempeſtate inualuerat, non eſſe ſecandam vltra quartum. Cui opinioni Celſus etiam, ætate Galeno poſterior, præter rationem fauit. Sed ſi ſexto die tentauerit Hipp fomentis, & ſeptimo obſeruauerit nihil illis iuuari; quia eo die febris intendebatur, & dolores non ſunt imminuti, & tuſſes infeſtabant, & difficulter reſpirabat: non eſt cur ante octauum venam ſecuerit. Nimirum ipſemet lib. 2. de ratione victus in acutis iubet, fomentis tentare antequam vena ſecetur, atque iuxta illud præceptum dicit, nunc, ſexto delirauit, & poſt fomenta calida non remittebatur dolor. Hoc ergo dicit, quaſi reddens cauſam, qua de ſecanda vena cogitauerit, quia ſcilicet cùm tentatum eſſet fomentis calidis dolorem ſoluere, ille nihil remittebatur. Si igitur ſexto hæc acta ſunt, non mirum octauo eſſe ſectam venam. Sed cur tam ſerò tentauit fomentis, aut cur tam multum in hac curatione perſeuerauit, vt tam ſerò vena ſecaretur? fortaſſe præſenſit conſtitutionem morbi, futuri tam longi, vt octauus dies in primam principii eius partem incideret, putauitque non tardius mitti ſanguinem octauo, morbi triginta quatuor dierum, quàm quarto, morbi decem & ſeptem. Sed & ſemel extraxiſſe Hippoc. ſanguinem, non mirabor, cùm ipſemet citato libro de ratione victus ſcribat: neque vt copioſè ſanguis detrahatur eſt cunctandum: ſed eo vſque auferendus, donec rubidior multò, vel pro puro rubidoque liuidus fluxerit. Itaque Hippocrat. fecit huic, quod pleuriticis fieri ſuadet, tentauit primùm calidis fomẽtis, deinde copioſè & ſemel ſanguinem detraxit. Non tamen proinde ego ita fieri ſuadeo. Non enim opus eſt tentare, niſi cum dubia eſt affectio (non ſemper autem eſt dubia) neque ſemel, euacuari totum expedit, ne fortè accidat produci euacuationem vſque ad deliquium animi, quod in thoracis inflammationibus vitandum eſt. Non mirum autem aliquid Hippocraticis curationibus tam multa tempora addidiſſe. Nam neque illud probatur, ſectionem venæ non tollere dolorem, niſi is ad clauiculam pertineat. Itaque Hipp. ſecutus ſuam ſententiam, ſecuit octauo cubiti venam, ſcilicet internam cubiti, hæc enim eſt, quæ cum parte affecta rectitudinem, vt alibi indicatum eſt à me. Quod dextri lateris fuerit morbus potius quàm ſiniſtri, ſatis congruit cum Auicennæ ſententia, putantis dextri lateris eſſe pleuritides ſalubriores & longiores, qualis profectò fuit hæc. Ego verò non puto, magnam habere periculi, aut ſecuritatis, neque longitudinis, aut breuitatis differentiam, quia pro ſiniſtri ventriculi cordis calore, eſt hepar locatum in dextra parte, & tribuit natura dextro lateri arteriam maiorem. Quare aut nulla differentia eſt in latere, aut certè dextri eſt acutior, quia latus eſt calidius, atque eadem ratione in ſiniſtro erit periculoſior, ſi eam contigerit eſſe æquè magnam, quia erit minus congruens. Neque quod Hipp. (ſi modo Hipp. is liber eſt) dicit cap. de pleuritide ex dorſo, lib. 3. de morbis, contrarium eſt huic ſententiæ, etſi videatur. Dicit enim optandum magis, vt ex ſiniſtra: id vero dicit de ſuppuratione iam rupta in hoc, aut illud latus, non de pleuritide, neque certè ob morbi magnitudinem, aut malignitatem: ſed ob difficultatem curationis, quod grauius putet ſecare, ac vrere nobilem quam vilem partem. Curationis habet differentiam affectum latus. Hac enim cauſa oportuit dextri brachii venam ſecari, & ei lateri fomenta admoueri. Siticuloſum eſſe, & inſomnem, & delirare, non erant propria huius paſſionis. Nam ſitim pleuriticorum, aliquando ſubleuat tuſſis leuiter irritans. Peruigilium, & delirium patiente per cõſenſum cerebro accidunt, quod quidem aliquãdo euenit pleuriticis, rariùs autem euenit. Vrinas boni coloris, ſatis multas, & tenues, in multis pleuriticis conſpexi. Fiunt enim boni coloris etiam in principio, quòd ea paſſio non pertineat ad venas, tenues vero ob febrem, quæ extenuare ſolet bilem, vt aliæ etiam diariæ, aut etiam vt ſola ira, aut fames, aut exercitatio aliquando. Euenit etiam huic, quod & pleriſque pleuriticis, vt miſſo ſanguine dolores remitterentur, tuſſi adhuc arida & morbo in principio conſiſtente. Nimirum inflammatio omnis eſt morbus multiplex, partim in magnitudine, partim in temperamento, magnitudinem auget copia fluentis ſucci, intemperiem qualitas: contingit ergo alterum decreſcere creſcente altero, ac plerunque anticipat fluxionis decrementum, materiæ concoctionem, præcipuè verò in ſuccis concoctu difficillibus, quales erant huic. Sed quid eſt quod dicit, decimoſeptimo eorum quæ à pulmone exibant probæ non erant expurgationes: certè expuebantur cocta, & pauca, quæ quia cocta, bonam ſignificationem præbebant, ſed quia pauca, non poterant ad minuendum morbum conferre manifeſtè, proinde erant bona ſigna, ſed non vtilia, ideſt non tam boni effectûs cauſæ, quàm ſigna. Iudicatio diei vigeſimi meritò fuit infida, quia intempeſtiua, facta

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 160 sur 489

enim est ante perfectam concoctionem in incremento medio: quæ facta est post vigesimum septimum, fuit perfectâ, & fida, quia iam inde excreauit multa concocta, & in vrinis fuit subsidentia multa alba. Cum verò Hipp. dicit, subsidentia multa, multo maior copia significatur, ea quæ significationem concoctionis optimæ præbere solet, quanta scilicet fieri solet in crassis succis per vrinã expurgandis. Iraque hæc subsidentia, quia alba, erat bonum signum, quia multa, bona etiam causa. Bonum autem est in morborum iudicationibus, multas diuersasque euacuationes fieri, etsi quædam earum sint, quæ peculariter morbo non respondeant. Multis enim opus est ad corporum perpurgationem. Aut enim proxima causa, quæ morbum facit euacuabitur, aut communis, quæ proximam fouet. Velut nunc excreatione expurgatus est thorax: vrinâ venæ maiores: sudore, totus corporis habitus: laborat verò in pleuriticis inflammatione latus, fluxionem verò illi totum corpus aliquando suppeditat.

AEGROTVS IX.

Abderæ Herophytus capite rectus & obambulans dolebat, non multò autem postea decubuit, habitabat propè superiorem viam. Febris eum corripuit ardens acuta. Vomuit ab initio multa bilioſa. Siticuloſus. Difficilis tolerantia multa. Vrinæ tenues, nigræ, in quibus suspensum quid sublime aliquando erat, aliquando autem non. Noctem laboriosam habuit. Febris aliàs aliter exacerbescebat, plerunque sine ordine. Decimaquartâ verò surditas accidit; febres intendebãtur vrinæ eædem fuerunt. Vigesima multùm delirauit, & sequẽtibus. Quadragesima multus sanguis exijt de naribus, & intelligebat magis. Surditas inerat quidem, minus tamen. Febres remiserunt: sequentibus diebus sanguis erumpebat crebrò & paulatim. Circa sexagesimum autem fluxus sanguinis cessauerunt. Coxæ autem dextræ dolor fortis exortus est, & febres intendebantur. Non multo autem tempore postea doluerunt omnes inferiores partes. Contigit autem, aut febres esse maiores, & surditatem multam: aut hæc quidem recedere, & subleuari, infernarum autem partium circa coxam maiores esse dolores. Iam verò circa octogesimam remiserunt omnia: dereliquit autem nihil. Vrinæ enim boni coloris, & copioſiores subsidentias habentes prodibant, & deliria minora erant. Circa centesimam autem aluus multis bilioſis turbata est. Et tempore non exiguo, multa huiusmodi prodibant, & rursum dysenterica cum dolore. Aliorum autem quies. In summa febres defecerunt, & surditas cessauit. In centesima perfectè iudicatus est. Febris ardens.

A In morbis lõgis rariores esse dies iudicatorios, vsque adeò, vt perinde sit in illis quadragesimos & vigesimos notare, atque in acutis septimanas, & quaterniones, dictum est antea, & ex hac narratione etiam intelliges, qua post vigesimam semper per vigesimos facta additio est, quadragesimi, sexagesimi, octogesimi, & centesimi mentione facta. Quidam etiam centesimum vigesimum scribunt, ita scilicet centesimo vigesimo perfectè iudicatus est. Verùm in meis codicibus Græcis non habeo eam lectionem: sed centesimo perfectè iudicatus est. Galenus non explicat in commentariis qualem habuerit. Illud est notatu dignissimum, omnes vigesimos attulisse magnas mutationes. Sed percurramus narrationem à principio. Non parum refert scire, an ante morbum pars aliqua doluerit, quia in eam morbus firmatur. Proinde narrat, Herophytũ ante morbum rectum & obambulantem capite doluisse, vt scias meritò per morbum deliraſſe. Febris, inquit, eum corripuit ardens, acuta, vomuit ab initio multa bilioſa, siticuloſus, multa difficilis tolerantia. Hæc omnia multã & acerrimã bilẽ indicãt, vt & vrinæ tenues nigræ, quæ vstionem magnam indicabant in hoc ægroto, cùm non responderet color niger speciei propriæ materiæ morbi, Ἐταιώρημα μετάρσιον quod apparuit aliquando, aliquando non, dictum iam sæpè est delirium portendere. Sed quam noctem intelligit, dicens, noctem laboriosè tulit? Nam nullius diei hucusque meminit: sed vnicam narrationem fecit omnium vsque ad decimum quartum. Duorum alterum videtur posse significare, aut noctem decimi tertii, proximam scilicet decimo quarto, & quæ eum diem inchoauit, quia noctes quæ accessiones antecedunt, aut iudicationes, difficiles sunt: aut (quod magis probo) dixisse noctem, non, quasi vnam quamdam noctem, sed quod noctem per eum morbum laboriosiùs ferret, quàm diem semper, aut plerunque. Nam quasi de multis diebus narrationem faciens dicit, febris aliàs aliter exacerbaſcebat, plerunque sine ordine, ideſt, nunc vt tertiana, nunc vt quotidiana, nunc vt quartana, plerunque tamen sine vllo ordine. Decima quartâ, tendente iam malo in phrenitidem, facta est surditas, quam esse signum phrenitidem diximus iam non semel. Et vrina eadem fuit, tenuis arbitror cum appendiculo sublimi, & febres intendebantur, calidis succis sursum agitatis. Merito ergo vigesimo, & sequentibus vsque ad quadragesimum delirauit multùm. Quadragesimo multus sanguis fluxit de naribus, & iudicata est phrenitis lentè ac imperfectè; melius enim intelligebat, & surditas minus aderat, & febres remiserunt, nihil tamen horum omnino dereliquit, neque euacuatio semel facta est, sed sequentibus diebus vsque ad sexagesimum semper fluebat sanguis, crebro & paulatim. Sexagesimo cessauerunt sanguinis fluxus, & permutatione facta ad partes infernas superuenit primùm dolor dextræ coxæ fortis, qui vt alii fortes dolores solent, febres auxerunt, paulo post etiam dolores partium omnium inferiorum, femorum fortaſſe, & genuum, ac extremorum pedum, aut coxarum, & lumborum. Verum non est firmatus satis hic abscessus, sed succis reciprocè, nunc sursum, nunc deorsum motis, contigit à sexagesimo ad octogesimum, aut febres esse maiores, & surditatem multam, infernarum vero partium dolores

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 161 sur 489

minores, aut febres & ſurditatem recedere, & ſubleuari (non enim omninò recedere) infernarum autem partium circa coxam dolores eſſe maiores. Iam verò circa octogeſimum remiſerunt omnia. Iam ſcilicet, per multas euacuationes, & multos abſceſſus, imminuta materia: dereliquit autem nihil, vtpote nulla in parte ſatis conſumptis excrementis. Tamen iam hinc melius habuit: nam & deliria minora erant (vnde conſtat hunc, plus aut minus ſemper à vigeſimo die deliraſſe) & fuit hæc in melius mutatio, firma & ſecuta, quia concoctionis notæ apparuerunt, in vrinis boni coloris, & habentibus ſubſidentias multas: quæ quidem, quia boni coloris cum ſubſidentia, concoctionis notam præ ſe tulerunt, quia verò ſubſidentias multas habebant, fuerunt vtiles euacuationes. Iam hinc, vt fieri ſolet, ſemel cepto morbo vinci, multæ proceſſerunt euacuationes. Nam circa centeſimum aluus multis biliosis turbata eſt. Et tempore non exiguo multa huiuſmodi prodibant, facta ſcilicet diarrhœa, & rurſum eiſdem excrementis lædentibus viam, accidebant dyſenterica cum dolore. Aliorum verò (inquit) quies; dolorum ſcilicet aliorum, & febrium, & ſurditatis. In ſumma (inquit) febres deſierunt, & ſurditas ceſſauit, Centeſimo perfectè iudicatus eſt. Scriptum eſt in fine, febris ardens, vt in aliis hiſtoriis, & in quibuſdam phrenitis. Quas quidem voces ſemper putat Galen. adiectitias: atqui fortaſſe non ſunt. Verum hic morbus non ſemper fuit febris ardens (nam non habuiſſet tam longam conſtitutionem) ſed multas fecit mutationes. Vſque ad diem vigeſimum fuit febris ardens, inde vſque ad quadrageſimum fuit phrenitis, inde vſque ad ſexageſimum fuit etiam phrenitis; ſed cum fluxu ſanguinis de naribus declinans ex acutie, à ſexageſimo ad octogeſimum fuit ἰσχιὰς vocatus morbus, ſeu dolor coxæ; ab octogeſimo diarrhœa, & dyſenteria vſque ad centeſimum, qui fuit morbi finis.

AEGROTVS IX.

Aderæ Nicodemum ex Venere & potu febris corripuit, initio faſtidioſus erat, & cardialgicus, & ſiticuloſus. Lingua vſta. Vrinæ tenues, nigræ. Secundo febris exacerbata eſt cum horrore. Faſtidioſus, nihil dormiuit. Vomuit biliosa flaua, vrinæ ſimiles. Noctem quietam habuit, dormiuit. Tertio remiſerunt omnia, & quies erat. Circa Solis occaſum rurſum ſub-difficilem habebat tolerantiam. Noctem laboriosè tranſegit. Quarto rigor cepit & febris magna, omnium dolores aderant, vrinæ tenues in quibus ſuſpenſum quid erat, delirauit multum. Septimo tranquillitas adfuit. Octauo alia omnia remiſerunt. Decimo & ſequentibus manſerunt quidem dolores, leuiores autem omnes. Acceſiones autem & dolores huic vſque ad finem in diebus paribus magis contingebant. Vigeſimo vrinam reddidit albam, cui craſſities inerat, repoſita non ſubſidebat. Sudauit multùm, viſus eſt à febre liberatus. Veſperi autem rurſus incaluit, ijdemque dolores perſeuerarunt cum horrore & ſiti, parùm delirauit. Vigeſimo quarto vrinam reddidit copioſam, albam, in qua multa ſubſidebant. Sudore copioſo & calido diffuſus eſt per totum corpus, à febre liberatus eſt & iudicatus.

Vix eſt vllum morbi genus, quod non poſſit venus nimia facere, nam facit malignas ſuccorum putreſcentias, & omnium partium principum debilitates, & neruos emollit, & fluxiones commouet, & cruditatibus replet. Vtuntur verò plurimo vino, qui & nimia venere, & eam etiam ob cauſam multò plus ea mala incurrunt. Vt verò vtantur, euenit, quia ii maximè ſunt Veneri dediti, qui & Baccho, ſed & qui Veneri indulgent, ſentientes ſeſe debilitari, vinum, vt debilitatis remedium, appetunt, euenitque illis multò lædi magis, quia vinum ipſum caput & neruos tentat, & fluxiones commouet, & incoctum cruditates auget, ſi tamen coqui poteſt, calefacit, febreſque excitat, ſitque vt, Venere naturalem calorem minuente, & vino præter naturalem augente, febres fiant malignæ, vt huic accidit, & adoleſcenti Melibeæ, de quo poſtea ſcribetur. Valde familiaris eſt febricitantibus ex Venere cardialgia, hoc eſt, oris ventriculi dolor, & inde anxietas. Prompte enim debilitatem ſentit ventriculi os, & cum genitalibus habet magnam ſympathiam. Meritò ergo primo die hoc habuit hic ægrotus, & ſecundo vomuit biliosa flaua, ideſt ſincera. Habuit etiam faſtidium, ac ſitim, & linguam vſtã, quæ febris vrentis ſigna ſunt. Vrinæ tenues, per incoctionẽ accidebant, nigræ fortaſſe ob paſſionem renum, qui nunquam benè habent in veneri deditis. Secundo febris exacerbata eſt, ſed & quarto & ſexto, quantum ſuſpicor, etſi id non dicat, quia paulò poſt dicit, acceſſiones & dolores huic vſque ad finem in diebus paribus magis contingebant. Sed quo pacto verum poſſit hoc eſſe, cùm paulò ante hæc verba dixerit, octauo alia omnia remiſerunt: decimo & ſequentibus inerant quidem dolores, minus autem omnes? Certè ob hanc ipſam cauſam, quia inquam hoc dixerat, monuit in medio narrationis, cùm id in fine ſoleat dicere, dolores fuiſſe diebus paribus. Quaſi diceret, etſi octauo alia omnia remiſerint, & decimo & ſequentibus, puta duodecimo, decimoquarto, decimoſexto, & decimooctauo fuerint dolores minores, non ita tamen, quin octauus difficilior fuerit ſeptimo, facilior tamen ſecundo, quarto, & ſexto. Ac proinde dixit octauo remiſerunt alia omnia, non ſcilicet quæ fuerant ſeptimo, ſed quæ aliis diebus paribus, & prioribus. Ità etiam decimus, & ſequentes pares attulerunt minora ſymptomata, quàm pares priores, ſed maiora quàm impares quia ipſis proximis imparibus fuerunt difficiliores; ac proinde noctes imparium difficiliores, & parium faciliores: quod & in Pythionis hiſtoria notatum eſt. Sed qui factum eſt, vt in morbo vigeſimo quarto iudicando, dolores ab octauo minui ceperint? Nonne circa initia, & fines ſunt omnia ſymptomata imbeciliora, &

cum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 162 sur 489

cum conſiſtunt, ac vigent, ſo. iora? Certè ita eſt, A venit verò id (vt ſuo loco diximus) intelligendum de ſymptomatis propriis, & quæ fluxerunt à propria morbi eſſentia. Quædam enim alia, quæ motum materiæ ſequuntur (aut læſiones quaſdam, ſimul cũ morbo ortas à cauſa aliqua procatharctica, decreſcere ſolent antequàm morbus. Velut nunc, cardialgiam; & anxietatem, & quædam alia, quæ non tam faciebat febris, quam ſimul cum febre recens defatigatio à venere, contigit conquieſcere, antequam ipſa febris. Horror & rigor cum non ſunt B propriæ febrium figuræ, ſignificant malignam qualitatem ſuccorum, aut paſſionem partium neruoſarum. Sed & vrinæ rationem quandam habuerunt cauſæ, non ſigni ſolùm in hoc morbo. Nam cum à principio, dictam ob cauſam, fuiſſent tenues & nigræ, & ſexto tenues etiam cum appendiculo (ſublimi arbitror] vnde & delirauit, vigeſimo minxit album craſſum non ſubſidens, vt lacteam ſcilicet, aut puri ſimilem vrinam, multitudine humorum in renibus, & circa genitalia, velut ſuppurata, & faciente ea via vtilem euacuationem. Vigeſimoquarto, eadem ratione, minxit multum, candidum, & multam ſubſidentiam habens. Vtroque etiam die ſudauit multum, vigeſimo quidem quarto plus. Sudor vero iis qui ex Venere malè habent congruit plurimùm. Quia venere putreſcit ſemen, quod computrefacit rores partium, vtpote analogos ſuccos. Vt hac ratione mihi perſuadeam, ſolere nonnunquam hoc eo vſque procedere, vt ob ſolum Veneris immoderatum vſum, citra vllam contagionem, fiat id vitium, quod morbum Gal- D licum vulgò appellant. Vt ergo eo morbo laborantibus, ita quibuſuis, qui à nimia Venere ægrotare cœperunt, congruit ſudor, niſi ſit nimius vt diſſoluat vires.

AEGROTVS XI.

IN Thaſo mulier moroſa, ex mœrore cum occaſione, recta & obambulans, inſomnis facta eſt, & cibum non capiebat, & ſiticuloſa erat, & anxia. Habitabat vero prope Pyladem in Leto. Primò ſub initium noctis, terrores, ſermones multi, triſtitia, febricula tenuis. Manè conuulſiones multæ contigerunt. Cùm autem intermiſiſſent conuulſiones illæ multæ, delirauit, turpia loquebatur. Multi dolores, magni, continui. Secundo eadem. Nihil dormiuit. Febris acutior. Tertio conuulſiones quidem deſierunt, coma autem & cataphora eam detinuerunt, & rurſus expergefacta exiliit, continere ſe non poterat. Multùm delirabat, febris acuta erat, per hanc verò noctem ſudor copioſus & calidus toto corpore dimanauit. Liberata eſt à febre, dormiuit. Omnia intelligebat. Iudicata eſt. Circa tertium autem diem vrinæ nigræ tenues erant, ſuſpenſum quid verò habebant valde rotundum, non ſubſidebat; circa iudicationem autem muliebria multa fluxerunt.

An mulier hæc moroſa antea fuerit, an ex morbo moroſa ſit facta, non explicat, vtcunque autẽ hoc ſit, mœrens ex occaſione, facta eſt melancholica. Non enim quia melancholica, cœpit eſſe mœſta, ſed μετὰ προηγούμενον ideſt ex cauſa manifeſta: cum autẽ mœror duraret plurimùm, aut eſſet maximus, adeò vt erectẽ adhuc ambulans præ mœrore, neque dormiret neq; cibum caperet, & eſſet ſiticuloſa, facta eſt melancholica. Nimirum vt in aphor. dicitur. Metus & mœſtitia longo tempore perſeuerantes melancholiã ſignificant: quia aut ex melancholia procedunt, aut ſi quàm maximè procedunt ab occaſione, melancholiã faciunt. Imaginationis enim, & cordis debilitatẽ patiũt, vt illa facilè errẽt, & hoc facilè terreatur, & ſanguinẽ facit craſſioré, & ſicciorem. Quod quidẽ huic euenit per vigiliã, & inediã, ambo enim hæc ſiccant. Sed & per vehementes motus animi, obliuiſcitur naturalis facultas ſuorũ operum, quare & eo cibo qui accipitur minus fruuntur partes. & naturales, neceſſariæque euacuationes minus fluũt, vt huic euacuationes menſtruæ minus, arbitror, fluxerant. Nam & C euẽtus huius morbi id indicauit, qui illis fluentibus ſolutus eſt, & ita ſolere fieri certò ſcimus, Nã & cum fluunt, ſi terror aliquis, aut triſte nuntiũ ſuperuenit, ſiſti ſolent, multo autẽ facilius retinentur, cùm nondũ fluunt. Sin autẽ, vt eſt conſentaneum, huic non ſecundum naturã fluxerunt, hæc ipſa ſatis magna occaſio fuit cacochymiæ melancholicæ. Vnde factũ eſt, vt phrenitis hæc fuerit melancholica, & tota affectio velut ex phrenitide & melancholia mixta, & vt maniaca & cum terroribus, ac nonnunquã exiliẽdo, de- D lirauerit. Nimirum ſpecies, ſeu modus delirãdi, duo ſemper ſolet referre, & ſucci, qui in corpore eſt, ſpeciẽ, & occaſionẽ delirandi. Succi ſpeciem, vt qui ex ſanguine delirant cum riſu: occaſionem, quia ſolent delirantes talia loqui, qualia iam iam deliraturi cogitarunt, præcipuè vero cũ ex forti aliqua imaginatione delirium inchoauit. Itaque motus animi vehemẽtes, multum, & multis modis lædere ſolẽt, magis autem mulieres, & viros debiles calido innato, aut im- E prudentes. Nimirũ cùm illi motus ſint innati calidi, eius debilitas facit ad facilẽ paſſionẽ: ſed & imprudẽtia, prudẽtia enim omnes eos motus tẽperat: vtraq; autem ratione magis afficiuntur fœminæ, quàm viri. Accedit his naturalis illa mulierũ euacuatio, quę ſuppreſſa multos & horrendos morbos facit, quos Hip. libris de morbis mulierum, ac multo magis libello de morbis virginum complexus eſt. Quædam ergo earum ſolent præ mœrore tabeſcere, atque adeo præ F tabe lentè mori, nunquam prius febricitantes, quàm laborent febribus hecticis. Quædam aliæ ob ſanguinis malam qualitatem, & euacuationum ſuppreſſionem, præoccupantur febribus acutis, quæ ob cordis debilitati paſſionem, & cerebri cum corde cõpaſſionẽ, atque alia etiam ratione, ob cõpaſſionem vtriuſque (cordis dico & cerebri] cũ vtero, in quo illæ excrementorum ſuppreſſiones contingunt. laborãt de- G liquiis animi, & deliriis, & cõuulſionibus, & ob malignam materiæ qualitatẽ, non vtcunque inſaniunt, ſed nunc furibundè, nunc procaciter, nunc deuouẽtes ſeſe, nunc loquentes turpia, vt vulgus hominum immundis ſpiritibus eas putent vexari. Talis ergo fuit hic morbus, adeo acutus, vt tertia die iudicatus fuerit, cũ fuerit phrenitis. Vt minùs iam hinc admirationis habeat, quartum huius ordinis ægrotum, ex phrenitide die tertia eſſe mortuũ. Difficilius enim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 163 sur 489

est morbum quemcunque ante suæ constitutionis A
tẽpus solui, quàm ægrum ex eo mori. Sed vtrũque
iam in phrenitide fieri posse cognouimus, scilicet est
phrenitis aliquãdo tam acutus morbus. Sed percur-
ramus breui singula, quæ acciderunt. Facta, inquit,
est insomnis, ἄσιτος, ideſt cibo abstinens, & siticulo-
sa, & ἀποδὴς ideſt, fastidiosa. Sed quorsum hæc di-
cit? videtur enim idem esse dictu, cibo abstinens, &
fastidiosa. An non est? Sed ἄσιτος est, qui non capit,
quacunque causa id fiat, siue quia non vult, siue
quia non habet, siue quia fastidit: ἀποδὴς vero qui B
fastidit. Perinde ergo est, ac si diceret, non capie-
bat cibos, sed neque poterat, quia erat fastidiosa.
Accedit, quod ἀποδὴς videtur significare quiddam
aliud, nam & fastidiosum, & anxium. Primo, in-
quit, sub noctis initium terrores; & sermones
multi, & tristitia (hæc ob dictas causas) & febri-
cula tenuis, quia cum vstus sanguis esset, phreniti-
dis materia non poterat magnam flammam excita-
re, sed lentè vri, conuulsiones etiam multæ. Ob
has conuulsiones quas in tristibus, & iratis experi- C
iri solemus, putat vulgus hominum, epilepsiam, &
conuulsiones omnes, esse passiones cordis, fiunt
verò hæc omnia per compassiones quas explicui-
mus. Quanquam in hac muliere, rapto in caput
sanguine, propria eius passio, & phrenitis facta est.
Quo magis consentaneum erat conuelli. Cum au-
tem intermississent conuulsiones, excussis excre-
mentis ex neruorum radicibus, & hærentibus cir-
ca cerebri substantiam, delirauit, & loquebatur D
turpia dictã ob causam. Dolores multi continui ma-
gni: hi fieri solent in neruos irruentibus excremen-
tis: vnde per tales passiones, cum non tenentur de-
liquio, aut apoplectica aliqua passione, grauissimè
vociferantur. Secundo fuerunt eadem, & febris
acutior, morbo eunte ad summum. Tertio desie-
runt conuulsiones, quia arbitror, inceperunt iam
excuti à neruis in carnes, & deturbari à capite ad
vterum excrementa, vnde acciderunt sudores, &
menstrui fluxus. Sed factum est coma, & cataphora, E
ob antegressam arbitror defatigationem, ex qua re-
creata rursum vigilauit. Illud & cataphora, decla-
ratiuum tantum est. Nam nihil aliud est coma,
quam cataphora apud Hippocratem, vt Galenus
explicat lib. obsoletarum vocum Hippocr. Cum
verò nondum esset facta è corpore euacuatio, non
euigilauit placidè, sed exiliit, & continere se non
poterat, & delirabat, & febris maior. Hæc erant
decretoria, quibus cùm fuisset dies difficilis, suc-
cessit ad noctem iudicatio, cum sudore calido per
totum, & liberata à febre, reliquum dormiuit, &
intelligebat facta iam iudicatione. Sed quî potuit
esse secura, cum vrina tenui & nigra, & enaore-
matero turbido, non subsidente? Hoc enim, vstum cit-
a coctionem sanguinem: illud, atram bilem & cru-
ditatem significabat? An hæc vrina ob instantes
euacuationes menstruas fiebat? Successit ergo eua-
cuatio, quam verisimile est, mulierem persanasse,
reliquisseque multo magis sanam, quàm antequam
ægrotaret, atque adeo deposuisse mœrorem. Sæpe
enim excrementa, quæ ob animi passionem conge-
ri ceperunt, eam ipsam passionem conseruant &
augent, nec eam deponi sinunt, antequam ea eua-
cuata sint.

AEGROTVS XII.

*LArissæ virginem febris corripuit ardens, acuta. Insomnis, siticulosa, lingua fuligi-
nosa, arida. Vrinæ boni quidem coloris, sed
tenues erant. Secundo laboriosè se habuit, non
dormiuit. Tertio multa fluxerunt ab aluo, vt
aqua biliosa, & sequentibus fluxerunt hæc
cum bona tolerantia. Quarto vrinam reddi-
dit tenuem, paucam, habebat suspensum quid
sublime quod non subsidebat, delirauit sub
noctem. Sexto sanguis ex naribus copiosus &
multus effluxit, horrore correpta est & sudore
copioso & calido perfusa per totum corpus, à fe-
bre liberata est & iudicata. Per febres autem
& iam perfectâ iudicatione muliebria tunc pri-
mùm fluxerunt, virgo enim erat. Perpetuò au-
tem stomachi fastidio laborabat, horrebat; fa-
ciei rubor aderat, oculorum dolor, capitis grau-
itas. Hæc non passa est recidiuam sed iudica-
ta. Dolores paribus diebus contingebant.*

Bis dicit fuisse hanc virginem, insinuans, occasio-
nem ægrotandi fuisse, quod tunc primùm menses
ei fluxerunt. Ita enim dicit, muliebria fluxerunt
tunc primum, virgo enim erat. Meritò quidem hæc
dicit simul. Non enim sunt mulieres maturæ viris,
antequam menses fluant. & præter naturalem ordi-
nem fit, si quæ ante id tempus nubit. Morbus itaque
virginalis hic fuit. Nimirũ pleræque mulieres mor-
bo aliquo tentantur, cum iam instat tempus mulie-
bris fluxus, quia adolescentulis Venerem inexpertis
exigui sunt vteri, & viæ omnes, quæ ad vterum fi-
niuntur, angustæ, quæ angustia facit difficilem pri-
mam mensium excretionem. Quo fit, vt quibusdam
quibus angustię est plus, aut debilitatis facultatis ex-
pultricis, aut crassitiei succorum, eo tempore pro
bona & salutari excretione, fiant obstructiones mul-
tæ viscerum. Aliis verò non hæ fiunt, sed fluunt me-
diocriter menses, tamen ob sanguinis agitationem
insolitam (omnia enim insolita mala fert natura ma-
lè) quam facit secretio, quæ euacuationẽ antecedit,
corripiuntur febribus, à quibus liberantur fluẽtibus
mensibus, vt huic euenit. Constitutionem habuit F
hæc & alia omnia febris ardẽtis. Nam intra primam
septimanã finita est, & fuit à primo die ardens, acuta,
insomnis, siticulosa, lingua fuliginosa, & arida. Vrinæ
primo die tenues & boni coloris, quales scilicet sunt
hę, de quibus dicitur in prognostico, rufa tenuis cru-
dã significat ægrotationem. Secundũ diem laboriosè
trãsegit, magis scilicet quàm primum, quia morbus,
vt mox dicit, dies pares habuit difficiliores, & non
dormiuit. Vbi legimus, tertio fluxerunt ab aluo
multa, vt aqua biliosa, habetur in quibusdam codi-
cibus ὑδατόχροα ideſt coloris aquæ. In aliis ὑδατόχλοα, G
aut ὑδατόχλωρα, (nam idem est) ideſt, vt aqua co-
lore chlora. Quam quidem lectionem censeo esse
legitimam, quia aquæ nullus color est. Quare si
ὑδατόχροα vellet Hippocrates dicere, diceret aquo-
sa, vt solet. Accidit quod vox hæc ὑδατόχλοα pro
ὑδατόχλωρα est familiaris Hippocrati, vt Gale.
lib. obsoletarum vocum Hippocratis. Quoniam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 164 sur 489

verò chlorum, vt in commentatione prognoſtici dixi, ſignificat flauum & viride, & ambo hi colores ſunt bilis, tranſtuli ego, vt aqua bilioſa: quæ quidem fluxerunt tertio & ſequentibus cum bona tolerantia. Quæ quia tenues & colore tali præditæ, cruditatem morbi & bilis redundantiam ſignificabant, & ſymptomaticæ erant. Sed bona tolerantia ſignificabat non eſſe inutiles. Quarto minxit paucum, quod tunc fieri ſolet, cum in ſuperiores partes ſucci rapti ſunt, aut certè aliam in partem. Fortaſſe enim huic deiectio aquoſa vrinam minuit. Suſpenſum quid verò ſublime nunquam notat Hippocrates, quin aut eadem, aut ſequenti die dicat ægrotum deliraſſe: quod & huic ad noctem contigit. Sexto per nares fluxit multus & copioſus ſanguis, euacuatuſque illac eſt ſanguis, qui ſeſe in caput collegerat, & reliquus qui per totius corporis venas putreſcebat, in habitum corporis exiit, & fecit primo horrorem, deinde exudatum eſt, & mulier ſoluta à febre, & iudicata. Non tamen fuiſſet tuta iudicatio, niſi tunc illi fluxiſſent menſes, ea enim fuerat occaſio febricitandi, vt diximus. Quod quidem vel illud confirmat, quod per epilogum addit, dicens, perpetuo ſtomachi faſtidio laborabat, horrebat, rubor faciei aderat, oculorum dolor, capitis grauitas. Hæc enim omnia retentionis menſtruorũ ſigna eſſe ſolẽt. Sed quî fieri potuit, vt die omnium peſſimo, ſexto inquam, iudicaretur, & nulla ſucceſſerit recidiua, cùm niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſoleat recidiuare, vt in aphoriſmo dicitur? Ipſemet Hippocrates reſpondet, quia dolores diebus paribus. Nam vt dicebatur primo Epidem. quæ paribus mouentur, paribus iudicantur.

DECIMVS III. AEGROTVS.

Apollonius Abderæ morbum diu rectus & obambulans ſuſtinebat. Magna autem illi erant viſcera, & circa hepar dolor conſuetus multo tempore comitabatur, & tũc ſanè icthericus factus eſt, flatuoſus, colore ſubalbido. Cùm cibo & potu intempeſtiuo vteretur & præcipuè carne bouina, primò incaluit parùm, decubuit. Cùm verò vſus fuiſſet copioſo lacte, cocto crudoque, caprino & ouino, prauaque victus ratione, inſignes omnium læſiones factæ ſunt: nam febres exacerbatæ ſunt, nec venter quicquam ex ingeſtis effatu dignum reddidit. Vrinæ tenues & paucæ prodibant. Inſomnis erat. Inflatio mala aderat, multa ſitis, comatoſus, hypocondrij dextri eleuatio cum dolore. Extrema omni ex parte ſubfrigida erant, parùm delirauit, omnium quæ locutus eſſet obliuiſcebatur, mentis compos non erat. Circa decimumquartum verò ex quo cùm riguiſſet incaluit, decubuit, & inſaniuit, clamor, perturbatio, ſermones multi, rurſuſque ceſſatio, & coma tunc temporis acceſſit. Poſteà verò aluus turbata eſt multis, bilioſis, meris crudis. Vrinæ nigræ erant, paucæ, tenues, plurima anxietas. Deiectiones variæ erant, aut enim nigræ, & paucæ & æruginoſæ erant: aut pingues, & crudæ, & mordaces, poſteà verò videbatur etiam lacti ſimiles reddidiſſe. Circa Vigeſimum quartum autem leuius ſe habuit, alia verò eodem modo manſerunt, parum autem ad mentem rediit, verùm ex quo decubuerat nullius recordabatur, rurſuſque celeriter deſipiebat, procedebant omnia in deterius. Circa trigeſimum diem febris acuta corripuit, alui excrementa copioſa erant & tenuia, delirauit, extrema frigida erant, vox defecit. Trigeſimo quarto mortuus eſt. Huic ex quo eum vidi, vſque ad finem aluus turbata fuit, vrinæ tenues, nigræ, comatoſus, inſomnis, extremitates frigidæ, delirauit vſque ad finem. Phreniticus.

Narrat Hipp. & apparatum morboſum, quem ante hanc febrem habuit Apollonius, & occaſionem proximam febricitãdi, & occaſionem, qua cum modicè cepiſſet febricitare, deinde grauius quam pro principio ęgrotauit. Fuit verò apparatus morboſus, quod eſſet magnis viſceribus, hoc eſt maiori quàm ſecundum naturam hepate & liene, & circa hepar haberet dolorem continuum multo tempore. Vnde fiebat, vt erectè obãbulãs ſeſe multo tẽpore ſuſtẽtaret, ideſt magno cum labore, & vix ſeſe potẽs ferre, ſuſtẽtaret. Atq; ob viſcerũ affectionem fiebat icthericus, & colore ſubalbido, vt ſimul laborare videretur incipere, ictero & leucophlematia. Nimirũ laborabat obſtructionibus magnis, & tumoribꝰ ſcirrhoſis hepatis & lienis. Dolebatque hepar, cùm adhuc per recentẽ fluxionẽ eius mẽbrana diſtẽderetur: lien natura ſua habet minores dolores, quã renes & hepar, & maiorẽs quàm pulmo: huic verò nõ dolebat, quia erat fortaſſe magis ſcirrhoſa, ac proinde indolens affectio: hepatis erat etiã flatuoſa. Verùm obſtructio hepatis fecit, vt ſolet, icterum obſtructâ via veſicæ felis: hydropis verò initiũ fecit hepar refrigeratum, aut per ſeſe à ſuccis eo loco hærentibus, aut potius à liene. Itaq; icterus accidit, non tam quod multa bilis gigneretur [nã quî poſſet in frigida affectione hepatis] quam quod non expurgaretur, hydrops verò ob cruditatẽ. Cùm tam morboſus eſſet apparatus, leui occaſione febre correptus eſt, vt certè ſolẽt qui talibus laborant obſtructionibus, ob difficilẽ ſuccorum diſpenſationẽ per corpus, & facilem putreſcentiam corũ quæ oppilata ſunt. Quo fit, vt crebrò, nunc ex facillimis occaſionibus, nũc etiã ſine illis febricitent, & euacuationibus indigeãt. Huic verò occaſio fuit, quod aliquãdo lautè bibit, & comedit bouinam carnem; carnem concoctu difficilem, & ita difficile putreſcentem. Primum ergo incaluit modicè & decubuit, fuiſſetque fortaſſe leuis morbus, ſi probo eſſet vſus victu. Verùm acceſſit alia occaſio ingraueſcẽdi, nã quia iam febricitãs vſus eſt lacte multo, nũc crudo, nunc cocto, nunc caprino, nunc ouino, & in cæteris etiam victu prauo, factę ſunt omnium læſiones, ideſt, omnes læſiones magnæ. Nimirum lac dare febricitantibus malum eſt, præcipuè verò obſtructione, & inflatione viſcerum laborantibus. Flatus enim multos parit pars lactea, & obſtruit caſeoſa. Corrumpitur facilè lac, & nonnunquam in grumos concreſcens malignum ſatietatis genus parit. Explicans vero quas læſiones omnium dixerit, addit, febres enim exacerbatæ ſunt, & aluus ex ingeſtis

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 165 sur 489

©BIUM

nihil mentione dignum reddidit. Quasi diceret, corrupto lacte creuerunt febres. Id autem, vnde in satietatibus solet auxilium expectari, non adfuit, quia nihil mentione dignum reddidit alvus, quod referret cibos ingestos. Vrinæ tenues & paucæ prodibant, (tenuitatem cruditas, paucitatem faciebat vehementia febris, aut raptus in superiora) insomnis erat & comatosus. Nimirum antea dictum est multos huius tempestatis fuisse, qui laborantes comate vigili; neque dormire neque vigilare poterant. Huic verò pervigilium fecit febris magnitudo, coma lactis qualitas: velut iam fecit inflationem malam lac, & multam sitim febris. Hypochondrii dextri elevatio cum dolore, accedente magna febre, & ingente siti, significabat hepatis tumorem factum esse phlegmonosum. Ad quod etiam referri poterat extremorum frigus, & quod in primis diebus parùm delirauit: nam in hepatis inflammationibus sæpè deliratur per consensum. Cùm verò læsio partium omnium principum procederet, malo iam eunte in phrenitidem, corripuit eum obliuio omnium quæ loquebatur, & mente motus est: quod quidem grauius est dictu, quàm parùm delirauit. Hæc acta sunt vsque ad diem decimumquartum, quæ omnia cumulatè nullis nominatis diebus narrauit, quia fortè non affuit mox à principio ægroto, quod ille insinuauit, postremis historiæ verbis dicens, huic ex quo ego illum vidi, quasi non à principio viderit. Circa decimumquartum, inquit, ex quo cùm riguisset incaluit, decubuit. Sed quo pacto dicit decimoquarto decumbuisse, quem dixerat primo die febris decubuisse? Certè legendum censeo circa decimumquartum, ex quo decubuit, cùm riguisset incaluit, insaniuit. Aut circa decimumquartum, ex quo cum rigore incalescens, decubuit, insaniuit. Hoc verò insanire, plus etiam significat quàm delirare, & mente moueri, quæ antea acciderant. Quod apertè explicat Hipp. his quæ addit, vociferatio, turbatio, sermones multi. ἐκ πάλιν, inquit, ἴδρυσις, & coma tunc temporis comitabatur, quasi diceret, tantoperè laborabat cerebrũ, vt cum non erat furens, esset comatosus. Post hæc fuit alvus turbata, multis, bilioſis, meris, crudis. Crudis non vt quæ antonomaticè dicuntur cruda (ea enim sunt pituitosa) sed vt bilioſa sunt cruda, tenuibus scilicet. Non tamen semper erant dejectiones eædem, sed variæ, nunc enim quales dictæ sunt, nunc nigræ & paucæ, nũc æruginosæ, quæ indicabãt vstionẽ, nunc pingues, quæ colliquationẽ, & crudæ & mordaces, idest, quales ex corruptione ciborum malè concoctorum in ventre. Nam per ventriculi satietates, cibi, qui non coquuntur vt oportet, corruptiones quasdam recipiunt, nunc acidas, nunc acres, nunc secundùm diuersas partes, ambas: ambæ verò sunt mordaces. Esse verò has dejectiones ex corruptis cibis, indicarunt subsequutæ dejectiones. Nam postea, inquit, videbatur lacti similia reddidisse, ex lacticinis scilicet quibus se repleuerat. Interim vrinæ erant nigræ, paucæ, tenues, quas lethales esse, sæpe iam dictum est, vt & commemoratas omnes dejectiones, maximè accedente multa difficili tolerantia: quod quidem significat vires maximè languescere. Circa vigesimum quartum, qui erat vndecimus à decimoquarto, quo insignis acuties accesserat morbo, ac proinde, vt contemptabilis consideratus est ab Hippocrate, fuit διὰ παρηρεῖς. Hoc est, minùs anxius & tristis, & videbatur sibi melius habere, eratque proinde cum minori desperatione, alia autem eodem modo mansuerunt: quod est, vrinæ autem & dejectiones, aliaque mala signa, ex quibus poterat medicus agnoscere moriturum hominem, eodem modo manserunt: minus autem delirauit. Vix vnquam vllus moritur, quin aliquando antequam decedat, videatur sibi, & vulgaribus qui adsunt, habere melius. Medicus verò ne leuiter his fidat; sed consideret, an reliqua eodẽ se modo habeãt, an scilicet signa pessima, & quæ maximi momenti sunt, quæque vulgus non intelligit, perseuerent adhuc. Addit Hip. quiddam aliud, quod video multos, vulgares etiam, solere animaduertere in morituris. Ex quo, inquit, decubuit nullius recordabatur. Nimirum omnium eorum quæ quis amat recordari, & de eis loqui per morbum, bonum signum est, & vitalem hunc esse homines dicunt, quia de hac vita videtur cogitare: contrà, si quis neque charissimę vxoris, neque dulcissimorum pignorum videatur vllam curam habere, neque amicorum, quos vnicè diligebat, recordari, neque rerum quibus oblectari consueuerat, graue admodum est, & lethale; neque causa est obscura. Omnia enim quæ similia sũt, iis quæ in eisdẽ aderãt cùm benè valerẽt, bona; quæ dissimilia, mala. Ita ergo & sermones & curæ. Nam vt in summa dicatur, ægrotum non esse sui similem, graue est. Non tamen vt erat valde obliuiosus, ita multum semper delirabat; sed celeriter κατὰ πρόσωπον, Idest, ad mentem reuocabatur facilè ad rerum autem recordationem, & consuetudinem, nunquam. Ita procedebant omnia in deterius. Quare mortuus est circa trigesimumquartum, quartum, qui à primo totius morbi erat iudicatorius, quia vigesimo septimo, qui est finis acutorum, adiicit septimanam, & à decimoquarto, quo morbus comparauit maiorem acutiem, est vigesimus. Vt iam hinc intelligas, non solum esse habendam rationem dierum contemplabilium à primo; sed pariter ab hoc & ab eo qui attulerit insignem mutationem in acutiem. Cætera, quæ per epilogum dicit, enarrata iam sunt.

DECIMVS IV. AEGROTVS.

In Cyrico mulierem quæ gemellas, & quidem ægrè pepererat, nec satis expurgata erat, primò febris corripuit cum horrore & acuta, capitis & ceruicis grauitas cum dolore, insomnis à principio erat, taciturna, & tetrica, & non obsecundans. Vrinæ tenues erant & decolores, siticulosa, vt plurimùm fastidiosa & anxia. Alvus erraticè turbata fuit, & rursum astricta. Sexto sub noctem multùm delirauit, nihil dormiuit. Circa Vndecimum verò insaniuit, rursusque ad mentem redijt. Vrinæ nigræ erant, tenues, & rursum cùm intermississent, oleosæ, & alvus multa, tenuia, turbata egessit. Decimoquarto conuulsiones multæ exortæ sunt, extremitates erant frigidæ, neque amplius ad mentem redijt. Vrinæ suppressæ sunt, mortua est. Phreniris.

Non eſt numerus certus muliebrium fœtuum, tamen duorum eſt partus frequens, plures rarò eduntur vitales. Gemelli propriè dicuntur, qui ſimul concepti ſimul eduntur, alii enim edi ſolent ſimul, non ſimul geniti, ſed ex ſuperfœtatione. Cauſa numeroſa fœturæ non eſt multitudo ſinuum, vt qui diſſectionem ignorant ſuſpicantur, vnicus enim ſinus eſt toto muliebri vtero; ſed abundantia, & deciſio principiorum, ex quibus fiũt fœtus, ſeminis inquam vtriuſque. Deciſionem dico, non ſeparationem ſeminum ab inuicem, ſed cum ex commixtis fiunt velut diuerſa oua, quæ fœtus inchoant. Grauius eſſe non ſatis expurgari eam quæ filiam pepererit, quàm quæ filium, dictum iam antea in multis ægrotis eſt, grauius eſt etiam eam quæ peperit geminas. Nam etſi non abundet tam multis, quàm quæ vnicam, vtpote quæ duabus alimentum præſtiterit, habebit tamen excrementa deteriora, vtpote ex qua duæ exuxerint bonum ſanguinem. Meritò ergo hæc cùm peperiſſet ægrè, hoc eſt, cum magnis doloribus, & partu difficili filias duas, & non eſſet rectè expurgata, correpta eſt febre magna, & lethali. Habuit verò febris, quæ enixis febricitantibus familiaria eſſe indicatum eſt ſæpè. Nimirum fuit φειξῶδης, acuta, & melancholica: nam fuit mulier taciturna, & tetrica, & non obſecundans, quod idem eſt, atq; moroſa. Habuit capitis & cernicis grauitatẽ cum dolore, quod multitudinis in ſuperiores partes collectæ ſignum erat: quod idem ob bilioſam qualitatem faciebat eam inſomnem eſſe. Vnde etiam factum eſt, vt ſexto delirauerit, & vndecimo etiam inſanuerit (quod quidem grauius eſt quàm delirare) & vt ante mortem paſſa fuerit multas conuulſiones. Omnia enim hæc pertinent ad cerebri paſſionem. Vrinæ tenues cruditatis erant; nigræ tennes, vſtionis eſſe poterant, & melancholici ſucci, qui redundabat. Quod verò erant rurſum intermittentes, & oleoſæ (ideſt, facta aliquando intermiſſione tenuitatis, & nigritici, erant oleoſæ) ſignificabat admixtionem craſſorum, & agitationem. Has vrinas in nullo ægroto notatas vidimus, qui non delirauerit. Quod erat ſiticuloſa & faſtidioſa, ſignũ erat magnitudinis & malignitatis febris. Quod aluus erraticè turbata, & rurſum adſtricta, ſignificabat multitudinem, & inquietudinẽ ſuccorum. Nunc enim redũdantes effluebant, nunc in aliam partem rapti detinebantur: ex quo etiam, prope mortem iam conſtituta muliere, ſunt vrinæ ſuppreſſæ. Quin & extrema frigere fecit ſimilis quædam cauſa. Omnibus enim ad cerebrum raptis, euacuationes naturales ſuppreſſæ ſunt, & vnà cum excrementis calidum etiam naturale ad malignè inflammatam partem raptum, extrema deſeruit: vnde phrenitis tantopere aucta eſt, vt nihil iam intelligens mortua ſit. Eſt autem conſideratione dignum, quod decimumquartum videtur Hippoc. dixiſſe, ab eo quem vocauerat primum, quo dicit fuiſſe febrem cum horrore acutam. Non fuit autem ille primus, idem dies quo peperit, nam antequam febre corriperetur, pepererat, & non ſatis expurgata erat, quod quidem eadem die non videtur poſſe eſſe ſatis perſpectum. Mortua eſt ergo die decimoquarto, vt fine quodam proprio acutorum, fuitque is decimusquartus, non à partu, ſed à febre. Non ergo dies decretorii febricitantium ex partu, videntur fluere à partu, ſed à febre; quare hinc videtur ducenda computatio, atque Hippocrat. ipſe videtur ducere contrà ac in prognoſtico ſcriptum eſt Quomodo res habeat in hac quæſtione, dictũ à me eſt decimo libro controuerſiarum. Pro hoc loco, duorum alterum dici poteſt; aut eadem die qua peperit correptam eſſe febre, & quod dicit, & non ſatis expurgata erat, intelligi in ipſo loco (nam vt Hippocrates definit, debet mulier in ipſo loco effundere ſanguinis ſeſqui heminam) aut fortaſſe diem illum à febris principio decimumquartum, ab ipſo partu fuiſſe alium etiam inſignem, vt decimumſeptimum, aut vigeſimum. Quod autem Hippocrates neque hoc monuerit, neque à partu ſupputauerit, nihil habet incommodi. Nam, vt dictum etiam antea eſt, hoc libro hiſtoricum agit Hippocrates, licet illi rem narrare, vt volet, modo narret, vt eſt acta. Sed & in hac ratione narrandi, eſt aliud quiddam vtile, quod notes. Nimirum etſi computatio dierum decretoriorum ducenda ſit à partu præcipuè, numquam tamen omittendum conſiderare, quicunque dies qui à partu ſit inſignis, quotus ſit à febre: ſi in proxima hiſtoria rectè monuimus, non ſolùm eſſe habendam rationem dierum contemplabilium à prima die morbi; ſed pariter ab eo, qui attulerit inſignem aliquam mutationem. Nam cùm inſignis mutatio plerunque habeat rationem aliquam numeri contemplabilis ad primum diem morbi, quicunque dies ſecundum rationem aliquam notatu dignam adiicientur illi, habebunt etiam rationem aliquam inſignem ad hunc. Velut in Apollonio contigit eſſe trigeſimum quartum à primo, qui erat vigeſimus ab eo, qui attulit inſignem mutationem.

DECIMVS V. AEGROTVS.

IN Thaſo Dealcis vxorem, quæ decumbebat in Leio, febris cum horrore & acuta ex mœrore corripuit. A principio autem contegebatur, & ſemper vſque ad finem taciturna erat, palpabat, vellebat, ſcalpebat, pilos legebat, plorabat, rurſuſque ridebat, non dormiebat. Aluus irritabatur ſed nihil exibat, exiguum admonita bibebat. Vrinæ tenues erant & pauca. Febres ad manum leues apparebant, extremæ partes frigebant. Nono multùm delirauit, rurſuſque quieuit tacita. Decimâquartâ ſpiratio fuit rara & magna per aliquod tempus, rurſuſque breuis. Decimâſeptimâ aluus turbulentè irritata eſt, deinde ipſi potus pertranſibant, neque conſiſtebant, omnium ſenſu priuata eſt, & cutis arida circumtenſa. Vigeſimâ multũ loquebatur rurſuſque quieſcebat muta, breuem ſpiritum trahebat. Vigeſimâ primâ mortua eſt. Huic ſpiratio rara & magna fuit vſque ad finem, omnium ſenſu priuata eſt, ſemper contegebatur, aut multùm loquebatur aut taciturna erat vſque ad finem. Phrenitis.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 167 sur 489

©BIUM

Quòd mæror ſoleat inferre languoré facultatũ, quibus noſtra corpora reguntur, & excrementorum retentiones, & proinde grauiſſimos morbos, dictum eſt in hiſtoria mulieris illius moroſæ, quæ perinde atque hæc, ex mœrore cepit ægrotare, & decumbebat in Lecto, nunc ſatis ſit dicere, quæ in hoc morbo ſunt præcipua: ea verò non contingit agnoſcere aliunde, quàm ex ſymptomatis: ex eis verò conſtat, hanc duo præcipua habuiſſe mala, alterum quidem lethale, alterum verò admodum lethale & exitioſum: phrenitidem ſcilicet, & extinctionem caloris naturalis. Neque ſanè mirum. Nam mœſtitia, & metus extingunt naturalem calorem. Phrenitidis ergo ſigna erant hæc, ſemper eſſe tacitam, palpare, vellere, ſcalpere, pilos legere. Hæc enim in prognoſtico ponit Hippoc. in phreniticis. Taciturnitas vero ſignificabat delirium, non ſimpliciter, ſed ex mœrore, vt & plorare. Ex ploratu verò rurſum ridere, maior inſania erat, præcipuè laborantem ex mœrore, & nunc cum multis verbis, nunc tacitam eſſe, & delirare, & ſpirationem magnam eſſe & raram, & non bibere niſi exiguum, & admonitam. Phrenitici enim ſunt βεαχυπότοι ideſt, exiguo potu vtentes primo, prorrheticorum, extinctionis naturalis caloris, & langoris facultatum ſigna erant reliqua ferè omnia. Horrore concuti, & à principio ſemper regi, febres ad manum tenues, & extremorum frigus, & quod erat βεαχύπνοος & tandem muta (indicatum enim eſt in hiſtoria Pythionis, talem ſpiritum eſſe paruum & rarum, & ſignificare caloris penuriam) atque adeo quod illi potus prodibat, & nihil conſiſtebat. Hoc enim eſt vnum quoddam eorum, quæ in certò morituris ſæpè obſeruaui. Nimirum cum potus cadunt in ventrem cum quodam ſonitu, nihil in via conſiſtentes, ſed velut incidentes ponderе, non aliter ac ſi inde mortuum iam corpus, & omni naturali facultate carens demitteretur, vnde & moribundos arguit homines communi epilogiſmo. Cui ſimile etiam eſt illud, quòd nihil ſentiebat, hoc eſt exiguum iam omnibus in partibus habebat ſenſum, quod proximam mortem ſignificat, quale eſt illud prognoſtici. Si non videt, neque audit, prope iam eſt mors. Talis etiam erat δέρματος τρῖψις καρφαλέη, de qua in initio prognoſtici ſcriptum eſt: cutis circa frontem dura, intenta, arida. Itaque duobus his malis premebatur, proinde quædam alternatè accidebant ei ſymptomata, ambo referentia (vt ſpiratio nunc magna erat & rara, nunc breuis) quædam accidebant ſimul (vt pariter habebat extremorum frigus, & delirabat) quædam etiam accidebant communia, vt non dormire [id enim & paſſionis cerebri biliоſam fluxionem iam recipientis, & debilitatis ſignum eſſe poterat] & vrinæ tenues & paucæ, nam & per debilitatem facultatis, & per raptum in cerebrum paucæ eſſe poterant. Quædam etiam alia mala qualitatem ſuccorum, quæ illorum malorum cauſa fuerat, referebant magis quàm ipſa mala; qualis erat illa crebra irritatio alui, ex qua nihil exibat, quam rurſum vocat ἐρεθισμὸν βεαχώδη, ideſt, turbationem afferentem magis quàm euacuationem. Illud enim refert malignam qualitatem magis quàm copiam. Maligna autem qualitas facere ſolet morbos hos malignos magis quàm magnos. Vbi dicitur ab aluo irritatio, nihil exibat, exiguum admonita bibebat, legunt quidam, niſi cum exiguum admonita bibebat. Quæ lectio ſignificabit hæc omnia, illam exiguum bibere, idque non niſi cum admoneretur, vtpote phreniticam, & mox à potu reddere ex aluo, vtpote non conſiſtente potu. Verum quia hoc ſignum graue admodum eſt, non mihi perſuadeo accidiſſe ante nonum morituræ vigeſimo primo, quare magis probo hanc lectionem, quam ſum ſequutus. Porro vbi dicitur, πνεῦμα ἀραιὸν μέγα διὰ χρόνου, ἢ πάλιν βεαχύπνοος, illud διὰ χρόνου duo poteſt ſignificare, aut ſpirationem magnam & raram non fuiſſe ſemper, ſed per aliquod tempus, quia ſcilicet fuit rurſum βεαχύπνοος; aut per tempus ſeu ſpacium longum, quaſi diceret ſpiritus magnus rarus non vtcunque, ſed per longa interualla. Hunc ſenſum ſolum probat Galen. quia, inquit, Hippoc. in fine hiſtoriæ dixit, erat huic vſque ad finem ſpiritus magnus & rarus, id vero non diceret verè, ſi per tempus tantum, id eſt non perpetuo eſſet. Ego vero æque probo vtrunque ſenſum, nam cum adiecerit & rurſum βεαχύπνοος, conſtat non habuiſſe perpetuo ſpiritum magnum & rarum, ſed Hippocratem dicere ſemper factum per morbum, quod ſæpe, & per omne morbi tempus, nam ita loqui ſolemus, neque ſane opus fuit, vt ſemper contegeretur, etſi dicat, ſemper contegebatur.

DECIMVS VI. AEGROTVS.

IN Melibea adoleſcens, ex potu & multa Venere, multo tempore calefactus decubuit. Horrore concuſſus eſt, faſtidioſus erat & anxius, & ſine ſomno, & ſine ſiti. Ex aluo autem primò multa ſtercora prodierunt cum multa defluxione, & ſequentibus aquoſa, biliоſa multa prodierunt. Vrinæ tenues, paucæ, decolores. Spititus rarus magnus per tempus. Hypochondriorum diſtentio ſubmollis, producta vtrinque, cordis palpitatio perpetua vſque ad finem. Minxit oleoſum, delirauit modicè, modeſtuſque & manſuetus, cutis arida & diſtenta, deiectiones multæ tenues, aut biliоſæ pingues: Decimaquartâ omnia exacerbata ſunt. Mente eſt motus, multa delirauit. Vigeſimâ inſaniuit. Seſe iactauit, nihil minxit, vix potum continebat. Vigeſimâ quartâ mortuus eſt. Phrenitis.

Non valde diſſidet hic morbus à proximo. Hic enim etiam fuit phrenitis cum facultatum debilitate, & caloris naturalis defectu: quorum quidem illud, vinum: hoc, Venus nata erat facere. Tametſi ab vtroque etiam factum merito eſſet vtrunque. Vinum enim ſumptum immodice calorem naturalem ſuffocat. Venus caput inſigniter debilitat. Cepit hic adoleſcens ægrotare eiſdem occaſionibus, quibus Abderæ Nicodemus, decimus huius ſectionis ægrotus: tamen ille non incidit cum tanta debilitate, quo factum eſt, vt melius ſe potuerit expedire, habueritque meliorem exitum: & merito, quia mor-

bum habuit minus mali moris. Ille enim habuit febrem magnam, ſitim ingentem, vrinas copioſas, quibus multũ contenti craſſi reddebatur, & copioſũ ſudorem, quæ magnam indicant, ſed non proinde malignã febrẽ: hic verò, cum magna febre carebat ſiti, non mingebat, nullam aliam idoneam habuit euacuationem, quæ omnia debilitatem facultatum ſignificabant. Præterea habuit diſtentionem hypochondriorum ſubmollem, vtrinque productam, & cordis palpitationem, quæ viſcerum ſignificabant affectiones. Nam vt ex Gal. antea diximus, diſtentio ſubmollis hypochondrii in morbo acuto, inflammationem ſignificat internam hepatis, aut lienis, aut vtriuſque: diſtentio enim tumorem, mollities non ad muſculum, ſed internam partem pertinere ſignificat. Cordis palpitatio excrementa collecta intra pericardium, & anguſtiam inferentia cordi indicat. Cutis etiam arida, & diſtenta eſt ſignum admodum lethale, vt ex prognoſtico nuper diximus: vt etiam vix potũ continere poſſe, corruptionis facultatis retentricis ventriculi ſignũ eſt. Species etiam delirãdi fuit præter rationem, homo enim vinoſus & libidinoſus, delirauit ἀτρεμέως, fuitque in delirio moleſtus, & manſuetus. Omnia verò ea quæ præter rationem fiunt, deteterioris moris morbi ſuſpicionem faciunt: niſi fortè non erat natura neque longa conſuetudine talis, ſed contigit tunc agere incontinenter. Deiectiones omnes fuerunt crudæ aut bilioſæ, aut pingues; aut bilioſæ pariter & crudæ: aut bilioſæ pariter & pingues; quæ omnia quales corruptiones ſignificent, dictum iam eſt ſæpè. Neque minus dictum eſt, quem dicat ſpiritum magnum & rarum per tempus, & quid ſignificet.

Videtur autem mihi, æſtatem quæ ſecundùm rationem facta eſt, profuiſſe. Nam æſtiuos morbos ſuperueniens hyems ſoluit, & hyemales æſtas ſuperueniens tranſmutat. Quanquam ipſa per ſe æſtas quæ accidit non erat benè conſtituta, ſed repentè calida auſtrina, & ſine ventis, tamen ad aliam tempeſtatem tranſmutata profuit. Magnam autem partem artis eſſe exiſtimo, poſſe conſiderationem facere rectè de iis quæ ſcripta ſunt. Qui enim ſcit, & vtitur his, non vtique mihi videtur multùm falli in arte. Oportet autem diſcere exactè quamcumque temporum conſtitutionem, & morbum: bonum eſt etiam ſcire quid commune ſit in conſtitutione & in morbo. Qui morbus longus ſit & lethalis, qui longus & ſanabilis, qui acutus lethalis, qui acutus ſanabilis. Ex his ordinem dierum decretoriorũ conſiderandi ac prædicendi facultas datur, ſiquidem ex his contingit ſcire quibus, & quando, & quomodo oportet victum inſtituere.

Ex his quæ in calce huius libri ſcripta ſunt, innoteſcit, decem & ſex præſcriptos ægrotos, quoſdam fuiſſe eorum, qui in ipſo illo anno, qui in hac tertia conſtitutione deſcriptus eſt, ægrotarunt. Nam rediens nunc, ad narrationem eandem dicit, videtur mihi ætatem quæ ſecundùm rationem facta eſt, profuiſſe. Nimirum in fine narrationis dixerat; erat autem omnibus ſubſcriptis difficillimum quidem ver, & plurimos abſtulit, æſtas autem facillima, & minimè moriebantur. Nunc huius cauſam reddit, cur vtilis fuerit illa æſtas, nimirum ob communem rationem, quia æſtiuos morbos ſuperueniẽs hyems ſoluit, & hyemales ſuperueniens æſtas. Quia cùm vnicuique tempori familiares ſint morbi, qui cum eo habent analogiam, contrariis temporibus nõ erunt iidẽ familiares, ſed qui in vno generabũtur, in altero extinguẽtur. Atqui profecto illa æſtas non fuit vtilis, quòd per ſe admodum eſſet bene conſtituta, ideſt, optimè ſuam naturam retineret; nõ enim erat, cùm repente facta ſit calida auſtrina & ſine vẽtis, æſtas verò ſoleat paulatim ingruere. & habere ventos Aquilonares, vocatos Etheſias, ſed quòd, etſi per ſe eſſet futura inſalutaris, ſuperueniens verò cõtrariæ temporis naturæ, facta eſt cauſa emendans & ſalutaris. Ita enim fit. His dictis, commendat hanc doctrinam, dicens, Magnam autem partem artis eſſe exiſtimo poſſe conſiderationem facere rectè de iis quæ ſcripta ſunt. Qui enim ſcit & vtitur his, non vtique mihi (inquit) videtur multùm falli in arte. Explicans deinde, quæ ſcire ex hoc opere & quomodo iis vti oporteat, dicit, oportet autem diſcere exactè quamcunque temporum conſtitutionem, & morbum. Id eſt enim aduertere, quæ conſtitutio temporis ſit, & qui morbus populariter graſſetur: bonum eſt etiam ſcire, quid commune ſit in conſtitutione & in morbo; ideſt, bonum etiam eſt conſiderare analogiam ſpeciei morbi, & conſtitutionis temporis. Nimirum ſunt ſingulis temporum conſtitutionibus morbi quidam congruentes, quidam non: qui autem quocunque tempore ſint nati fieri, licet diſcere ex iis quæ ſcripta ſunt. Oportet etiam conſiderare qui morbus ſit longus & mortalis, vt qui Parii; qui longus & ſalutaris, vt qui Heropythi; qui acutus mortalis, vt qui Calui, qui acutus ſalutaris, vt qui Periclis; neque quidem hæc ſolùm potes diſcere ex iis quæ ſcripta ſunt; ſed ordinem etiam dierum decretoriorũ conſiderandi facultas datur ex his. Nam vt in ſingulis hiſtoriis explicuimus, maximam rationẽ ordinis dierum talium viſus eſt ſemper Hippocrates habuiſſe, vt videatur hæc eſſe praxis doctrinæ de diebus decretoriis. Hæc verò non tantùm vtilia ſunt ad rectè prædicendum, ſed etiam ad rectè ſuſcipiendas curationes, vt in proœmio prognoſtici ipſemet dicit, ſiquidem ex his contigit ſcire, quibus & quando & quomodo oporteat victum inſtituere. Quæ verba videntur mihi poſſe duo ſenſa continere, ambo vera. Quos & quando curare oporteat, & quomodo victum inſtituere, vt in his verbis inſinuetur curatio tota, & tota victus inſtitutio, aut quos & quando & quomodo cibare, vt contineatur his tribus voculis ſola victus inſtitutio, quæ magna medicæ artis pars eſt, cùm tres habeat, & pharmacis, chirurgia, & victu vtatur. Sed quo pacto pendent hæc omnia ex illa cognitione conſtitutionis, & periculi morbi, & dierum decretoriorum? Certè quos curare oporteat & quos ſecus, non potes exactè ſcire, niſi morituros à non morituris dignoſcas, hos enim curare oportet, & illos ſinere. Neque ſane ſcire potes, quando oporteat curare, quando agere quietem, niſi tempora vniuerſalia, quibus tota conſtitutio conſtat, dignoſcas. Quia inchoan-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 169 sur 489

©BIUM

tibus morbis mouendum eſt quidquid videtur, aut iam inclinantibus; cùm verò conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem agere, raroque eſt agendum tunc temporis aliud, quàm occurrendum ſymptomatis, quæ tunc ſunt vehementia, aliter verò non eſt facultas occupatiſſima interturbanda. Sed neque in diebus decretoriis, quibus mutationem aliquam inſignem accidere ſperas, aut times, inſtandum auxiliis eſt. Quia quæcunque iudicatio fiat, aut inſtet, neque mouendum, neque nouandum quidquam eſt. Ergo non potes exacte ſcire quando curandum niſi dierum decretoriorum ordinem conſideres, & conſtitutiones morborum, multò autem minùs quomodo victum inſtruere oporteat. Cùm vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremè tenuiſſimo victu vti neceſſe ſit: vbi vero non, pleniori victu vti liceat, & tantò plus indulgere, quanto morbus eſt minùs acutus, & morbo in vigore conſiſtente tenuiſſimo victu vti neceſſe ſit. Non poteſt itaque rectè victus inſtitui, niſi conſtitutio morbi & futurus vigor præſentiatur.

LIBER QVARTVS
EPIDEMIORVM.

POST æquinoctium & poſt pleiadas, quædam velut exedentia & ſordida, quæ caput aperuerunt, prodierunt ſupra aurem, & ei qui propè Leocydem habitabat, in pedem decubuerunt. Phanodico digiti in pede corrupti ſunt, in pectore vlcus fuit. Cuidam cùm ſecta eſſet tibia, hæc quidem illi denigrata eſt. Magnum erat vlcus, quod ad externam tibiæ partem ex poſteriori extendebatur, cùm purum factum eſſet, pectoris & lateris ſiniſtri ſecundùm rectitudinem dolor & febres corripuerunt. Mortuus eſt ex febre.

In hoc quarti libri initio, nullum morboſum ſtatum deſcribit, neque communem conſtitutionem; ſed ſingulares narrationes, & eas quidem breuiſſimas, non tam perſequens ipſas hiſtorias, quam notans in ſingulis quædam, quæ ipſi videbantur obſeruatione digna, non quæ in vna aliqua conſtitutione: aut in vno oppido, ſed in multis, & incertis notauerit, & ſuæ memoriæ conſulens, vt ſolent diligentiſſimi quique facere, in priuatis chartis repoſuerit. Neque profecto in aliis conſtitutionibus, aut vrbibus, ab iis quas ſuperioribus libris deſcripſit, neceſſe eſt hæc contigiſſe, ſed quædam fortaſſe in aliis, quædam etiam fortaſſe contigerunt in eiſdem. Velut quę nunc in initio narrat, haud dubiè pertinent ad proximi libri vltimæ ſectionis ſtatum peſtilentem, vt hac ratione ego cenſeam, quæ ſunt vſque ad illa verba, circa Solis conuerſiones hyemales, quæ paulò poſt occurrent, adſcribenda potiùs fuiſſe lib. 3. aut eſſe velut illius appendicem: quarum verò ab illis verbis incipere. Hæc vero ad tertium pertinere conſtat, ibi enim ita dixit, multis quidem erysipelas accidit cum occaſione, ex fortuitis omninoque paruis vulnuſculis per totum corpus. Maximè autem iis qui ſexageſimum circiter annum attingebant, & quidem circa caput, ſi quid vel minimùm negligeretur. Multis autem etiam in ipſa curatione magnæ inflammationes contingebant, & ipſum erysipelas multùm, celeriter, & vndique depaſcebatur. Plurimis igitur ipſorum abſceſſus in ſuppurationes vertebantur. Carnium & neruorum & oſſium deperditionem magnam patiebantur. Neque autem quæ colligebatur fluxio puri erat ſimilis, ſed putredo quædam alia, ipſaque fluxio multa & varia. Quibus igitur circa caput aliquid eiuſmodi fieri contigit, his glabrities totius capitis & menti accidebant, oſſiumque denudationes & prolapſus, & multæ fluxiones hæcque in febribus, & ſine febribus aderant. Hæc autem magis horrenda erant quàm funeſta: quibus enim ad ſuppurationem peruenit iſtorum maturatio, plurimi horum ſeruabantur. Quibus autem inflammatio & erysipelas euanuerunt, nec vllum eiuſmodi abſceſſum fecerunt, multi horum mortui ſunt. Similiter etiam quacunque corporis parte aberrarunt, iſta acciderunt. Multis enim brachium, & totus cubitus defluxerunt, quibuſdam autem hæc mala infeſtabant latera, aut anteriorem vel poſteriorem aliquam partem. Quibuſdam autem femur totum aut tibia, aut pes totus denudabatur. Hæc illo loco, quibus nunc addit, illa vlcera exedentia, quæ erysipelate depaſcente fiebant, & ſordida, in quibus ſcilicet erat fluxio collecta non puri ſimilis, ſed putredo quædam alia, & fluxio multa & varia, & caput aperuerunt, ideſt fecerunt in capite oſſium nudationes, prodiiſſe ſupra aurem. Verum quia dixerat, non omnibus hæc exedentia vlcera accidiſſe in capite, ſed ſimiliter etiam quacunque alia in parte, multis in brachio & cubito, aliis in lateribus, quibuſdam in femore, tibia, aut pede: exempla nunc ſcribit, vt ſcilicet ei qui prope Leocydem habitabat, in pedem decubuerunt. Phanodico digiti in pede corrupti ſunt, & in pectore etiam habuit aliud vlcus exedens. Alius fuit cui tibia ſecta eſt, quia denigratus eſt ea parte, propter gangrænam ſcil. & habebat vlcus magnum in extrema parte tibiæ, eâ ſci-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 170 sur 489

©BIUM

licet parte, quæ ad anteriora noſtra ſpectat, quà id os acutum maximè & præeminens eſt, & procedebat ex poſteriori parte tibiæ. Nam vocat tibiam hic non totam cruris partem quæ eſt inter maleolum & genu, ſed os illud magnum, quod ea parte eſt, & cum femore & pede articulos facit, cui à poſteriori parte coaleſcit aliud os gracilius; non valde breuius, ad poplitem ſpacium quoddam in interna cruris parte formans, quod carne plenum eſt. Ab hac ergo carnoſa, & interna cruris, & poſteriori tibiæ parte, producebatur vlcus ad anteriorem. Cũ curaretur hic ſectione & vſtione vt par eſt, & purum factum eſſet vlcus, ſuperuenit dolor lateris, & ſiniſtræ thoracis partis, externæ ſcilicet, quam in multis etiam tentatam fuiſſe in hac peſte dixerat, & febris, & mortuus eſt à febre, nimirum venenata materia cor iam obſepiente. Fortaſſe dum curaretur, repente factum eſt vlcus purum plus ſatis, contigitque quod multis aliis contigiſſe dixerat, his verbis. Quibus inflammatio & eriſipelas euanuit, horum multi mortui ſunt, fortaſſe etiam ob curationem artificioſam ſanatum eſt crus, & in deterius ceſſit Nam vilium & externarum partium morbi, vt internis & nobilibus ſecuritatem afferunt, ita nonnunquam cum earum periculo curantur. Cui autem nunc medicorũ narraretur, alicui facta eſſe in capite vlcera ſordida, & glabriciem capitis & menti ſine febre, & cum exulceratione pudendorum & faucium, ac poſtremo nudata excidiſſe oſſa, qui non affirmaret eſſe citra dubium Gallicum morbum? Fuerunt verò in illa tẽpeſtate plurimi tales. Ob quos, & multos alios affectus, qui in hoc opere, & alijs ab Hipp. narrantur, adducor vt cenſeam, nihil in illo morbo eſſe nouum, quodque priora ſecula non viderint.

Bilioſum reſtiario meracum decubuit.

Galenus libello obſoletarum Hippocratis vocum dicit καχεκία eſſe alui egeſtiones ex meraca bile: & pectora καχεκρέα, quæ eiuſmodi ſuccum generant, quidam tamen hirſuta intellexerunt. Sed & καχεκρεῖς homines ſimiliter appellat tali bile abundantes, pharmacum autem καθαρσίους vocat, aut propter humorem qui ab ipſo euacuatur, aut ob proprium colorem. Nominat etiam ſitim alicubi καταχρῆ quæ vel ob talem humorem orta eſt, aut ſummè intenſa. Itaque καταχρῆ vocat Hippoc. interprete Gal. omnia bilioſa, ſiue hominem, ſiue excrementa, ſiue pharmaca, ſiue paſſiones. Hic paſſionem aut excrementum ſignificare poſſe videtur, vt ſignificetur, reſtiarium morbo exquiſitè bilioſo fuiſſe affectum, aut deiectiones ſyncerè bilioſas habuiſſe Atqui hoc eſt lõgè probabilius, quia euacuationum quæ ægrotis accidebant, videtur Hipp. præcipuè rationem habuiſſe. Non parum verò eſt dignum conſideratione quàm ſint ſynceræ deiectiones bilioſæ, quia omnes euacuationes ſynceræ ſignificant extremas intemperies, & magnas naturæ corruptiones.

Et cauſtica afferenti circa æquinoctium ſanguis multus fluxit deorſum.

Καυστικὰ καταφέροντος haud dubiè dicebatur aliquis. ſiue vnguentarius, ſiue chirurgus, qui hac re maximè præcellebat, & cauſtica parabat. Illi ægrotanti circa æquinoctium fluxit ſanguis multus deorſum Quod circa æquinoctium, vernum ſcilicet, ſanguis flueret, non erat præter temporis rationem. Nam in vernis morbis ponit Hippo. 3. aphor. ſanguinis fluxiones, quod deorſum exiret, multò melius erat quam ſi ſurſum, quia vt in aphor. 25. particulæ quartæ dicitur, ſanguinem ſurſum vtcunque exire malum, deorſum verò bonum. Quare coniectandum huic accidiſſe, vt multis ſolet, quibus ineũte vere, deiectiones cruentæ ſalubriter contingunt, aut fluunt hæmorrhoides.

Seni valdè vehementer abſceſſit, non vltra quatuordecim dies.

Quæ notatu digna in ægrotis occurrebant, mandabat Hippocrates memoriæ, Abſcedere hoc loco non eſt quod aliis ἀπόσασιν ſeu abſceſſum facere, ſed corrumpi, corruptumque abſcedere, vt cùm morientes partes decidunt, aut deciduntur: quale illud quod in non ita pridem ſcripta oratione dixerat, carnium, neruorum, & oſſium ἐκπώσεις μεγάλας, id eſt deperditiones magnæ. Hoc verò conſtat ex ipſis autoris verbis. Dicit enim Γέγραπται γὰρ οὐδέποτε ἀπογένεσθαι. ἀπογίνεσθαι enim non eſt abſcedere, aut longè fieri, ſed aboleri aut corruptum decidere Dixerat ergo proximi libri ſectione vltima, ad quam hãc primam quarti libri partem pertinere puto, multos, ſenes præcipuè, habuiſſe depaſcentia vlcera in capite, ex malignis eryſipelatis, vſque ad oſſium nudationem. Non tamen omnibus æquè hæc partium deceſſio proceſſit, ſed quibuſdam tardiùs, quibuſdam celeriùs: conſtat verò celeritatem corruptionis ſerpentis, periculi magnitudinem augere. Proinde hic ſenex, cui valde vehementer abſceſſit, non potuit vltra quatuordecim dies morbum ſuſtinere, ſed putredine multum ſerpente, ac fortaſſe in internas nobileſque partes, breui mortuus eſt. Fieri etiam poteſt, vt illud ἀπογένεσθαι non dicatur de parte, ſed de homine, ſitque ſenſus, ſeni valde vehemẽter corruptionẽ contigiſſe, ſenemque citiſſimè mortuum eſſe. Nã vt ἀποζῆσθαι ſignificat ſuperuiuere, & à morbo liberari, ita ἀπογίνεσθαι ſignificat mori. Sed dices, quid habet admirationis, aut quæ tanta acuties mori ſenem intra quatuordecim dies? Certè nunquam eſt ſtupenda acuties, quæ morbum ad dies quatuordecim produci ſinit: tamen intellige, eodem tempore ac eodem morbi genere, ægrotaſſe plurimos lentiùs, & quod quidem id ſeni acciderit, admirationem auget, quia ſenes vt minus curabilibus, ita minus acutis morbis laborare ſolent Ecce duos loci huius ſenſus ſatis congruentes. Conſtat verò hoc ſecundo ſenſu eſſe figuratam orationem, & poni caſum pro caſu.

Percuſſo ab Antiphilo inuſto, facta eſt iudicatio ſeptimo die, bilioſo, & typhode febre laboranti. Tertia poſt iudicationem ſanguinem ſanè ſpuit, ſuperſtes manebat, & recidiua poſteà

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 171 sur 489

©BIUM

facta eſt. Indicatus eſt, vt par erat, circa pleiadum occaſum primùm. Poſt pleiadum verò occaſum bilioſus ad inſaniam vſque. Facta circa diem nonam ſine ſudore iudicatione ſuperuixit.

In hac quoque dictione ponitur caſus pro caſu, perinde enim eſt ac ſi diceret, percuſſus ab Antiphilo, tertia poſt iudicationes, ſanguinem ſpuit, & ſuperſtes manebat, alioqui committetur ſolœciſmus. Habet hæc dictio duas particulas; prima dicit hominem febricitaſſe acutè, & imperfectè iudicatam, habuiſſe recidiuam; ſecunda, quæ inde incipit, iudicatus eſt vt par erat, dicit, quibus temporibus facta fuerit iudicatio prima; & recidiua. Illis primis verbis τῷ δὲ στιγματίῃ παρ' ἀνηφίλῳ καυστικῷ haud dubiè videtur Hippocr. occaſionem morbi ſignificaſſe. Suſpicor autem hunc inuſta cicatrice, aut ſigno aliquo ab Antiphilo (erat fortaſſe illius ſeruus) correptum fuiſſe ex dolore & vlcere, vt ex occaſione, febre vrente. Nam στιγματίζειν eſt percutiendo ſignare, quare στιγματίῃ percuſſione ſignato, addito verò καυστικῷ apertè ſignificat, inuſtione ſignato. Quæ ſanè in homine alioqui parato, non exigua fuit occaſio. Erat verò bilioſus, atque febre typhode ideſt vrente correptus eſt. Hic eſt iudicatus die ſeptima. Non dicit qua euacuatione, fortaſſe ſine vlla manifeſta ac proinde non fuit iudicatio tuta, ſed cum recidiua. Tertia die poſt iudicationem (nona ſcilicet) ſanguinem ſpuebat; quod etiam intus manere cauſam indicabat, nam aut multitudinis, aut malæ qualitatis ſignũ erat, nihilomin⁹ ſuperſtes manebat, ideſt bene robuſtus, & ſalubriter affect⁹ videbatur. Recidiua poſtea facta eſt, nimirum imperfectè iudicato. Quo tempore hæc acciderint, & qualis fuerit recidiua, narrat poſtea, dicens; iudicatus eſt vt par erat, circa pleiadũ occaſũ primũ, poſt pleiadũ occaſũ factus eſt bilioſus ad inſaniam vſque, ideſt recidit in phrenitidẽ cum magna inſania & furore. Non enim fuiſſe maniã, ſed phrenitidẽ indicat cõſtitutio, iudicatus enim eſt die nonã, mania verò eſt lõgior morbus. Sed cur dicit iudicatũ eſſe primum circa pleiadũ occaſum, vt par erat? Certè alludit ad illud, quod libello de aëre locis & aquis ipſemet dicit, his verbis. Oportet autem aſtrorum exortus conſiderare, præcipuè Canis, deinde Arcturi & Pleiadum occaſum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur, aliique perimunt, alii verò deſinunt: aut in aliam ſpeciem aliumque ſtatum mutantur. Itaque cum propè illud tempus, in poſtrema ſcilicet autumni parte, hunc ægrotare contigiſſet iudicatus primùm eſt circa pleiadum occaſum, vt par erat, ideſt, vt temporis ratio poſcebat, cùm verò citra euacuationem inſignem, à typhode & bilioſiſſima febre liberatus imperfectè eſſet, & bilis maximè vſta interiùs maneret, & ob mutationem ad frigidiorem tempeſtatem, in altiores corporis partes repelleretur, poſt occaſum pleiadum bilioſiſſima phrenitide correptus eſt, à qua rurſum nona die iudicatus ſuperuixit, habuitque illud etiam notatu dignum, quod citra ſudorẽ, atque adeo citra omnem aliam euacuationem manifeſtam liberatus eſt. Antiquum enim eſt Hippocrati dicere ſine ſudore, quaſi ſine euacuatione manifeſta. Multi verò morbi etiam acuti finiuntur inſenſibiliter, ipſa febre ſuam materiam abſumente, vt inflammatio reſoluitur ſuo ipſius calore.

Circa æquinoctium Chalcidonius à portis delatus ad forum, ex ruptura circa dextram mãmam, dolens ſpuebat ſubinde ſubviride: Venter egerebat, ſudor incipiens ſeptima ferè ad octauam vſque durauit. Iudicatus eſt decimâquartâ. Circa quadrageſimam verò tumores facti ſunt circa aurem vtramque. Non immerito videbatur ſuppuratus fore. Non factum eſt.

Cum rumpitur alicui vas aliquod in pulmone, aut thorace, aut ob vehementem motum, aut perfrigerationem maximam, aut multitudinem ad vaſa vocatam, aut ob rodentem qualitatem (corroſio enim etiam rumpit vaſa) niſi citò coaleſcat, periclitatur ſuppurari, non minus quàm ex inflammatione eius loci, primùm quia vlcuſculum ipſum aliquando dilatatur putreſcens, & pus colligit, deinde, quia ſanguinem ex rupto incidentem in ventrem, ſeu cauum thoracis, concretumque in grumos, neceſſe eſt pus fieri, nunc melius, nunc deterius. Hic ergo Chalcidonius rupturam accẽpit circa dextram mammam in thorace: ex corroſione, arbitror, ob bilioſam ſanguinis qualitatem. Nam locum affectum indicauit dolor, ſanguinis verò qualitatem ſputum, ἄλλοτε μὲν ἄλλοτε ὑπόχλωρον. Ideſt, nunc flauum, nunc ſubviride, ac fortaſſe etiam nunc ſubflauum. Nam omnẽ hanc colorum ſpeciem continet quod chlorum: totum vero hoc genus eſt bilioſum. Cùm igitur is affectus maiuſculus factus eſt, febrem attulit, vt & pleuritis ſolet. Venter etiam egerebat, & ſudor copioſus fuit ferè per totum ſeptimum. Quæ omnia multitudinis erant. Vt iam conſtet multum & bilioſum fuiſſe huic ſuccum. Quo factum eſt, vt etſi iudicaretur, ideſt, à febre liberaretur decimaquartâ die, non tamen perfectè, & tuto liberaretur, ſed circa quadrageſimam tumores facti fuerint circa aurem vtramque. Qui tumores hominem omnino liberauerũt à morbo pectoris citra ſuppurationẽ. Quæ quidem ſuppuratio merito timebatur. Atque cùm, inquit, merito putaretur ſuppuratus fore, non factum eſt, ſed reſolutione finiti ſunt: aut cùm merito putaretur fore ſuppuratus intra thoracem, quia vt ipſemet Hippocrates dicit in prognoſtico, quicunque dolores ex his locis non ſedantur, neque ad ſputorum purgationes, neque ad ſtercorum alui ſubductionem, neque ad venæ ſectiones, & victus rationem, & medicamenta, eos ad ſuppurationem verti iendum eſt. Ergo cùm huic fluxiſſet aluus, & excrearum eſſet multum, & exudatum, & nihilominus non eſſet perſanatus homo, merito putabatur ſuppuratus fore, tamen non eſt factum, quia commutatio facta eſt, morbi thoracis cum parotidibus.

Pectus Ariſtodemo vſtum eſt. Philidis filio, cui quòd aliquid ex caſu abſceſſerat, etiã pectus vſtum eſt. Supra autem dolor aliquis prius exiterat.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 172 sur 489

Quam familiaris fuerit Hippocrati vſtio pectoris ſuppuratis, ſiue ex caſu, aut alia manifeſta cauſa, ſiue citra omnem occaſionem ſuppurati fuerint, hinc & ex aliis multis locis intelliges Quomodo fieri debeat, docet Paulus lib. 6 quanquam non proinde non ſit alia commoda vrendi ratio. Ego ſanè, vt abſit terror, & ægroti pareant, cauſticis vtor, quanquam inuſtionem cadenti ferro factam, ſi ægroti ſint animoſi, non nego eſſe meliorem.

Poſt æquinoctia autumnalia recidiuæ factæ ſunt, & aliàs vſque ad ſolſtitia hyemalia, poſt ſolem æſtiuum.

Vere ob optimam temporis conditionem, & æſtate ob calorem, fieri ſolent morbi citæ iudicationis. Autumno verò ob inæqualem æris intemperiem & debilitatem, quam ſuperior tempeſtas reliquit, morbi fiunt, qui lethales, acutiſſimi: qui ſalutares, difficilis iudicii, & vix vnquam, idque per multas recidiuas, deſinentes. Hoc eſt quod dicit μετ' ἰσημερίης φθινοπωρινὰς ideſt in autumno, ὑπερφαίνει quoniam verò non ſolùm poſt æquinoctium, ſed ab initio etiam autumni, quod eſt ab ortu Arcturi, incipiunt eſſe multæ recidiuæ; neque ſolùm per totum autumnum durant, ſed etiam per primam hyemem, quæ ſolis conuerſione finitur, velut corrigens ſe ipſum, addit, aliàs, quaſi diceret, aut vt melius dicam vſque ad ſolſtitia hyemalia: poſt ſolem æſtiuum id-eſt ex fine æſtatis, quàm finit ortus arcturi vſque ad ſolſtitia hyemalia. Nimirum æſtate ſanguis & excrementa omnia exuruntur, vires debilitantur, ac iam inde ob hanc cauſam, & quia ſol à nobis recedit lõgiùs (ad quem omnium corporum ortus, vita, & robur referuntur) nulli morbi perfectè iudicantur, & vix vllus ſeſe poteſt à morbo expedire, & robur priſtinum recuperare, donec idem Sol ad nos redire incipiens, corporibus ortus naturalis & ſalutis autor eſſe incipiat. Quod tam eſt experimento cognitum, vt vulgus etiam hominum, eos qui diuturno morbo tenentur, beneficium primi veris & redeuntis ſolis, iubeat expectare.

Acheloi vxor ſexta die abortum fecit, ſanguinea cùm eſſet, & horreret, & ſudores manarent. Decimaquartâ iudicatio contigit. Quot menſium eſſet fœtus non noui. Maſculum autem etiam alium, vigeſimo poſt die ſe abortiſſe dixit. An vera dixerit, non ſcio.

Sexta die febris fecit hæc abortum, quem febris, vt ſolet, attulit: & decimaquartâ accidit fieri iudicium: decimaquartâ (intellige) eiuſdem febris quæ eſt iudicata. Nam vt cum febris ſuperuenit partui, computatio à partu eſſe debet, ita cum partus febri, à febre. Sed eſt hic notatu dignum, quod dicit, cùm eſſet ſanguinea, horreret, & ſudores manerent. Dicit enim id, velut cauſam abortus reddens. Nimirum huic, quia gerebat vtero, fortaſſe non eſt ſanguis miſſus, & ea quia ſanguinea, abortuit, multitudine ſcilicet ſanguinis expultricem vteri facultatem prouocante, aut acetabula vteri dirumpente. Quorum vtrumque natum erat in hac muliere fieri. Nã qualitas mala ſanguinis irritare, multitudo diſrumpere ſolet. Horror verò indicabat mordentem qualitatem, & frequẽs ſudor multitudinem, vt iam hinc conſtet veriſſimè quoſdam dicere, non ſemper miſſionem ſanguinis facere abortum, ſed multas hoc auxilio ab eo præſeruari Sed quorſum dicit ſe non nouiſſe, quot menſium fuerit fœtus? Cur ſi neſciuerat, non tacebat potiùs? Certè vt intelligas, momentum aliquid habere ad abortus, quot menſium ſit fœtus. Nam primis & vltimis menſibus facilius, ac proinde minus periculosè abortitur. Porrò, quorſum cõmemorat eam dixiſſe, abortiſſe ſe alium maſculum ἐκ τῆς ἕνατον, præcipuè cum dubitet, an vera dixerit? An quia hæc quoque refert diſquirere in abortiente, an conſueuerit abortum facere. Quia quo plus eſt in mulieris natura, eo minus imputandum eſt affectui præter naturam. Quo etiam tempore prægnationis abortiat nunc, & antea abortierit; an eodem ſemper, an altero. Nam vt lib de ſterilibus dicit. Hinc pendet cauſæ cognitio, quia quæ eodem tempore multoties abortiunt, ob exiguitatem naturalem vteri, aut ſubſtantiam non benè dilatabilem, id pati cenſentur.

Circa Solſtitium hyemale venti Boreales flabant. Ictero ex bile meracâ laborabant & eorum quidam horrebant, quidam non. Linguæ aduſtæ erant tertia die & circa ſextam & ſeptimam perturbationes accidebant, quæ longè etiam extendebantur. Decimaquartâ alui renitentes & medicamentis non obedientes, nec pro ratione febrium vlli ſudores. Lienes quibuſdam erant exigui, ad dextrum hypochondrium extenſi, & ad manum murmur aliquod edentes. Sanguinis fluxum patiebantur, & per vrinas expurgabantur & iudicabantur. Multo autem magis deorſum nitebantur, etenim hoc occurrebat ſub hoc tempus. Quibus autem iſta non aderant, ſed lienes intumeſcebant, ſanguis ex ſiniſtra nare fluebat. Solſtitio præterito, hyberna hyberno modo in Borealibus ſeſe habuerunt, paulo autem poſt Auſtri per quindecim dies flauerunt. Poſt hæc autem niues quatuordecim diebus. Circa hanc anni conſtitutionem ictterici ex bile meraciori, qui perfectè iudicati non fuerant, facilè in morbum relabebantur. Poſt niues autem Auſtri & pluuiæ ſucceſſerunt, grauedines & cum febribus & ſine febribus eruperunt. Cuidam verò in dentes etiam defluxit, qui antèa ex media corporis parte doluerat, ad dextra, & ſupercilium & oculos occupauit. Erant autem & raucedines & faucium inflammationes & tonſillæ ſpongiæ vocatæ intumeſcebant, & circa aures & malas tumores molles qui etiam cum febre ſubſidebant: incipientibus febricitare pleraque horum ſupernè & ad vtramque partem oriebantur, quibuſdã

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 173 sur 489

etiam ſub Autumnum & hyemem non ſolùm ſynſillarum tumores, verumetiam porrigines.

Vt antea dixi, hinc videtur mihi liber quartus melius incepturus, à quodam ſcilicet ſtatu morboſo, & communi, vt priores inceperant. Præcipuè cùm quæ hucuſque ſunt enarrata, velut particulæ quædam hiſtoriarum libri proximi eſſe viderentur. In hac narratione oportet diſtinctionis gratia ſeparare ea quæ pertinent ad aëris temperiem, ab iis quæ ad morbos: indiſtinctè enim videntur commixta omnia. Verùm ita diſtinguuntur, περὶ πλείστου τὸν χειμῶνας hoc eſt cum ſolſtitiũ hyemale iã præterierat, boreales vẽti flabãt. Nimirũ hyberna ſeſe habebant hyberno modo in borealibus. Paulò poſt ſolſtitium, ſcilicet ad finẽ Decẽbris, fuerũt auſtrina quindecim diebus, poſt hæc rurſum niuixit aliis quatuordecim diebus: poſt niues, apparente iãm vere, auſtrina ſuperuenerunt, & pluuiæ. Per hanc anni conſtitutionem, dũplex morbi genus fuit commune. Primum facti ſunt multi icteri, cum febribus bilioſis difficilis indicationis, deinde multi catarrhi in varias partes, vt fieri ſolet, incumbentes. Fuerunt, inquit, icteri κατακορέες non recipientes iudicationem perfectè, afferentes reuerſiones ideſt, habentes recidiuas. Dictum eſt nuper, κατακορὲς ſignificare apud Hippocratem, interprete Galen. libello antiquatarum vocum, quod eſt valde bilioſum, ſiue de morbo, ſiue de ſucco, ſiue de homine, ſiue de cauſa, ſiue etiam dicatur de accidente. Velut nuper ſignificabat excrementum, cum diceret, bilioſum reſtiario catacores: nunc ex ſymptomate morbum. Nam icteri κατακορέες dicũtur, per quos eſt maximus pallor per totam cutem. Nam ſunt quidam per quos ſoli oculi, aut ſoli illi multum pallent, neque verò erant hi morbi, ſoli icteri, ſed cum acutis febribus. Nam alij (inquit) inuadebant cum horrore, alii non. Erant autem plurimis communia hæc. Linguæ vſtæ tertia die, & turbationes circa ſextam & ſeptimam accidebant, quæ longè etiam extendebantur. Ideſt, ſæua accidentia, & inquietudo quæ turbationem afferebant (hoc enim ſolet ab Hippoc. vocari turbatio) acciderunt ſexta & ſeptimã, neque ea turbatio præteriit breui, ſed durauit ſatis multum vtraque die. Decimaquartâ nullæ euacuationes acciderunt, vt in acutis febribus par erat, quinimo alui erant adeo retentæ, vt neque pharmacis obedirent: neque vlli erant ſudores pro ratione febrium. Non enim intelligendum venit, non obedientes medicamentis pro ratione febrium. Quia febris vehementia per ſe non iuuat ad facilem expurgationem, ſed vt explicuimus, non erant ſudores pro ratione febrium. Febribus enim acutis valde familiaris eſt ſudor. Itaque hi icteri facti ſunt à prima die febrium acutarum, non tamen proinde dicit mortuos eſſe omnes aut plurimos, ſed fuiſſe difficilis iudicii, & amantes recidiuas. Vtrumque eſt conſideratione dignum, quî facti ſint icteri tam bilioſi in tempeſtate boreali & frigida, & quî potuerint tam multi euadere à morbo regio ante ſeptimum. Niſi enim euaſiſſent multi, non diciſſet fuiſſe morbos difficilis iudicii; ſed grauius aliquid. Conſiderare oportet Hippocratem non dicere tota hyeme fuiſſe hyberna hyberno modo, ſed circa ſolſtitium fuiſſe hyberna hyberno modo in borealibus. Quibus verbis inſinuatur, ante id tempus, in prima inquã hyemis parte, non fuiſſe περὶ χειμερινὰ χειμεῖος tunc eque tãctùm borealia accidiſſe, hoc eſt quòd boreas flaret. Ergo ante id tempus fuerat hyemis prima pars veri ſimilis, & tunc flante borea repente, vt ſolet, magnum frigus factum eſt. Cum igitur bilem ab eſtate collectam, frigus prioris tẽporis non extinxiſſet, erant adhuc bilioſa corpora, & à repentino frigore obſtructa, priuſquam emendata, in morbos bilioſiſſimos inciderunt, & obdurata cute, prohibitoque bilioſo effluuio, tincta eſt bile cutis. Frigus enim paulatim ingruens æquè emendat feruorem bilis, & denſat corpora, quod verò ingruit repente, anticipat cutem denſare. Vnde ex accidenti bilioſi morbi fiunt. Hic ergo, illud ſymptoma mutati coloris rationem externæ cauſæ morbi ſequutum eſt, qua ratione oportebat minus periculoſum eſſe, quàm in talibus ſoleret. Iam verò Hipp. non dicit ex morbo regio ante ſeptimum omnes ægrotos mori, ſed malum eſſe, neque hoc quidem vbique eodem modo. Nam quarto libro de ratione victus in acutis contextu octogeſimoprimo, ita occurrit ſcriptum, In bilioſa febre morbus regius cum rigore ante diem ſeptimum factus morbum ſoluit: ſi vero abſque rigore præter occaſionem ſuperuenerit, mortale. Itaque morbo regio accidit quod aliis abſceſſib. Eſt enim malum ſignum cum ante diem morbi decretorium fit, atque cùm non ſolum ante diem decretorium, ſed languidè etiam atque tentato magis, quàm facto abſceſſu, peſſimum, & nihil tunc temporis poteſt habere boni, ne vt cauſa quidem. Significat verò rigor morbo regio adhuc fienti accedens, maiorem quendam impetum facultatis expultricis in partibus. Ac proinde, non mirum, ſi rigor cum morbo regio ſoluat febrem, etſi ante ſeptimum fiat, ſine rigore non ita, quanquam ne tunc quidem neceſſe ſit, omnes ab eo ſigno interire. Nam etſi mortale eſſe ponatur, poſſunt ab eo ſigno ægroti conualeſcere. Occurrerunt etiam lib. 1. ſect. 3. multi, qui à morbo regio diei ſexti ſuperuixerunt. Potuerunt ergo etiam hi ſuperuiuere ante ſeptimum icterici, cum præcipuè multi illorum corriperentur ictero cum horrore, qui eſt quidam rigor. In hac excrementorum redundantia, cum nullæ euacuationes manifeſtæ contingerent, ſed verſus quaque diffunderentur, contigit craſſiores partes bilescentis ſanguinis in lienem colligi, vt certè plerunque fit in morbis difficilis iudicationis, ob eius viſceris laxitatem. Verum in quibuſdam ita obſederunt lienem, vt deorſum verſus reperent, quod quidem exiguo lienis tumore, & quadam intentione verſus dextram partem, & murmure: quibuſdam rurſum, quod elatione, & tumore eius hypochondrii ſignificabatur. Illis ſuccedebant hæmorrhoides, & vrinæ iudicatoriæ, & expurgatoriæ, & infra nitebãtur. tentati ſcilicet teneſmo: his fluxiones ſanguinis ex nare ſiniſtra. Nimirum murmuris hypochondriorum vt ad inferna vergentium ſuccorum notæ, crebra apud Hippocr. mentio eſt, vt & intumeſcentia hypochondriorum cum ſenſu cuiuſdam reuulſionis, & ad ſuperna retractionis, futuri fluxus ſanguinis ex naribus eſt inditium. Hoc erat primum genus morborum qui ea tempeſtate acciderunt. Aliud, quodque poſterius accidit poſt auſtrina fuit catarrhus, quem ea temporis nunc borealis, nunc auſtrini, diuerſitas

diuersitas haud dubie erat allatura : nunc austro replente, nunc borea exprimente. Destillant verò humores non in eandem partem omnibus, sed vt quisque paratus est, aliis in nares, aliis in palatum aliis in laryngem, aliis in dentium radices, vnde quibusdam excidunt, aliis etiam ad oculos, vnde humidi lacrymantur : aliis ad externas faciei partes, vnde circa aures, aut buccas, aut supercilia molles intumescentiæ œdematosę. Quibusdam nascebantur tumores in internis oris partibus, vt in faucibus, aut spongijs vocatis, quibusdam etiam fortasse in gargareone. Quas vocat Hipp. spongias explicat Galen. lib. vocum antiquatarum citans hunc locum, & ita dicens, σπόγγοι sũt glandulę circa fauces vt in quarto morborum populariũ. Non fiebant hæc vt febrium abscessus, immò verò febres illis succedebant, aut simul cum illis nascebantur, quibus etiam sedabantur. Nimirum vt in controuersiis monstratum est, morbos huiusmodi, qui ex incoctis succis pendent, succedentes aut accedentes febres sanant. Nascebantur itaque aut ante febres, aut incipientibus febricitare. Multis supernè ad vtramque partem pleraque horum. Antecesserunt verò in hac tempestate, vt in aliis etiam valde morbosis, quędam inditia futurarum passionum Nam quibusdam etiam sub autumnum & hyemem, id est, per autumnum & hyemem, ante scilicet quam morbi dicti (incæperunt enim circa solstitium hyemale) acciderunt σπόγγοι hoc est tumores glandularum, sed & porrigines aliis, id est, furfures multi in capite. Quæ omnia excrementa multa in capitibus indicasse constat. In quibus verò talis apparatus erat, necesse erat futuram aëris intemperiem dictos morbos afferre, præcipuè secundi generis.

VIrgini cùm die sextâ iudicatio aduenisset, sextâ in morbum recidit, iudicata verò sunt omnia per sextam. In his temporibus sexta & octaua iudicabantur circa pleiadum occasum.

Non tantum mutationes insignes vnius perpetuique morbi diebus iudicatoriis fiunt : sed & recidiuæ, cùm contigit morbos imperfectè iudicari, pari temporis interuallo solent recurrere. Proinde virgini illi, vt sextâ die iudicata sunt primum sua mala, ita sextâ à prima iudicatione reuerterunt, & sextâ iudicata sunt rursum omnia. Nimirum illis temporibus sextam & octauam contigit esse iudicatorias. Id quod certè fieret, quòd morbi essent acutissimi, & mouerentur per pares. Nam vt acutissimi qui per impares mouentur, finiuntur septima, ita qui per pares, finientur sextâ aut octaua. Qui enim alius finis par sit vnius septimanæ? Moueri verò per pares, vt sæpe est indicatum, morborum est difficilis iudicationis. Itaque iudicari sexta aut octaua est signũ acutissimorum & difficilium morborum : tales verò meritò fiebant circa pleiadum occasum. Id enim tempus est autumnus cui tales familiares sunt.

MEandri cæci vxor statim ex pallore virescens & statim purulentum exuit circa sextam diem, hepar cum feruore intumuit, & deorsum pauca demisit, sputa carnis instar purulentæ pauca, alba, lata reiecit : cibos fastidiens mortua est circa vigesimam.

Hæc laborans ardente febre & bilioſa, qua hepar præcipue inflammabatur, collecta in pulmonem bile, in suppurationem incidit, pernitiosam adeò, vt merito prope vigesimam diem mortua fuerit. Factum est enim huic, quod in prognostico his verbis scriptum est; suppurationes, quæ cum bilioso adhuc sputo excreantur lethales admodum, siue per partes bilioſum cum pure excreetur, siue simul. Maximè autem si incipit procedere suppuratio à tali sputo, cum morbus iam est septem dierum. Talia verò excreantem fore vt decimo quarto moriatur sperandum est, nisi aliquod ei superueniat bonum. Huic certè mala superuenerunt. Nam σαρκοπυώδεια excreare pulmonis celeriter cõputrescentis signum erat. Alba etiam & lata, quæ sunt etiam rotunda, & consistentia excreare malum est, & cibum etiam fastidire. Quare magis mirandum non ante decimamquartam esse mortuam, quam paulò post interiisse. Sed erat fortasse firma alioqui natura.

EX vicinis textoris famula ex vstione deiectiones habuit bilioſas, copioſas, hypocondrij contentionem. Sexta post suppressionem aluus tenuia, copioſa vna vice egeſit. Statim sudauit & iudicata est, aluus restitit, eadem autem hora cùm riguisset febricitauit, & eadem rursus hora sudore iudicata est.

Illud ἐκ χαυσικῶν significare potest materiam, aut causam procatarcticam. Hoc modo significat mulierem hanc ex victu calido cœpisse ægrotare : illo verò deiectionem bilioſam fuisse ἐκ χαυσικῶν hoc est ex acerrima & vrente bile. Vtcunque hoc habeat (neque enim Hippocr. satis explicat) constat ex ipsa narratione hanc laborasse deiectione bilioſa, & copioſa per aliquot dies, deinde suppressa aluo, nondum vacuatis excrementis, hypochondrii regionem distentam esse, collectis. s. eò quæ antea fluebant. Deinde sexta die à suppressione (nimirum iudicabantur eo tempore sexta & octaua pleraque) factam illi esse vna vice copioſam deiectionem tenuium & liquidorum, & statim sudasse, & iudicatam esse, & rursum aluum stetisse, neque iam inde fluxisse amplius copioſam deiectionẽ. Verum quia tenuia fluxerant ex aluo, & sudore tenuia etiã euacuari solẽt, hæsit circa viscera crassum, ac velut cinericiũ, vnde febris inter mittens (cũ rigore.n. repetebat) est suscitata : quæ vt est verisimile fuit diuturna, cùm repeteret semper eadem hora, & in aphorismo dicatur. Quibus fiunt paroxysmi, quacunque hora febris dimiserit, si eadem

P

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 175 sur 489

ſequenti die inuaſerit, difficilis iudicationis eſt malum.

Therſandri vxor cùm leucophlegmatica non valdè eſſet & lactaret, acuta febre correpta eſt. Huic lingua exuſta eſt, alijs ſimul vſtionem ſubeuntibus. Sub hoc tempus lingua etiam exaſperabatur vt grandine denſa, & lumbrici per os eiecti. Circa vigeſimam verò non perfectè iudicata eſt.

Mulier hæc febricitauit ardente febre ex pituita ſalſa. Nam incipiens illa leucophlegmatia pituitoſum apparatum indicabat & exaſperatio linguæ velut grandine multa conſperſæ, & lumbrici per os reiecti ſignificabant eundem ſuccum. Non mirum autem quod ex eo febris ardens naſceretur, & lingua aliaque omnia exurerentur. Nam vt idem Hippocrates 4 de rat. vict. in acutis autor eſt, duplex eſt febris ardens, alia ex bile, alia ex pituita ſalſa. Pituita verò ſalſa non ſemper fit putreſcentia, ſed cum quiddam habet terreæ naturæ admixtum. Quod vero pituita talis fieret, maxima cauſa fuit quòd lactaret. Lactantibus enim menſtruæ euacuationes non fluunt, quę cùm ex maligno ſanguine fiant, admiſcentes ſeſe pituitæ illam reddiderunt malignè putreſcentem. Eſt vero hæc maxima lactantium noxa, impura excrementa quæ ſingulis menſibus exire ſolent, retinere pro puro lacte quod exſugitur. Lumbricos, etſi per os nonnunquam reijciantur, in inteſtinis præcipuè gracilibus habere generationem, alijs locis dictum eſt.

Circa pleiadum occaſum puero Metrophanti caput ab alio puero percuſſum eſt teſtâ, qui cùm atti giſſet duodecimam diem, febricitauit. Occaſio autem fuit, quòd vlcus detergens partes ambientes attriuit, & refrigeratus eſt, & intumuerunt ſtatim vlceris labia: Vndique extenuata eſt cutis vltra vlcus. Cùm autem non cunctanter ſectus fuiſſet, neque pus effluxit, neque alleuatus eſt. Iuxta aurem verò videbatur ſuppurationem moliri verſus maxillam ſiniſtram, hac enim parte etiam vlcus erat. Deinde nec hoc ſuppurauit, ſed in humerum dextrum pus ſubitò collectum eſt. Mortuus eſt circa vigeſimam quartam.

Mirum profecto eſt mortuum ab vlcere fuiſſe puerum, cùm neque mox percuſſus ceciderit, neque vomuerit, aut quidpiam habuerit eorum quæ lethaliter percuſſis accidunt, ac multò magis cùm duodecimam diem attigerit febre vacans. Non immerito autem dicit Hippocr. Nullum capitis vulnus quantumuis leue contemni debet: ſæpe enim cutis ſola contuſa ferro, aut alia aliqua re, ſi non diligenter, aut cum quadam cautione curetur, velut ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur vlcus recrudeſcens, non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit: & medico quidem negotium, ægroto vero periculum non minus affert. Hæc Hipp. Mori vero contingit ex vulnere capitis ſola cute conciſa: aut ea ſola reuera conciſa, & nulla alia parte ſolutionem patiente: aut quod ea ſola conciſa eſſe videatur, lateat vero interiùs fractura aliqua. Hoc quidem manifeſtum eſt, quam ſit periculoſum: quia dum cutis ſola fruſtra curatur, creſcit in inſanabilem interior noxa. Sed & citra hanc contingit quoſdam mori, ex cutis capitis ruptura, ob peſſimum corporis apparatum, aut capitis maximam debilitatem, aut curationem malam, aut tempeſtatem, regionemue, aut denique victus rationem incommodam. Nimirum cum quippiam horum accidit, ex leui occaſione fiunt grauiſſimi affectus, & ex minimis initiis accipiunt maxima incrementa, vt in ſtatu illo peſtilenti ſectionis tertiæ libri tertii accidebat ægrotis, de quibus ita dicebatur. Multis quidem eryſipelas accidit cum occaſione, ex fortuitis omninoque paruis vulnuſculis per totum corpus: præcipuè autem circa caput, ſi quid vel minimùm negligeretur. Poteſt itaque nulla interna parte diuiſa, fluxio quæ ad ſectam cutem conuocetur, læſionem incurabilem in internum caput refundere. Namque ex ſolo digito gangræna affecto contigit mori, ſi malum negligatur? Ita accidit Metrophanti puero. Si .n. internæ partes à principio læſæ fuiſſent, aut mox percuſſo ſymptomata aliqua id indicaſſent, aut certè multò ante duodecimam diem febris & alia ſuperueniſſent. Sed non venit ante eam diem, neque tunc citra occaſionem ſed quòd vlcus detergens partes ambientes attriuit, & refrigeratus ea parte eſt. Leuitas autem occaſionis indicauit malignum corporis apparatum. Quanquam hinc quoque nos oportet admonitos, arcendos eſſe capite percuſſos ab ſcalpru, & vlcus nunquam eſſe nudandum citra medicamen, linamentum, aut linteolum, donec cicatrix omnino obducta ſit, quin & firmata nonnihil. Facilimè .n. alterantur vlceratæ partes à frigore, & vt Hip. dicebat, vlcera incrudeſcunt: quod huic eo magis euenit, quod contempſit tegere vulnuſculum circa pleiadum occaſum, frigidiſſimo ſcilicet tempore. Narrat verò Hipp. percuſſum fuiſſe teſta, non oblitus ſuarum præceptionum, qui libro citato poſt dicta verba ita ſcripſit. Primum igitur, capite vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum ſit. Nimirum teſta non potuit ſcindere citra partium adiacentium contuſionem, quarum ſi neglecta ſuppuratio eſt, meritò ſuccedere potuit maligna putreſcentia. Intumuerunt ergo labia vlceris frictione & frigore læſa, & noua fluxione recepta, extenuata autem eſt cutis multis locis per partes vltra vlcus, hoc eſt in capite ſuperiori, vt tangenti videretur pus ſubeſſe. Atqui etſi illæ partes ſectæ ſint non tardè, ſed maturè, vt oportet ſuppuratas, tamen neque pus exiit, neque puer leuatus eſt. Nimirum illæ cutis extenuationes non ſunt factæ per ſuppurationem, ſed per corruptionem facultatum naturalium in parte male nutrita, ac proinde tabeſcente cute eodem modo, quo labia ipſa vlcerum malignorum ſolent extenuari & areſcere. Erat verò vulnus in ſiniſtra capitis parte iuxta aurem, parte quidem per ſe minimè periculoſa, vt pote in qua os firmiſſimum eſt. Videbatur poſtquam labia intumuerant, ſupputatio colligi eadem parte ad maxillam, quæ ſanè ſuppuratio ſi proceſſiſ-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 176 sur 489

set fuisset salutaris, vt pote secundum rectitudinem in proxima vlceri parte & humiliori facta. Verum ea euanuit, & humerus dexter suppuratus est. Quod quidem fuit graue signum ob loci contrarietatem, eadem ratione qua vt monet Hipp. ipso libello citato, in perituris conuulsiones in contraria parte fiunt. Si (inquit) in sinistra capitis parte vulnus habeat, in dextra corporis parte conuulsio corripit, si verò in dextra capitis parte vulnus habeat, in sinistra corporis parte conuulsio corripit. Cum ergo tam graue iam signum accederet, breui mortuus est, circa vigesimam quartam. Fortasse quia vigesimaquarta fit ex bis duodecim, & duodecima acceperat insignem mutationem. Hæc enim est ratio constitutionis legitimæ. Sed cur conuulsio in contraria parte fiat, morituris ex capitis vulnere, & non potius in eadem supereſt dicamus. Atheneus huius euentus causam facilem commentus est, sed non adeò veram, neruos nullos in sui lateris partes rectà ferri, sed statim in exortu sese mutuò intersecantes, ad figura græci X. singulos ferri in latus contrarium. Sed cum hoc falsum esse ipsa anatome indicet, nihil refert à quo dictum sit, sed alia opus est ratione. Ea verò est hæc: vlcera in perituris, vt in prognostico dicitur, siccescunt, & deponunt tumores labiorum. Quibus enim in vlceribus tumores apparent (vt dicitur in aphorismo) non valde conuelluntur, sed his euanescentibus: quia cum perit facultas rectrix in parte læsa, cessante sensu & dolore, & tractione alimenti, ac proinde arescente parte, non recipitur quod venit quare quod mittebatur non receptum quò mittebatur, repellitur in partem contrariam, euanescuntque in vlcerata tumores, & conuulsiones apparent in contraria: magis verò si vlcerata pars posterior est, quàm si anterior. Hæc enim, vt in aphorismo citato dicitur, insaniam aut mala alia potius facit, quàm conuulsiones, nisi forte oculorum, qui quia ab anteriori cerebro recipiunt motum, possunt per vlcerationem partium anteriorum, facilè conuelli. Sed cur (vt hoc obiter in gratiam lectorum dicatur) si ex dextra sinistra, & ex sinistra dextra patitur, non etiam ex anteriori posterior, & ex posteriori anterior? Certè anterior eiusdem lateris cum posteriori, & posterior cum posteriori parem contrarietatem habet, non tamen parem distantiam. Propior enim est posterior posteriori, quàm anterior. Cùm verò fluxio ob dictam debilitatem errat à parte in quam tendebat, consentaneum est declinet priùs in contrariam proximam, quàm in contrariam remotam (alioqui & in longissimè positam & multis modis contrariam feratur primum] quare ex vulnere dextræ & posterioris partis, in posteriorem sinistram feretur priùs quàm in anteriorem dextram, & ex anteriori in anteriorem aliquo modo contrariam potius quàm in posteriorem. Accedit quòd aphorismus ille non de vlceribus capitis, sed de quibusuis intelligitur. Sed hac obiter dicta sunt. Huius loci gratia illud solùm dicere intererat, signum lethale esse in vulneribus, conuelli parte contraria, eadem enim ratione lethale fuit huic puero euanescere suppurationem è sinistra maxilla, & dextrum humerum suppuratum esse. Similis vulneratæ partis langor, & similis expultricis error.

Post pleiadum occasum, ille cui auris dolebat circa vigesimam diem, postea voce priuatus fuit, & dextrarum partium impotentia laborans sine febre sudauit. Dextra auris, dexter oculus, consistebat non valde, & trahebat aliquid ex inferna parte, in sinistris verò distortus est oculus grauiter dolens. Ceruix dura facta est & tertia posteà horâ æqualiter doluit.

Huic vigesima die febris capta multitudine in caput auris dolebat, crescente postea passione cerebri factus est paralyticus toto dextro latere, & vt solent paralytici, voce priuatus sudauit & febris cùm abscessu tùm sudore extincta. Auris dextra, & dexter oculus non valde consistebat, ideſt, motitabatur, vt solent quibus resolutio imminet. Sed quo pacto auris non consistebat? Auricula enim non mouetur, auris verò solius sensus instrumentum est. Certè ita intelligendum est, dextra auris & dexter oculus consistebat non valde, & trahebat aliquid ex inferna parte. Quia oculus non consistebat, & vtraque pars trahebat aliquid ex inferna parte: ideſt, recipiebat fluxionem ex infernis sursum venientem: quod quidē iudicabatur humiditate circa eas partes redundante. Non admodum curat Hippocr. distinguere, an pars quæ aliunde recipit trahat, an recipiat solum, vtcumque enim hoc habeat, trahere dicit eam quæ recipit: id quod præcipuè in oculorum fluxionibus obseruaui Nā & quinta sectione secundi libri dixit, pituitæ fluxiones ex mammis trahunt oculi. Sed addamus reliqua. In sinistris inquit, distortus est oculus grauiter dolens & ceruix dura facta est, & tertia posteà horâ æqualiter oculꝰ doluit. Hęc conuulsione facta sunt. Nimirum dextra pars erat resoluta, & in sinistra oculus & ceruicis musculi conuulsi. Nam etsi distorqueri possit oculus resolutione & conuulsione, conuulsiones verò potius sunt quæ à graui dolore incipiunt: & durities illa, ac velut rigor ceruicis longè aberat à resolutione, Quare argumento à dolore antecedente, & à passione proximæ partis, constat sinistri oculi passionem conuulsionem fuisse Non mirum autem alias partes conuulsione, alias resolutione tentari, passiones enim sunt loco affecto & materia similes.

Post pleiadum occasum seruus Attici quartanā correptus stupidus permansit.

Fatuitas frigida passio cerebri est, ex crudis succis, quales sunt pituitosi & serosi. Hi enim succi vergentes ad corpus faciunt resolutiones, & vergentes ad animam, fatuitatem: velut melancholici vergentes ad animam faciunt insaniam, vergentes ad corpus conuulsionem. Nihilominus videmus multos ex melancholicis morbis in passiones illas incidere, vt ex epilepsia melancholica, aut ex melancholia morbo, in resolutio-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 177 sur 489

nes, & ex quartana, & dicta epilepſia, in fatuitates: quia melancholicus ſanguis eſt admodum ſeroſus, quia in eo boni, & mediocris ſanguinis exiguum eſt, ſed totus reſoluitur in fæcem & ſerum, velut quædam vitioſi lactis genera, ex quibus caſei & ſeri extrahitur multum, mediocriter craſſi lactis & butyri nihil fere. Hac cauſa ex quartana ſudatur multùm, & melancholici ſunt ſaliuoſi, ac reddunt copioſam vrinam. Pituitæ etiam multum colligitur in melancholicis, ob debilitatem caloris & incoctionem. Has ergo ob cauſas, non immerito potuit hic ægrotus ex quartana fatuus fieri. Quanquam Alexander Trallianus, vt reſolutiones neruorum quaſdam ex melancholia eſſe dicit, videtur mihi dicturus eſſe fatuitatem ex melancholia.

ALius eodem tempore vera typhlomania laborauit, in coxas & crura venit dolor, conquieuit, quota die haud ſcio.

Vt fatuus, & qui velut mentis ſtupore tenetur, proxima ſententiola dicebatur τυφλώδης & qui apertè multumque delirat, dicitur maniacus, ita qui mixtam habet paſſionẽ, dicitur ab Hipp. typhlomaniacus, & paſſio ipſa typhlomania. Quanquam apud Gal. occurrit ſemper ſcriptum τυφωμανία, λω vetuſtate mutatis in ω. Cùm hic ægrotus hac paſſione teneretur, dolore deſcendente ad coxam & crura liberatus eſt. Nimirum vt ſectione quinta ſecundi libri dicebatur, ſi caput doluerit ad pectus deſcendit, deinde ad hypochondria, poſtea ad coxam.

EOdem tempore quidam horrebant, vomibant, & poſt iudicationem cibos faſtidiebant, & bile referti erant, & ſplenis magnitudine, duritie, dolore, & ſanguinis fluxu laborabant. Quibuſdam autem eodem tempore poſt pleiadum occaſum, ex naribus ſanguis bilioſus fluxit propter lienis affectum.

Vexabantur hoc tempore, vt in autumno plærunque ſolent, ora ventriculorum bile flaua, & fiebant morbi difficilis iudicationis, & amantes recidiuas. Illud quidem indicabant horrores & vomitus, hoc faſtidia poſt iudicationes, & bilis effuſa, & magni ſplenes, quia vt 6. epidemiorum ſectione 5. dicitur, rigor (eſt verò eiuſdem generis & horror) à ſuperiori ventre fit: & vt 2. ſectione eiuſdem libri dicetur. Oris reſiccatio & amaritudo, & faſtidium poſt iudicationem relicta, recidiuas minantur. Abſceſſus etiam ad lienem in difficilibus morbis fieri ſolent. Sunt verò ſæpe lienoſi tumores αἱμορραγικοὶ, id eſt, ſanguinem fundentes: quanquam non omnes per eandem partem: ſed quibus tumet & intentus ac velut ſurſum retractus lien eſt, præcipuè ſi phlegmonoſus videatur affectus, quod dolore & calore maximè ſignificatur, ex naribus fiunt eruptiones, vt ſectione 3. lib. 2. dicebatur. Quibus verò minus tumet, & velut in latera & humiles partes diſtenditur, fiunt fluxiones ex hæmorrhoidibus. His itaque meritò ſanguis ex naribus bilioſus fluebat ob ſpenes, cum illi eſſent magni, duri, & doloroſi.

IN Cranone Nicoſtrati vxorem correptam, decimaquartâ die ſtatim anticipauit impotentia colli & aliarum partium, & cibus ad decimam vſque intro concluſus eſt. Spiratio denſa, parua, incontinentia aderat, digitis palpabat, delirabat, ſudores erant, contracta ſunt in dextrã ceruix, os, oculus, naſus,

Correptos, ſeu deprehenſos vocant medici, eos qui apoplectica aliqua paſſione repente corripiuntur, & omnium maximè catochos. Hac ipſa ratione dicit mulierem hanc correptam fuiſſe decima quartâ die morbi, hoc eſt in apoplexiam aut catochum ea die incidiſſe, vnde haud dubie mortua eſt. Narrat verò quæ hanc apprehenſionem anteceſſerant, dicens correptam decima quartâ, anticipauit ſtatim impotentia colli, & aliorum, hoc eſt, mulierem illam quæ decima quartâ die morbi correpta eſt, anticipauit ſtatim à morbi initio impotentia, hoc eſt, debilitas, & ægre mouebat collum & partes alias omnes, vt brachia, & crura, & cibus incluſus eſt vſque ad decimam, hoc eſt aluum non exonerauit vſque ad decimam morbi diem. Quod quidem duplicem habuiſſe cauſam eſt conſentaneum, debilitatem muſculorum abdominis, ſimilem ei quæ erat in reliquis partibus, & raptum humorum in partes ſuperiores: quibus fiebat, vt fæces duræ, à debilibus muſculis exprimi non poſſent. Spiritus etiam hoc tempore fiebat paruus & frequens. Sed cur dicens ſpiritus paruus denſus, addit impotentia? Præcipuè cum dixiſſet mox, anticipauit colli impotentia & aliarum partium? Videtur enim fruſtra repetitum illud nomen impotentia. Certè rarum quiddam & magnum innuens. Id verò eſt, reſpirationem talem non eſſe factam ob dolorem partium ſupra ſeptum tranſuerſum, vt in prognoſtico ab ipſomet Hippocrate dicitur fieri ſolere, & qua ſola cauſa fieri poſſe à Galeno putatur, ſed ob impotentiam mouendi ſeptum tranſuerſum. Nimirum anticipauerat hanc impotentia colli & aliarum partium, quare & muſculorum pertinentium ad reſpirationem, quorum præcipuus eſt ſeptum tranſuerſum. Neceſſarium autem videtur, cauſam hanc ponere reſpirationis talis, quanquam eius Galen. non meminerit. Nam ſi ſemireſolutum, & cum mouendi impotentia ſeptum ſit (quid autem prohibet ita eſſe) non poterit longum dilatari, quare dilatabitur motu curto: cùm verò vſui, vt pote quem non ponimus diminutum, non fiat ſatis, neceſſe eſt moueatur crebrò. Indicat etiam hoc ita habere, ſpiritus ſublimis, qui creber & paruus plærunque eſt & debilitati imputatur. Verùm quia per morbos acutos, qui cum febre fiunt, de quibus in prognoſtico agebatur, doloroſi affectus intra thoracem frequenter fiunt, impotentiæ verò huiuſmodi rariſſimæ, atque non ob ipſos acutos morbos, ſed ob alios caſus ipſis accedentes, vt paralyſim, velut perpetuum quiddam ſtatuit illic Hippocrates.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 178 sur 489

©BIUM

Crebrum ſpiritum ſignificare dolorem, aut incendium, crebrum ſcilicet cum exiguitate dolorem, cum magnitudine incendium, Gal. cùm in libris de dyſpnœa, tum etiam vbique alibi, videtur contempſiſſe quartum & quintum libros epidemiorum, quoniam arbitror, videntur negligentius ſcripti quam tres priores, & qui proximè ſequitur. Mihi verò ex his etiam videtur multùm frugis capi poſſe. Fuit etiam palpans digitis. Quod ſignum inſtantis delirii eſſe in prognoſtico dicitur, in hac verò euentus id aperte ſignificauit. Nam delirauit etiam. Qua propter videtur hæc affectio, donec in magnam & manifeſtam deprehenſionem venerit, velut exingruente apoplexia & phrenitide mixta fuiſſe, delirabat enim, & partes omnes ſenſim in reſolutionem ibant: quæ quibuſdam in partibus manifeſta fuit, nam ceruix, os, oculus, naſus, in dextram partem contracta ſunt per reſolutionem, arbitror partium ſiniſtrarum. Nam etſi tortura faciei, conuulſione partis verſus quam diſtorquetur, aut reſolutione contrariæ fieri poſſit, tamen impotentia quæ anteceſſit, & apoplexia ſubſequuta, nos vocant in reſolutionem. Non poterant autem hæc niſi admodum pleno corpori contigere, vnde & ſudores crebri fiebant: & decimaquartâ die in apoplexiam malum finitum eſt.

VRinarum ſubſidentia alba orobina, alia alba ramentoſa, alia ſubchlora vitellos pipſos referens. Huic aliquando vt pingue quiddam ſuperſtabat, hocque aceruatum, non multum diſperſum, vt enæorema diſparatum, vt quod exit ex ouicula. Non ſubſidens quid deinde mingebatur, quod quidem interdum huiuſmodi erat, interdum autem reſidebat. Aliud huiuſmodi paucum in latitudinẽ diſperſum: aliud perturbatum erat, aliud huiuſmodi. Enæorema nubeculæ nigræ quæ videretur craſſitudinem habere. Laxum autem aliud tenue aliud enæorema tenue tale, aliud quale equi, aliud velut quæ caliginoſa ſunt.

Non eſt Hipp. inſtitutum hoc loco, logicam partitionem, & quæ differentias omnes vrinarum contineat, facere, ſed memoriæ mandare eas quæ ea tempeſtate in ægrotis occurrebant excretiones, & experientiæ gratia. Proinde veritatis nunc & obſeruationis magis quàm logicarum differentiarum ſtudioſus, collatione cum rebus quibuſdam, quæ extra nos ſunt, & cum vrinis aliorum animalium, qualia & quomodo apparebant, qua maximè ratione poteſt, conatur fideliter explicare. Atqui, quia non ſolum in multis ægrotis apparebant variæ differentiæ, ſed in quibuſdam etiam eiſdem, nunc hæ, nunc illæ; cùm dicit aliud huiuſmodi, aliud alterum, ſignificat, cùm idem ægrotus pluries viſeretur, aliam vrinam fuiſſe huiuſmodi, aliam non. Sed percurramus ſingula verba. Vrinarum, inquit, ſubſidentia alba orobina, alia alba ramentoſa, alia ſubchlora vitellos piſos referens. Orobinum contentum vrinæ duplex eſt, quoddam ſola figura orobinum vt grana orobinis ſimilia, alba tamen, quoddam colore & figura orobi granis ſimile. Itaque quæ vt grana quædam ſunt figura, ſimulque fruſtulis veterum vitellorum colore ſimilia, orobina ſimpliciter ſunt. Quæ grana alba ſunt orobina alba: quæ verò ſunt fruſtula alba, non tamen figura vt grana, ſed vt ramenta, eſt alba ramentoſa ſubſidentia. Hæc quidem fiunt exulceratione viarum: orobina verò vſtione ſuccorum, alba, pituitoſorum humorũ ſimpliciter ſigna ſunt: orobina, ſanguinis bilioſi. Huic (addit) aliquando vt pingue quiddam ſuperſtabat, hocque aceruatum, non multum diſperſum, vt enæorema diſparatum, vt quod exit ex ouicula. Scilicet, hypoſtaſi orobinæ ſimili vitellis piſis (illam enim refert illud, huic) ſuperſtabat aliquando vt pingue quiddam, non qualecumque, ſed aceruatim mictum. Merito ſanè; nam illud orobinum fit, ſanguine bilioſo in renibus vſto, ſignificat verò pingue confertim mictum, vt in aphoriſmo dicitur, colorem renum. Proinde conſentaneum eſt, quibus talia orobina minguntur, ſupernatare etiam pingue aceruatum, non multùm diſperſum, vt ſimile ſit enæoremati diſparato, vt (inquit) quod exit in ouicula, ideſt quale eſt quod apparet in ouium vrinis. Quo loco licet mirari Hippocratis diligentiam, qui obſeruabat non ſolum hominum, ſed aliorum etiam animalium vrinas, quo aliquid inde fructus caperet, conferens vrinas cum vrinis ad earum agnitionem, aut etiam ad cognitionem naturæ. Nimirum erat contemporaneus, & amicus Democriti, qui omne genus animalium, etiã reptilium diſſecabat, tanta erat philoſophorum illius ſeculi diligentia. Sed videamus reliqua, non ſubſidens (ait) quid deinde mingebatur, & aliud quidem huiuſmodi, aliud autem reſidens. aliud huiuſmodi paucum in latitudinem diſperſum, aliud perturbatum erat, aliud huiuſmodi. Hoc eſt aliquando erat vrina ex qua nihil ſeparabatur. Neque tamen illa perſeuerabat, ſed alia mingebatur huiuſmodi, alia reſidens, alia huiuſmodi, hoc eſt, non reſidens manifeſtè, ſed habens paucum diſperſum in latitudinem, alia perturbata, alia rurſum huiuſmodi, hoc eſt non perturbata, ſed in qua nihil reſidebat. Quod quidem ſignificabat, multos, varios, & inæqualiter coctiles ſuccos. Enæorema, inquit, erat nubeculæ nigræ, hoc eſt in quibuſdam erat quod continebatur nubecula nigra, quæ videretur craſſitudinem habere, hoc eſt, quæ ob nigritiem videbatur craſſior quàm erat re vera. Erat verò aliud enæorema laxum (hoc eſt diſruptum, deiunctum, ſeu ſparſum, denique non continuatum, & cohærens) tenue, aliud tenue tale, hoc eſt, tale qualis nubecula continuatá, quæ etſi ob nigritiem videretur craſſa, erat tenuis. Nihil autem habet admirationis deſcendere cum vrina nigrum quod tenue ſit. Nam habet etiam melancholia partes ſaris tenues, immo verò multas. Nã vt nuper monſtrauimus, eſt admodum ſeroſa, & lienis ſubſtantia nutritur nigro & tenui, quę proinde, vt eſt nigrior, ita tenuior hepate & aliis viſceribus. Addit, Aliud quale equi, aliud velut quæ caliginoſa ſunt. Quę verba ad ipſam fuſuram vrinę referuntur, non ad aliud quidpiam quod in ipſa contineatur, aut innaret. Conſtat vrinam qualem equi eſſe eam, quam in aphoriſmo vocat ſimilem vrinis ſumentorum, dicitque ſignificare dolorem capitis, qui adeſt aut aderit, quæ quidem eſt perturbata, non

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 179 sur 489

©BIUM

vrcunque, ſed perturbatiſſima. Itaque quamquam dixerat antea perturbata, & nunc dicit quale equi, non eſt repetitio inutilis. Non enim quamcunque perturbatam dicimus eſſe qualem equi. Caliginoſam vrinam, aut ſimilem caliginoſæ vocat vrinam, obſcuram magis quàm craſſam. Vt ergo videmus ſuccos quoſdam eſſe craſſos non valdè obſcuros, ſed pellucentes: ita conſtat eſſe alios turbidos, obſcuros, & tenues. Non enim obſcuritas ſemper comitatur craſſitiem, vt dictum eſt: ſed eſt aliqua craſſa clara, aut ſaltem non valdè obſcura vrina, & alia caliginoſa tenuis, aut ſaltem non valde craſſa. Cum ſumma enim tenuitate non poteſt eſſe niſi aquoſa, quæ eſt alba perſpicua, neque cum ſumma craſſitie, niſi cænoſa, quæ eſt etiam obſcura. Verùm poteſt eſſe inter has alia minus obſcura, quam pro craſſitie, alia minus craſſa, quam pro obſcuritate: illa ſignificabit pituitam vitreæ ſubſtantiæ non abſimilem, hæc melancholiæ tenuem ichorem.

Qui primus mẽte captus eſt adoleſcens, huic vrina erat pura tenuis, omniũ deiectio tenuis, multa, ſine bile. Lingua aſpera admodum, febris valde vrens, inſomnis. Aluus gibboſa. Hic delirauit arbitror octaua die procaciter, exurgebat, pugnabat, turpia loquebatur fortiter, cùm inſolitũ eſſet. Huic cũ vrinas multas, tenues confertim reddidiſſet, ex ſuppreſſione ſomnus accidit continuus, & ſudor qui ex eo iudicatorius videbatur, quòd fortaſſe circa decimam. Deinde & inſaniuit ſtatim, & mortuus eſt celeriter vndecima die. Occaſionem fuiſſe arbitror, quòd multum merum bibiſſet, antequàm inſaniret. Huic puero erant anni prope viginti.

Quæ febris eſſet hæc, & quæ eius cauſa, & quò, quouis tempore, quique humores reperent, ex ipſis ſymptomatis licet agnoſcere. Ardentem enim fuiſſe ex bile, eaque exuſta, vt atræ bilis naturæ iam accederet, indicat linguæ aſperitas, & quòd febris eſſet valde vrens, & peruigilium, & delirij ſpecies. Cauſa autem quâ bilis meracior eſt facta, duplex eſſe videtur, ipſum incendium febris, & quòd aqua, quâ ſolet bilis dilui, fuunderetur largiter, in primis per ſeceſſum, deinde per vrinam. Et cùm aqua deorſum inclinaret, bilis facta calidior & meracior rurſum efferebatur. Quod indicabat vrina pura tenuis, hoc eſt, alba & perſpicua, qualis aqua, & deiectio per febrem vrentem ſine bile, & peruigilium, & gibboſa aluus. Hoc eſt aluus tumida, elata, & proinde incurua. Cùm enim ea deiectio aquæ multa fieret, ob retentam circa viſcera bilem, & ſurſum euntẽ, fiebat. Quod ſubſequutum delirium declarauit. Delirauit (inquit) arbitror die octaua. Nimirum cùm non eſſet Hippocrates ſatis certus qua die, vt fieri ſolet, cùm principium morbi non ſatis exactè ex relatione agnoſcitur, aut inter duos aliquos dies mutatio euenit, reiecit illud in octauam ob naturam tempeſtatis illius, quà omnia ſexta aut octaua recipiebant inſignes mutationes. Quantum verò delirium eſſet, multis exagerat Hippocrates dicens, delirauit procaciter, exurgebat, pugnabat valdè turpia loquebatur, & (quod magnitudinem delirij maximè auget) cùm huic inſolitum eſſet, hoc eſt cum ipſe alioqui eſſet honeſtus, & modeſtus, & temperans. Huic ab initio fuerat mictio exigua, aqua, vt eſt conſentaneum, deriuata ad aluum, & bile, quæ mictionem mouere ſolet, ſurſum elata. Nam vt dicit, fuit omnium deiectio multa, ſine bile. Cum verò nomen hoc διαχώρησις latinè ſeceſſus ſignificet præcipuè deiectionem alui, & hic non de omnibus eius tempeſtatis ægrotis ageret, ſed de ſolo hoc adoleſcente, conſtat dictum eſſe omnium deiectio, quaſi omnis deiectio. Itaque quia erat omnis deiectio tenuis, multa, ſine bile, vrina reddebatur exigua donec poſt octauam, erumpente arbitror parte aliqua bilis eius qua aluus tumebat, per veſicam, minxit confertim multa tenuia, & ſomnus factus eſt continuus, & ſudor, bile effuſa pariter per vias vrinæ, & corporis habitum, & ad tempus recedente à cerebro, quod tunc temporis ſanguis pituitoſus occupauit. Sudor ille iudicatorius videbatur, quia circa decimam, quæ his morbis qui mouentur per pares, eſt pro vndecima. Et ob hanc ipſam rationem, Hippo. non ſatis certus diei, reiecit in decimam, dicens, circa decimam fortaſſe, & quia ſudor calidus erat per totum, vt hac etiam cauſa magis iudicatorius eſſe videretur. Tamen cùm nullæ concoctionis notæ antecеſſiſſent, non poterat eſſe iudicatio perfecta. Fortaſſe non fuiſſet inutilis, niſi, dum hæc agerentur, adoleſcens per intemperantiam bibiſſet multum merum. Ex hac verò occaſione inſaniuit ſtatim, & mortuus eſt celeriter, vndecima enim die. Meritò ſanè intra diem & noctem ab occaſione. Eo enim tempore iudicantur, quæ à cauſis procatarctis fiunt graues noxæ. Et quidni fieret, ex vino multo mero, adoleſcenti viginti annorum, in ſummo febris ardentis cum phrenitide conſtituto?

Eumenis vxor, autumno vomuit bilem nigram, hoc ipſum autem odores manifeſtabant, & febres cum horrore, & cardialgiæ, bilioſa pauca vomuit & lumbricum. Deiectiones tenues erant per totum tempus ante occaſum pleiadum, deſinebant etiam circa ipſas, & fluxus ſanguinis aderant, & breuiores febres, & ſtatim reuertentes breuibus recidiuis. Ægri cibos non capiebant & excocti erant & anxij, oris ventriculi dolore & lumbricis infeſtabantur in iudicationibus, & rigoribus concutiebantur, & bile referti erant.

Incipiens ab iis, quæ vxori Eumenis acciderunt digreditur ad ea, quæ in commune ea tempeſtate accidebant multis. Non dicit qui fuerit morbus præcipuus vxoris Eumenis, conſentaneum autem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 180 sur 489

©BIUM

fuiſſe febrem acutam, & periculoſam, quales autumno ſolent fieri. Quicunque autem fuerit, ex his ſymptomatis quæ illi acciderunt, conſtat fuiſſe periculoſiſſimum; ſiquidem os ventriculi laborabat multum à materia bilioſa malignè putreſcente. Vomebat enim nigra, & admodum graueolentia, & habebat cardialgiam bilioſam, hoc eſt, dolorem oris ventriculi à bile. Vnde oriebantur febres cum horrore, quia, vt dictum eſt, ſæpè ſenſus eius partis facit, vt ea patiente crebrò rigeant, aut horreant ægroti. Hinc etiam fiebat, vt crebrò vomeret, irritato ſcilicet ore ventriculi: mirum verò quod tales ſuccos in ventriculo colligens, lumbricum vomeret. Nam acres & acidi necare ſolent animalcula huiuſmodi Sed hoc quidem neceſſe erat fieri, in inteſtinis gracilibus genitis ex ſemiputri chylo lumbricis, & aſcendentibus in ventriculum, vbi necarentur à malignis ſuccis, & eorum vi exincti reiicerentur. Non dicit quem habuerit exitum morbus: ego verò ſuſpicor, mortuam eſſe hanc mulierem. Quia vomitus nigros, & graueolentes, in pernicioſis ponit Hippo. in prognoſtico. Deinde diuertit ad ea, quæ in multis obſeruabat, hæc ſcilicet; deiectiones erant tenues per totum tempus ante occaſum pleiadum, hoc eſt, per totum autumnum: deſinebant etiam circa ipſas, hoc eſt, circa ipſarum occaſum, & ineunte hyeme ſanguinis eruptiones, & febres fiebant breuiores quam ſuperiori autumno, & ſtatim reuertentes breuibus recidiuis, hoc eſt, ex breuibus intermiſſionibus habentes breues, & multas recidiuas, & erant ægroti valde ἀποδιεῖς, & excocti, hoc eſt, vſti, & anxij, & θυριώδεις. & καρδιάλγεις in iudicationibus, & εἰγώδεις & χολώδεις, hoc eſt, bilem hac & illac effundentes, & colore, ac reliquis ſymptomatis bilem præ ſe ferentes. Vbi legi, anxii. Græcè dicitur ἀποδιεῖς quæ vox ſolet ſignificare faſtidioſos, eos præcipuè qui ex ſatietate faſtidiunt. Hic verò conſtat, id nomen non dici de faſtidioſis, nam dixerat ἀπόδιεσι hoc eſt, cibum non capientes: non adderet verò faſtidioſi, quia vox hæc ἀπόδιεσι multo magis abhorrentes à cibis ſignificat, quàm ἀποδιεῖς etiam cum hæc de faſtidioſis dicitur. Quare ineptè, cum dixiſſet ἀπόδιεσι adderet ἀποδιεῖς. Sed hic ἀποδιεῖς dicuntur anxij, velut & paulò poſt, in hoc ipſo libro. θηριώδεις Hippocrati enarrante Gal. libello de antiquatis vocibus, ſignificat nonnunquam lumbricos, aut morbum per quem beſtiolæ illæ reiiciuntur, non nunquam vlcus agreſte & malignum. interdum etiam ſignificat tabeſcentiam. Hic nulla ratio eſt, ob quã de vlceribus intelligatur id nomen, men duorum alterum ſignificare poteſt, ægrotos circa ſolutiones morborum acutorum tabeſcere, aut per morborum iudicationes reiicere lumbricos, & vtrumque quadrat naturæ temporis. Nam tabes familiares ſunt autumno, & Hippoc. (quem locum Gal. lib. de vocibus antiquatis citat) vocat φθινοπωρον θηριώδεις, à lumbricis, qui eo tempore multi gignuntur. Et in hanc de lumbricis ſuſpitionem feror potius, ob id quod de vxore Eumenis dixerat, βραχέα ἀνεμῶσα τὸ ᾠ ἑλμέγ θιε Itaque dicit, in iudicationibus illa tempeſtate lumbricos apparuiſſe. Quibus autem cauſis ſingula illorum fierent, conſtat ex ſæpè iam dictis. Illud ſolum nunc ſit ſatis dicere, omnia quidem fuiſſe morborum periculoſorum, & difficilis iudicationis, quales autumno, præcipuè ſolito inſalubriori, erant familiares.

Adoleſcenti peregrino ſanguis ex naribus multus fluxit tertia & quarta & quinta. Sexta reſtitit, compoſitè delirauit. Septima aluus ſtetit, comatoſa erat reuerſio tertia die, aluus deſtititreniti. Vrinam non vidi circa iudicationem, vt oportebat: circa pleiadum verò occaſum auſtri flabant & pluuiæ aderant, & tunc adoleſcens mucoſa, ſubbilioſa, cocta demittebat, & lentas multas deiectiones. Febris erat continua, lingua arida. Iudicatus eſt ſexta. Septima ſtatim arripuit, dimiſit eadem die cum tremore, fluxit ex aure ſiniſtra lentum & craſſum ſexta.

Ex redundantia ſanguinis pituitoſi magis quam bilioſi, ob auſtrinam conſtitutionem caput occupante, videtur morbus hic natus. Nam occupari caput, fluxio ſanguinis de naribus in principio apparens, & expurgatio ex aure, quæ morbum finiuit, apertiſſimè indicarunt, præter delirium & coma: non fuiſſe autem ſanguinem bilioſum, niſi modicè, probat modus delirandi, qui fuit moderatus, & compoſitus, velut ex ſanguine mitiori: abundantiam pituitæ indicant coma & deiectiones mucoſæ, lentæ, & multæ, & quod ex aure exiit, Lentum enim illud etiam fuit & craſſum, Fuiſſe tamen etiam nonnihil bilis (nam qui poſſet non eſſe in ardente febre) indicarunt deiectiones, quæ etiam fuerunt ſubbilioſæ, & arida lingua: tamen hæc minus, quia ex ſalſa etiam pituitæ qualitate fieri poterat. Vbi dicitur, & tunc adoleſcens mucoſa, ſubbilioſa, cocta deiiciebat, in quibuſdam codicibus deſideratur illud cocta, & ſententia nihil læditur. Nam reuera illa non erant cocta. Craſſa enim fiunt quæ coquuntur, non lenta. Quare ſuſpicor redundare eam voculam, aut ſignificare deſcendiſſe ſimul cum ſuccis craſſis, & lentis, fæces ſimiles iis, quæ ex aluo egeri ſolent. Illæ enim cum craſſitiem quandam, & colorem quendam ſunt conſequutæ, ſunt quodammodo coctæ. Enumeratio dierum in hoc morbo eſt difficilis, quia Hippocrates noluit id oratione ſatis explicare, & præpoſtero ordine videtur narrationem proſequi, vt vix intelligas quæ dicit, an de eiſdem diebus pluries differens, an de diuerſis, dicat. Ego verò curabo, vt apertè explicem, κωματώδης ὑπνρομὴ ſeu, ὑπνροφὴ (nam nihil differt) ſignificare ſolet Hippoc. vt Galenus dicit in libro antiquarum vocum, acceſſionem quæ cum comate reuertitur: velut ſolent quibuſdam, tertianæ, aut quotidianæ, redire ſemper cum ſopore. Quare vbi dicit, erat comatoſa reuertio tertia die ne intelligas aliquam recidiuã factam eſſe tertia die ab aliqua iudicatione: ſed eam figuram morbi exponere, ac ſi diceret, tertia quaque die fiebant acceſſiones cum ſopore. Nam ſi de aliqua recidiua loqueretur, non diceret, erat reuerſio comatoſa, ſed fuit. Itaque dicit hanc febrem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 181 sur 489

©BIUM

fuisse continuam cum lingua arida, & habuisse accessiones comatosas tertianas, & vsque ad sextam diem, qua restetit. fluxisse sanguinem à tertia. Aluũ etiam dicit stetisse septima: antea enim fluxerat, qualibus postea dicet. His dictis de morbi figura, addit quæ ad iudicationem pertinuerunt, dicens primum quæ circa iudicationem, & ante ipsam euenerunt, deinde qua die facta sit iudicatio, deinde quæ subsequuta sunt. Aluus, inquit, destitit reniti, & vrinam non vidi circa iudicationem, vt oportebat. Hoc est cùm aluus antea niteretur semper excernere, & flueret, circa ipsam iudicationem destitit (nam vt mox dicetur, iudicatio facta est die sexta, & septima aluus iam stetit) & vrinam, inquit, non vidi, qualem oportebat quo bona esset iudicatio, concoctam scilicet. Quid ergo apparuit ante iudicationem? Cùm, inquit, tunc circa pleiadum occasum Austri flarent & pluuiæ adessent, quæ scilicet alui fluxiones nata erant facere, adolescens mucosa, subbilliosa cocta demittebat, lentas & multas deiectiones quæ scilicet redundantiæ erant magis, quã quòd materia superata reiceretur. Proinde tametsi febris esset continua & acuta (hoc significabat lingua) quales sunt quæ iudicari consueuerunt, tamen iudicatio quæ sexta die est facta tam fuit infida, vt mox die septima febris reuerteretur. Neque mirum: nam illa iudicatio habuit omnia contrà ac oportuit. Nam concoctiones non apparuerunt, & euacuationes, quas tunc oportebat incipere, tunc cessauerunt. Itaque iudicatus est sexta infide. Quia septima statim arripuit eum febris, quæ tamen rursus eadem die dimisit illum cum tremore. Non arbitror cum tremore propriè, vt Galenus vti eo nomine vult, vt scilicet est motus talis à sola debilitate facultatis animalis, non enim tam repentè fit facultas ex forti ita languida, & rursum ex ita languida fortis. Quare non tam repentè incidisset, aut diutius duraret tremor. Sed qui ita incidit est τρόμος ῥιγώδης hoc est, partim tremor, partim rigor. Quem Galen. dicit Hipp. vocari non τρόμον sed τέτρομον Mihi etiam nomine τρόμος videtur Hippoc. vti pro tremore rigoris participe. Sunt verò tales multi tremores. Ita enim tremunt, qui timent, & labia eorum quibus instat vomitus, & crura earum, quibus partus. Huic adolescenti magna causa rigendi fuit, cum, vt euentus indicauit, pus aliquod circa auris partes gigneretur. Languidiori ergo facta facultate à febre prægressa, contigit cum dimitteret, fieri tremotem cum rigore: non expurgata verò mali causa: sed procedente eius suppuratione, sexta die à recidiua (non enim est à principio sexta, quam antecessit septima) fluxit ex sinistra aure lentum & crassum, pituitosum scilicet, non bene suppuratum, quandoquidem lentum. Itaque hic etiam ægrotus fuit vnus eorum qui sextis diebus recipiebant insignes mutationes, & totus morbus videtur attigisse, aut decimam tertiam, aut solùm duodecimam, vt longior, aut breuior fuerit ea intermissio febris, quam sexta attulit. Tametsi enim dicit statim septima febrem rediisse, non dicit qua hora, potest verò esse in vigintiquatuor horis septimæ, & si quas alias sextæ etiam dimisit tanta intermissio. Sed hoc non multum refert. Quod tota dictio continet, ego, aliter compositis verbis dicam apertius. Adolescens peregrinus habuit febrem continuam, & linguam aridam, & comatosas reuersiones tertiis diebus. Tertia die sanguis ex naribus multus fluxit, & quarta, & quinta, & cùm esset tunc circa pleiadum occasum Austri flabant & pluuiæ aderant, adolescens mucosa, subbilliosa cocta demittebat, non vtcumque sed lentas, & multas deiectiones. Sexta restitit sanguis, & ille delirauit compositè, & iudicatus est, aluus niti cessauit, & non vidi vrinam circa iudicationem, vt oportebat. Septima steterit aluus, & statim febris arripuit, & dimisit eadem die cum tremore, fluxit ex aure sinistra lentum & crassum sexta.

Puero Phagedæna laboranti, dentes inferiores & ex superioribus & inferioribus anteriores emergebant, & cauitatem habebant Quibus os ex palato abscedit, iis medius nasus subsidet: quibus verò dentes anteriores supernæ partis excidunt, ij extremum nasum habent latum. Qui quintus ab anterioribus numeratur, quatuor habet radices vnicuique vicinorum dentium veluti connexas, omnes quidem ad internam partem reflexas. Iuxta tertium dentem plures accidunt suppurationes, quàm iuxta alios omnes, & quæ ex naribus fluxiones & ex temporibus dolores ex hoc maximè contingunt. Exeditur hic maximè quintus, ex medio quidem excrescentiam habebat: duas autem ab anteriori parte. Paruus primus interiùs iuxta duos exedebatur. Radicem vnam crassam, acutam habebat septimus.

Hæc oratio partim pertinet ad disputationem de abscessibus, partim ad causas similitatis, partim ad anatomem: tota tamen ad dentes. Accipere solent dentes, magnam, & numeri, & magnitudinis, & figuræ, differentiam in variis hominibus, maiorem multò, quam aliæ quæcunque partes. Sæpè enim qui huic minores, illi sunt maiores: & qui huic plures, illi pauciores radices habent, est tamen quædam formatio communis plurimis: quædam eorum, quæ Hippoc. hic dicit, notat vt pertinentia ad communem formationem, quædam vt rara. Quæ tamen hęc sint, non aliter intelligere possis, quàm sciens, quæ accidant plerisque. Dentes esse solent triginta duo, in vtraque maxilla sexdecim. Quatuor anteriores siti in anteriori, & media mandibulæ parte, ampli, & acuti, quibus ad incidendum vtimur, vocanturque ob id incisorij: duo vocati canini, ob figuræ similitudinem, vtrinque vnus, quibus vtimur ad frangendum: decem molares, quibus vtimur ad comminuendum, vtrinque quinque. Incisorij, & canini habent radices singulas: canini longiores multò, & crassiores. ac magis rotundas, vt cum omnes infixi sint vt claui, hi videantur esse claui grandiores. Molares habent radices plures, duas enim aut tres, aut quatuor. Nam neque in omnibus hominibus, neque omnes molares, neque in ambabus maxillis, totidẽ. Superiores enim plures, quàm inferiores, & qui ad postremam maxillæ partem spectant, plures quàm anteriores radices habent: vt plurimùm, in superiori maxilla tres postremi molares habent quaternas,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 182 sur 489

©BIUM

& duo anteriores binas. Poſtremi etiam habent radices tortuoſas magis, firmitudinis gratia, quam anteriores, & ſuperiores quàm inferiores. Omnes recipiunt per radicem venam & arteriam, ex ijs quæ in totum caput ex iugularibus diſtribuuntur, & neruum ex tertio pari eorum qui deſcendunt ex cerebro. Omnes ſolent excipere abſceſſus præcipuè ex capite. Nam & ſecundo libro ſectione prima, inter partes abſceſſibus opportunas dentes numerauit. Nunc ergo dicit, puero laboranti phagedæna (ſecundum os ſcilicet, quæ pars exedentibus vlceribus crebrò ſolet corripi) dentes maxillæ inferioris (omnes ſcilicet) & vtriuſque maxillæ anteriores (qui dicuntur inciſorij) emergebant, ideſt, excidebant, nempè ſuis alueolis, & cauitatem habebant, hoc eſt, caui alueoli pro dentibus relinquebantur. Sed cur cùm dixiſſet dentes inferioris maxillæ omnes emergebant, addit ex ſuperioribus & inferioribus anteriores? Fruſtra enim videtur repeti, ex inferioribus? An vt ſignificetur facilius corrumpi infernos ſupernis, & in vtriſque anteriores poſterioribus? Hinc arripit occaſionem digrediendi ad ſimitatis cauſas (quod phyſiologicum nunc pathologicum eſt) ac dicit, quibus os ex palato abſcedit, iis medius naſus ſubſidet. Os hoc eſſe videtur, quod Veſalius vocat ſextum maxillæ ſuperioris, quia collocatur ad finem palati, qua narium foramina in oris amplitudinem pertinent. Hic cum firmentur, vt quodam cemento nares, ſi ob corruptionem id os dehiſcit ab aliis, & ſubſidet, media etiam naſi pars ſubſidet, vt fieri ſolet morbo Gallico, aut Elephante correptis. Quoniam autem duodecim oſſiculis, propriis ſinibus circumſcriptis, conſtat maxilla ſuperior (niſi etiam pluribus) fit ſæpe, vt illorum aliquod putredo deuaſtet, quæ ne alia quidem attingit. Quibus verò, inquit, dentes anteriores ſupernæ partis excidunt, hi cenſentur habere extremum naſum latum, quia maxillæ lamina exterior, eleuari ab infixis dentibus deſinens ſubſidet, ac cum illa naſi extremum. His dictis tranſit ad dentium hiſtoriam, & vocat quintum ab anterioribus tertium molarem. Anteriores enim hic dicit duos anteriores, & omnium medios, quorum vterque eſt primus ſui lateris. Oportet enim intelligere mandibulam per medium in duas partes ſecari, vt reuera gemina eſt. Inter dictos enim duos dentes habet oſſium agglutinationem. Ergo poſt hunc primum in quouis latere ſupereſt inciſorius vnus, & caninus alter, quare tertius molaris eſt poſt primum quintus dens. Ille, atque ab illo etiam reliqui molares, quartus & quintus præcipuè in ſuperiori maxilla, habent quatuor radices, binas ad vtrumque vicinum dentem, omnes reflexas ad internam partem. Hinc redit ad abſceſſus ac docet quiddam, quod apud Hippocratem magna cum voluptate reperi, vt pote ſæpè à me notatum. Iuxta tertium dentem ſuppurationes plures fieri quàm iuxta alios omnes, ac proinde ſæpius exedi, & huic condolere magis tempora, & fluxiones craſſas naſum ob hunc magis pati. Cauſa qua tempora conſent dentibus, eſt in ea portione nerui terriæ coniugationis, quæ erumpit è caluaria, quà coarticulantur mandibulæ: Ea enim diſtribuitur in tempora & radices dentium, vnde compaſſio temporum, & dentium. Quod verò maior compaſſio cum tertio, hoc eſt, cum canino ſit, cauſa eſt maior craſſities, & longitudo radicis, excipit enim ob id plus nerui venæ & arteriæ, quam alii, & naribus propriùs accedit, & rectius ſitus eſt. Quæ mox ſequuntur pertinent ad diſſectionem. Quintus, inquit, ex medio quidem excreſcentiam habebat, duas autem ab anteriori parte. Quintus hic dicitur ſecundus molaris. Duo enim inciſorii ſunt, & vnus caninus, poſt quos ſecundus molaris eſt quintus dens. Hic vt & primus rarò habet quatuor radices, ſed tres, quum plurimas, duas ab anteriori acie, & aliam velut ex medio dente erumpentem. Addit paruus interiùs iuxta duos exedebatur. Hoc rurſum pertinet ad abſceſſus, paruus primus verò dicitur ſecundus inciſorius, quia inciſorii ſunt primi dentes, duo verò medii ſunt maiores multo aliis, proinde alii dicuntur primi parui. Alter ergo horum interiùs exedebatur iuxta duos proximos, hoc eſt, pertingente exeſione duos dentes proximos. Addit deinde aliud, quod vt rarum notauit. Septimum ſcilicet in quodam homine habuiſſe radicem vnam craſſam. Septimus enim eſt quartus molaris, qui habere ſolet quatuor, aut minimum tres radices. Verum, vt diximus, dentium formatio magnam recipit varietatem.

A Thenadæ puero maſculo doluit à ſiniſtra parte infernus dens, ſupernus à dextra. Huic auris dextra ſuppurata eſt, cum non amplius doleret.

Quandoquidem non dicit, qui dens, ſuſpicor fuiſſe tertium, quem omnium maximè ſolere tententari dolore nuper dixerat. Fuerit verò ille aut quiuis alius, meritò malum ad pus per aurem venit, vt ſolet ſcilicet, quia communio magna eſt dentibus cum aure, cùm quintæ coniugationis neruorum cerebri pars abeat ad aurem, pars coaleſcat prope maxillarum articulationem cum parte tertiæ, quæ emittit ſurculos in dentes. Meritò etiam ceſſauit, cùm primùm pus apparuit, dentis dolor: quia quæ in hanc partem mittebat cerebrum, in aliam mittere cœpit. Atqui hoc eſt per abſceſsũ liberari. Nam vt de his mutationibus dixit Hippocrates, impoſſibile eſt omnia ſimul dolere.

Poſt vergilias clemens cœlum, nubiloſum & caliginoſum. Iudicationes quinta & ſexta, & ſeptima die contingebant, quædam etiam longiùs extendebantur. Recidiuam facientes febres aderant, & ad erraticarum naturam accedentes, ægri cibos faſtidiebant, bile referti erant, & dyſentiriæ cum cibi faſtidio, & febre vagabantur.

Μετὰ δὲ πλειάδα dicit, quod paulò poſt dicet poſt pleiadum occaſum, tunc enim flauerunt Auſtri, qui placidum reddunt cœlum, & nubiloſum & caliginoſum, vt ex ſuperioribus conſtat. Tunc, inquit, contingebant iudicationes πεμπταῖαι καὶ ἕκταῖαι καὶ ἑβδομαῖαι quædam etiam longiùs extendebantur: recidiuam facientes febres aderant, & ad erraticarum naturam accedentes, hoc eſt, iudi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 183 sur 489

cationes accidebant quintis, ſextis, & ſeptimis diebus, aut ad plures dies producebantur. Reuertebantur verò & certis diebus, & erratico modo. Ad hanc eandem ſententiam pertinent, & eius exempla ſunt, quæ paulò poſt dicit. Poſt pleiadum occaſum auſtri flabant. Quæ quintâ die iudicabantur, intermiſſa vna repetebant. Et illa etiam. Sutor quidam ſeptima iudicatus eſt, cum vnam diem intermiſiſſet, altera verò rediiſſet, rurſus quartâ iudicatus eſt. Alius ex iis qui à Leocyde venerant ſeptima iudicatus eſt. Alius quartâ. Moſchus nonâ. Largus ſtillauit ſanguis è ſiniſtra nare, paucus ex dextra: ad decimamquartam in iudicationem morbi tendebant; errantibus circa edulla vſque ad decimamſeptimam producebantur. Nimirum hi partim iudicabantur quintâ, ſextâ, ſeptimâ, partim tardiùs recidebant, partim vna die interpoſita, partim incertis interuallis. Quia hæc omnia pertinent ad difficiles iudicationes, quales morbis autumnalibus, aut in autumno contractis familiares ſunt. Erant etiam cum cibi faſtidio, & bilioſæ febres. Quia arbitror, non acciderunt initio hyemis frigora tempeſtiua quæ extinguerent bilem, & ob eandem cauſam vagabantur dyſenteriæ cum cibi faſtidio & febre. Optimum eſt in dyſenteriis non faſtidire cibos, quia venter ſuperior benè ſeſe habet.

CIrca Pleiadum occaſum auſtri vehementer flauerunt, hæmorrhagiæ vagabantur & febres tertianarum figuram referentes, & ad epialarum naturam accedentes.

Cum, vt dictum eſt, hoc initium hyemis non poſſet bilem extinguere, vagabantur hæmorrhagiæ (bilioſus enim ſanguis maximè fluit, & auſter non cohibet, ſed potius fundit) & per putredinem bilis intra venas, quam auſtrina conſtitutio omnibus ſuccis, quin & rebus omnibus nata eſt afferre, tertianæ continuæ quas Hippocrates vocat τριταιοφύεις. Cùm verò non poſſet non ea anni pars aliquid pituitæ adiicere, ſuccorum calidi & frigidi mixtione, contrahebant febres naturam epialarum, per quas ſimul ardere & algere videntur corpora.

QVi in ſutrina decumbebat, ſanguinem fudit valde bilioſum, pauca deiiciebat, iudicatus eſt ſeptima cum rigore.

Quia ſanguinem fudit valde bilioſum ex naribus, pauca deiecit: Conſcendente enim multa humiditate & ea bilioſa in caput, ſiccata ſunt ſtercora in ventre, & ceſſauit fortaſſe quotidiana irritatio inteſtinorum, quam affert bilis. Siccauit etiam fæces ipſa febris, quæ fuit ardens: cui familiaris iudicatio eſt rigor, ſiquidem à febre ardente rigor e ſuperueniente ſolutio. Cùm ergo hic non acciderit ſexta, qua ſolet eſſe malus, ſed dierum optima, potuit iudicare, etſi morbus proceſſerit per difficilia. Fluxus enim ille ſanguinis ante iudicandi tempus, malum erat ſignum, vt cauſa verò videtur fuiſſe bonus, quia non vt ſtillæ, ſed copioſus.

PVer qui iuxta extremam cauponam decumbebat, ſanguinem ex naribus profudit die quartâ, ſtatim nugabantur multùm, aluus reſtitabat, hypocondrium durum dolebat. Suppoſita glande die ſextâ deiecta ſunt mala, virulenta. Septimâ manè corporis iactatio accidit, multus clamor, venarum pulſationes iuxta vmbilicum.

Non dicit quem habuerit exitum hic morbus, ſuſpicor tamen puerum mortuum fuiſſe non multo poſt, aut ſi forte fortuna euaſerit, factus eſt ſuppuratus. Quia ſanguis de naribus fluens malus eſt, vt dicitur initio primi prædictionum, præcipuè ſi quarta die appareat (cauſa dicta iam à me antea eſt, indicat verò phrenitidem quæ mox euenit, mox enim multum nugabatur, quod eſt blandius delirare. Aluus renitebatur huic, vt proximo ægroto, grauius verò, quia hypocondrium durum doluit. Hoc enim eſt inflammationis ſignum, quam etiam fuiſſe ex valdè calido ac bilioſo ſanguine, exeuntia diei ſextæ declararunt, cum eſſent virulenta. Sed inflammatione in ſummum aucta die ſeptima, factæ ſunt venarum pulſationes in hypocondrio, de quibus in prognoſtico dicit Hippoc. furorem ſignificare (id verò eſt ob magnitudinem inflammationis] cuius ſententiæ accommodatiſſimum exemplum hic puer præſtat, cui ſimul cum pulſu circa vmbilicum iactatio & clamores contigerunt. In tanta ergo ventris inflammatione, quid poſſes aliud expectare, quam mortem, aut ſaltem ſuppurationem? Non enim inflammatio infra vmbilicum conſiſtebat, ſed ab hypocondriis ad vmbilicum extendebatur.

IN acutiſſimis febribus pulſus creberrimi ac maximi.

Contendunt quidam Hippocratem nullibi de pulſibus agere. En verò locus, vbi febrium pulſus deſcribit. Pulſus, inquit, in febribus acutiſſimis creberrimi ac maximi Quia febris, hoc eſt, aucti præter naturam caloris in corde pulſus ſunt magni, celeres, & crebri. Maximarum ergo febrium pulſus ſunt maximi, celerrimi, ac creberrimi. Si verò ſunt maximi, ac creberrimi, neceſſe eſt ſint etiam celerrimi. Si enim ab aucto calore incipit magnitudo prius accedet celeritas quàm crebritas: ſi verò à debilitate, aut incommoditate arteriæ incipit crebitas, prius accedet celeritas quàm magnitudo. Non poſſunt ergo eſſe creberrimi, & maximi, quin ſint celerrimi. Tales verò ſunt magnarum febrium, vt febrium omnino, maiores, celeriores, & crebriores.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 184 sur 489

©BIUM

A

QVale est ad vesperam exacerbari, tale in omni morbo.

Hoc est, omnis morbus exacerbatur ad vesperam. Constat verò intelligi morbum pendentem ex materia, atque nisi figura propria morbi impediat. Si cui enim summo mane est accessionis initium, & ad vesperam inclinatio, leuabitur ad vesperam. Cùm verò accessio id non facit, ipsa diei hora ex sese, facit vt morbus exacerbetur, & ægroti, quin & valetudinarij omnes, sibi ipsis magis displiceant: quia vt lumine, calore, & motu, & vigilia, euocantur ab internis excrementa, ita tenebris frigore, & quiete, & somno, recurrunt ad viscera, grauantque partes. Proinde cum accessionis inclinatio non incidit in eam horam, ad vesperam ingrauescunt morbi. Quod non est imputandum morbi naturæ, sed horæ. Quin & qnibus inclinat ea hora febris, inclinat minus ac deterius soluitur, quàm quibus mane. Et hac ratione fit vt febres diurnæ, quarum inclinatio incidit in noctem, minus veniant ad infebricitationem quam nocturnæ, quarum in summum mane declinatio incidit. Ac proinde diurnæ nocturnis deteriores sunt, vt lib. 1. sect. 3. dictum est.

B

C

D

AD principia verò dignoscenda & paroxysmi considerandi sunt, & quod præcedit, & continuitas, & anni tempus.

Hæc est prima pars Aphorismi duodecimi sectionis primæ. Docet enim nos eo aphorismo Hippo. agnoscere accessiones, & constitutiones ex duplicibus signis, alijs quibus vti possumus ab ipso morbi initio, hæc sunt morbi, & anni tempora, & circuituum inuicem incrementa: alijs quibus non possumus vti, nisi cum bona iam morbi pars processerit: hæc sunt quæ superuenientia vocantur, vt quæ concoctionem aut contrarium iudicant. Prima pars aphorismi continet prima signa, quæ & hæc oratio continet; secunda, quæ inde incipit, sed & ex mox apparentibus, continet secunda. Quod illic dici αἱ νοῦσοι, hic dicit τὸ συνεχέον id est, an morbus sit continuus, an intermittens. Quod illic dixit αἱ τῶν περιοδῶν πρὸς ἀλλήλας ἐπιδόσιες dicit hic παροξυσμοὶ καὶ τὸ πρόϊτερον hoc est, an paroxysmi priùs an posterius fiant. Anni temporis meminit vtrobique.

E

POst pleiadum occasum Austri flabant, quæ quintâ die iudicabantur, vnâ intermissâ repetebant.

Diximus hoc esse, quod nuper dixerat, iudicationes quintanæ, & febres recidiuantes.

QVædam verò pustulæ folliculos referentes erumpebant, quales Acanthio Lapyto contigerunt. Circa pleiadum occasum fædæ scabies & asperitates pruriginosæ nullas lachrymas emittentes grassabantur, præcipuè quidem hac tempestate, quinetiam impetigines turgentes aderant: tales erant vxori Pythodori & Capelio cum febre, quæ cùm vxori Phythodori fere incipiret, simul coxarum impotentia laborabat.

φολλικώδεα dicit Galen. libello antiquarum vocum Hippocrati esse φυλλώδεα, hoc est, referentia folliculos: tales sunt pustulæ quædam ampullis intersitæ, quæ serosam esse materiam pustullarum declarant. Hæc antecesserunt, æstate fortasse & autumno sequuta sunt iam circa pleiadum occasum, alia scabiei maligniora genera, consumpto iam sero, & siccatis pituita & bile, factisque pituita salsa, & bile atra. Fuit verò meritò atræ bilis multus prouentus. Atrabiliarium enim est id tempus magis quàm pituitosum, ac proinde ὑποψωρώδεα (quæ verto fœdas scabies) & asperitates pruriginosæ nullas lachrymas emittentes grassabantur. Verùm quibusdam etiam aderant impetigines turgentes. Vocat τὰ λειχηνώδεα ἐξαιρόμενα, impetigines quasdam, per quas magnæ quædam ac crassæ, velut crustæ eleuantur. Sunt enim aliæ, per quas nulli ferè tumores sunt, sed quædam vlceratæ maculæ serpentes. Tales, inquit, erant vxori Pythodori ξυὺ πυρετῷ ἅμα ἀρχομένῳ, ἰχία ἀκρατέα hoc est, coxæ factæ sunt impotentes, atque ea mipotentia incepit, simul cum febre. Fit impotentia articuli alicuius, laxatis ligamétis ossium ob mucores quos imbibunt. Meritò verò notauit simul cum febre incepisse, quia in huiusmodi neruorum & ligamentorum passionibus, multum refert an febris antecedat, subsequatur, aut comitetur, neque omittendum vnquam est id considerare.

F

POst pleiadum occasus ægri horrorem & sanguinis fluxum è naribus patiebantur

Quod antea dixerat circa pleiadum occasum, fluxiones sanguinis, & febres epialas referentes, dicit nunc his verbis. Nimirum epialæ sunt, vt perpetui quidam horrores febribus admixti.

G

SVtor quidam septima iudicatus est, cùm vnam diem intermisisset, alterâ verò redijsset, rursus quartâ iudicatus est. Alius ex ijs qui à Leocyde venerant, iudicatus est septimâ, alius quarta, Moschus nona.

Exempla sunt hæc iudicationum in varios dies incidentium, & recidiuarum per varia interualla repetentium, vt nuper diximus.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 185 sur 489

©BIUM

Largus ſtillauit ſanguis è ſiniſtra nare, paucus ex dextra.

Plerunque ab ineunte vere, & vſque ad medium æſtatis fluit ſanguis ex dextra nare magis, ob ſanguinem & bilem ac hepatis affectiones: à media æſtate & vſque ad extremum autumnum, ex ſiniſtra, ob bilem nigram & tumores lienum. Meritò ergo ad pleiadum occaſum hoc fiebat.

AD decimam quartam in iudicationem morbi tendebant, ſi vt oportet incipientes exacerbarentur.

Quandoquidem morbi erant acuti, meritò eorum finis intra decimamquartam expectabantur, quia acuti his finiuntur plerunque. Quoniam ergo morbi indicant conſtitutiones, quia erant acuti, indicabatur iudicatio intra hos dies: non tamen morbi ſolum, ſed & circuituum inuicem incrementa. Multi enim morbi non videntur moueri tam acutè, quam exigit eorum natura & ſpecies, ſed videntur à ſua acutie de generare, ac tunc quidem producuntur magis quàm ſolent. Si verò à principio exacerbantur, vt oportet, id eſt, vt exigit ſua natura, finiuntur intra legitimum tempus.

ERrantibus circa edulia vſque ad decimam ſeptimam producebantur.

Cibus copioſior quàm res exigat facultatem grauat, & morbum auget, ac proinde nihil eſt quòd crebrius iudicationes, alioqui ſuo tempore futuras, impediat, & morbos producat. Velut nunc qui decimâ quartâ vt alij erant iudicandi, non iudicabantur ante decimam ſeptimam, quòd erraſſent in cibis, accipientes plures. Si enim pauciores accepiſſent, facultas periiſſet ante morbi concoctionem potius quàm iudicationem diſtuliſſet.

IVxta aurem dextram exiguum tuberculum, introrſum durum, extrorſum parùm molle, dolens, nihil remittens, ſuperuenit decima nona noctu.

Quum febris aliqua ſupra legitimam conſtitutionem prorogatur, ſaluo affecto homine, vt dicitur in prognoſtico, abſceſſum expectare oportet, vt huic ſupra decimamquartam, quæ maximè erat eo tempore decretoria, atque adeò ſupra decimamſeptimam, quæ erat etiam quibuſdam, prorogata febre, decima nona ad noctem factus eſt poſt aurem tumor. Fuit verò is, vt conſtat, phlegmon œdematodes. Phlegmon quidem, quia introrſum durus & dolens: œdematodes, quia extrorſum mollis. Nunquam autem omittit Hipp. dicere, ad quam partem pertinent abſceſſus aut euacuationes, quia cùm membrorum natura ſemper moueat ſecundum rectitudinem, inde agnoſcimus, quæ pars princeps laboret excrementorum multitudine. Quare attente notat ad dextram aurem erupiſſe.

VAlde bilioſis, ſuppuratis maximè, ſepiæ atramento ſimilis purgatio contigit.

Suppurationes valde bilioſæ peſſimæ ſunt, nunquam enim ex bile pus bonum, ſed ſanies aliqua chlora, viridis, aut nigra atramento ſimilis. Ac proinde maiori cum periculo ſuppurantur valde bilioſi, quam ſanguinei aut pituitoſi. Quam ob cauſam ſcriptum in prognoſtico eſt. Ex ſuppurationibus quæcunque dum ſputum adhuc bilioſum eſt ſuppurantur, pernitioſæ valde ſunt.

QVi cucurbitulam affixit, cum in coxa dolorem haberet, huic in crus deorſum venit, & melius habuit.

Vulgares huius temporis medici, reformidantes cucurbitarum vſum, neque affigentes niſi iam moribundis, & qui reuocari nequaquam poſſunt, fecerunt id remedium infame, cum tamen Hippocrates frequenter illis vteretur, ac fortaſſe non rarius quàm venæ ſectione: nam & in doloribus pleriſque, & in aliis quos ſolùm vacuare ſtudium eſt, vt qui ex alto ceciderunt. Sed quid eſt, quod tantoperè reformidant? Ne dicunt in partem cui affigitur trahatur vndique. At verò Hippoc. dicit affixa cucurbitula coxæ ad crus deorſum veniſſe, & habuiſſe melius. Tam longè abeſt, vt ſemper trahat ad partem laborantem, cui ſuperponitur. Quid ergo? Nunquid cucurbitula inde detruſit materiam? Non certè. Nam quomodo poſſet. Sed ex alto in cutem trahens ac digerens fecit vt ex expeditiori iam articulo natura deturbaret. An parum eſt cucurbitam ex loco affecto, qui in alto poſitus ſit, in cutem trahere, niſi etiam in illum vndique conuocet? An non poteſt locus qui præter naturam erat diſtentus vacuari, quin tantundem aliunde recipiat? An non poſſunt partes ſubſidere? Falluntur certè quàm maximè: nullum enim in omni magno dolore remedium magis præſentaneum, & vt à parte affecta in aliam ignobiliorem materia abſcedat ſæpè cauſa eſt, vt huic euenit. Ex his omnibus continuam Moſchi hiſtoriam contexunt plerique interpretes, contra Valeſii noſtri mentem, voluntque Moſcho nonâ die largum ſtillaſſe ſanguinem è ſiniſtrâ nare, paucum ex dextrâ, atque ideò morbum decimaquartâ iudicari potuiſſe, verùm cùm decimâ ſeptimâ quendam in victu errorem commiſiſſet, in decimam nonam morbum fuiſſe prorogatum, tandemque abſceſſu iudicatum.

Qui

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 186 sur 489

Qui à Ceramici equo cecidit, & non affixit ſtatim cucurbitulam, vſtus eſt intrò, & vigeſima recruduit malum. Sanguinis fluxiones fæculentæ & exedentes acciderunt.

Vt nunc ex equo, aut ex edito aliquo loco cadenti venam ſecamus, ne conturbatus ſanguis in partem contuſam, aut in aliam aliquam internam (quod eſſet multo grauius) incidens, affectum aliquem grauem pariat, ita Hipp. tempore mittebatur ſanguis ſcarificatione cum cucurbitis ſparſim corpori affixis. Hoc cum omiſiſſet facere hic, ἐκάυθη ἔσω, id eſt, in febrem incidit, exvſto intus qui fundendus fuerat ſanguine, & malum vigeſima à caſu recruduit, ideſt, exacerbatum eſt, & acciderunt fluxiones ſanguinis fœculentæ, & exedentes. Non narrat, per quam partem, neque quid factum de homine ſit. Ego quendam vidi, qui miſſionem ſanguinis à caſu contempſit, & aliquot deinde dies, nihil mali putauit ſe habere, poſt aliquot verò alios magna febre correptus, fæculentum ſanguinem vomens mortuus eſt. Hic fortaſſe per ſedem deiiciens, vt per conuenientiorem regionem fuit liberatus. Ex caſu verò multarum ſanguinis fluxionum pericula impendent. Quidam enim vomunt, alij deiiciunt, alij meiunt, alii excreant ex thorace, aliis etiam ex auribus erumpit.

Tenedia mulier quartâ die abortu deiecit, vt dicebat, maſculum triginta dierum. Aluus humida tenuia egeſſit, lingua exuſta eſt. Iudicatio quartâ die contigit.

Hæc ex febre acutiſſima quarta à febris initio abortum fecit, & quarta ab abortu, quæ ſeptima febris fuit, iuxta legitimam acutiſſimarum conſtitutionum iudicata eſt. Certè vtero gerentes non niſi lethaliter corripiuntur morbo acuto, inter cætera, quia paratiſſimum eſt abortus periculum, & ex morbo ipſo, & ex curatione, & victu. Abortus verò etiam ſolus eſt partu periculoſior, nedum cum morbo acuto. Verùm fœtus recens; quanto facilius, tanto cum minori periculo abortitur. Difficilius enim mediis menſibus ob firmitudinem acetabulorum: poſtremis ob magnitudinem ipſius fœtus. Hæc ergo obortiuit facilè, & citra diſpendium ſalutis, ſeptima iudicata eſt, quia fœtus vnius ſolùm menſis erat. Abortit verò meritò marem trigeſima die conceptionis, & quarta febris. Quia vt diximus lib. 2. & in commen. lib. de alim. trigeſimus dies eſt primus finis, quo fœtus accipere poſſunt primam mutationem, quam figurationem vocamus: hanc verò accipiunt mares citiùs quàm fœminæ. Proinde trigeſimus conceptionis maribus mutationem inſignem afferet; eritque in maſculorum conceptionibus contemplabilis: iam verò quartus, in morbis ſeptimo iudicandis multò magis, quia index ſeptimi. Incidentibus ergo in eandem diem trigeſimâ conceptionis maris, & quartâ febris, abortus eſt factus. Malè verò agebatur cum muliere, quia humida tenuia aluus deiiciebat, verum quia erat conſtitutione acutiſſima febris (quod vſta lingua indicabat) iudicata eſt ſeptima.

Poſt pleiadum occaſum ſplenici affectus graſſabantur, qui ex fluxu ad quintam vſque diem iudicabantur.

Ad occaſum pleiadum meritò intumeſcunt lienes multis ob autumnum, optimè verò liberantur, quum dyſenteria ex fæculentis ac melancholicis ſuperuenit, niſi, vt in alio aphoriſmo dicitur, dyſenteria plurimùm duret, tunc enim hydrope, aut læuitate inteſtinorum ſuccedente moriuntur. Optimè ergo hac tempeſtate actum eſt cum ſplenicis, quibus ſplenica excrementa vſque ad quintam ſolùm diem fluebant, & mox ceſſabant. Meritò iudicabantur i. liberabantur ab ſplenis affectione.

Quidam ſeptima die vrinam orobi loturæ ſimilem reddidit, ſibi ipſi ſimilem, deinde puram. Recidiua accidit. Intermiſit etiam Megaris filio, præterquàm quod ſanguis non fluxit. Vrina qualis Antigenis, alba, craſſa, ſimilis.

Hypoſtaſim Orobinam vocare ſolet Hippocr. quaſdam velut caruncula, ſeu ſanguinis grumulos, nunc verò fuſuram ipſam confert orobi loturæ, quæ referret colore orobum; quæ ſanè vrina redundantiam ſanguinis crudioris ſignificabat. Vrinam ſimilem ipſam ſibi ipſi, aut omninò ſimilem vocat nunc, quam aliis locis æqualem. Nimirum, vt æqualis per totum tempus hypoſtaſis dicitur, quæ talis perſeuerat: ita hic ipſa vrina dicitur ſui ſimilis, aut ſimpliciter ſimilis, quæ non recipit mutationes multas, ſed ſui ſimilis manet. Pura dicitur hic, quæ aliis locis alba perſpicua. Hæc verò eſt decolor, & aquoſa. Non enim aliter ex orobi loturæ ſimili fieri poteſt pura, quàm depoſito colore: hunc enim præcipuè habebat illa ex impuritate. Itaque cuidam fuit ſeptima die vrina ſimilis erui loturæ, & non quidem ea die ſolùm, aut primùm, ſed fuit ſimilis ipſa ſibi ipſi, quia talis etiam fuerat prioribus diebus. Cur ergo dicit ſeptima die fuiſſe, ſi antea etiam fuerat? Certè quia ſeptima intermiſit febris; refert autem multum ſcire cum quali vrina intermittat. Intermiſiſſe vero per inſinuationem dicit, quia addit, deinde pura facta eſt vrina; & fuit recidiua. Quomodo poſſet autem recidiua fieri, niſi intermiſiſſet? Intermiſit ergo ſeptima, & quia ſine ſignis concoctionis, ſucceſſit recidiua. Non autem ſolum intermiſiſſe, ſed qua iudicationis ſpecie dicit per inſinuationem, addit enim intermiſit etiam Megaris filio, ſcilicet vt illi, etſi non fluxit ſanguis, vt illi, & vt ea tempeſtate fluebat plurimis (nam hoc quoque dixerat antea,) Vrina erat huic, velut An-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 187 sur 489

tigenis, alba craſſa, ſimilis, id eſt, talis manens multis diebus. Conſtat huic quoque factam eſſe recidiuam, vt priori, etſi id non dicat aperte: quia niſi rediiſſet, dixiſſet potiùs iudicatam fuiſſe, quàm intermiſiſſe febrem, dicit verò intermiſit etiam filio Megaris, vt priori ſcilicet cui rediit. Sed & per ſeſe eſt conſentaneum, quia ceſſauit febris ſine vrina cocta, perturbata ſolùm.

IN ſolſtitio hyemali aſtrum non exiguum apparuit. Quinta autem poſtea vbique terræ motus ſubſecutus eſt.

Aſtrum ſignificat ſtellarum congeriem, ſeu congreſſum. Congreſſus magnos ſtellarum vocant Aſtrologi, eos qui ſunt notatu digni, rariique, quos eoſdem dicunt magnæ efficaciæ eſſe in permouendis his corporibus, quæ penes nos ſunt. Sunt autem tales duplici ratione, aut quod plura aſtra conueniant quàm ſolent, aut quod aliqua, quæ rariſſimè, congrediantur, & quæ tardius, vbi ſemel fuerint congreſſa, decedant, vt ſi Saturnus, & Iupiter coniungantur. Hippo. aſtrologicas conſiderationes ad res medicinales non parui pendit. Nam libro de aëre, locis, & aquis dicit, ortus & occaſus aſtrorum conſiderari debere, præcipuè verò pleiadum & arcturi. Non ſolùm autem has dicit conſiderari debere, ſed has præcipuè: conſideraſſe enim eum non eas ſolùm, ſed quaſcunque etiam ex hoc loco conſtat, quo dicit in ſolſtitio hyemali fuiſſe aſtrum non exiguum. Id verò non potuit eſſe ortus aut occaſus pleiadum, aut arcturi, quia non incidit in id tempus, præterquàm quòd ortus aut occaſus alicuius ſtellæ non dicitur aſtrum, ſed ſolæ coniunctiones aut congeries. Quodnam aſtrum fuerit hoc, non eſt vlla ratio intelligendi; non exiguum fuiſſe dicit, & ob illud, quinta die à ſolſtitio ſubſequutum terræmotum vbique, id eſt, latè per multas terræ partes, ac multa oppida. Non ſanè ad medica opera terræmotum fieri intererat, ſed quo intelligas aſtra, quandoquidem tantum terræmotum afferre poſſunt, corpora etiam noſtra vehementer mouere, ac proinde rationem eorum habendam eſſe medico. Non tamen, quia ortus & occaſus aſtrorum, & aſtra inſignia, quæ incidunt in tempus, quo quis ægrotat, vtiliter conſiderantur, proinde medicos nimios eſſe oportet, & ad ægrorum natiuitates, ac multo minùs ad interitus tempora, & alia huiuſmodi procedere, quæ vana hominum curioſitas excogitauit. Nullum verò talium, apud autorem quemquam frugi, exemplum inueniri poſſit.

QVæ in Perintho morabatur Antigenis vxor Aſthmatica permanſit, nec ſciebat, an prægnans eſſet, ei rubra quædam ſuperuenerunt, venter aliàs paruus, aliàs magnus apparebat. Tuſſiebat ſemper quaſi contigiſſet celeriùs iter feciſſe. Menſe octauo conquieui taffectus, poſtquàm febricitaſſet.

In quibuſdam codicibus legitur ſeparatè, quæ in Perintho morabatur aſthmatica, quaſi alia fuerit ab Antigenis vxore, quæ in Perintho aſthmate laborauerit: in aliis coniunctim, quaſi ſit eadem, quæ ignorans an grauida eſſet, erat aſthmatica ac tuſſiculoſa. Non multum refert, eadem enim prorſus ſymptomata dicuntur, ſine tota hæc vnica ſit dictio, ſiue duæ, incipiatque ſecunda inde, Antigenis vxor. Nam dicit fuiſſe ſemper ſimilem ei quæ iter feciſſet celeriùs, hoc eſt, anhelaſſe, & ſpiraſſe difficulter. Itaque Antigenis vxor dubitans an vtero gereret, venit ad menſem, quem putauit eſſe prægnationis octauum. Neque mirum, tametſi enim multa ſunt, quę ad cognoſcendam hanc affectionem faciunt, nulla tamen ſunt, quæ id poſſint euidenter à quibuſdam aliis diſpoſitionibus ſeparare, vt à molis, & aliis affectionibus vteri, quibus menſtruæ euacuationes ſupprimuntur. Tametſi enim quædam prægnationes conſpicuæ admodum ſint, vt nullus ſit dubitandi locus, quia aliæ quædam ſolent fieri obſcurę, & affectionibus præter naturam ſimiles, contingit meritò non rarò dubitare, etiam vſque ad menſem, qui putatur eſſe poſtremus. Quia menſtruæ euacuationes ob multas alias affectiones ſupprimuntur, & iis ſuppreſſis intumeſcit venter, quin & lac in tumidis mammis colligitur, & nauſeę ac faſtidium, pleno excrementis corpore, fiunt. Quinetiam motum fallacem aliquando craſſus flatus in obſtructis locis concluſus, ciet fœtus grandioris motui ſimilem. Iam verò pulſus & reſpiratio, vtcunque diſtento vtero, fient quales in vtero gerentibus: & ſi quę talium vrina eſt, ob menſtruorum ſuppreſſionem perinde fiet. Multo autem mirabitur quis magis, quod vxor Antigenis in ea dubitatione fuerit, ἐπιφαινόμενος hoc eſt ſuperuenientibus etiam poſt quam in ea dubitatione fuit, rubris menſibus. Verùm conſtat, etſi ſoleant deficere, poſſe tamen etiam vtero gerentibus fluere, quia præter venas & arterias, ex quibus pendent ſecundinæ & fœtus, ſubeunt in os vteri aliæ recurrentes è femoribus, quæ poſſunt in illis ſanguinem fundere. Quod alias venter eſſet paruus, aliàs magnus, flatus multi cum excrementis admixtionem indicabat. Illis enim nunc craſſioribus nunc tenuioribus factis, facilè intumeſcit & ſubſidet venter. Craſſis verò ſuccis, ac multo minus molæ, non poteſt in alterutrum tam facilis mutatio contingere. Non fuiſſe itaque huic molam, ſed ſuccorum & flatuum abundantiam in ventris partibus, vtero inquam, aut etiam inanibus partibus cum inteſtinis, hinc conſtat, atque adeò ex exitu quem habuit. Correpta enim febre acuta, ab ea affectione liberata eſt, febre ſcilicet crudos ſuccos, & flatum abſumente.

VXor autem fratris Apemanti abortu deiecit fœminam ſexaginta dierum, vt dicebat ſeptima die, ad nonam autem perturbata eſt. Poſt criſim verò dextræ partes doluerunt, velut à recidiua. Hæc concipiebat cito, & abortu deiiciebat.

Meritò Tenedia, & hæc corruperunt fœtus, illa trigeſima, hæc ſexageſima die, quia vt lib. ſe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 188 sur 489

cundo dicebatur: contingat abortus, quum labores menſtruales adueniunt. Iiſdem enim circuitibus, quibus niſi vtero gererent, menſtruæ euacuationes aduenirent: natura (quæ naturalis motus nunquam obliniſcitur) commouet corpora. Velut etiam per morbos contingunt commotiones, non ſolùm diebus quibus iudicantur, ſed aliis etiam decretoriis. Meritò ergo illa corrupit quarta morbi, & conceptionis trigeſima, hæc ſexageſima, & morbi ſeptima, inſignibus articulis prægnationis, & morborum in eoſdem dies incidentibus: cùm præcipuè alia etiam cauſa vtrique acceſſerit ex ipſius fœtus mutatione. Vt enim loco citato diximus, tres ſunt fœtus mutationes, formatio, vita cum ſenſu, & partus: his omnibus commouetur corpus vtero gerentis, quare vltima eſt ipſe editus, in prima contingere ſolent abortus. Contingit verò prima duplo tardiùs fœminis quàm maribus. Hi enim triginta diebus poſſunt eam recipere, illæ recipiunt ſexaginta, aut circa ſexaginta: vt ob hanc mutationem non caruerit ratione, 30. abortiri marem, fœminam ſexaginta. Sed neque marem quarta, & fœminam duobus quartenariis, quia mares gerentes calidiores ſunt, & morbis acutioribus corripiuntur, & vt partus marium breuiores ſunt, ita abortus celeriores. Velut hæc, etſi ea die abortiuerit, non eſt ſeptima iudicata, ſed nona: quod ſignificans dicit, ad nonam perturbata eſt. Nimirum iudicatio ſemper agitur cum perturbatione: id autem eum velle conſtat, quia ſubdit mox, quaſi de criſi loquutus, poſt criſim verò dextra doluerunt. Sed quia non explicat quæ dextra, par eſt intelligere circa vterum, vt dextram coxam, femur, ac renem, hæc enim ob vteros dolere ſolent. Dicit, velut à recidiua, ſignificans non eſſe factam recidiuam, vt ſolet, redintegrato morbo, ſed eum dolorem fuiſſe pro recidiua. Volens dicere aliquid ad mulieris conditionem pertinēs, addit αὐτὴ ἔχει ταχέως ἐξαπόφθαρεν. Sūt enim vt lib. de ſterilibus dicitur quædam, quæ concipiunt ſæpe, ſed citò corrumpunt: & quædam earum totidem diebus ſemper, ob exiguitatem vterorum: quædam incertis temporibus, ob intemperies extremas, humidam, aut ſiccam. Quibus enim ſicca eſt, malè alitur fœtus, & corrumpitur cito: appetitur verò humiditas, ac proinde facilè concipitur. Quibus humida, excidit ob lubricitatem, atque etiam fieri poteſt, vt hæ ob hanc cauſam apperant, & facilè concipiant, quæ citò corrumpant. Velut renes in diabete, quia facultas retentrix debilis eſt, & multum trahunt, & mox deponunt.

ALia cum albis menſibus filiam peperit, alia cum rubris, vt par erat.

Mulieres quibus profluuia alba fiunt, rarò admodum pariunt. Nam ipſamet vteri affectio, aut concipere, aut retinere prohibet. Fieri tamen poteſt, vt hæ quoque aliquando pariant, euacuata iam bona copia, & vtero emendato, aut omninò, aut partim. Velut & venter à lienteria nonnunquam venit ad probam, & retentionem, & concoctionem. Legitimum verò & frequens eſt parere in rubris, hoc eſt, quibus rubræ fluxiones ſingulis menſibus fiunt. Proinde dicit quandam peperiſſe fœmellam cum albis, aliam rubris, vt par erat. Verum rationi conſentaneum fuit, eam quæ cum albis peperit, filiam peperiſſe. Quæ enim excrementoſiores cum ſint concipiunt, filias concipiunt potius.

HOrore concutiebantur aegri, anxij erant, cibum auerſabantur, recidiuam patiebantur, bilioſi, ſanguinem fundebant, lienis affectibus aliquantum torquebantur, plurimis etiam ſiniſtræ partes dolebant.

Dixerat nuper in hoc ipſo libro, eodem tempore, horridi, vomentes, & poſt iudicationem cibum auerſantes, bilioſi, & ſplenes magni, duri, dolentes, & ſanguinis eruptiones: & rurſum paulo poſt dixit, ante pleiadum occaſum, febres ſtatim reuertentes breuibus interuallis, & cibum auerſantes, & excocti, & anxii, & cardialgici: & rurſum addit, & rigore affecti, & pluries etiam in hoc ipſo libro, quo toto agit de morbis, qui quodam antumno contigerunt, hæc eadem repetit ſparſim inter multas hiſtorias ſingulares. Hæc ergo eadem ſunt, quæ nunc repetit. Nimirum familiaris eſt autumno, illi maximè qui fuit inſaluber, debilitas ventriculi, marceſcente naturali calore, ac proinde horrores, aut rigores, anxietates, cibi faſtidia, cardialgiæ frequentes erant. Familiares ſunt etiam morbi acuti & difficilis iudicationis. Ac proinde bilioſi, & recidiuā patientes, & abſceſſ⁹ multi, præcipuè ad lienes, quia ea pars colligit ſanguinis fæcem, quæ eo tempore redundat. Quare plæriſque ægrotis quibus febres eo tempore productæ ſunt, ſi attrectentur, ſentiuntur ſiniſtræ hypochondriorum partes dolere. Quibus verò lien eſt affectus vt in hoc ipſo libro Hipp. dixit, ſanguis fluit ex ſiniſtra nare, ſi eſt eleuatus, ſin velut extentus ad dextra, per infernas partes.

APemanti vxori oculus diſtortus eſt dexter. Ad aliam autem partem ile.

Vt raram abſceſſuum complicationem videtur mihi Hippoc. narrare hanc, ſimul enim ad dextrum oculum, & ſiniſtrum ile decubuit humor; partes duplici ratione contrarias, alteram, n. ſupernam & dextram, alteram infernam & ſiniſtram. Verum etſi abſceſſus multos ſimul ioriri, aut alios ex aliis in partes eiuſdem lateris, & mutuam rectitudinem habentes, plerunque fieri contingat, tamen non mirum eſt, contrarios etiam complicari, vt neque affectiones primariæ è directo ſemper adueniunt. Si forte enim hemicranea dextra, & lienis tumore ſimul laborabat, quid habebit admirationis, in dextrum oculum ſimul & ſiniſtrum ile abſceſſiſſe.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 189 sur 489

©BIUM

Aristophontis filia tertia, & quinta febricitauit. Sicca permanebat plerunque, venter quidem turbatus est huic, difficilem habuit iudicationē & supra triginta cessauit.

Hæc febri continua haud dubiè febricitauit post partum, quæ tertijs diebus exacerbabatur, vt solent bilioſæ. Mirum enim esset si tam simpliciter, vt tertiana intermittente, febricitaret ex partu, præcipuè quæ sicca plerunque, hoc est, sine vlla expurgatione manifesta per os vteri, permaneret. Accidit huic quod alijs multis enixis, pro muliebri fluxu fluxus alui. Non potest autem cui id euenit (tametsi non raro à morte liberat) non iudicari difficile, quia non est huic morbo ea regio conueniens. Producta ergo est huic mulieri febris, quę iuxta suam acutiem esset quatuordecim, vltra triginta dies. Nescit arbitror Hippocrat. quoto die febris cessauerit. Certè multi morborum muliebrum ex partu sunt quadraginta dierum, & alioqui etiam qui decidunt ex acutis, vnde non mirum si fuerit hæc iudicata circiter quadragesimum. Verùm non omnibus qui similiter affecti sunt, totidem exactè diebus morbi finiuntur. Quia etsi quædam causæ communes sint multis, certè firmæ ac statæ, vt quæ in cœli motu, et si quæ alia est huiusmodi (vt dicunt) numeri, aut musicæ: tamen ex ipsa materiæ dispositione est differentia indefinita.

Rigor famulæ post Heroum habitanti accidit.

Malè hęc sententiola, intra quandam aliam longiorem, & multò plus frugis continentem, coniecta est. Proinde egò eam excepi, mox reliqua, quę disrupta non benè possent enarrari, interpretaturus. Hoc verò tenue quiddam est, quod continet: famulę cuidam post Heroum habitanti factum esse rigorem. Non arbitror laborauit hæc febre tertiana intermittente, vt fuerit in ipsa febris figura rigor, quorsum enim notaret? Sed quod est rarius, aut continua febris inceperit à rigore, aut ardenti continuæ rigor superuenerit. Potuit verò tunc quoque die bono superuenire, ac cum reliquis bonæ iudicationis conditionibus, & febrem soluere: aut sexto alioquè die tali, sine tolerantia & conferentia mortem inferre. Vtrum sit factum, nihil refert scire, modò scias quæ fieri soleant.

Pvstulæ quidem ex lassitudinibus non valde magnis perueniunt vsque ad septimam, subliuidæ: albæ autem magnæ, nec sunt ipsæ admodum bonæ, in ægris catocho correptis, & somnolentis, & in ijs qui non concidunt, biliſque retinetur, & quum non concidunt, siue aluus humida sit siue dura.

Φλύκταιναι seu φλυκτίδες dicuntur papulæ seu ampullæ, quę in combustis oriri solent, & in ijs qui insoliti exercentur, aut quàm sint soliti vehementiùs; velut agentibus iter fieri solent in plantis pedum ex afflictu: sed & in alijs partibus ob feruorem sanguinis, velut profectò in feruente olla fiunt multę bullę ad operculum. Has dicit ex lassitudinibus (non spontaneis scilicet, sed ex labore) non valde magnis, solere fieri subliuidas (quales scilicet in collisis partibus aut verberatis fiunt, sanguinis parte aliqua cum sero effusa. Videmus verò sanguinem extra vasa ad cutem effusum, mox liuorem quendam comparare (vt in sugillatis) & tales durare vsque ad septimam, moxque arescere, & solui. Sed cur dicit non valde magnis? Nonne id maiores facient potius? Quia arbitror, si ex maxima lassitudine oriantur, non tam citò soluentur: sed in vlcera, & tetra scabiei genera abibunt, aut certè non fient pustulę: sed multo grauiora mala. Itaque lassatis tales ampullę fieri consueuerunt. Alię vero sunt albę & magnę, quę etsi ob colorem simpliciores esse videntur, neque ipsæ tamen sunt valde bonę (vt signa scilicet) nam fiunt ob crudorum succorum redundantiam: atque etsi aliquando accidunt nullo graui morbo occupatis, non raro tamen etiam accidunt valde lethalibus morbis. Nam sunt καπχέων (dicuntur tales non solum qui actu deprehensi sunt, sed qui deprehendi solent, ἢ ὑπνωδέων in hoc genere sũt lethargici & caro pressi, ἢ μὴ ξυμπαθόντων ἢ χολῆς ἀπεχομένης, id est, & in ijs etiam qui non concidunt, idest non laborant illis caducis morbis, sunt tales postulę, ob hoc solum, quod bilis retineatur. i. quod cum sint cacochymi, malus succus non deiiciatur. Consueuit enim Hippocr. vocare bilem omnem putridum succum. Addit, atque siue humida sit, siue sicca (aluus scilicet) οὐ ξυμπίπτουσι quasi diceret, atque adeo quidam habeant dictas pustulas, qui concidentes non sint, idque siue aluus sit lubrica, siue sicca. Itaque etsi neque caduco morbo teneantur neque bilis retineatur, sed solùm quod abundent succis crudis. Nimirum aliquando citra magna mala fiunt: sed quia nonnunquam fiunt grauissimè affectis, dixit neque ipsę valde bonę. Non dixit valde malę, quia non semper sunt tales: sed neque valde bonæ, quia aliquando pessimarum affectionum sunt comites.

Zoilo fabro tremuli pulsus, tardi. Vrina & alui excrementum mediocriter decoloratum fuit, ventris imi contentio vtrinque in directum vsque ad vmbilicum perueniens cum acuta febre. Cibum non capiebat, siticulosus erat.

Locus hic satis apertè indicat, Hippocratem pulsus non aliter hac posteriores illo medicos in ægrotis rationem habuisse, quanquam eam artis partem omnium minimè excoluit. Tremuli pulsus nulli probabilius dicuntur, quàm ij qui tremente arteria pulsant. Tremere verò non dicetur arteria, quæ loco consistens dilatatur, & constringitur, alioquin omnis arteria tremit: sed quum secundum se totam loco mouetur, velut concussa: vt. s. cordis tremor dicitur is motus, quo velut concussum locum mutat. In hoc genere

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 190 sur 489

©BIUM

ſunt vibratus, & conuulſiuus. Vibratus verò ob arteriæ duritiem & auctum vſum, cum quodam robore fit: quare qui imbecilles pariter ac tremuli dicuntur, conuulſiui potiùs erunt, qui inflammationes in duris ac neruoſis partibus conſiſtentes, cum debili facultate meritò ſequentur. Fuiſſe verò huius hominis præcipuam affectionem, cum febre maligna inflammationem in hypogaſtrio, à pube inquam vſque ad vmbilicum, in muſculis rectis, qua parte ſeſe tangunt, & in duriſſima ea parte peritonæi, quæ in rectum ſub ipſis muſculis protenditur, coaleſcentia tendonum muſculorum tranſuerſorum & obliquorum cum ipſo peritonæo facta, conſtat ex ventris imi diſtentione in rectum vtrinque vſque ad vmbilicum. Fuiſſe enim non aliud tumoris genus quàm inflammationem, febris acuta & tales pulſus iubent coniectare: malignam verò fuiſſe etiam febrem, quòd pulſus mox debiles eſſent, & cibum non caperet, & ſiticuloſus eſſet. Tametſi hoc peculiarem quandam cauſam habuiſſe videtur, in affectione partium imi ventris cum quo facillimè paritur ventriculus. Quòd vrina, & alui excrementum mediocriter decoloratum fuerit, id eſt, paulò infra naturalem mediocritatem conſiſtens, & remiſſiori colore quàm per bonam valetudinem ſolet, indicat rationem morbi generandi. Duplici enim ratione fiunt morbi ex excrementis, aut quod ea redũdent ſupra copiam quam ferre poteſt ſanitas, aut quòd non expurgentur, quæ ſecundùm naturam ſolent eliminari. Aliquando vtrumque euenit. Conſtat, cum non expurgatur bilis ſatis per aluum & vrinam, aut ob viarum incommoditatem aliquam, aut facultatum naturalium debilitatem, (vt huic contigit) neceſſe eſſe, vt in ipſo hepate detenta morbum faciat: aut ſi id non fiat, in quampiam aliam partem præter naturam trudatur, aut in venis & arteriis abundet, vnde febres, & partium inflammationes, aut horum alterum fiat. Tale ergo quiddam huic contigiſſe videtur, cùm pariter febrem acutam, & inflammationem, vrinaſque, ac ſeceſſus decolores habuerit. Quod. n. non eryſipelas, herpeſve in cute factus fuerit, ſed phlegmon, nihil obſtat. Nam bilioſus ſanguis malè intra venas conſiſtens, ſæpè facit inflammationem, erit vero ea eryſipelatodes. Nam & acuta febre laborabat homo, & erat ſiticuloſus.

A rum retentio fit maximum conceptionis ſignum. Licet etiam id ſuſpicari ex eo quod euenit. Morboſæ enim mulieres ſolent eius euacuationis intermiſſionem pati, quas ſi contingit concipere, difficiles habent & prægnationes & partus. Faſtidium plurimis recens prægnantibus fieri ſolet. Et vt aphoriſ. 61. quintæ particulæ dicitur, ipſius conceptionis eſt ſignum. Quibuſdam etiam fiunt vocatæ Picæ, quæ malorum ſuccorum abundantiam ſignificant, multo vero magis, cum multæ etiam vomitiones & variæ fiunt, vt huic, cacochymia indicatur. Solent hæc omnia ventriculi mala ſecundo menſe, cùm ſcilicet primum menſtrua iam ſuppreſſa lædunt, incipere, durareque vſque ad quartum: iam enim trahente verſus vterum multùm fœtu, ſolet ventriculus liberari: quod ſi diutius durant longè iam maior cacochymia indicatur. Velut huic durauit varius vomitus vſque ad partum, atque amplius triginta dies. Nam, inquit, difficulter peperit, & vomitus ſimilis vſque ad triginta dies perſeuerauit, ſimilis ſcilicet ei quem paſſa eſt antequam pareret. Sed quo pacto potuit id fieri, muliere perfectè purgata? Aut quo pacto potuit perfectè purgari, quæ difficulter peperit? Certè purgatam perfectè dici ſuſpicor, non quòd purgata ſit quantum ſui corporis diſpoſitio, & excrementorũ multitudo poſtulabat, ſed quòd quãtum aliæ mulieres ſolent, ac fortaſſe etiam quantum ea ferre potuit. Non enim ſemper expedit, quãtum mali ſucci in corpore eſt effundere. Peperit ergo difficulter, & magnis cum cruciatibus, accurrentibus ad vterum multis excrementis, quorum effuſa eſt magna pars, quanta alteri eſſet ſatis, nihilominus multum in viis hæſit, & eis obturatis, in partes alias raptum eſt, & vomitum per triginta dies, deinde diarrhœam fecit, fluxione in contrarium deriuata; lienteriam poſtea, debilitatis iam per longam ventris paſſionem concoctrice & retentrice facultatibus. Muliebria non fluxerunt duobus annis: ſed natura viam aliam quærente, habebat mulier hæmorrhoydas hyeme, quia (arbitror) reliquo anno inſenſili euacuatione ſanguis diſſipabatur.

Filia ædilis apud Tecomæum, cùm vterum geſtare ſine ſigno cæpiſſet, ſecundo menſe vomitus pituitoſus, aliquando autem bilioſus erupit. Difficulter peperit, perfectè purgata eſt. Vomitus ſimilis vſque ad triginta dies perſeuerauit, deinde aluus turbata eſt, & vomitus ſedatus. Lienteria accidit. Multebria non fluxerunt, duobus annis per hyemem hæmorrhoydum profluuium paſſa eſt.

Conſentaneum eſt hanc mulierem vnam earum eſſe, quibus non rectè neque ſuis temporibus fluunt menſtrua. Hæc enim ſolent maximè ſine ſigno concipere, ac crebrò in magna ſunt hæſitatione. Quibus .n. certo ordine fluit, horum ipſo-

Duo fratres Cecropis familiares, quibus nigra ab initio prodibant, aliquantùm fæculenta, & eduliorum ex ſanguine confectorum colorem referentia, deinde ex merè bilioſis & ſpumantibus cum pallore vireſcebant.

His ab initio morbi prodibant nigra ſimilia ſanguini nigro, qui reperiri ſolet in farciminibus ſanguinis. Deinde valde bilioſa & ſpumoſa: ab his χλοώδεα. Quas omnes deiectionis ſpecies in lethalibus eſſe, in prognoſtico dicitur ab eodem Hippocrate, & in aphoriſmis. Nam vt 21. ſectionis 4. dicitur, deiectiones nigræ ſimilis ſanguini nigro, ſponte procedentes, & cum febre & ſine febre peſſimæ. Talia verò omnia tanto ſunt deteriora, quanto citius à morbi principio, & ante iudicationis tempus fiunt, iuxta illud etiam quod mox ſequenti aphoriſmo dicitur. Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atrabilis ſupra, aut infra exierit, lethale. Nigras ergo deiectiones ab initio his fieri graue erat: ſed & quæ ſubſequuta ſunt. Nam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 191 sur 489

©BIUM

& bilioſæ vituperantur aphoriſn. 47. eiuſdem particulæ, aut eædem æquè ac ſpumoſæ: & χλωεαὶ vituperantur in prognoſtico. Ergo quod ad deiectiones pertinebat, quas contigit his ægrotis eſſe dignas mentione, lethaliter eorum procedebat affectio. Quid quæque talium deiectionum ſignificarent, ſuperfluum eſt hoc loco dicere, cùm in commentariis locorum quæ citauimus ſatis ſit dictum.

QVi aſinum ex pacto ſuſtulit, febricitauit ſtatim, tertia die ſanguinem fudit, quarta, & quinta, & ſeptima, & octaua: iudicatus eſt cum aluo humida.

Non ſatis poſſis ex ipſa dictione intelligere, an octaua iudicatum dicat, cùm tertia, quarta, quinta, & ſeptima ſanguinem fudiſſet, an ſanguinem etiam octaua fudiſſe, & iudicatum deinde, non nominato die: neque an dicat iudicatum eſſe forte ipſa ſanguinis fuſione, & deinde multo tempore habuiſſe aluum humidam. Nam cum in pleriſque, nullis grammaticæ regulis ſit adſtrictus Hippocrates: ſed velut ſolutis vocibus vtatur, omnia hæc poteſt ferre ſua phraſis, atque adeo omnia poſſent contingere. Sed quia octaua non eſt valde iudicatoria, neque morbo per quem ſanguis adeò fundebatur, deiectio ex aluo erat ſatis congruens iudicatio, omnium maximè conſentaneum eſt, hominem ex nimio nixu & labore, cùm aſinum ex pacto ſuſtuliſſet, febre correptum eſſe, & raptum ei ſanguinem fuiſſe ad ſuperna, ac proinde copioſè fuſum eſſe per nares, atque tandem iudicatum eſſe [nona forraſſe aut vndecima] ſuperfuiſſeque huic conualeſcenti iam ex morbo humidam aluum: quia vt dicitur in aphor. 27. ſectionis 4. Quibus per febres ſanguinis vndecunque eruperit copia, iis quum reſiciuntur, ventres humectantur.

VIr metallicus hypocondriũ dextrũ habuit contentum. Lien magnus erat, & venter diſtentus, ſubdurus, anhelus fuit & decolor. Huic in genu ſiniſtrum abſceſſus factus eſt, recidiua accidit, perfectè iudicatus eſt.

Quibus hypocondria diſtenta ſunt, ac multo magis quibus aluus tota, fiunt πνευματώδεις, ideſt, difficulter ſpirantes ob compreſſionem ſepti tranſuerſi. Hi ijdem fiunt decolores ob hepatis debilitatem, vt quibus lien ſolus tumet, hi ſolent colorem quendam ſubnigrum contrahere, ob atræ bilis in totum habitum diſtributionem. Hic ergo cum febricitaret, & iam iam hydropicus fieret ob vtrumque hypocondrium, præcipuè verò ob dextrum, abſceſſu in ſiniſtrum genu liberatus eſt à febre. Tamen quia exiguus erat abſceſſus pro ratione morbi recidiuam habuit: ſed tandem omninò iudicatus eſt, partim febre ipſa abſumente, partim per abſceſſus.

FIlius Temenæi aliquam patiebatur ſpirandi difficultatem, adèo vt ex viridi palleſceret, qui color in dorſo & in manibus apparebat.

Πνεῦμα apud Hippocratem ſignificat reſpirationem, hic verò non quamcunque, ſed eam quæ præter naturam eſt, & quæ vocatur diſpœna: reſpirationem enim omninò omnes habent quandiu viuunt. Quare cum dicat hunc ægrotum habuiſſe ἄνευ πνεύματος, quaſi neque omnes homines immo & quaſi neque omnes ægroti habeant, intelligi debet difficilis. Itaque dicit hunc habuiſſe reſpirationem non nihil difficilem: Quæ autem addit ὡς χλοώδης εἰς τοῦτα, ἐς χεῖρας χλοώδης, non poſſunt coniungi cum prioribus. Quid enim habet χλωρὸν commune cum reſpiratione? Aut quid etiam manus? Chlorum enim dictum iam ſæpe eſt, ſpeciem eſſe coloris inter flauum & viridem conſiſtentis. Manus verò neque ſunt ex inſtrumentis reſpirationis, neque ex iis quæ mouentur cum illis. Nihil ergo hæc aliud ſignificant, quàm huic ægroto iſtum colorem in dorſo, & in manibus apparuiſſe. Conſideranda eſt Hippocratis diligentia, & imitanda, animaduertentis colorem ægroti, non in facie ſolum, vt ſolet, ſed & in manibus, neq; ſolùm in his in quibus etiam eſt pituium, ſed & in dorſo. Veriſimile autem eſt eum, qui in dorſo vitioſum colorem inuenit, toto corpore quæſiuiſſe, vſque adeo Hippocrates nihil omittebat eorum, quæ aut curationes modum indicare poterant, aut ſignificationem aliquam præſtare, ſiue bonam, ſiue malam. Velut hic color, qui profectò peſſimam ſignificationem præſtabat. Nam in prognoſtico vituperat colorem χλωρὸν faciei, ferè vt liuidum & nigrum, quaſi extinctionem naturalis coloris etiam ſignificantem, vt illos. Ergo & in reliquis etiam partibus perinde ſignificat. Solent verò hi colores aliquando fieri, æqualiter per totam cutem colore mutato: aliquando quibuſdam maculis exiguis & frequentibus ſubortis, quas quidem ſemper ſignificare malum per febres acutas nondum inclinantes conſtat: cùm omnis intempeſtiuus abſceſſus à mala qualitate ſuccorum naſcatur. Verùm maximam differentiam malignitatis aut benignitatis habere ex colore rationi conſentaneum eſt: cùm colores cutis omnium maximè poſſint iudicare, quales in corpore ſint ſucci. Sed experimento eſt proximis annis confirmatiſſimum. Graſſata enim ſunt, neque adhuc extincta cum febribus acutis, & malignis, hæc exanthemata, quæ niſi cum rubra ſunt, nunquam non lethaliter fiunt. Solent verò incipere plurimis à manibus, ceruice, & dorſo, vt pote partibus à viſceribus facilè recipientibus, ab hepate præcipuè & corde. Hic fortè tale quidpiam habuit. Vtcunque verò, ſiue inquam cum exanthematis, ſiue ſine illis, certè morbo maligno tenebatur. Nam reſpiratio magnã habet vim in acutis morbis ad ſalutem, aut mortem: praua ergo mortem portendebat: color verò cutis χλωρὸς eſt malignorum ſuccorum & caloris debilis nota, vt in prognoſtico indicatum eſt.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 192 sur 489

©BIUM

PVerperæ maritus qui prope Sitodochi ædes habitabat, ictericus erat, ad quem ſeptimâ die veni, octauâ mortuus eſt, neque vrinâ neq; alui excrementa emittens. Hypocondria magna erant & dura, & ſpiratio crebra. Hic moriens ne frontem quidem præ labore madefecit.

Quandoquidem dicit ſeptimo die ſe veniſſe ad ictericum, inſinuat eum ante ſeptimum factum eſſe talem. Meritò ergo mortuus eſt ex eo ſigno, quandoquidem, vt in aphoriſmo dicitur, malum eſt. Solet verò icterus talibus (cum inquam lethaliter fit, vt Gal. in commentario illius aphoriſmi dicit) fieri ob hepatis inflammationem. Id etſi non ſit perpetuum, vt non poſſit aliter fieri, eandem tamen ob cauſam vt plurimùm accidit. Certè hic habuit inflammationem, eamque maximam, non hepar ſolùm ſed omnia hypocondria occupantem. Quo factum eſt, vt non ſolum moreretur, ſed vt etiam citiſſimè. Maximam verò ac omnia hypocondria occupantem eſſe, omnia certè quæ narrat ſignificauerunt. Magna enim fuiſſe & dura hypocondria, ex propria eſſentia inflammationis ſignificabat tactus, ſed & vrinas, & deiectiones, atque alias omnes euacuationes ſupprimi (id enim inſinuat exaggerans quod circa ſudorē euenit mox) maximæ inflammationis ſignum erat, ſuccis irruentibus enim in vnam aliquā partem, quę maxima fluxione occupatur, euenit euacuationum conſuetarum ſuppreſſio, quæ ab inflammatione fit, & ipſam poſtea auget. Iam verò ſpiratio crebra ſi magna eſt, ardorem ingentem, ſin minùs, affectum dolorificum in inſtrumentis reſpirationis aut partibus proximis ſignificat. Vtrumque verò eſt inflammationis magnæ ſignum, magnus inquam calor & dolor. Probabile eſt autem hunc ſpiritum crebrum & exiguum ob dolorem fuiſſe, & ob impedimentum quod hypocondria faciebant, quo minùs ſeptum ſatis dilataretur. Cùm enim eſſent magna & dura, quomodo poſſent non obſtare? Hunc vſque adeò ſiccauit illa ad viſcera confluxio ſuccorum, & vehemens inde à magna inflammatione tractio, vt ne frontem quidem humectauerit moriens, vel ex labore, vt ſcilicet morientes ſolent. Frigidum enim ſecundùm frontem ſudare ſolere, in prognoſtico dicitur. Cauſa certè eſſe ſolet exolutio, cum calido innato quod expirat exeũte parte aliqua ſucci, & ob illius exolutionem refrigerata: in aliis etiam accidit (quod hic Hipp. inſinuat) ex labore, vt ſolent qui anxij ſunt, aut vehementius aliquid nituntur. In hoc tamen tanta vis fuit reuocationis ad interna, vt neq; ex labore tantillum per frontem ſudarit, ſed cohibitis interius omnibus excrementis mortuus fuerit, ſuffocato calido potiùs quàm expirante.

HVius vxor eiecit filiam ſeptimeſtrem ſeptima die: apparuit autem quartâ. Hanc à principio dolor pedum tenebat, deſinente A verò febre ſpirandi difficultas non eſt ſoluta, ſed intus præoccupauit dolor in manus & brachium.

In hac muliere apparuit ſatis vis ſeptimi, vtque vis eius non ſolùm in diebus, ſed & in menſibus, atque adeò in quadragenariis notetur: & quod eſt ſecundo libro tantopere celebratum, eſſe quoſdam menſes partui decretorios, vt acutis morbis B dies. Hæc ergo ſeptimo menſe prægnationis correpta eſt morbo, & ſeptima die morbi fecit abortum. Quamquam, vt ſecundo libro dictum eſt, menſis ſeptimus non omni ratione eſt ſeptimus: ſi enim quadragenarii numerentur, eſt quintus: verùm in numero lunarium circuitionum eſt ſeptima. Quod dicit apparuit quarta, indicat, quod ſæpe etiam ab eodem autore dictum eſt, quartam diem eſſe primum morborum impetum, & eſſe indicem ſe- C cundi, qui ſeptima abſoluitur. Velut ergo in prægnatione motus qui nono menſe plerunque perficitur, ſeptimo tentatur, ita in morbis acutiſſimis, qui futurus eſt ſeptima, ſolet tentari quarta, atque futuram iudicationem ſeptima, indicat quarta, ex concoctione manifeſta, vt forte nubecula rubra, quæ autem iudicatio futura ſit, ex motu qui tentatur, idque ſiue bona ſiue mala ſit futura. Velut ſanguinis ſtillæ quarta die minantur phrenitidem in ſeptima, ſi verò ſimul appareat concoctio manife- D ſta, & alia virtutis ſigna, fortaſſe iudicationem per fluxum ſanguinis è naribus indicabunt. Huic itaque, quantum ſuſpicor, quarta die dolores acciderunt, vt putaretur abortum velle facere, quem ſeptima fecit. Neque tamen cum abortu omninò liberata eſt, etiamſi ſit febris ſoluta, ſed cùm à principio teneretur dolore pedum, deſinente febre (die arbitror ſeptima) πῖεμα ἐκ ἐλυθη, ideſt, non rediit ad facilem reſpirationem, vt par erat, degra- E uato iam vtero & ſoluta febre, ſed perſeuerauit reſpiratio difficilis vt quum gerebat vtero, ac fortaſſe etiam vt cum febricitabat, quod ſignificabat, humorem qui partes imas tenebat, ſurſum raptum ſpiritales partes occupaſſe. Id verò ita factum eſſe multo magis indicauit, quod cùm à principio teneretur pedum tantum dolore, deinde cùm ſcilicet ſoluta febre difficilis reſpiratio perſeueraret, eam ἐγκαλλωλείφθη ἐυς χεῖρας ὁ δὺνη ϗ βραχίονα, ideſt, ex interna cauſa, citraque vllam externã febris ſolutionem anteuertit dolor manuum & brachiorum. Manus F Hippocrati ſignificat totum brachium, nam quam vulgo manum vocamus, ille vocat extremam manum. Brachium illi ſignificat primam partem vulgo dicti brachij, eam inquam quæ eſt inter humerum & cubitum. Ergo dicens in manibus & brachium ſignificat non in extremas ſolùm manus, ſed in totas manus, & in brachia. Id verò conſtat factum, quia cùm anteà tota humorum copia, natura eo nitente & abortum parante, deorſum reperet, atque proinde pedum dolorem faceret, qui vt G etiam tumor, gerentibus vtero ob rectitudinem pedum cum vtero familiaris eſſe ſolet: cùmque abortus eam humoris partem euacuaſſet quæ febrem tollere potuit, non tamen corpus perpurgare, reliquiæ ſe in ſuperiores partes collegerunt, atque occuparunt thoracem, reſpirationem difficilem produxerunt, & redundantes in brachia,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 193 sur 489

eorum dolores intulerunt. Recte ergo narrat hæc simul, spirandi difficultatem non esse solutam, & factum esse dolorem brachiorum, vtpote signa annuentia sibi mutuò, & eandem significationem tribuentia.

REcidiua per longißimum corripiebat, quibus vrinæ ante iudicationem supprimebantur.

Nullum certius inditium esse potest futuræ recidiuæ, quam febres solui citra euacuationes manifestas, nec multitudini excrementorum respondentes. Atqui in quocunque tempore sunt expectandæ, præcipuè eę euacuationes, quas in quamplurimis obseruauimus, & earum suppressionem timere debemus, ob eamque præcipuè timere recidiuam, si mediocriter quidem suppressa sit, minotem breuioremque: sin autem plurimùm, longiorem. Quoniam ergo dicit recidiua per longissimum corripiebat, quibus vrinæ ante iudicationem supprimebantur, oportet intelligere, morbos eo tempestate solitos iudicari per vrinam, ac proinde quibus id non accidit, accidisse recidiuam, & quibus, & ante iudicationem, & in ipsa iudicatione omninò supprimebantur, accidisse longissimam. Nam posse quosdam morbos solui sine euacuationibus, infidè tamen, & quibusdam morbis esse familiares quasdam euacuationes, atque adeo quibusdam tempestatibus, dictum antea sæpe iam est.

A reliquo corpore euanescẽtes, circa manus & humeros apparuerunt, & his solutis, superuenerunt aliæ capitis, quod etiam habuit malũ, abscessum scilicet sursum ire, cum ad inferiora descendere magis deberet. Non potuit ergo non male affici cerebrum. Malæ autem illius affectionis significationem præstiterunt, palpebrarum superiorum reuulsio sursum facta, & inuoluntariæ lachrymæ. Ambo enim hæc vituperantur in prognostico, quasi male affectum cerebrum significantia, Non tamen semper lethaliter accidunt, sed cum aliorum signorum concursu vt in cõualituris, esse solent etiam hæc decretoria, conuulsio inquam circa oculos & iuuoluntariæ lachrymæ. Nam vt antea dixisse me memini, in secretione succorum contingit quasdam particulas corripi conuulsione, quæ mox succedente iudicatione cessat. Lachrimæ etiam possunt ob eandem causam accidere, ac iudicationem præmonstate. Dices vero, solent hæc quum maximè decretoria sunt, indicare fluxum sanguinis ex naribus, non rigorem. Ita sane est, verùm & fundentibus sanguinem bilioſum ex naribus, solet iudicatio fieri cum rigore, vt accidisse seruo in extrema caupona decumbẽti nuper narrauit. Si ergo fundenti bilioſum sanguinẽ ex naribus accidit, certe & parato fundere poterit accidere. Itaque euenit huic, vt cum his signis iudicaretur septima die cum rigore. De qua iudicationis specie sæpe iam est dictum. Dicit vero iudicatam esse circa septimam primum, non quòd certò sciat alia postea iudicatione fuisse opus, sed quòd ignoret, an deinde habuerit aliam, succesſeritque recidiua. Dicit enim, Non noui reliqua. Iudicata est circa septimam primum.

SOror quæ erat apud Timeneum cum rigore iudicata est. Soluto autem colore ex viridi pallido manus & humeri doluerunt, his autem solutis caput: oculorum autem superiores palpebræ intumuerunt & lachrymas profuderunt, non noui reliqua. Iudicata est circa septimam primùm.

Nihil refert, fuerit hæc soror Timenei, an alicuius alterius apud Timeneum habitantis: neque an fuerit hic idem Timeneus cuius filij morbus nuper narratus est, an alius. Videtur sanè consentaneum eundem fuisse, quia morbi sunt valde similes, habentq; commune illud χλωρὸν circa humeros, dorsum, & manus, & reliquum corpus. Malignæ autem illæ maculæ cum febribus solent in multos simul quibusdam tempestatibus incidere, præcipue cohabitantes in eadem domo, aut quod contagiosi habeant aliquid, aut quòd qui in eadem domo degunt, plærũque eodem vtantur victu. Habuit ergo hæc febrẽ acutissimam, & malignam: acutissimam quidem, quia septima iudicata est; malignam, quia habuit maculas ex viridi pallidas, quibus etiã illud malignitatis accessit, quòd celeriter solutæ sint, citiùs scilicet quàm sperare posses, & ante quam febris inclinaret. Quod sanè vt in omnibus siue tumoribus, siue doloribus, siue maculis malum est, ita pessimum in malignis. Non tamen ex omni parte omnino euanuerunt, sed ex

MEnandri vinitor eodem modo se habuit, præterquam quòd venter circa principia tenuia reddidit, deinde restitit & vrinæ excretione iudicatus est. Non riguit septima die, quia venter antea turbatus fuerat.

Reliqua habuit hic vt soror Timenei, præterquàm quod fluebant illi à principio tenuia ex aluo, & proinde citra rigorem iudicatus est. Itaque profuerunt ei deiectiones tenues intempestiuę ad acrioris bilis euacuationem. Nam alioqui non substulissent rigorem. Id vero in tali morbo optandum non est, nam minimè est tali morbo (febri ardenti dico cum cutis maculis) congruens euacuatio per ventrem, tametsi aliquando etiam profit. Vidimus certe nonnullos ita affectorum alui fluxione liberatos, tamen multo melius tutiusque liberantur sudore, quia auertuntur à viscеribus succi maligni. Deiectiones verò ita affectis multo sæpius vidimus prodesse citatas pharmaco, quam sponte fluentes. Neque immerito. Quia in talibus natura extrorsum nititur, introrsũ ergo ire sponte succos, magnæ signũ est debilitatis. Trahi vero pharmaco, non ita. Quia quod à causa externa fit, nõ debet imputari affectioni. Expurgare ergo inter initia plurimos horum iuuit, atque adeò per totum morbum procurare, ne aluus adstrictasit, quia nulla ratione melius præcauẽtur symptomata, à quibus omnes ferè huiusmodi periclitantur. Ta-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 194 sur 489

©BIUM

men cum ſpontaneis deiectionibus ingruere hunc morbum, aut per alui fluxionem iudicari periculoſum eſſe, & dicta ratione, & plus ſatis iam longo experimento didicimus. In ſudore euenit contrarium. Quia qui ſponte fit, & tempeſtiuè illos optimè liberat, qui verò arte elicitur, plærunque auget febres, & virtutem aliquando minuit, niſi forte inchoatum iam à natura adiuues. Quapropter cum das alexipharmaca, quorum in his morbis magnus vſus eſt, deuita valde calida, ſi febris magna eſt. Ac neque cum dederis mediocria, tegumentis plurimùm preme: ſed tempeſtiuum ſudandi tempus expecta, & ſerua ſpontaneos. Vbi dicitur deinde reſtitit, dicit Hippocrates, ἔπειτα ἔστη καὶ τὸ ἄρρον ἐκρίθη quod quidem duobus modis legi poteſt, aut ita, deinde reſtitit (aluus ſcilicet) & vrinæ excretione iudicatus eſt: aut ita, deinde reſtitit etiam vrina, iudicatus eſt. Nam certè dicere vrinam iudicatam eſſe, noua phraſis eſt apud Hippocratem, iudicari enim dicitur morbus aut ægrotus, non vrina. Sed ſi hoc non videatur durum, atque vrinam iudicari vis, intellige vrinam quæ anteà ſupprimebatur fluxiſſe copioſè, & ſic ſatis idoneus ſenſus redditur. Nimirum dum venter fluebat, vrinam modicè fluxiſſe (ita enim fit) ſuppreſſa autem aluo cœpiſſe fluere, & ita citra rigorem febrem iudicatam eſſe die ſeptimâ, habuit ita hoc boni ægrotus, quod nõ ſine euacuatione ſit iudicatus. Sin autem durior videtur phraſis, dic ſtetiſſe cum deiectionibus etiã vrinam, & iudicatum eſſe hominẽ ſeptima citra rigorem. Sed cum qua euacuatione fuit iudicatus? Fortaſſe cum fluxu bilioſo ex naribus, etſi id Hippocrates taceat. Fortaſſe etiam cum nulla ſenſibili. Inde verò nihil euenit abſurdi, aut quod non poſſit fieri, ſed ſolùm non fuiſſe ſatis tutam iudicationem. Quid tum poſtea.

Filius Potamonis cui aluus non fluebat ſeptimâ, ante iudicationem per duas dies non riguit, propterea neque vrina ſupprimebatur.

Hic etiam ſimili morbo occupatus ſeptima ẽt iudicatus eſt. Sed per dies ante iudicationem non egeſſit ex aluo, qui certè videbatur hanc ob cauſam rigore iudicandus. Nam ſi vinitor Menandri non riguit, quia aluus fluxerat, oportebat hunc rigere, cui non fluxerat. Non tamen (inquit) riguit ob hoc. Sed quæ fuit cauſa? Neque vrina (inquit) ſuppreſſa eſt: quaſi diceret, quia vrina non eſt ſuppreſſa vt aluus, ſed fluxit. Et quod vinitori præſtiterunt liquidæ deiectiones, hoc filio Potamonis præſtitit vrina copioſa. Neque mirum, analogæ enim admodum cauſæ ſunt, & altera alterius vicem facilè ſupplet.

Hegeſiſtrato, cui ſuppuratio iuxta oculum aduenerat, dens etiam ſuppuratus eſt iuxta extremum, & rurſum ſanatus eſt oculus, & ſecundum nares pus deſcendit craſſum: iuxta gingiuam caruncula paruæ rotundæ abſceſſerunt. Huic iuxta tertium dentem videbatur ſuppuratio futura, deinde intrò reuertebatur, repentè autem maxilla & oculi intumuerunt. Hegeſiſtrato duo dentes extremi corrodebãtur, quà ſeſe mutuò reſpiciunt, extremus habebat ſupra gingiuam duos nodos, vnum quidem iuxta corroſionem, alterum verò ex altera parte. Qua verò parte erant duo nodi, ibi radices latæ ſimiles ex duobus coincidebant. In alia vna medietas rotunda.

Duæ ac diſſitæ ſententiæ occurrunt hæ in omnibus exemplaribus, atque quaſi ad duos fortè Hegeſiſtratos pertinentes. Mihi verò viſa eſt vnica narratio, & ad eundem pertinens. Proinde quæ quibuſdam interpoſitis paulò poſt ſcripta inueniuntur, ego huc transferens, hæc omnia verba coniunxi, vt hiſtoriam vnam continentia. Mirum ſi duo ambo Hegeſiſtrati dentium corroſione laborauerint ambo, & id Hippocr. non aperuerit dicens, alter qui etiam Hegeſiſtratus vocabatur, aut tale aliquid. Quod ſi fortè id ita euenit, nihil læditur doctrina his omnibus, quæ ad dentium corruptionem pertinent, ſimul enarratis, ſiue eidem homini omnia, ſiue duobus acciderint. Ac fortaſſe etiam fuiſſet ſatius hæc cum illis huius ipſius libri quarti verbis coniungere, quæ ad dentium & formationem & morbos pertinebant, quia ex illis pendet horum enarratio. Ita enim dixit Hippocrates, iuxta tertium dentem ſuppurationes accidunt plures, quàm iuxta alios omnes, & quæ ex naribus craſſæ fluxiones, & à temporibus dolores, ex hoc maximè fiunt. Exeditur hic maximè. Hoc idem euenit Hegeſiſtrato, cui ex ſuppuratione circa oculum facta eſt ſuppuratio ad extremam radicem dentis, & ſecundùm nares deſcendit pus craſſum. Videbatur verò ſuppuratio futura ad tertium dentem (ad caninum ſcilicet, vt ſolet) abceſſu è regione illius primùm facto, deinde intro reuertebatur, colligebatur videlicet pus verſus alium, aut ſecundum inciſorium, aut molarem primum. Cur ex doloribus temporum ſuppurationes magis fiant ad dictum dentem quàm alios, & cur deſcendat craſſum etiam ex naribus in tali abſceſſu, illo loco dictum eſt. Conſtat verò eandem eſſe rectitudinem dentibus cum oculis, & cum temporibus. Meritò ergo huic ex morbo circa oculum abſceſſus hic factus eſt: & excipientibus pus naribus & dentibus ſanatus eſt oculus à ſuppuratione. Nihilominus ex dentium dolore, vt fieri ſolet, repentè intumuerunt maxilla & oculi. Neque ſane leuiter laborauerunt partes oris dentibus proximæ. Nam præter dicta, pus deſcendens eroſit fruſtula carnis, quæ ex gingiua eius lateris abſceſſerunt: & præterea duo dentes extremi, poſtremi ſcilicet molares (conſenta neum eſt id factum eſſe in eodem latere) quà ſeſe mutuò tangunt corrodebantur, & extremus ac vltimus omnium, habebat ſupra gingiuã quaſi duos nodos, vnum iuxta corroſionem, iuxta eam .ſ. partem qua tãgebat alium, alterum in aliam partem, in extremitatem ſcilicet qua finiebantur dentes. Reddit cauſam ob quam id euenit ex ipſa oſſis figura. Qua (inquit) parte erant duo (nodi ſcilicet) hoc eſt, à facie hac anteriori qua dentes teguntur labijs, erant denti radices duæ latæ, quæ reflexæ in ſeſe coinci-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 195 sur 489

©BIUM

debant, ſimiles ex duobus, hoc eſt, ſimiles illis radicum paribus, de quibus loco citato dixit, qui quintus ab anterioribus numeratur, quatuor habet radices vnicuique vicinorum dentium veluti connexas, omnes quidem reflexas ad internam partem. Nimirum illic dictum eſt, quoſdam dentium molarium habere quatuor radices, ſecundum paria reflexas ad ſeſe, alterum par à facie anteriori & exteriori, alterum à poſteriori & interiori, quoſdam habere tantùm tres, in facie anteriori duas, & tertiam in poſteriori à medio ortam. Nunc dicit dentem illum poſtremum habuiſſe à parte anteriori, qua eſt gingiuæ facies, duas radices ſimiles ex duobus, ideſt, illis radicum paribus quas eſſe antea diximus: in alia parte, vnam medietatem rotundam, hoc eſt, vnicam radicem rotundam è medio productam. Quanquam certè hic cum eſſet vltimus molaris, atque vt ſuſpicor ſuperioris maxillæ (his enim eſt maior rectitudo cum oculis & temporibus) quatuor habere ſolet, ſed vt diximus magnam differentiam recipiunt dentium figuræ. Sed quid hæc ad nodos? Certè ſupra duas illas radices facti ſunt duo abſceſſus duriuſculi, quos vocat nodos. Nam vt dictum illic eſt, per radices recipiunt dentes abſceſſus.

QVibus ad oculos abſceſſus accidunt in febribus ardentibus, illi maxillas habent valde rubras, & ſanguinem è naribus fundunt: ſed & quibus ad aures tumores naſcũtur. Fortaſſe autem & abſceſſus ad articulos potiùs colliguntur, nec iſtud quidem manifeſtè noui.

Quibus per febres ardentes rubent valdè maxillæ, & ſanguinem è naribus fundunt crebrò, & oculorum abſceſſus patiuntur, vt rubores oculorum, ſeu ophthalmias, aut auriũ vt dolores in eis pulſantes, certe hi multo ſanguine pleni ſunt. His (inquit) fortaſſe ſolent ad articulos colligi abſceſſus potiùs quàm aliis qui febribus ardentibus laborant. Sed explicans cur dicit fortaſſe addit, nec iſtud quidem manifeſtè noui. Nimirum diximus in initio huius operis, hoc opus ſcriptum eſſe captando potius experimenta, quàm docendo quæ iam eſſent ſatis confirmata. Vide ergo quam fidem debeas Hippocrati qu um aliquid affirmat, quia cum hæc ſcriberet, nondum fortaſſe hoc habebat experimentis confirmatiſſimum, non affirmat, ſed aperit tantum quam habet de re, ſeu opinionem, ſeu tantum ſuſpitionem. Sed dices videri quod docet aph. 74. ſect. quartæ ei quod modò dicit longe contrarium. Nam inquit, quibus ſpes eſt abſceſſum fore ad articulos, liberat ab abſceſſu vrina multa, & craſſa, & alba prodiens, qualis in febribus laborioſis quarta die quibuſdam fieri incipit. Si verò etiam ex naribus ſanguis eruperit, breui admodum ſoluitur. Tam longè ergo abeſt, vt ſanguis ex naribus fluens ſignificet abſceſſus ad articulos, vt etiam alioqui futuros fieri prohibeat. Certè non ſunt contraria hæc duo, ſed ad eandem ſententiam pertinent. Si enim ſanguis copioſè fluens liberat ab abſceſſu ad articulos, certè abſceſſus ad articulos nati ſunt fieri in ſanguineis morbis. Sanguineos enim morbos ſolet ſoluere fluxus ſanguinis, ſanguineum verò eſſe morbum nihil poteſt melius ſignificare, quàm crebrò tentatus fluxus ſanguinis. Ergo eadem ratione poteſt fluxus ſanguinis futuros abſceſſus ſignificare, qua & ab eis liberate. Exiguus ſcilicet & creber ſignificare, copioſus tollere ſolet.

RIgores tremulis aderant, hypocondriÿ contentio, muliebria apparuerunt, decima ſeptima perpetuo iudicabantur. Quæ quidem ſi non ita manſiſſent intus, iudicabantur tertia; quædam quinta, quædam ſeptima iudicata eſt.

Mulieres plurimas quadam tempeſtate dicit febricitaſſe acutè ex menſtruorum retentione, haſque habuiſſe per febres rigores citra vllum ordinem, & fuiſſe tremulas, hypochondriumque eis contentum fuiſſe. Has verò ſuperuenientibus menſibus iudicari ſolitas decimaſeptimâ. Si verò aliæ ea tempeſtate febricitaſſent, quibus non ita manſiſſent intùs, hoc eſt, diu ſuppreſſæ non fuiſſent menſtruæ euacuationes, eas tertiâ die iudicari, præter vnam quandam quæ quinta, aliam quæ ſeptima iudicata fuit. Quam familiare ſit mulieribus ex hac occaſione ægrotare, non eſt quod moneam, medicumque debere menſtruæ euacuationis curam ſtudioſè ſuſcipere, quum ad curandas mulieres accerſitur. Fere enim omnes muliebres morbi hinc naſcuntur. Qui enim aliunde, non mulierum proprii ſed communes cum viris ſunt, niſi forte perpauci quidam ex lacte in mammis. Nam & vocatos mammillarum cancros, & morbos ex ſeminis retentione omnes, in viris etiam vidimus. Fere itaque omnes muliebres ſunt ex menſtruorum defectu. Iam vero menſtruus ſanguis non tam lædit quum natura non tentat eũ pellere (quanquam ita quoque redditur impurum corpus) quàm cum confluit verſus vteros velut effluxurus, & aut ob viarum ſtrictu ram, aut ſuam craſſitiem, aut vtrumque non effluit, vt dicitur libello de morbis virginum. Tunc enim ſecretus ab habitu corporis confluit in maiores venas deorſum, coercitus vero regurgitat per maiores & communes ad hypochondrium (ita vocatur ea regio in qua ſunt hepar & lien) diſtenditque illud. Porro venas quæ ſunt circa artus, vt brachia aut crura, crura autem præcipue diſtendens, comprimit vicinos neruulos, & priuat ſubiectas partes facultate animali, vt quum cõpreſſione ſtupor inducitur. Hinc neceſſe eſt tremulos fieri artus. In ſecretione vero, & ea velut repreſſione, neceſſe eſt excrementa agitari, vnde mox fient rigores. Merito ergo illa omnia fiebant muliebribus, ea occaſione febricitantibus. Merito etiam febres erãt longiuſculæ, cùm ex multis ſuccis craſſiſque penderent, ac proinde non iudicabantur niſi menſtruis fluentibus (neceſſe enim erat prius eam, quæ febris eſſet cauſa, tolli, vt ea iudicaretur) neque ante decimam ſeptimam, alioqui acuto morbo laborantes. Eas vero quæ citra eam occaſionem febricitabant, non mirum iudicari tertia, quinta, aut ſeptima. Nimirum contigit ea tempeſtate febricitare acutiſſime, ac proinde intra fines acutiſſimorum iudicari, quibus multitudo & craſſities non eſſet impedimento.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 196 sur 489

©BIUM

Mvlier cui sanguis ex naribus fluxit quinta & sexta, septima iudicata est. Valde rubra.

Hanc arbitror fuisse mulierem de qua loquens dixit, alia septima. Hanc dixit non ex menstruorum suppressione febricitasse, ob id ergo, & ob ea quæ contingere constat, non tam eam laborasse multo & crasso, quàm tenui & valde calido, non multo. Nimirum erat rubicunda maxillis, quia sanguis vtpote tenuis sursum effe rebatur. Fuit vero satis ad perfectam iudicationem in septima, vt sanguis quinta & sexta flueret, quod sane non fuisset, si aut omninò multus aut crassus esset: aut enim producta febris esset, aut fortasse essent facti abscessus ad articulos, vt ipse met nuper dicebat.

Mvlieri vehementi capitis grauitate laboranti iudicatio facta est circa vigesimam diem. Vigesimâ æstuauerunt hypocondria, septima non multum sanguinis è naribus fluxit deiectiones tenues erant, in oculum dextrum circa octauam decubuit.

An huic mulieri menstrua suppressa fuerint non explicat, verisimile autem est ita accidisse, quia quibus non mansissent intus, vt dicebatur nuper, breuissimè iudicabantur ea tempestate, aut tertia, aut quinta, aut septima, Quoniam autem hæc non decima septima iudicata est, vt eadem tempestate plæræque aliæ, constat ex multo accrasso & & angustis locis impacto sanguine malum processisse. Sed & doloris species hoc indicauit, nam vehementi capitis grauitate laborauit. Id verò fit cum multus sanguis crassus præcipuè in capite redundat, maximè autem quum is replet sinus, & vasa membranarum cerebri. Hanc ergo ob causam malum ad vigesimam peruenit, qua iudicata est æstuans hypochondriis: qui æstus non indicabat phlegmonem eius loci, alioqui non simul eadem die cœpisset ac finitus esset, sed decretorius erat. Nimirum cùm succi calidi qui maximè ea regione abundant secernerētur expellendi, æstuarunt hypochondria. Qua ratione iudicata sit non dicit, fortasse autem fluxu sanguinis ex naribus, is enim fuerat insinuatus per morbum, cùm septima fluxerit, etsi non multus, æstuantia etiam hypochondria nullam euacuationem habent magis accommodatam. Per magnas enim venas inde sursum latas facile sanguis ascendit. Fortasse etiam fuerunt deiectiones bilioſæ, hæ enim etiam ex hepate facilè per mesenterium deponuntur, & fuerunt etiam per morbum insinuatæ, fuerunt. n. deiectiones tenues. Redundasse autem calidos succos in dextris partibus magis, atque ita hepate magis quàm liene, indicauit ille decubitus quem fecit in oculum dextrum circa octauam, Neque quidem obstat supernas partes fuisse præcipuè affectas. Hæ enim sæpe per infernas euacuationes liberantur, vt surditas alui fluxione cessat, cùm præcipuè supernæ ab infernis partibus receperint, vt in hac muliere caput à partibus circa vterum. Fluxio ergo ex aluo, etsi recipienti parti contraria fuerit, cum mittente habuit rectitudinem, fuitque illi reuulsio, huic deriuatio. Fuit etiam iudicatio valde congruens muliebris fluxus.

Viro eadem contigerunt, præterquàm quòd septima iudicatus est, liene in sinistris aliquantulum intumescente. Huic vigesima octaua & diuturniores oculi affectus acciderunt, fortasse quòd post iudicationem, & quòd multi contigissent.

Eadem quæ dictæ mulieri, acciderunt eius viro, præterquàm quod iudicatus est septima) quia scilicet non ex menstruorum suppressione laborare cœpit, vt illa) & erat subsplenicus, ac proinde fortasse fluxu sanguinis ex sinistra nare est iudicatus. Nam cùm coniectauerimus mulierem fluxu sanguinis esse iudicatam, & huic eadem accidisse dicat, consentaneum est hunc quoque ita esse iudicatum, ac proinde illud ἐς τὰ ἀριστερὰ, significare fluxum in sinistram narem incidisse: & illud ὑπόσπληνος continere simul affectionem & iudicationis causam, quasi diceret, erat subsplenicus, ac proinde in sinistra inclinauit iudicatio: quia vt in hoc ipso libro dixerat, quibus splenis eleuatio, iis sanguis ex sinistra nare fluebat. Fortasse etiam illa verba, subsplenicus in sinistra, nihil aliud significant, quàm fuisse subsplenicum, dicitque in sinistra per pleonasmum, quia lien ad sinistra pertinet. Cum huic eadem acciderint quæ vxori, accidit etiam in oculum dextrum decubitus vt illi (contigit enim eum oculum habere debilem) verùm non tam citò, sed vigesima octaua, & diuturnior (cœpit scilicet vigesimâ octaua, & lentè ad dies alios processit) reddit Hippocrat. causam, qua coniectat tanto tardiùs huic esse factum, ac non octauâ vt vxori. Forte (inquit) quod post iudicationem, & quod multi contigissent, hoc est, quia iudicatio præuenit diem octauam ac proinde eius diei decubitum sustulit, qui dilatus in tantum tempus est, quia etsi iudicatus perfectè non est (omnino enim habuisset nullum) tamē euacuata sunt multa per iudicationem, ac proinde factus est tardior multo, & minor abscessus.

Hymenæ soror difficulter spirabat, & distenta hypochondria apparuerunt per aliquod tempus, an verò vtero gestaret non noui. Aluus primò suppressa est, & tunc vomebat, posteà non amplius. Aluus enim multa viscosa & bilioſa egessit, nec hypochondrium impediebat. Vndecima die ad magnum dextræ manus digitum orta est phlegmone, alui perruptio confertim facta est & procedebat superius, ex quo melius sese habuit. Etenim cataphora & febris minores erant, & quodammodo melius spirabat, quòd suprà prauum quoddam euo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 197 sur 489

muerat. Decima ſexta exigua & crebra accidit ſpiratio & febris. Mortua eſt. Hæc febricitauit ante abſceſſum, ſeptimâ poſt abſceſſum periit. Erat etiam hæc valde rubicunda.

Ecce aliam quandam, quæ ex menſtruorum ſuppreſſione ægrotauit, vt aliæ multæ illa tempeſtate. Nam niſi fuiſſent ſuppreſſa, non dubitaret Hippocrates an vtero gereret. Sed & ex ijs quæ habuit, agnoſcitur, erat enim (inquit) etiam hæc ἐξερυθρᾷ τρόπῳ hoc eſt vultu perubro, qualis erat multis tunc temporis laborantibus. Nam & de quadam alia nuperrimè dicebatur, valde rubra, & paulo ante, quibus abſceſſus ad oculos, in febribus ardentibus, valdè rubra ſecundum maxillas. Habuit etiam intenta hypochondria, quod ſanguine multo ſurſum regurgitante, eadem tempeſtate factum eſſe in multis, nuper dicebatur. In hac ergo primũ omniũ conſuetæ euacuationis defectus fecit difficilem reſpirationẽ, & tentionem hypochondriorum: idque non quum iam febricitaret, ſed διὰ χρόνου per multos ſcilicet dies antè, vt videretur vtero gerere, ac fortaſſe etiam gerebat. Nam quid prohibet ſimul vtero gerere, & morbo lethali corripi? Certè tam difficile eſt aliquãdo diſcernere, an gerat vtero quę ægrotat, an ſolum teneatur morbo, quem ſuppreſſio menſtruorum fecerit, vt in hac, quæ multos ante dies habuit ventris tumorem, & reſpirationem difficilem, & decem ac ſeptem dies poſtea febricitauit, confiteatur Hippocrates ſe non nouiſſe, an vtero gereret. Cum igitur mulier ea dubitatione ob dicta accidentia teneretur, correpta eſt febre acuta cum cataphora, vt ſolent quibus multus ad caput ſanguis effertur, præcipuè ſi is eſt pituitoſus, qualis eſſe huic videbatur ex alui deiectionibus. Nam imprimis aluus ſuppreſſa eſt, & tunc ſurſum repentibus excrementis vomebat pituitoſa, & bilioſa arbitror, quia deinde, hoc eſt, poſtquam aluus ſuppreſſa eſſe deſiit, & non amplius vomebat, aluus multa deiecit viſcoſa & bilioſa, quæ, quia viſcoſa, magnam pituitæ mixtionem habere agnoſcebantur. Addit, hypochondrium non prohibebat, quod non video quid aliud poſſit ſignificare, quàm non prohibebat vomere, aut deiicere. Scilicet non erat admodum dolens, etſi intentum. Non tamen hoc admodum placet, rarius enim ſolet ea intentio prohibere deiectionem & mictum, quam vt deberet id Hippocrates admonere. Quare ſuſpicari cogor, quum legitur οὐκ ἐκώλυεν legendum fuiſſe οὐκ ἀπῆλυεν hoc eſt, non demittebat, aut ſoluebatur, quaſi diceret aluus multa viſcoſa & bilioſa egerebat, hypochondrium tamen non dimittebat ea, à quibus intendebatur ſed nihilominus tumebat. Ita enim accidit iis quibus lethalis morbi exitus portenditur. Nihil excernitur è partibus præcipuè affectis, & reliquis inutiliter euacuatis vires diſſoluuntur. Vndecima die in magnum digitum manus dextræ incidit phlegmone. Quia non raro tentatur abſceſſus in morbis pendentibus ex multo ſanguine. Manus autem dextra maximè nata eſt ab hepate recipere, & hoc eſt maxime natum ſanguine redundare. Addit, καταῤῥήξις δὲ ἐπεχώρει ἀνωπέρω Hoc eſt, per id etiam tempus erat humorum fluxio per vomitum. Cum autem hoc fieret, ideſt cum vomeret, melius habebat, remittebatur enim & cataphora, & febris. Et aliquando etiam euenit fieri melius ſpirantem, quod ſupra vomuerat vomitum prauum. Conſtat per pleonaſmum dici ἄνω non enim per inferiora vomimus. Sed cauſam ob quã tãtopere ſubleuabatur vomitibus, cum eſſet lethaliter affecta, ſatius eſt conſiderare. Videtur enim perituris illud imprimis eſſe proprium, vt nullis euacuationibus magnopere iuuentur. Certè quæ vterinis morbis tenentur, aut ex ſuppreſſione menſtruorum ortis, magnopere ſolent iuuari vomitibus, quia cum vtero magnopere conſentit ventriculus, & eius paſſiones grauiſſima ſymptomata afferre ſolent, anxietates enim & deliquia animi, & capitis grauitatem & vertiginem, & motus conuulſiuos, & præfocationem. Quæ eadem ſymptomata morbis illis ſunt familiaria. Depoſitis ergo quæ ventriculum premunt, ceſſat eius conſenſio, & ea ceſſante magna ex parte remittuntur accidentia. Eadem ratione in hac euenie-bat, vt vomitibus ſubleuaretur, non ſane quòd ita morbus præcipuus minueretur: alioqui fuiſſet liberata, ſed quòd deonerato ventriculo ſymptomata minuerentur, & illa videretur potiùs ſeſe melius habere quàm reuera haberet. Nam ita procedente morbo, decimaſeptimâ ſpiratio facta eſt exigua & crebra, & febris aucta, eſt quod quidem inflammationem magnam in ſpiritualibus inſtrumentis ortam ſignificabat, aut (ſi id citra dolorem maximè contigit) ardorem ingentem: ob maximam facultatis debilitatem tandem mortua eſt, non ſanè eadem die, ſed decimaſeptimâ. Nam inquit, hæc febricitauit ante abſceſſum (nam vndecima die febris habuit abſceſſum) & ſeptima poſt abſceſſum periit. Eſt verò ſeptima ab vndecima, decimaſeptima. Nec immerito id euenit. Quæ enim eodem modo & ex eadem occaſione ægrotantes ſeruabantur in hac tempeſtate, iudicabantur decimaſeptima. Eiſdem autem diebus moriuntur homines, quibus ſalui fiunt, vt Hipp. ipſe autor eſt.

Filius mulieris illius quæ erat Apemanti ſoror tumida habuit hypocondria & ſplenem, difficulter ſpirabat, alui excrementa erant viſcoſa, bilioſa, & ſtercoribus aliquo pacto admixta. Defeſſo ex operibus vigeſima in pedes abſceſſus accidit, eaque iudicatio laſſitudinem patientibus in articulos, non in oculum ſolet contingere. Hypocondria autem diſtenta erant, atque etiam tuſſicula quædam ſicca continua diuexabat.

Puer hic maiori aliquo, quàm pro ſuis viribus, labore defeſſus, cœpit febricitare cum hypocondriorum tumore, præcipuè lienis, ac cum difficili reſpiratione: ac proinde abſceſſus factus eſt huic in pedes (non in oculum vt aliis de quibus dictum eſt, qui eodem tempore ægrotarunt) & in pedum articulos, idque merito, quia, vt in aphoriſmo quartæ particulæ dicitur, laſſitudinem patientibus per febres, in articulos, & circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. Hic ergo quandoquidem in pedum factus eſt articulos, videtur iter agendo defatigatus eſſe. Si enim eſſet aliter, forte factus eſſet ad maxillas, cum maximè iuxta tempeſtatis conditionem eſſet futurus in oculum. Sed pueri & debiles cum pedites agunt iter, ſolent ex

ea de-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 198 sur 489

©BIUM

ea defatigatione inflammationem viſceris contrahere. Quæ excrementis ex toto corpore tractis, ea in tumorem eleuatur, dextrum, aut ſiniſtrum, aut vtrumque, vt ſunt dextra, aut ſiniſtra, aut vtraque parte debiles. Ita accidit huic, cui ambo hypocondria, lien verò præcipuè intumuit, & difficulter ſpirabat, & ob compreſſionem quam afferebant hypocondria thoraci: & quia talis reſpiratio laſſitudini ipſi eſt familiaris. Ob redundantiam verò excrementorum multiplicium, quæ ibi collecta ſunt, fiebat deiectio lenta, bilioſa, & ſtercoroſa, ex pituita ſcilicet & bile cum ſtercore admixtis. Vigeſima die dictam ob cauſam abſceſſum habuit in pedum articulos. Atque ita iudicatus eſt, imperfectè tamen. Nam & poſt factum abſceſſum, hypocondria intenta erant. Et tuſſicula etiam quædam ſicca continua, hærentibus adhuc multis excrementis iis in partibus, & reſudante parte aliqua in thoracem tenuiſſima, vt ſolet in hydropicis. Vnde facilè conſtat hunc non fuiſſe bene liberatum, ſed obnoxium recidiuis, quod vt inſinuet, addit hæc quæ ſequuntur.

QVæ relinquuntur poſt iudicationem, recidiuas faciunt, & quæ in ipſis morbis excernuntur, ſputum præmaturum, venter, intemperies, & huiuſmodi.

In multis locis ſcriptam inuenies apud Hippocratem hanc ſententiolam. Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem recidiuas faciunt. Nam vel in hoc ipſo opere enarrata iam eſt lib. 2. ſectione 3. & rurſum lib. 6. occurret. Itaque quod ad primam partem attinet huius contextus, non eſt quòd moremur: quod verò addit, & quæ in ipſis morbis excernuntur, ſputum præmaturum, venter intemperies, & huiuſmodi, aliquantò eſt difficilius. Nam ſi quæ reliquuntur recidiuas faciunt, non facient quæ excernuntur. Contraria enim ſunt excerni & retineri. Iam verò concoctiones omnes ſecuritatem iudicij ſignificare 2. lib. dictum eſt, quo pacto ergo præmaturum ſputum ſignificabit ſecuritati iudicij contrarium, hoc eſt recidiuam. Venter non videtur hic poſſe ſignificare aliud, quàm deiectiones. Intemperies videntur pertinere magis ad ipſum affectum, quàm ad cauſam: illud verò quæ reliquuntur, dicitur de cauſa morbi, & malis ſuccis. Quid ergo eſt quòd dicit Hippocrates? Certè non quæ ſatis copiosè excernuntur, & vſque ad corporis perpurgationem, faciunt recidiuas: ſed quæ imperfectè exeuntia retinentur; & quæ ſexto libro ſectione 2. dicet his verbis. Siquidem ex effuſis intus relinquatur, parata eſt recidiua. Hoc eſt, ſi aliquid eorum quæ effundi cæperunt, retineantur, vt effuſio non perfecta facta ſit, paratus eſt homo ad recidiuam. Hoc idem nunc dicit, & quæ in ipſis morbis excernuntur. Perbellè autem dicit, & quæ in ipſis morbis excernuntur. Nam excerni non in ipſo iudicationis tempore, & extrema morbi parte: ſed in ipſis morbis, id eſt, per ipſos totos morbos, dyſcriſias, ſeu difficiles iudicationes indicat, ac proinde recidiuas, vt dicebatur libro 2. ſectio. 1. Ergo per morbos intelligit intempeſtiuè factas excretiones, ſiue aliunde ſiue ex ventre. quæ ſignificant futurũ morbũ difficilis iudicij, atq; ob id iudicandũ difficilem, & habiturum recidiuam. Quod ergo addit, venter, hoc idem poteſt ſignificare, putà deiectiones imperfectas, aut etiam fortaſſe ventrem tumentem, quaſi dicat ventris tumorem ex morbo relictum, ſignificare intus remanere aliquid quod minatur recidiuam. Ad hunc ſenſum fert puer ægrotus, cuius cauſa videtur Hippocrates hæc dixiſſe. Nam dixerat, poſt iudicationem hypochondria illi diſtenta fuiſſe. Quod dicit ſputum præmaturum & intemperies, ſimile eſt ei quod dicitur. 6. Epid. Sitis intus relicta. Nimirum cum morbi, acuti præcipuè, cauſa perfectè euacuata eſt, facillimè ac citiſſimè redit corpus ad temperiem, cùm ergo non redit, quod ex ſiti aut craſſato ſputo cognoſcitur, timeri debet ne aliquid interiùs relictum ſit, quod recidiuam afferat. Sputum ergo præmaturum hoc loco videtur mihi dici, non quod bene maturatum facilè excreatur, ſed ſaliua craſſior facta, ac præcalida intemperie exuſta. Quoniam enim ſputum quum coquitur craſſeſcit, ob accidentis ſimilitudinem quod vtcumque calore craſſeſcit, licet vocare præcoctum. Hæc ergo & huiuſmodi, hoc eſt, quæcunque intemperiem ſignificant aut ſuccos derelictos, vt ſitis, amaritudo oris, & faſtidium, recidiuas prænuntiant.

APemantum dolores torquebant in ſede, & dextræ partis inanitate, atque iuxta vmbilicum paulò infrà oriebantur, & ex dextra parte ante dolorem mingebat cruentum. Tertia die deſiit. Et faber in altera parte ex eadem rectitudine dolorem ſenſit, hic etiam prius mingebat cruentum. Quod cùm deſiiſſet, ambo ſubſidens quoddam in vrinis habebant, idque tertia die. Fouebatur autem plurimùm Apemantus, quòd alter non ſentiret niſi in ſiniſtra parte. Nicoſtrato etiam accidit aliquid in extremis partibus dextris, paulò infrà quàm quibus in ſiniſtris. Oblongum verò quoddam ex ventris inanitate ad vmbilicum vſque vtriſque extendebatur.

Aliquando dolores renum ac viarum vrinæ, tam ſimiles ſunt doloribus inteſtinorum, vt primis diebus omninò diſcerni non poſſint, quòd ſcilicet in vtroque contingat, & vrinam & deiectionem cohiberi, & ægrotum nauſeare: & doloris ſpecies in eodem loco eadem ſit. Non diſcernuntur ergo donec incipiant vrinæ & deiectiones exire. Tunc enim earum forma indicat, renes an inteſtina laborent, ex renibus enim mictu, ex inteſtinis deiectione reijciuntur ea quæ affectionem indicent. Cum ergo dolorem ſubitò inuadentem comitatur, aut antecedit inſigniter mutata vrinæ ſpecies, facilè

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 199 sur 489

©BIUM

dignoſcentur vel in ipſa prima inuaſione. Nam & timebuntur antequam fiant. Velut accidit Apemanto & fabro: quorum Apemantum, dextri renis & vreteræ ſecundum dextrum ile: fabrum, ſiniſtri, & vreteræ etiam ſiniſtræ dolore laboraſſe certum eſt. Nam vterque ante dolorem mingebat cruentum, per debilitatem arbitror renis, laxatis quæ in eum finiuntur venis, quam anaſtomoſim vocant, aut laxatis meatibus, qui à primo in ſecundum ſinum ſunt, ac ita malè peracta ſecretione. Ea verò vrina cum incepiſſet ante dolorem, ceſſauit in vtroque die tertia. Non explicat an tertia à doloris initio, an ab ea qua cepit cruentum mingere, vtrũque ſanè fieri potuit. Vtrumuis autem factum ſit, rene debilitato per intemperiem, ac ob debilitatem colligente excrementa quæ obturarunt, & ſuppreſſionem ſanguinis fecerunt, hæc ipſa excrementa cruentum mictum tollentia dolorem auxerunt. Verùm etſi cruore tincta vrina reddi deſiit, non tamen proinde omninò exiit pura. Nam ex illis ipſis excrementis quæ obturarunt, deciſa ſunt ſabuloſa quædam, quæ ſubſidebant in tenui vrina, quod nunc vocat ſubſidentias. Ergo dicit: Apemanto dolores in ſede (non quidem arbitror in ipſo podice ſed iuxtà in interfœmineo, per illud enim præterlabitur tortuosè veſicæ ceruix ad extremum caulem) & in ili dextro iuxta vmbilicum, paulò infra illum (quà ſcilicet vreter deſcendit ex rene dextro in veſicam) & ex dextro (rene ſcilicet) ante dolorem mingebat cruentum. Deſiit tertia die (doloris arbitror) & faber in altera parte (hoc eſt ſiniſtras partes habuit dolorem incumbentem) ex eadem rectitudine, id eſt, ſecundum eandem rectitudinem producto dolore à rene ſiniſtro, per ille ſiniſtrum ad caulem. Et hic etiam mingebat priùs (quàm ſcilicet doleret] cruentum, deſinente verò (cruento mictu) ambo (Apemantus ſcilicet & faber) habebant in vrina ſubſidentias (arenoſas ſcilicet, aut craſſas, ſedentariaſque, quales renales eſſe ſolent) & hoc tertia die euenit vtrique. Fouebatur autem plurimùm Apemantus, alter non ſentiebat niſi in ſiniſtra. Hoc eſt Apemanto extendebatur dolor ad partes plures, vt multis ſit proximis partibus conſentientibus, aut ſecundariò occupatis, ac proinde fouebatur plurimis partibus: faber verò paucioribus, quia non ſentiebat dolorem niſi in ſiniſtra parte. Obiter inſinuat (quod eſt veriſſimum) maximum vſum eſſe fomentorum in huiuſmodi doloribus, anodynorum ſcilicet, & laxantium. Nicoſtratus, qui tertius eſt in præſcripta narratione ægrotus, videtur habuiſſe dolorem inteſtinorum, quia non minxit cruentum vt illi, & dolorem habuit non ſecundum ilis rectitudinem, ſed ad anteriorem partem inclinantem in dextra parte. Quoniam verò comparans hunc cum fabro, qui in ſiniſtra parte habuit dolorem, dicit, in extrenuis dextris partibus, inferiùs quàm quibus (legendum arbitror cui) in ſiniſtris, & mox addit, vſque ad vmbilicum vtriſque, fabro ſcilicet & Nicoſtrato: conſtat fabrum, etſi dictum ſit ſecundum eandem rectitudinem doluiſſe ſiniſtra parte, velut Apemantum dextrâ, habuiſſe tamen dolorem non æquè humilem: ſed ſecundum rectitudinem ilis, ſuperiorem verò, nam attigit vmbilicum, & non attigit interfœmineum: nam ſi hoc attigiſſet; non potuiſſet dolor Nicoſtrati inferiùs deſcendere. Ergo faber habuit ab vmbilico deſcendentem per ſiniſtrum ile, non vſque ad pubem: Nicoſtratus verò ab vmbilico ante ile vſque ad pubem: qui locus inteſtinorum potiùs quàm viarum vrinæ eſſe videtur.

EA anus quæ iuxta Soſileum Leucophlegmate laborabat. Tibiæ duris tumoribus, candidis, mollibus turgebant, pedeſque, quamuis minus. Illi etiam ad inferiorem femorum partem extendebantur. Multis autem hoc difficilem exitum portendit. Quinetiam lumbi tumebant & venter tenuis erat, hypocondria ſubmollia, nec admodum difficulter ſpirabat. Deſinentibus autem plurimis alia incumbebat cura, quod oculi facti eſſent cæſij. Hæc autem oculorum cura paulo quidem mitior erat. Coxæ autem & cruris dolores ab vtero oriri videbantur. Appoſito medicamento bene olente ex farina, & vnguento contigit ſtatim diſcuti & finiri. Tempus eius qui in oculos factus eſt abſceſſus, annuum fuit.

Hæc anus laborauit ea hydropis ſpecie, quæ leucophlegmatia vocatur ob pituitam toto corpore redundantem, & colorem quem cuti tribuit. Eſt is affectus, vt Galen. dicit, in toto corpore aut multis partibus idem, qui œdema dicitur in vna quadam particula. Vocant enim medici iam pridem œdema tumorem mollem ſine dolore. Talis verò etiam eſt candidus, quamquam Hippocrati & vetuſtiſſimis œdema ſine adiecto, non hunc aut illum, ſed tumorem ſimpliciter ſignificabat. Proinde dicit, hæc leucophlegmate laborauit, mox deſcribens affectionem per ſymptomata, addit tibiæ οἰδήμασι λευκοῖσι, id eſt, tumoribus albis, & φολιδώδεσι, id eſt, mollibus, ſeu laxis, & folliculorum ſimilibus turgebãt. Sed quo pacto fieri poterant, vt eſſẽt etiã duri (dicit. n. etiam σκληροῖσι) ſi erant φολιδώδεις: opportebat verò mollia eſſe, ſi œdemata? Certè quod Hippocrates inſinuat his verbis, eſt quod in leucophegmaticis ſæpe videmus: in quibus carnes adeò intumeſcunt, vt diſtendatur cutis, ac proindè dureſcere videntur. Tamen ſi quis comprimat foueat fit, quaſi ſub diſtenta cute non durum quidpiam, ſed molle aut inane ſit, vt in inflatis follibus. Hæc omnia ſignificans dicit, duris, albis, & φολιδώδεσι. Erant, inquit, hæc etiam in pedibus, ſed minùs: erant autem & in iis quæ ſunt infra femora, ad genua ſcilicet. Exagerans obiter mali huius periculum, dicit, Plurimis autem eſt hoc δυσέξοδον, id eſt difficilis exitus. Hoc eſt, habet autem in plurimis hic morbus difficilem exitum. Nam vt lib. 2. de morbis dicitur, morbus hic maximè à nullo diſcedit, Verùm quæ hic addit, parùm videntur congruere cum iis quę illic ſcripta ſunt. Dicitur enim ibi, tumet totum corpus tumore albo, & venter craſſus ad contactum. Hic verò & lumbi, & λεπτόγαστρος, id eſt, tenuem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 200 sur 489

©BIUM

habens ventrem: additque, hypochondria ſubmollia. Rurſum illic, & reſpirat aceruatim: hic, ſpirituoſa autem non valdè. Malè ergo dicit hanc leucophlegmate laboraſſe, quæ eius morbi notas non habebat omnes. Certè non ea omnia ſemper inſeparabilia à paſſione ſunt: ſed quum ea eſt maxima. Hæc autem proinde liberari potuit ab hoc morbo, etſi is in pleriſque ſoleat habere difficilem exitum, quia ſcilicet in ea non multum habuit progreſſum: ſed etſi tibiæ, pedes, & femora, & lumbi tumore albo duro & foliculoſo tenerentur, venter erat tenuis, & hypochondria ſubmollia, nec admodum difficulter ſpirabat, quod certè apertè ſignificabat, pituitam ſuperiores partes non admodum occupaſſe. Sed quos abſceſſus habuerit hoc malum, operæpretium eſt audire. Subſidentibus iam tumoribus oculi facti ſunt glauci, & eius glaucedinis cura quædam etiam fuit, quæ per annum durauit poſt ſolutos iam tumores. Verum hic abſceſſus mitior fuit, neque enim dolores quoſpiam, neque ſymptomata alia acerba inferebat: fuit autem alius immitior, nimirum dolores coxæ & cruris. Non dicit dextra an ſiniſtra in parte, ſed nihil refert: certum tamen eſt non fuiſſe in vtraque, quia dicit coxæ & cruris, alioqui dixiſſet coxarum & crurum. Quam ob cauſam hydropicis fiant oculi glauci, dictum eſt lib. 2. ſectione 5. vbi ita ſcripſit Hip. ὑδρωπικοῖσι χαροπὸν, vbi ex quodam loco Gal. & hoc quem ibi produximus, indicauimus dici illic χαροπὺς abuſiuè γλαυκὸς: nunc ergo non eſt quod cauſam eius euentus dicamus. Veniamus ad coxæ & cruris dolores. Vterini affectus, inquit, erant, qui videbantur eſſe dolores. Dolores certè erant, alioqui quomodo viderentur? Sed intellige, cùm viderentur eſſe dolores earum partium per propriam earum paſſionem, erant tamen ob paſſionem vteri. Nimirum vt lib. 2. de morbis muliebribus pluries dicitur, diſtortio vteri in coxam facere ſolet dolores maximos coxæ in quam incidit, & crurum: & ſolet eſſe tam immite malũ, vt aliquando terminentur in ſuppurationem, & exciſiõnẽ, & ad ipſam coxam etiam ἔμπυον fiat, vt in aph. 47. part. 5. dicitur. Num ergo oportet ſuſpicari, hanc cepiſſe fieri hydropicam ex vtero, vt multas ſolere eodem libro Hippo. dicit? Fieri quidem ita potuit, nam corrupta hepatis temperie, nunc à ventriculo, nunc à liene, nunc ab vtero, nunc à renibus & inani parte fit hydrops. Non tamen ex iis quæ narrantur, neceſſe eſt ita eſſe factum. Vndecunque .n. hydrops inceperit, poteſt pituitæ abſceſſus in vterum incumbere, occupareque alterius lateris ligamenta, atque ita eum diſtorquere, atque in coxam trahere, vnde dicti dolores mox fiunt. Probat deinde Hipp. dolores hos fuiſſe ex vtero, argumento quod Gal. vocare ſolet à iuuantibus & nocentibus. Nimirum appoſito medicamento bene olente contigit citò diſcuti ac finiri dolores. Talis autem eſt ratio curandi oris vteri torturam. Ita .n. ſcriptum eſt lib. 2. qui citatus eſt de morbis muliebribus. Quibuſcunque oſculum alio inclinatur, & ad coxam allabitur (contingunt enim & hæc quæ vterum purgari prohibent, & genituram ſuſcipere, & liberos gignere) hoc odoratis fouere oportet, & poſt fomentum digito reuellere, & à coxa diſparare, & poſtea tædulis & plumbeis ſiſtulis immiſſis dirigere. Cùm ergo odoratorum admotio tam ſit vterinarum paſſionum propria curatio, vt quibuſdam videatur eſſe vtero ſenſus odorum, quo vt animal quoddam odorata proſequatur, & hi dolores odorati medicaminis admotione tam citò ſoluti ſint, conſtat eos fuiſſe ex vtero. Odorata verò admouentur, aut in ipſum os immiſſa ad formam peſſi: aut illita, vt acopa, aut vt cerata, aut cataplaſmata: aut ſuffitu & vapore, aut duabus pluribusve etiam formis. Facilè verò eſt quouis modo medicamentum odoratum parare. Huic quandoquidem ex farina & vnguento ſeu oleo admotum eſt, conſtat fuiſſe cataplaſma. Quo vnguento paratum ſit non dicit, ſolet verò laudare paſſim in eodem libro ad eandem paſſionem vnguentum Aegyptium. Quod nam verò ſit id quod Aegyptium vocat non ſatis conſtat: conſtat tamen eſſe aliquod bene olens, cuius eo tempore frequens erat vſus, vt quod Romæ multò poſt vocabatur foliatum, aut ſpicatum. Ac nunc parantur quædam accipientia muſcum, aut galliam. Forteſſe erat illud vnguentum Aegyptium ex myro, quod dicunt eſſe arbuſtum quoddam odoratum: incognitum verò id eſt.

Περιομφακώδης, ὦ ᾗ τὰ ἐξανθήματα ἐξέπεκτε καὶ πλέως, ἔστι δὲ ᾗ ἀπὸ τῶν συρμάτων πιαῦτα.

Circum vmbilicaris, cui exanthemata contabuerunt non perfectè. Sunt autem & à ramentis talia.

Vbi ego legi, circumumbilicaris, legitur Grecè περιομφακώδης, vertitq; Cornarius circumcirca durus, & vbi ego ramentis, legitur συρμάτων, & vertit illeſ, diſquammatis. Eſtque tota dictio, circum circa durus, cui exanthemata contabuerunt non perfectè, ſunt autem & à diſquammatis talia. Quæ verba nõ video, quid ſignificent, neq; ſanè multum diuq; cogitans inuenire potui, quod vel non diſpliceret omnino. Proinde corruptum eſſe codicem coniectaui, ſcribendumque pro περιομφακώδης, περιομφαλώδης & pro συρμάτων ξυσμάτων: arbitror verò Cornarium etiam legiſſe ξυσμάτων, ac pro ramentis dixiſſe diſquamata, σύρμα enim res eſt longà diuerſa. Ita ergo reſtituta lectione, videam quid poſſit tota hæc dictio ſignificare. Certè dolorẽ factum eſſe circum circa vmbilicũ cuidam, cui exanthemata ſublata ſint non perfectè, eumq; dolorẽ fuiſſe qualis eſſe ſolet à ramentis. Quæ ſanè res rationi eſt valdè conſentanea. Exanthemata enim perfectè ſublata dicũtur, quum decretoriè ac cõmodè & ſecundũ rationem ceſſarunt; imperfectè verò, quũ intempeſtiuè euanuerunt, quę res vt in nullo externo tumore, aut etiam partis cuiuſpiam dolore tuta eſt, ita in exanthematis eſt valdè periculoſa. Collectis.n. intrò excrementis præcipuè malignis, qualia eſſe ſolent quæ faciunt exanthemata, internæ paſſiones ſuccedere ſolent, atq; adeò ſæpiſſimè dyſenteria, quæ ab inteſtinorum magno dolore incipit, & eum etiã comitẽ habet. Meritò ergo cui exanthemata contabuerunt non perfectè, factus eſt dolor circum circa vmbilicum, inteſtinorum. ſ. iſq, dolor fuit qualis à ramentis, hoc eſt qualis ex dyſenteria. Dyſenteriam .n. indicant ramenta, quæ exulceratis inteſtinis decidũtur. Monet ergo nos hæc hiſtoria ab imperfectè ſolutis exanthematis, dyſenteriam timere.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 201 sur 489

©BIUM

IN hippolochi villa puer erat, cui aliquid cõtinebatur in vtroque hypocondrio, quod durum erat, & in inferiori parte habebat fulgorem aliquem, ſimilem ei qui in muliere fabri ferrarii hydropica aderat, iſtud tenuia alui excrementa prodeuntia aliqua ex parte emolliuerũt. Erat autem & hoc ipſum in dextro quodammodo planum, & ſupra ea quæ circumferentiam habebant, eleuatum. Huic vmbilicus ab ortu denigratus fuit, & vlcus profundum factum eſt, neque vmbilicus cicatricem ferè contraxit, & pudendum extrema parte denudatum erat, cum tale ſtatim non extitiſſet, neque congenitum eſſet, & poſteà magis fieret. Hic pleraque vomebat, febris aderat, & cibi faſtidium, ſanatus eſt. Circa ſeptimam autem diem à decubitu (antea enim laborabat multam aquam bibens & fortaſſe ſibi negligentiùs proſpiciens) iactabatur & aliquantulum conuellebatur; deſinente autem conuulſione latenter mortuus eſt. Anteà autem minxit confertim, & flatus prodierunt cum crepitu, nec ſuperiores partes vllo modo ſunt emollitæ. Verùm ſtatim vbi defecit, & illæ valdè ſunt emollitæ & reliquæ rubefactæ ſunt, veluti totum corpus verberibus cæſum fuiſſet, præter eam partem in qua maximè tumor erat, & calidus per multum tempus erat.

Hic puer à ſuæ generationis principio erat melancholicus, quod nigrities vmbilici apertè declarabat. Tales enim apparent in partibus colores, quales ſũt ſucci quibus nutriuntur. Ea vero nigrities non ſucceſſit poſtea, ſed ab ipſa generatione facta eſt, & hac ipſa cauſa meritò potiùs in vmbilico, quàm alia vlla parte contracta eſt. Nam cùm capiatur per vmbilicum primordiale alimentum, & illud ipſum eſſet melancholicum, ipſam viam qua recipiebatur, & circa eam conſiſtentes particulas primùm maximèque tingebat. Fortaſſe etiam non eſt inde recens nato ſatis expreſſum ab obſtetrice. Sed & morbus quem contraxit, hanc eſſe illius naturam indicauit. Nam vitioſæ naturæ in morbos ſimiles ſunt admodum pronæ. Conſtat vero hunc morbum grauiſſimum natum eſſe ex multa melancholia collecta in hypocondriis. Indurũerunt enim ambo, & intumuerunt: factique ſunt in eis ſcirrhoſi tumores, quos à craſſis ſuccis fieri neceſſe eſt: eos verò in principio melancholicos fuiſſe potiùs quàm pituitoſos, indicauerunt vlcera ægrè ſanabilia circa vmbilicum orta, & effuſio illa nigrioris ſanguinis quæ mortuo eſt facta, qua totum corpus velut vibicibus eſt rubefactum. Sed quo pacto factus eſt etiam hydropicus? Factum enim etiam fuiſſe talem, indicabat ille fulgor qui in diſtenta ventris cute apparebat, & illa nuditas extremæ partis pudendi. Illa .n. ambo hydropicis fieri videmus, vtrunque quidem diſtenta cute à ſubiecta pituita & aqua. Nam membranę omnes diſtentæ comparant ſecundum ſuperficiem læuitatem (deponunt.n. rugas) læuitas verò facit plurimùm ad fulgendũ, quia ex ſuperficie vna meliùs totus fulgor repercutitur, & nullæ neque ſenſiles neque inſenſiles vmbręfiunt. Hanc ergo ob causã tentio cutis fulgorem illum facit in hydropicis: nuditatem verò pudendi, quia diſtenta cutis vẽtris contrahit cutem, qua ea pars tegitur. Cùm ergo hydropis materia ſit ſerũ, aut pituita, aut flatus, pituitoſum potiùs quàm melancholicum malũ fuiſſe videtur. Certè redundantia craſſioris ac nigrioris ſanguinis, occupans hypocondria ac præcipuè hepar, obruit calorem naturalem & debilitauit. Eo debilitato hydrops ſucceſſit. Ita cum laboraret & febricula quadam, vt hydropici ſolent, ſed nondum decumbens, neque ſane bono vtens victu, ſed (quod ita affecto erat aduerſiſſimum) multam aquã bibens, & alia etiã aduerſa faciens, exuſta ac proinde acriori atrabile facta, cœpit acutè ac malignè febricitare, à quo ſeptima die, præter ſpectantium opinionem, mortuus eſt, eadem prorſus poſt mortem habens, quæ qui moriuntur ex veneno. Nimirum atrabilis adeò nonnunquam excandeſcit, vt ſit quaſi venenum intra corpora genitum. Sed enarremus ſingula verba, atque ſi quid hiſtoriæ omiſſum eſt, adijciam⁹. In Hippolochi villa puererat cui aliquid cõtinebatur in hypocondriis (tumor ſcilicet) quod durum erat, vt aliis fortaſſe ea tempeſtate contigit, & in parte inferiori (verſus medium ſcilicet ventrem) habebat fulgorem aliquem, ſimilẽ ei qui in muliere fabri ferrarii hydropica aderat, obiter dicit quid hydropicæ illi euenerit. Iſtud tenuia alui excrementa prodeuntia, hoc eſt aquoſæ deiectiones aliqua ex parte emolliuerunt, partem ſcilicet quâ venter tumebat. Nimirum vt aphoriſ.14. particulæ ſextæ dicitur: Ab hydrope detento vbi aqua e venis in ventrem confluit, ſolutio fit. Redit ad puerum dicens, erat autem & hoc ipſum, hoc eſt, tumor durus, etſi ad ambo hypocondria pertineret, tamen erat in dextro quodammodo planum, & eleuatum ſupra ea quæ circumferentiam habebant, id eſt, ſupra alias partes quæ circumcirca tumorem eum erant. Multò itaque maiorem tumorem contraxit hepar, & magis affectum eſt quàm lien. Conſtat verò quod nunc dicimus planum, pro læui accipiendum eſſe, læuitatem enim habuiſſe fulgor declarauit, tumores verò hepatis rotũdi apparere ſolent, non plani. Itaque nunc dicimus planum vt contrarium aſpero, non vt rotundo. Atque hoc idem ſignificat verbum quo vſus eſt Hippocrates ὁμαλὸν, id eſt æquale. Nam quod aſperum eſt inæquale eſt ſecundum extremitatis partes. Huic ἐκ γονῆς erat vmbilicus niger, hoc eſt, ab ipſa generatione, & vlcus profundum fiebat, quaſi diceret, & ob hanc cauſam, quia ſcilicet ea pars prauo vtebatur ſucco, vlcus profundum fiebat in vmbilico, & non facilè contrahebat cicatricem. Nimirum à corrodentibus ſuccis, qualis maximè eſt atra bilis, exæſa carne fiunt vlcera caua, & ob eandem cauſam dyſepulotica, id eſt, ægrè ad cicatricem venientia. Videntur verò hæc verba duo poſſe ſignificare, aut hoc tempore quo tumore illo ventris laborabat puer, vlcus vmbilici eſſe ei obortum profundum & contumax, aut non eo tempore ſolùm, ſed ſolitum eum aliquoties habere id vlcus. Nam illud verbum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 202 sur 489

ἐγρήγορεν tempus indefinitū ſignificat. Vtrumque autem rationi erat conſonum. Nam duplex eſt rebellīū vlcerum genus, alterum quod ſæpe cicatrice obductum ſæpe redit: alterum quod vix cicatrice obducitur. Quod ergo ſæpe rediret, & ęgre ſemper ſaneſceret, faciebat cacochymia eius partis, præſente autem hoc malo accedebat etiam alia difficilis ſanationis cauſa. quod vt aphor. 8. ſectionis ſextæ dicitur, hydropicis exorta in corpore vlcera non facile ſanentur. Pudendum extrema parte denudatum eſt, cùm tale ſtatim non exſtitiſſet. (explicans quid dicat ſtatim addit) neque congenitum, hoc eſt, non ex ipſo ſtatim ortu factum tale, vt vmbilicus niger, ſed ex hoc morbo, & adhuc magis fiebat, ideſt, & in dies increſcebat hoc accidens. Hic vomebat plerumque ob debilitatem, arbitror, ventriculi: & febris eum tenebat (febricula ſcilicet, qualis in hydropicis fieri ſolet quum putret iam aqua) & faſtidium ob vitioſos ſuccos in ventriculo imbibitos: poſt hæc occurrit ὑγιάνθη ideſt ſanatus eſt. Sed non video quomodo ſanari potuerit, qui ſeptima die à decubitu eſt mortuus, vt mox dicit. Proinde ſuſpicor, non ὑγιάνθη ſed ὑγιὴς aut ὑγιεινὸς, ideſt, ſanus legendum eſſe. Sanus autem videtur dici, non quod nullo morbo omnino teneretur, cùm vomitu, febricula, & faſtidio laboraret, ſed quod non ita vt cogeretur decumbere. Quaſi diceret multo tempore antea vomebat crebro, & laborabat febre, & faſtidio, nondum tamen decumbens, deinde cœpit acutè ægrotare, & coactus eſt decumbere, & circa ſeptimam à decubitu iactabatur hùc & illuc in lecto præ anxietate, & conuellebantur. Eueniebant verò ambo hæc, patientibus corde & cerebro à maligna atræ bilis qualitate. Cordis enim anxietas, cerebri conuulſio eſt. Reddens interim cauſam ob quam dicit à decubitu, & aperiens occaſiones tam grauiter ægrotandi quæ anteceſſerunt, dicit, antea enim ægrotabat (antea ſcilicet quam decumberet) neque ſanè bono vtens cibo, ſed (quod hydrope iam tentato erat aduerſiſſimum) multam aquam bibens, & fortaſſe ſibi negligentius proſpiciebat, ideſt, & fortaſſe aliter etiam peccabat parui pendens morbum. Euenit itaque hinc tam graui malo corripi, vt ſeptima die à decubitu moreretur. Sed quomodo, audiamus. Deſinente conuulſione latenter mortuus eſt, hoc eſt, ceſſauit conuulſio, & cum hac cauſa melius habere fortaſſe videretur, inopinato mortuus eſt. Nimirum ſæpe in proximis iam morti, pereunte partium ſenſu, & ceſſante facultatum actione miteſcere videntur ſymptomata, & hoc ipſum eſt mori. Ante hōc autem, hoc eſt, antequam moreretur, minxit confertim, & flatus prodierunt cum crepitu, tamen ſupernæ partes (hoc eſt hypochondria) nullo modo emollitæ ſunt: quia arbitror, nihil craſſioris ſuci quo hypochondria tumebant, & qui hydropis ciendæ cauſa fuerat, euacuabatur, ſed aqua & flatus. Hæc vero manente priori ac deteriori morbi cauſa leuare non poterant, poterant verò debilitare ſpirituum effuſione, atque ita mortem properare, velut profectò in omnibus hydropicis euenit, quibus aut alia maligna affectio in corpore eſt, aut iam eſt partium temperies radicitus euerſa, vt euacuatione aquæ ſiue ſponte ſiue arte facta, primum quidem videantur iuuari, deinde vero multo debiliores redditi citius moriantur. Statim verò (inquit) ac ille defecit, & illæ partes (hypochondria inquam) ſunt valde emollitæ, & reliquæ rubræ factæ ſunt, diffluente ſcilicet iam ſanguine illo exuſto, vt per inanimes canales. Et totum corpus maculatum eſt, veluti verberibus cœſum finiſſet, præter eam partem in qua maximè tumor erat; quia ſcilicet inde effluebat. Neque ſanè mox refrigeratus, vt ſolent cadauera, ſed multum tempus poſt mortem erat calidus. Hoc putredinalis caloris eſt (non enim naturalis) vbi maligna putreſcentia ſuccorum ſuberat. Atque vibicibus per totum corpus à morte maculari, & atrociter mori, cum anxietate (inquam) & iactatione, & conuulſionibus, mortem veneno illatam ſignificabat, vt Galenus vltimo de locis affectis dicit. Verùm ibidem etiam dicit, ſæpe in tantam malitiam venire ſuccos, vt ſint quaſi venena in nobis ſponte genita.

Illi autem qui Abderæ degebat, per inferiora effluxit.

In tam conciſa oratione non poſſumus planè dicere quod contineatur. Fortaſſe autem & hic erat hydropicus, meliuſque cum eo factum eſt, quam cum proximo ægroto, quod aqua infernè per ſedem ex aluo effluxerit, hunc enim eſſe ſolere bonum hydropis exitum, ab Hippocrate ipſo dicitur in aphoriſmo 14. ſextæ ſectionis.

Cvidam autem in anteriori parte intumeſcebat ſine febre, tumor autem ad contactum ſimilis erat ſuppurato.

Hic quoque fiebat hydropicus: nam in anteriori ventris parte tumorem contrahebat pituitoſum & ſeroſum, ac proinde fiebat ſine febre, quia ſcilicet ex frigidis nondum putrefactis, & ob hanc eandem cauſam tumor erat mollis, & tangenti videbatur aliquid ſub digitis exundare, vt in ſuppuratis.

Anheloſæ famulæ, tunc cum vaſa ſanguinem funderent, in menſtruis autem fiebat, anhelationes illæ ceſſabant. Febris exorta eſt. Mammæ ſiniſtræ pars ſuperior ſuppurata eſt, & a principio etiam auris.

Anheloſæ famulæ, tunc cum vaſa ſanguinem funderent (fiebat autem id per menſtruas vocatas

euacuationes) anhellationes illæ ceſſabant. Addit πυρετὸς ἐγένετο. Non dicit quo tempore exorta eſt. Num ergo tunc etiam exorta eſt, quum vaſa ſanguinem fundebant? At non videtur conſentaneum ea euacuatione fieri febrem, qua anhelationes ceſſabant. Proinde cenſeo deeſſe huic dictioni verba hæc, cum autem non funderent, vt tota dictio ſit hæc Anheloſæ famulæ, cum vaſa ſanguinem funderent, anhelationes ceſſabant, cum autem non funderent, febris fiebat. Mamma ſiniſtra ſuperne ſuppurata eſt, & à principio etiam auris. Cum ſcilicet aliquando non fluerent, facta eſt febris vt ſolebat, & mamma ſiniſtra ſupernè eſt ſuppurata, à principio autem, id eſt, prius, ante etiam quàm mamma inflammationem contraheret, ex aure etiam erumpebat pus: quòd anhelationes menſtruis fluentibus ſoluerentur, cauſa eſt communio illa vocalium cum genitalibus, quam libro ſecundo tam inſignem eſſe dixit: quod ceſſantibus, mamma vſque ad ſuppurationē inflammaretur, communio mammarum cum vtero per venas ſecundum rectos abdominis muſculos productas. Auris ſuppuratio excrementoſum ſignificat cerebrum, quibus vero tale eſt, facilè repletur, ceſſantibus aliis euacuationibus & eius repletio facilè finitur in anhelationes. Facilè enim decumbunt capitis excrementa in pulmonem. Non ergo ratione caret (quod ego etiam ipſe obſeruaui) quibus pus ex aure fluit, anheloſos fieri. Siue cerebro primario laborante, & ſua excrementa refundente in pulmonem, ſiue eo etiam aliunde recipiente.

OLympiodori famulæ sāguis fluxit ex dextra nare. Et iudicata eſt ad vigeſimā, qualia etiam febri citantibus contingunt, & deiectiones quales etiam æſtate populariter factæ ſunt, & qualia Hipponacti contigerunt.

Speciem iudicationis, & quæ ad eam ſpectant narrat Hippocrates potiùs quàm morbi ipſius ſpeciem, aut figuram. Iudicatam eſſe dicit fluxu ſanguinis ex dextra nare circa vigeſimam diem. Quod dicit ὡς εἰκοστάιη, id eſt, quaſi ad vigeſimam, ſeu ad vigeſimam, ac non potiùs ſimpliciter εἰκοστάιη vt ſolet, dubitantis arbitror eſt, ac non tenentis exactè, an ipſa vigeſima. Itaque fluxit ei ſanguis, aut ipſa vigeſima, aut ad vigeſimam. Addit οἷα καὶ πᾶσι πυρετώδεσι, ideſt, qualia in febricitantibus acutè fieri conſueuerunt, ac fortaſſe etiam ea tempeſtate fiebant. Nimirum bilioſæ febres quales plerumque ſunt, quæ acutæ ob hepatis intemperiem fieri ſolent. Cum hepate vero magnam rectitudinem habet dextra naris, & in acutis febribus ſanguinis è naribus fluxus accommodatiſſima euacuatio eſt. Iam verò dies vigeſima intra fines acutorum, etſi non exactè, eſt decretoria. Deiectiones etiam dicit fuiſſe, quales æſtate populariter factæ ſunt. Bilioſæ arbitror, tales enim fuerunt, ſi æſtatis conditionem ſecutæ ſunt. Adiunxit verò, memoriæ gratiâ, alium cui hæc ſimiliter euenerunt, dicens, & qualia Hipponacti contigerunt.

ET Hyle famula Ariſtidæ, octaua die in medicamentorum purgatione, deorſum ſigna exhibuit, qualia facilè ferentibus contingunt. Vt ſi præter rationem non debilitent, neque ſpumoſa, neque ſubcruenta excernantur, ſed ouis ſimilia, velut Heraclidæ vxori contigerunt, quæ multum purgata eſt & facilè tulit.

Hyle famula Ariſtidi purgata eſt die octaua, quæ dies in multis eſt ad purgationem idonea, quibus ſcilicet ſeptima eſt iudicatoria. Semper enim Hippocrates elabi ſinebat diem decretorium, atque ſi is non iudicabat morbos, mox ipſe purgabat. Nam & libello de medicamentis expurgantibus ita ſcriptum ab eo eſt. Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris: ſin minùs, ſaltem non intra quatuordecim dies. Hæc illo loco. Conſtat verò quòd in quibuſdam morbis dies decretorius eſt decimus quartus, in aliis verò ſeptimus. Proinde vt in illis non ante decimum quintum, ita in his non expurgauit Hippocrates ante octauum. Atque ſuſpicor ſanè attentè admodum, & vt hoc inſinuaret, narraſſe octauo die expurgationem eſſe factam. Tam longè abſunt ab Hippocratis ſententia medici vulgares, qui omnes ferè ægrotos die ſexta expurgant, timentes vt ipſi dicunt, ne non poſſint impurgati diei ſeptimi violentiam ſuſtinere. Euenit tamen aliter, aut vt motu pharmaci debilitati, naturalem diei motum non poſſint ſuſtinere, aut vt iudicatio imminens impediatur. Bene ceſſit huius purgatio, quia euacuata ſunt qualia oportebat & cum bona tolerantia: hæc autem cum adſunt non poteſt non accedere conferentia, vt in aphoriſmo dicitur. Sed quibus verbis hæc dicat, eſt operæprecium conſiderare. Deorſum (inquit) ſigna exhibuit, qualia facilè ferentibus contigunt, hoc eſt, deiectiones tales erant, & talia ſigna præ ſe ferebant, qualia ſolent eæ, quas ægri facilè ferunt. Definiens tales euacuationes addit, vt ſi præter rationem non debilitent, ideſt debilitent quidem, ſed non præter rationem, hoc eſt, non magis quam pro euacuationis multitudine. Nimirum bonæ tolerantiæ euacuationes eſſe dicuntur, quæ non debilitant; non tamen ita eſt intelligendum, quaſi nihil debilitent (nullæ enim ſunt etſi quam maximè naturales quæ non debilitent aliquid) ſed quaſi non præter rationem, ideſt, non pluſquam pro euacuationis multitudine. Eſſe talia qualia euacuari oportuit ſignificat deſcribens deiectionum ſpeciem. Neque (inquit) ſpumoſa, neque ſubcruenta excernuntur, ſed ouis ſimilia. Nimirum euacuantur qualia oportet, cum euacuantur ipſi ſucci qui morbos faciunt, huiuſmodi ſunt in bilioſis febribus deiectiones bilioſæ. Eſt vero vna quidem bilis ſpecies, quæ refert vitellos ouorum. Quæ autem ſpumoſæ aut cruentæ ſunt, colliquationem aut exulcerationem aut affectionem huiuſmodi ſignificant. Erant itaque qualia oportebat euacuari, velut (inquit) Heraclidæ (ſubaudi vxori) contigerunt, quæ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 204 sur 489

©BIUM

purgata eſt multum, & ferebat facilè. Nimirum non tanti momenti eſt, quantum excernat quis, quanti eſt, an facilè ferat. Quia deiectiones non multitudine ſunt exiſtimandæ [ſed neque magnitudine] ſed ſi talia euacuentur, qualia euacuari oportet, & æger facilè toleret.

Quæ in Bulagoræ villa depurgata eſt cepit febricitare ex ſplene (qui autem dextrum habent hypocondrium, non quidem ſublime ſed diſtentum, hi etiam aliquantò magis rubicundi fiunt) hæc cùm perrubra exiſteret, aluum habuit ab initio perturbatam, expectabatur in oculum abſceſſus. Huic ſeptimâ die ſalſa, & mordax lachryma ex oculis prodiit, & ſecundùm naſum, & ſecundùm fauces, & aurem ſiniſtram. Decimâ quintâ ſudauit cum rigore, non iudicabatur ante rigorem, valdè ex virore palluit, & faciei circumtenſio accidit & contractio. Auris ſecundùm rectitudinem ſplenis & lateris dolebat.

Non ſatis potes intelligere, an hæc mulier quia purgata eſt cæperit febricitare ex ſplene, atque vt cauſam procatarcticam ægrotandi narrans dixerit quæ depurgata eſt cæpit febricitare, an verò quòd hæc quidem per hunc morbum purgata ſit, dixerit illud memoriæ gratiâ, inſinuans .ſ. quam mulierem dicat, aut etiam fortaſſe declarans quid ipſe circa ægrotam egerit, dicat, quæ in Bulagoræ villa depurgata eſt. Nihil enim horum rationi diſſonum eſt. Nam ſæpe expurgationes quæ excremẽta commouent, nec ſatis euacuant, tumores in hypocondriis pariunt. Iam verò hanc, mordo per quem tanta mali ſucci redundantia erat, quantam tam multi dolores, tam multæ tentatæ euacuationes, color ex viridi pallidus, & rigor, & ſalſa ac mordax excretio ſignificabant, laborantem procul dubiò purgatione indiguiſſe per ventrem, cùm præcipuè laboranti ſpleni ea euacuatio ſit accomodatiſſima. Vtcumque ergo hoc habuerit, explicemus quo mulier morbo ſiue purgatione læſa, ſiue aliter ægrotare incipiens laborauerit. Febricitare cœpit ex ſplene. Non ſolùm dicit febricitare cœpiſſe cum ſplenis aliquo affectu, quaſi duplici affectu fortè laborauerit, ſed ex ſplene, ſignificãs cauſã febris fuiſſe lienis affectionem. Conſtat ergo fuiſſe phlegmonoſum affectum. Quod etiam reliqua quæ habuit ſignificarunt. Nam fuit perrubra ſecundum faciem, & ſuperuenerunt multa lachryma ex oculis ſalſa & mordax, & ſecundùm naſum & ſecundùm fauces fluxio eiuſmodi, & dolor auris ſiniſtræ, quæ omnia calidiorum ſuccorum redundantiam ſecundum rectitudinem lienis quaſi inde regurgitantium indicabant. Quod vt interpretaretur, ſcripſit in fine hiſtoriæ, auris ſecundum rectitudinem ſplenis & lateris dolebat. Fuit etiam multitudinis ſignum non minùs quàm antè dicta omnia, habere aluum in principiis perturbatam. Euacuationes enim omnes mox apparentes, debilitatis, aut multitudinis, aut malignæ qualitatis ſigna ſunt. Sed cur expectabat abſceſſum in oculum. Certè quia horum plurima ad oculos ſolent abſceſſus facere. Nam lib. 6. ſect. 2. ita occurrit ſcriptum; E directo & laterum & hypocondriorũ diſtentiones, & ſplenis eleuationes, & ſanguinis e naribus eruptiones contingere ſolent, & aures afficiuntur è directo & horũ plurima etiã in oculis apparent. Non eſt omnino deceptus expectatione. Nam etſi fortaſſe opthalmiam ſiniſtri oculi expectabat, contigit tamen iam quidam in oculos decubitus. Nam ſeptima die ſalſa ex oculis & mordax lachryma prodiit. Decimâ quintâ die colore ex viridi pallido reſperſa eſt, qui color lienoſis eſt congruens. Facta eſt ei προσώπου μείτασις, καὶ σύμπτωσις, quibus nominibus ſignificatur quædam repentina extenuatio, quæ iis qui linquuntur animo, aut moribundis ſolet fieri ob defectum innati calidi, aut etiam quibus rigor imminet ob eiuſdem innati calidi fugam, vt certè euenit huic, cui mox accidit rigor & cum rigore ſudor. Quæ iudicatio quamquam ſolet febres acutas tollere, hanc tamen non iudicabat, hoc eſt, non tollebat febrem. Conſtat verò hoc fuiſſe ſignum difficilis iudicationis. Nam ita ſcriptum eſt aphoriſ. 56. ſect. 4. febricitanti ſudor oboriens, febre non remittente malus, moram enim trahit morbus, & multam humiditatem ſignificat. Sed & ob diei decimæ quintæ naturam qua id contigit, erat hoc dyſcriticum. Nam aphoriſ. 36. eiuſdem ſectionis, ita habetur, Sudores febricitanti ſi inceperint, boni ſunt tertia die, & quintâ, & ſeptimâ, & nonâ, & vndecimâ, & decimâ quartâ, & decimâ ſeptimâ, & vigeſimâ primâ, & vigeſimâ ſeptimâ, & trigeſimâ primâ, & trigeſimâ quartâ. Hi enim ſudores morbos iudicant, qui verò non ſic fiunt, dolorem ſignificant, & longitudinem morbi, & recidiuas. Conſtat ergo conſentaneum eſſe, productum eſſe multò plus morbum, neque ſolutum poſteà ſine recidiuis & abſceſſibus, niſi poſtea quàm Hippocrates illam vidit mortua ſit. Si enim ex hac die decimâ quintâ debilis ſuper eſſet facultas, mors erat expectanda, ſin autem robuſta, difficile iudicium poſt morbi longitudinem.

Pueris alui turbabantur & tuſſes ſiccæ aderant, ad humerum aliquando ſuppuratio facta eſt in tuſsibus, poſterioribus.

Familiares morbos eſſe pueris turbationes alui & tuſſes conſtat ex his, quæ de morbis ætatum ſectione tertia aphoriſmorum ſcripta ab Hipp. ſunt. Siccæ verò tuſſes dicuntur, cum nihil excreatur, quod ob maximam cauſę cruditatem, aut tenuitatem euenit, aut quod ex ſola intemperie pendeant. In his citra materiam fieri non eſt conſentaneum. Nam alui turbatæ & abſceſſus qui eas terminabant ſuccorum abundantiam declararunt. Neque verò extremè tenuis materia fuit, quia talis non eſt nata in pus mutari. Supereſt ergo fuiſſe morbum valdè erudũ, talis verò ſolent fieri longi, & difficilis iudicationis. Merito ergo cũ abſceſſu ſolutæ ſunt multæ tuſſes, & is quidem fuit, non ad teſtes, vt ſolere fieri ſectione prima libri ſecundi dixit, aut ad partem aliam humilem, ſed ad humerum. Dicitur enim ibidem ab Hippocrate. Tuſſiculoſi abſceſſus, qui ſupra ventrem ſunt, non ſimiliter perfectè liberant. Addit verò, in poſterioribus, quod Ianus Cornarius de diebus intelligi vult, vertit enim poſteriori-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 205 sur 489

©BIUM

bus diebus. Mihi vero videtur referendum ad tuſſes, vt ſenſus ſit in tuſſibus poſterioribus, id eſt, quæ in vltimis iam ægrotis, ac in fine tempeſtatis acciderunt. Cùm enim dixiſſet aliquando ſuppuratio fiebat, ſignificat non in omnibus, ſed in quibuſdam tuſſibus fieri; explicans deinde in quibus, addit in poſterioribus, hoc eſt, in fine tempeſtatis illius magis quàm anteà. Non caret autem hoc ratione, nam circa fines tempeſtatum ſolent moueri ſucci craſſiores, tenuibus anteà conſumptis, & inſalubres temporum cauſæ ſolent debilitari: atque ob hoc euadunt: ob illud non ſine abſceſſibus: qui etiam morbi exitus cum puerili ætate quadrabat. Tali enim familiares ſunt abſceſſus in ſuppurationem abeuntes, ob ſuccorũ craſſitiem & fortem facultatem. Merito ergo & hi morbi, & hi abſceſſus facti ſunt pueris magis quàm adultis, & poſterioribus ægrotis, quàm prioribus.

FVlloni collum & caput doluerunt, ſeptima manus obtorpuit, nona crus fuit ſtupidum, tuſsis ceſſauit.

Ferè eſt hæc hiſtoria enarrata libri ſecundi ſectione prima, vbi Hippocrates dixit, abſceſſus fiunt aut per venas, aut per oſſa, aut per tonos. Sed quæ illic obiter attigimus, nunc apertiùs explicemus. Fullo hic caput & collum habuit malè affectum & dolens: vnde deſtillante ſucco veriſimile eſt tuſſim excitatam. Nam & cum abſcedente de capite & collo humore, in alterum ceruicis latus, quà ex ſpinali medulla procedunt nerui mouentes manum (ferè verò id fit à quarta vertebra ceruicis vſque ad primam dorſi) reſoluta manus eſt (nam ſtupor eſt initium reſolutionis) & poſtridie, reliquiis eiuſdem materiæ deorſum repentibus in poſtremas lumborum vertebras (ſecundum idem arbitror latus, ita enim fit) crus reſolutum eſt. Facto abſceſſu per neruos, & ſecundum ſpinalem medullam, (vt illic dicebatur) tuſſis ceſſauit.

QVæ malam habuit diſtractam quinto grauiditatis menſe, diſtractam habuit ad ſiniſtram partem.

Nihil aliud hic dicitur, quàm mulieri cuidam vtero gerenti, menſe quinto prægnationis, diſtractam fuiſſe malam ad ſiniſtram partem. Sanè etſi ad ſiniſtram partem diſtracta eſſet, nondum inde conſtare poterat, eſſetne pars ſiniſtra affecta, an dextra. Si enim conuulſione tortura fiebat, ſiniſtra; ſin autem reſolutione, dextra pars erat affecta. Id verò ex aliis ſignis, præcipuè autẽ ex prægreſſis, fluxione & dolore licebat agnoſcere. Euenire id gerenti vtero admodum fuit rationi conſonum. Quia quæ vtero gerunt multa excrementa congerunt ob defectum menſtruæ euacuationis. Qui enim ſanguis fœtum nutrit eſt bonus, ac pro eo detinetur intra corpus malus, alioqui ſingulis menſibus effluxurus, ac proinde quanto in prægnatione plus eſt progreſſum, tanto cacochymia eſt maior, quia tanto pluries defecit euacuatio conſueta. Meritò ergo etiam menſe iam quinto hoc euenit potius quam prioribus. Neque mirum non perſeueraſſe mulierem diutius ſine morbo, vt poſterioribus menſibus primum fieret. Nam quater iam defeciſſe illam adeò neceſſariam euacuationem, admodum graue malũ eſt, & vt Hippocra. 1. de morbis muliebribus dicit. Quibus menſtrua defecerunt vſque ad quartum menſem curari poſſunt, quinto vero iam difficillimè curantur, & ſexto ſunt incurabiles.

IN Cranone Lycino Grammmatico febre bilioſa correpto ex ſplene, capitis grauitas accidit, ſtridebat ſecundum lienem, In vtriſque labiis vlcuſcula interius rotunda & parua aderant. Deinde etiam exiguum aliquid ſanguinis fluxit ex nare quæ erat è directo.

Fortaſſe febrem bilioſam vocat, vt ſolet putridam, non exactè indicans ſucci ſpeciem, fortaſſe etiam erat ex bile. Vtcunque hoc habeat (nihil enim prohibet bile putreſcente intra venas febrem excitari, quamuis lien melancholiam congeſſiſſet conſentaneum fuit, vt ei cui capitis grauitas aderat ſplenis vitio, per febrem fluxus ſanguinis ex nare ſiniſtra ſuccederet. Nam cùm lien abundaret ſanguine melancholico, febris ſuperuenientis calor hunc in caput extulit: is itaque elatus capitis grauitatem fecit, elatus vero iam in caput ex liene, quà melius quàm per ſiniſtram narem erumperet? Laborabant itaque iam lien & caput multitudine mali ſucci. Affectionem lienis præter alia ſignificabat rugitus ſecundum lienem, nam quia id viſcus flatuoſum eſt valde, mox eo loco ſita inteſtina ſtrident: capitis verò, vlcuſcula κακοήθη in vtriſque labiis interiùs orta. Nam quia caput excipiebat à liene multum & malum ſuccum, multitudo faciebat grauantem dolorem, malignitas vlcera κακοήθη. Nam κακοήθη eſſe indicabat forma eorum, quæ cum magna non eſſent, erant tamen rotunda & profunda. Quæ duo in vlceribus maximè vituperantur. Porro labia ſæpe ob hypocondriorum affectus patiuntur, quia aſcendentia ſurſum eorum excrementa, tanquam in via intercipiunt.

FAmulæ quam nuper emptam vidi, durities magna erat in dextra parte, non valdè dolore afficiens, & venter magnus erat & circumtenſus, a qua repleto non ſimilis, cæterum craſſa erat, nec admodum difficulter ſpirans, ſed decolor. Muliebria à ſeptem annis non prodierant, inteſtinorũ difficultate premebatur, verũ ſine teneſmo. Tuncq; quod in dextris erat dolorem inferebat, & febres lentæ detinebant, ſed non vltra ſeptem dies, & aluus turbata eſt, electro ſimilia, ſubuiſcoſa & multa deiiciens. Diebus aliquot ſanata eſt, Et poſteà muliebria fluxerunt. & venter mollis factus eſt, & corpus bonum colorem & craſſitiem adipiſcebatur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 206 sur 489

©BIUM

Aetatis ſatis proiectæ erat ſerua hæc. Nam quoniam dicit ſeptem annis muliebria non prodijſſe, conſtat prodijſſe antea aliquoties, ac deinde ſeptem annis defuiſſe. Defuerant ergo huic ſeptem iam annis, cùm empta eſſet nouiſſimè. Dyſenteriâ primùm & febriculâ correpta eſt, cui ſucceſſit mox diarrhœa pituitoſa, per quam ita ſanata eſt, vt ei rurſum menſes fluxerint, & bonus habitus corporis, bonuſque color ei reſtitutus ſit. Verùm totus hic morbus qui ſuperuenit, iudicatio fuit diuturnarum affectionum, quas ex menſtruorum defectu contraxerat, vt ſanè ſæpe euenit. Contraxerat enim hæc ſcirrhum magnum in hepate (nam duritiem habebat in dextrâ parte magnam, non valdè doloroſam] & tumorem in ventre, & tenſionem. Erat verò ei venter aquâ repleto non ſimilis. Nimirum non ſentiebatur ſubeſſe aqua vt in aſcite, ſed erat ſolidus, vt refertus craſſis & pituitoſis ſuccis, atque adeò & per totum corpus erat huiuſmodi, velut leucophlegmatica. Nam & in aliis partibus erat craſſa & decolor, albida ſcilicet. Neque verò præter rationem euenit, vt retentione ſanguinis ſcirrhoſus affectus, & pituitoſorum redundantia fieret. Hærent enim circa hypochondria craſſæ ſanguinis partes, & ſuffocatur calor, & ita frigidæ paſſiones oriuntur. Minor verò refrigeratio hepatis facit leucophlegmatiam potiùs quàm aſcitem, aut tympanitem. Itaque elanguit in hac, non tamen adeò vt non potuerit iudicari. Ergo agitare incipiente natura excremẽta, quæ in ventre inculcata erant, primum commoueri cœperunt tenuia acria, ſi quæ erant, & tenue etiam aliquid ſalſumque pituitæ. Quo factum eſt, vt dyſenteria tentaretur aluus, & tumor hepatis dolere cæperit, irritato á calidis viſcere, & ſcirrho phlegmonoſum quid contrahente. Et πυρετοὶ γλίσχροι, hoc eſt, exiguæ febres & ſubmiſſæ, quales ex ſuccis ſubiecto frigidis, putreſcentibus tamen, fieri ſolent. Verum non durauit hæc dyſenteria multum, ac proinde non eſt factus, vt ſolet; ex ea teneſmus. Non enim durauit vltra ſeptem dies. & ſucceſſit mox diarrhœa. Aluus enim turbata eſt, & factus eſt receſſus copioſus electro ſimilis, ſubuiſcoſus, multus, qui durauit in dies aliquot. Erat igitur receſſus lentus, craſſus, albus, particeps cuiuſdam exigui palloris. Tale enim eſt electrum, ſeu ſuccinum. Conſtat verò talem receſſum eſſe ex pituita craſſa, quæ colorem illum comparauerit, aut putreſcentia, aut modicæ bilis admiſtione. Nimirum etſi naturalis calor debilior eſſet mediocri, tamen aderat calor præter naturam, ſi quidem aderat putreſcentia, & febris. Quoniam ergo copioſè euacuata ſunt, qualia euacuari oportuit, ſanata eſt, & ſublatis obſtructionibus, ac per detractionem ſucci obruentis roborato naturali calore, muliebria denuo fluxerunt, & venter mollis factus eſt, & corpus bonum colorem, & craſſitiem adipiſcebatur. Nam hæc non fuerat extenuata per morbum, ſed craſſa, nutriebaturque multa pituita. Pituita verò roborato calore facilè emendatur, abitque in ſanguinem, atque ita quæ craſſa & decolorata ſunt, poſſunt etſi craſſa maneant, colorem & habitum in meliorem mutare. In græcis codicibus occurrit ſcriptum χρῶμα εὔχροον, id eſt, color boni coloris, conſtat verò legendum eſſe σῶμα εὔχροον, id eſt, corpus boni coloris. Nam præterquam quod illa eſt dura locutio, addit Hippoc. καὶ πάχος,

A id eſt, & craſſum, conſtat verò craſſum non poſſe dici de colore ſed de corpore.

Minois vxor poſt ſectionem compreſſa phacelum contraxit: humore in pulmonem inſidente, breui ſignificationem præbuit, diebus quibus ſuperfuit, etiam aliud quid interiùs delituiſſe.

B

Per inſinuationem dicit hanc Minois, ſeu vxorem, ſeu filiam, ſeu ancillam, mortuam eſſe breui, & causã, ob quã mortua eſt, aperit. Ea fuit, quòd cum ei pars aliqua externa ſecaretur (quid prius perpeſſa ſecaretur, non dicit) & chirurgi pluſquam oporteret partem ſecandam premerent, tractarent, & affligerent, contigit vt ex ſectione ſphacelum contraheret. Deinde verò inſidente in pul-
C monem prauo ſucco, qui in corpore redundabat (non enim euenire ſolent hæc niſi cacochymis) tabuit, & mortua eſt breui, neque id admodum latuit. Nam poſt ſphacelum breui ſignificationem præbuit malum, quotquot diebus ſuperfuit (his verbis indicat ſuperfuiſſe paucos dies) aliud aliquid interiùs delituiſſe, præter id ſcilicet malum, quod in externa parte conſpiciendum ſe exhibebat. Hic admonentur imprimis chirurgi, ne partem
D quampiam vlceratam circa quam aliquid moliuntur, pluſquam neceſſe ſit premant, aut attrectent: ſed quoad fieri poſſit, leuiter ac ſuſpenſa manu quiduis agant, nam mortificationis, quam σφάκελον [quaſi dicas ſyderationem] græci vocant, periculum in nimia attrectatione eſſe, quotidie nos admonent carnes, quæ ad cibos parantur, qua parte eas manu quis tenuerit, faciliùs citiúſque quàm aliis putreſcentes. Porrò hic obſeruare licet ab ex-
E ternarum partium non aliter ac internarum affectionibus homines mori, & ab externis ad internas transfundi, velut hîc ad pulmonem. Iam verò ex pulmonis malis areſcere corpora, res eſt notiſſima, idque tantò citiùs fore, quantò deterior ſuccus in eum incubuerit, eſt conſentaneum: neque minus notum eſt tanto citiùs ſignificationem ſui morbum quemcunque præſtiturum, quantò citiùs
F ſit peruenturus ad ſummum: creſcunt enim cum paſſione quacunque pathognomonica vocata ſymptomata. Quoniam ergo in hac malignus ſuccus pulmonem obſedit, breui fecit tabeſcere, & breui ſui ſignificationem malum præbuit.

Qvæ naribus induntur medicamenta, ſi febricitauerint, nec ſoluatur dolor, craſſa per naſum effluunt, ſin autem neque dolor, neque febris ceſſet, tenuia & fortaſſe feruida, quale quid tenue Hegeſippo efluxit, cùm per noctem aliquid indidiſſet, craſſum autem erat ei qui in Corintho ſimilis eunucho, & Celeuris filias erat.

G

Redundantiæ excrementorum in cerebro nulla euacuatio proprior, atque magis accommodata eſt, quàm per nares. Cietur verò ea, cùm ſponte

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 207 sur 489

©BIUM

non ſuccedit ſatis. Cietur inditis in nares medicamentis aliquibus acribus, aut ſolum aperientibus & extergentibus: vel forma liquida vel ſolida, quæ vocantur errhyna. Non eſt autem ea molienda in principio: ſed cum cocti iam ſunt ſucci, velut in aliis omnibus morbis ſiue totius corporis, ſiue partis cuiuſpiam, pendentibus ex ſuccis concoctilibus. Ita & in grauedine capitis expectanda concoctio eſt materiæ propriæ. Nam ſi ante hanc ſternutamenta moueas, aut acria medicamenta naribus haurias, euacuatione parùm iuuabis, quia paſſio cruda non cedit, & irritatione capitis grauitatem augebis. Signum autem concoctionis in hoc, vt in aliis etiam, eſt craſſities eius, quod educitur, craſſities inquã quæ ſine lentore. Porrò in coryza, vt, & in inflammatione, febres & dolores accidunt magis quum coquitur materia, quàm coctione iam perfecta. Quoniam autem non omnes coryza laborantes corripiuntur febre: ſed nonnulli ſine ea tranſigunt, conſtat in eis qui febricitauerint, maiorem excrementorum craſſitiem debere expectari. Febris enim ſiccat, cogit, & craſſiora reddit, quia & coquit excrementa, cùm horum concoctio non ſit perfecta qualis alimentorum: ſed imperfecta, & vſtionis aut putreſcentiæ cuiuſdam particeps, qualis puris, aut eius, quod in vrinis febribus putridis laborantium ſubſidet. Ergo dicit, quæ induntur in nares, id eſt, cum induntur aliqua medicamenta in nares (idem autem euenit ſi non indantur, ſed ſponte effluant excrementa, dicit verò hoc innuens obiter rationem purgandi per nares) ſi febricitauerint, ſi ſolutus ſit dolor, craſſa per naſum effluunt, quia febrem & dolorem anteceſſiſſe, & ſolutum iam eſſe dolorem, ſignificat anteceſſiſſe concoctionem, & perfectam iam eſſe, ſin autem neque dolor neque febris (ſoluta ſcilicet ſint, ſed adhuc maneant) tenuia, & fortaſſe feruida effluent; huiuſmodi enim ſunt quæ coquuntur, cocta autem non ſunt: calore enim feruent, craſſitiem verò nondum compararunt. Velut ergo ex inflammatione adhuc dolente multum, & ardente, nemo exprimet niſi tenue & feruidum, ita neque in coryza ex naribus, cum adhuc febris & dolor vrgent. Quale quid (inquit) tenue effluxit Hegeſippo cùm ad noctem quid indidiſſet, quòd ſcilicet nondum concoxiſſet morbum; craſſum autem alteri, Celeuris ſeu filio, ſeu ſeruo, eunucho ſimili, qui erat in Corintho. Hæc omnia dicit memoriæ gratia, propoſuitque duo exempla, alterum tenuis, alterum craſſæ emunctionis.

Maturi in morbis abſceſſus an iudicent, ſignum exhibent, ſi cùm feruidi ſint, febrem non accendant, & cùm difficilis ſint tolerantiæ, facilè ferantur, qualia Charioni in ſede contigerunt.

Maturos abſceſſus arbitror illum dicere eos qui ſuppurantur, quia ſuppuratio, vt 4. libro meteororum Ariſtoteles dixit, maturitas quædam eſt. Tales verò abſceſſus ſunt febriculoſi, id eſt, nati febres facere. Sunt præterea difficilis tolerantiæ, & doloroſi, quia quum pus conficitur, dolores & febres fiunt. Velut ergo in omni iudicatione nullum præſtantius ſignum eſt, quàm conferentia & tolerantia, ita & in omni abſceſſu. Conferentia verò eſt, ne affectiones morboſas augeat, aut ſi fieri poteſt, etiam tollat: tolerantia facilis, ne facultates pluſquàm pro ratione debilitentur, & ne ſymptomata admodum vexent. Ergo maturi abſceſſus an iudicent, id eſt, tutò ac perfectè à prioribus morbis liberent, ex hoc ſigno agnoſces. Si cum alioqui feruidi ſint (ſunt verò tales omnes ſuppurationes non exiguæ) non faciant febres, & cùm ſint difficilis tolerantiæ non difficilè ferantur. Vt quæ Charioni in ſede, cui fortè ſuppuratio aliqua magna circa ſedem facta eſt ex alio morbo, citra nouam febrem, & citra magnos dolores: ſed facilè, & ægro ſe ſentiente leuari, & à febre, & ab omni alio morbo. Verùm notandum hic eſt, etſi omni febre carere & labore, perfectè iudicantis abſceſſus ſignum ſit, non tamen eum qui perfectè iudicaturus ſit, abſceſſum neceſſario ſine febre fieri. Nam nihil prohibet ob ſuppurationem ipſam in magno abſceſſu excitari febrem, & nihilominus priorem febrem per eum abſceſſum ſolui. Verùm nunc quoque ea febris erit, aut diaria ſolùm, qualis ſolet eſſe ex bubonibus, aut ſi putridæ aliquid habens, tamen ſimplex omninò, & breuis multo verò melioris abſceſſus, & perfectiùs iudicantis ſignũ eſt nullam omninò afferre, quia perfectæ expurgationis internarum partium argumentum eſt, ſuppurationem non exiguam, nullam poſſe febrem excitare. Nam quantò corpora ſunt puriora, tantò minus ab externis cauſis febricitant.

Laembio verò cùm inteſtinum exulceratum eſſe videretur, medicamentis quæ in dyſenteria ſolent, adhibitis, humerus & ſedes exulcerata ſunt in parte ſiniſtra citra febrem.

Aliud exemplum eſt hoc abſceſſuum ſine febre, cùm eſſent febriculoſi, ac proinde rectè iudicantium. Nimirum huic ex dyſenteria magna adeo vt inteſtinum exulceratum videretur, factæ ſunt duæ ſuppurationes, altera in humero, altera in ſede, ambæ in ſiniſtra parte, atquè ad exulcerationes proceſſerunt citra febrem, atque ita eſt liberatus. Nam tametſi id nunc non dicat, ex nuper dictis licet intelligere, cùm dixerit, Abſceſſus an iudicent, ſignum exhibent, ſi cùm feruidi ſint, febrem non accendant. Sed quo pacto dicimus dyſenteria teneri, ita vt videretur inteſtinum eſſe ei exulceratum, ſi dyſenteria ipſa exulceratio inteſtinorum eſt? Certè dyſenteria eſt corroſio inteſtinorum, quæ ad exulcerationem procedit, non eſt autem vt magnum aliquod ac inſigne inteſtinorum vlcus. Si cui enim inteſtina laborant vlcuſculis ac excoriationibus, dyſenteria dicimus eum teneri, ſi verò vlcere aliquo magno, dicimus potius exulceratum eſſe ei inteſtinum, neque ab vllo ſymptomate nomen ei morbo damus: ſed ab eſſentia, dicentes eſſe inteſtini vlcus. Proinde diximus hunc teneri tanta dyſenteria, vt exulceratum inteſtinum eſſe videretur. Sed quia magis conſentaneum eſt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 208 sur 489

©BIUM

maiorem affectionẽ ex minori, quam contrà proceſſiſſe, atque adeo vlcus à dyſenteria, non dyſenteriam ab vlcere, conſtat quod dicit. Leambio cùm inteſtinum vlceratum eſſe videretur, medicamentis quæ in dyſenteria ſolent adhibitis, humerus & ſedes exulcerata ſunt in ſiniſtra parte citra febrem, ita legendum eſſe, humerus & ſedes exulcerata ſunt in ſiniſtra citra febrem. Leambio, adhibitis quæ in dyſenteria ſolent medicamentis, cùm vlceratum inteſtinum eſſe videretur: intelligendumque quia in dyſenteria eſt curatus pharmaco, ideſt, expurgatus (nam φαρμακέυειν Hippocrati ſignificat expurgare) eo mali peruenisse, vt vlceratum eſſe inteſtinum videretur, ac poſtea ſuperueniſſe ei dictos abſceſſus. Significat ergo obiter, quàm ſit temerarium expurgante medicamento curare dyſenteriam, cum enim ad ipſa exulcerari cœpta inteſtina, excrementa mordacia trahantur, apertum periculum eſt, ne manifeſtè exulcerentur. Non tamen proinde negauerim aliquando nulla ratione melius curari dyſenteriam, verùm quæ occaſio ea ſit breui dicam. Aut in dyſenterico eſt cum cacochymia magna exulceratio nondum magna: aut cum exulceratione magna, cacochymia exigua: aut vtraque cacochymia dico & exulceratio exigua: aut vtraque magna. Si primum, expurgari debet: ſi ſecundum minimè, ſed vrinas, & ſudorem, & vomitum prouocandum, & inſtandum localibus interiùs & exteriùs pro vlcere curando. Si tertium, ne tunc quidem opus eſt purgatione; neque localibus admodum: ſed bono victu, & facili ad alias euacuationes deriuatione: ſi quartum, inſanabilis eſt, facies aut nihil aut omnia tentandi gratiâ, velut in re deſperata. Tales enim etiam curationes aliquando profuerunt, neque mihi ſemper diſplicet illud Celſi. Sæpe quos ratio non iuuit, temeritas adiuuat. Sed eſt conſideratione dignum, quam rectitudinem habuerit cum inteſtinis humerus, vt dyſenteriam finiret. Sedes enim habet rectitudinem manifeſtam. Verùm ſcire oportet, partem, qua euacuatio ſponte aut arte, aut etiam abſceſſus fit, rectitudinem ſeruare poſſe, aut cum parte recipiente, aut cum ea quæ mittit, ac nihilominus vtilem eſſe rectitudinem cum mittente: ſed vtiliorem etiam, ſi fluxio nondum ceſſauerit. Sedes ergo habuit rectitudinem cum ipſa affecta, & recipiente parte, putà cum inteſtinis: humerus verò fortaſſe cum mittente. Fit enim ſæpè dyſenteria toto corpore mittente actia aut ſalſa in inteſtina, non rarò etiam ex capite catarrho ſalſo defluente. Huic ſi ex capite fluxiſſet, nulla pars potiorem rectitudinem cum mittente parte haberet quàm humerus: verumetiam ſi ex toto corpore: nam partes mediæ reſpiciunt totum.

Qui à flatibus diſtendebatur, ei pars inanis intumuit, & quodammodo doluit. Huic cùm multum lac & meracius bibiſſet & inſuper dormiuiſſet, ſtatim nauſea & calor contigit, deinde cùm admouiſſet, & pro cibis farinam craſſiorem in craticula coctam comediſſet, ſubſtitit venter, & puri ſimile quiddam egeſſit. Sede autem inflammata, à febre & dolore liberatus erat ſufficienter. Hoc dico.

Hoc iam eſt tertium exemplum abſceſſus febriculoſi, & toleratu difficilis ſine febre & ſine dolore, vt antea dicebatur. Nimirum ex morbo partis inanis, hoc eſt, ilis, inflammata huic eſt ſedes ſatis ſine febre & dolore. Quod ſanè, vel ob partem ipſam erat mirabile, eſt enim ea acriter ſentiens. Tumebat, eratque eleuatus huic venter flatibus, præcipuè autem in inani parte, quam vocamus ile, ſecundum quam etiam habebat dolorem quendam. Quoniam verò, dicit, ὑπήλγει quod nos vertimus, ſubdolebat, aut habebat dolorem quendam: conſtat extenuatione eſſe eum vſum, innuentem dolorem minorem fuiſſe tumore, hoc eſt, dolorem minorem fuiſſe, quàm pro tumoris magnitudine. Quod quidem fit, cum flatus non tam eſt qualitate, quàm copia noxius. Eſt enim magna etiam in ipſis flatibus qualitatis differentia, quæ ex differentia ſuccorum, qui illis materiam ſuggerunt, ortum habent. Nonnunquam enim flatus eſt valde frigidus & craſſus, qui ſanè vehementem dolorem infert in inteſtinis, nonnunquam etiam acer & fumoſus, qui mordendo etiam infert; aliquando etiam eſt ſimplex & ἄμικτος: ſeu qualitatis expers, diſtentione tantùm dolorem faciens. Fuiſſe autem huic talem, rationi eſt conſentaneum. Nam ſuccus qui inteſtinis hærebat, non erat admodum lentus, & vitreus, ſiquidem puri ſimilis, candidus ſcilicet, & ſine multo lentore excretus eſt. Neque verò dicit excreuiſſe pus, vt ſuppurationem aliquam internam fuiſſe cogaris ſuſpicari: ſed puri ſimile, quod minoris cruditatis ſuccorum fuiſſe autuma. Sed & à iuuantibus & nocentibus conſtat, hanc fuiſſe eius paſſionem. Læſus eſt enim lactis meracioris potu, & admota farina craſſiori, in craticula toſta, aut confracto ſcilicet & toſto hordeo, aut toſtis furfuribus in ſacculo admotis, & ipſa farina craſſiori toſta in cibo accepta, iuuatus eſt: ita ſcilicet vt fit in dolore partis inanis ex flatu, & crudis ſuccis. Dicit igitur, huic cùm lac multum & meracius bibiſſet, & inſuper dormiuiſſet, ſtatim nauſea & calor contigit. Ex hoc loco conſtat crebriorem vſum lactis fuiſſe antiquis, quàm nunc eſt, conſueuiſſeque eos vti in potu lacte, aut mero, aut mixto cum aqua, aut etiam cum vino. Nam quaſi diluto ſolerent potare, dicit bibiſſe meracius. Quin etiam ipſemet lib. 2. Epidem. ad quædam vlcera iuſſit pro potu dare lac & vinum pari aquę menſura. Inſinuat ergo fortaſſe, quod non tam grauiter læſus fuiſſet, ſi cum aliqua parte vini bibiſſet lac, verùm quia merum bibit flatus creuerunt, & inde communicata ventriculo paſſione, vt fit in dolore ilis, nauſea accidit, & lac ipſum corruptionem recepit, vnde & febris orta eſt. Somnus quidem hæc mala non fecit per ſe, ſed potui multi lactis neceſſariò ſuperuenit, & ex ſommo cum nauſea & febre excitatus eſt homo, non valente ſomno probè, per eam præcipuè paſſionem tantum lac coquere, ac proinde flatus gignente, & præſtante initium alterationis, quæ per impotentiam facultatis decidit in corruptionem. Deinde inquit (cum; arbitror, ſentiret ſe tali victu lædi, mutatn conſilio] admo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 209 sur 489

©BIUM

uenti Ianus Cornarius vertit incêdentiignem. Nam Græcè habetur ἀπτῶτα, quæ vox significat, & accendenti, & admouenti. Cum verò significet vtrúque, videtur mihi hoc multò magis quadrare. Nam ignem accendere quis vlli ægroto vnquam præcepit ad dolorem ilis? Admotis verò frumentaceis seminibus, confractis & tostis, in sacculis est vtilissimum vti. Siccant enim & discutiunt flatus. Significat verò mihi hic quodcunque tale, aut etiam furfures tostos, nomen farinæ crassioris admotæ. Sed addit, cùm pro cibis farinam crassiorem in craticulâ coctam comedisset. Hoc est, quod far, seu vulgari nomine nunc farrum dicimus. Paratur enim confractis & tostis granis hordei. Hoc verò siccatione, & extersione iuuare poterat. Et ita euenit. Subsitit venter. Stetisse autem aut substitisse ventrem hic dici intelligo, non quod aliis locis (nullius enim fluxionis alui mentio facta est) sed subsedisse, aut tumorem deposuisse. Egessit quiddam puri simile, vt dictum est, & sedes est inflammata, non tamen ob id febrem habuit, aut dolorem, sed sine febre, & sine dolore erat sufficienter. Quoniam verò dicit sufficienter, videtur innuere non omninò sine febre & dolore fuisse (alioqui dixisset simpliciter, sine febre, & sine dolore erat) sed sufficienter, satis scilicet, vt febre & dolore carere diceretur, quòd omnino haberet exigua, & quæ medicus posset negligere. Et quia hoc quidem rarum est & notatu dignum, narrationi veluti subscribens, addidit, hoc dico.

Senex qui in lapideis vestibulis degebat, lumborum & vtriusque cruris dolore afficiebatur, qui vtrinque in femora descendebat, & quandoque in tibias, & quandoque in genua. Quo plurimùm perseuerante multæ recursiones factæ fuerunt. Tumor erat in pedibus, lumbis, tibia, & parut bubones. Venter durus & contentio totius imi ventris cum dolore. Plerumque reperta est vesica dura & articuli dolore affecti, & posteà doluit iuxta aures, idem tumultus (vel eadem collectio, adenem non tangens, os non suppurans, hoc sensim euanuit, & tunc statim febricitauit.

Senex qui habitabat in vestibulis lapideis (vico quodam ita fortè nuncupato) magna succorum crassorum redundantia laborabat secundùm humiles corporis partes. Tales autem sunt renes, & quæ circa illos, aut sub illis sunt, vt vterus, vesica, & crassa intestina, in internis: femora, genua, & tibiæ, & pedes, in externis. Nullam ergo humilium partium videtur mihi hic senex habuisse crassis succis liberam. Nam dolores, tumores, & tentiones eas partes, aut simul, aut alternis vicibus obsidebant. Omnium autem maximè videtur laborasse vesica: Nam plerumque repertus est habere vesicam duram, & dolorosam. Sed & contentio interfœminei pertinebat ad vesicam, quia eius cervix illac procedit tortuosa. Dicit verò contentio interfœminei (est ea pars, quæ inter podicem & testes) tota (id est totius interfœminei) & dolorosa. Si cum febre acuta, duritie, & dolore ea regio laboraret, phlegmon vesicæ, & eius cervicis esse putaretur, verùm quia ea non dicitur fuisse, consentaneum est dolorem ex ipsa tentione natum (dolent enim non solum quæ inflammatæ, sed & quæ distentæ valdè sunt partes) tentionem verò ex ipsis succis in fibras imbibitis. Sed & renes laborasse constat ex lumborum dolore, præcipuè ad femora descendente, sed & ex affectione vesicæ quæ subsecuta est. Vt enim à vesica in eius cervicem, ita à renibus in eam descendisse est consentaneum. Sed & aliæ omnes, quæ dictæ sunt partes, laborabant. Nam aliquando dolebant genua, aliquando tibiæ. Aliquando verò dicit, non quòd aliquot diebus doluerit, ac deinde citra dolorem perseuerauerit: sed quòd alternatè sæpè dolor harum partium, & cessauerit, & redierit. Nam durante plurimùm morbo, multæ horum dolorum recursiones factæ sunt. Tumor etiam in pedibus, & tibia, & lumbis (tumor arbitror œdematosus, qualis in his locis ex pituita sæpè conspicitur) & bubones parui, tumores scilicet in adenosis inguinum partibus, qui ex crassissima pituita duri & exigui, vt scirrhuli quidam fieri solent. Et venter durus, quia partibus omnibus ibi crassis succis repletis, necesse erat eam regionem esse distentam, ac proinde cum duritie quadam tactui occurrere, certè, vt vesicam dicit plerumque occurrisse. Verba reliqua, quæ fini dictionis huius adiecimus, hæc scilicet, & articuli dolore affecti, & postea doluit iuxta aures, idem tumultus adenem non tangens, os non suppurans, hoc euanuit, & tunc statim febricitauit. Hæc inquam verba, post multa alia eorum, quæ sequuntur scripta occurrunt in omnibus codicibus: sed quia cum illis non aptè hærent, neque idoneum sensum reddunt, censui inde excipienda & transferenda huc, & ita restituendam lectionem, vt hic seorsum scriberentur, quæ ad historiam singularem videntur pertinere, moxque proxima dictione, quæ hanc sequetur, quæ in commune dicentur, de iis quibus cognoscimus quæ circa ægrotos fiunt. Ita ergo restitutam orationem enarremus. Plerumque, inquit, reperta est vesica dura, & dolore affecti articuli, nam vt dictum est genua, & pedes, & femora, & lumbi dolebant. Et postea doluit iuxta aures, in ea scilicet parte, quâ est os petrosum. Dolorem hunc constat fuisse vehementem admodum, ex ijs quæ addit. Nam inquit, tumultus idem (vocat σύρεμμα nos tumultum vertimus, passionem hanc, quòd grauiter angeret, & tumultuari cogeret) adenem non tangens, os non suppurans, id est, fuit dolor vehemens, tamen non fecit tumorem in adenibus, neque res venit ad ossis corruptionem, vt solet. Sed hoc euanuit, & tunc cœpit febricitare, cùm non febricitaret anteà. Hoc non intelliget, nisi qui ex ipsis operibus cognouerit, solere maximos dolores circa ossa diu durantes, per quos præcipuè nullus tumor in carne ossi incumbente sentiatur, in corruptionem membranæ quæ periostum vocatur primùm, deinde & ipsius ossis, finiri, atque adeò hos dolores, & has corruptiones ossium, sæpe fieri citra febrem, velut in externam partem, & ignobilem putrescentiâ incumbente, atque nonnunquam has externas affectiones cessare cum magno ægrotantium malo, velut eadem

eadem putrescentiâ in interna reconditâ. Vbi vertimus vtrumque descendebat ad femora, reperimus in græco codice ἑτέρου, id est, alterum. Sed si alterum tantùm descendebat, quo pacto alterum descendebat in femora? Ac non potius in femur? Præterea, si alterum tantùm in femur, quo pacto dolebant ambo crura? nam femur suprema & prima pars cruris est: crus ergo, cui in femur non descendebat, non dolebat. Proinde constat legendum fuisse ἑκάτερον, id est, vtrunque vt nos legimus. Porrò vbi legimus, parui bubones, habetur græcè βραχεῖς βουβῶνες, verturtque breues bubones, quî autem dicantur breues, nisi qui exigui, non succurrit. Proinde cum βραχὺ significet, & quod breue, & quod exiguum, magis placet legi, parui bubones.

ET germinationes & calores oportet considerare, quòd oculis, auribus, naribus, manu iudicationes fiant; & alia etiam quibus cognoscimus, an ægrotus sudet, an tangat, an olfecerit, an gustauerit. Alia autem cognoscenda, pili, color, cutes, venæ, nerui, musculi, carnes, ossa, medulla, cerebrum, & quæ à sanguine viscera, venter, bilis, & alij succi. Pulsus, tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, secessus ex quibus cognoscimus.

Hic voluit Hippocrates in vnum caput colligere omnia quibus vtimur ad cognitionem. Ea medicinæ pars, ad quam hæc pertinent, dicitur diagnostica. Triplicium rerum facit mentionem, non sanè admodum distinctè & artificiosè distributarum. Hoc verò vetustati est condonandum, & à nobis, quod ordini & distinctioni deest addendum. Triplicia illa sunt: Quibus potentiis, seu organis, ad hanc medicinę partem probè exequẽdam, vtamur: Quæ signa captemus: Quarum partium consideramus affectiones. Atqui quæ vt signa consideramus sunt duplicia, quædam antecesserunt, quædam comitantur. Organa quibus vtimur sunt oculi, nares, aures, & manus, visus enim, auditus, odoratus, & tactus sunt hæc organa. Gustu verò nullus vtitur medicus ad medicinalem diagnosin, quia excrementa aliqua, siue sudorem, siue vrinam, siue quiduis aliud degustare absurdum, & minimè necessarium est. Proinde Hippocrates à tali ratione diagnoseos semper abstinuit, neque scio an saporis excrementorum vnquam meminerit, nisi fortè dulcedinis sordium auris, section 5. l. 6. huius operis, proinde neque hoc loco linguæ meminit, tamen odoris multis in locis fecit mentionem, fœtidarum scilicet, & vrinarum, & deiectionum, & quàm minimè fœtidi puris, atque hoc loco etiam narium. Quibus itaque dignoscimus, quatuor hæc sunt. Signa quæ vt prægressa consideramus, an sudauerit, an tetigerit, admotumve ei fuerit aliquid noxium, an olfecerit, gustauerit ve aliquid à quo potuerit lædi, ac denique omnia alia, quæ ægrotus facere, patiue potuerit: vt an vigilauerit homo, aut laborauerit, aut inediam sustinuerit, aut alius copiosè fluxerit, aut denique aliud tale anteceſſerit. Nam huiusmodi omnia, quæ procatarcticæ causæ medicis vocantur, considerare consuluit Hippocrates initio prognostici, aut ex aliis coniecturam facientes, aut nisi id fieri potuerit interrogantes. Nam quæ consideramus vt præsentia, non eodem modo semper indicant, sed plus aut minus bona aut mala fiunt, vt illa quæ vocamus prægressa, anteceſſerunt, aut non. Nam quæ considerantur vt comitantia affectionem, sunt germinationes, seu quæ exteriùs per cutem germinant, quo in genere sunt, quæ exanthemata vocantur, maculæ scilicet & papulæ, & tubercula exigua: præterea & vlcera omnia, & tumores præter naturam externi (omnia enim hæc per cutem germinant, & significationem aliquam præbent) & calores qui totum corpus, aut quasdam partes præcipuè tenent: & color in toto corpore, præcipuè verò in vultu, & lingua; & pulsus (vt hinc etiam constet Hippocratem consueuisse tangere ęgrotantium arterias. Nam σφυγμὸς non significat palpitationem, aut motum alium quàm dilatationem arteriarum) & tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, & feceſſus, & alia, quibus agnoscimus, vt decubitus, palpitationes, extenuationes partium, manuum gesticulationes, vomitiones, & vrinæ: & sputa. Circumspirationis nomine intelligo ego hoc loco spirationis difficilis omnes differentias. Ex illis enim omnibus significatio aliqua capitur in morbis, peculiariter tamen quam dyspnœam significet, non possum certò affirmare. Non enim memini me vnquam hoc nomen ἀμφίπνευμα, seu circumspiratio, apud Galenum, aut vllum alium autorem legisse. Neque sanè Gal. in libro de antiquatis vocibus Hippocratis illius meminit. Proinde omni auxilio destitutus, hac in re sola possum coniectura vti, ea verò ducit in respirationem sublimem: sublimis enim videtur posse circumspiratio vocari, quod non tantùm septum transuersum, & thorax per eam mouentur, sed & partes quę circunstant thoracem, supernè quidem clauiculæ, infernè ilia. Nam re vera cum augetur debilitas, quantò hæc quæ circunstant thoracem mouentur euidentiùs, tantò thorax videtur moueri minùs, vsque adeò vt cum ad extremam debilitatem iam ventum est, non respirare, sed circumspirare videatur animal. Atque ita nisi me coniectura fallit, pessima omnium specierum dispnęæ, nomine circumspirationis significatur. Dictum itaque est dictis organis, aut facultatibus dicta signa considerari. Id quod facilè constat, nam oculis cognoscimus germinationes, & colores, tum in partibus, tum in secessibus, & aliis excrementis, atque adeò modos substantię in his ipsis. Auribus, quasdam dispnœę species, vt cum feruet plenus in gutture pulmo, & excretiones flatuosas. Naribus, odores in vlceratis partibus, & in excrementis. Manibus, calores & refrigerationes, & partium durities, aut mollities. Porrò tremores, conuulsiones, & dyspnœę plereque species, & decubitus partim oculis, partim manibus videntur sentiri posse: vt & singultus partim oculis, partim auribus. Porrò dictum est, hęc significationem mutare ob ea quę anteceſſerunt, aut non anteceſſerũt. Quod etiam constare poterit singula perpendenti. Βλασήματα certè in febrium initiis malignitatem humoris indicant, nisi tamen exsudationis vi, aut

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 211 sur 489

attactu, affrictuve alicuius medicaminis calidioris, aut longioris moræ in Sole, aut potu vini meracioris, & esu rerum acrium eruperint: tunc enim non malignæ, vt quæ *tabardillo*, sed simpliciores, vt quæ *sarpullido* Hispanis vocantur, fuerint germinationes. Calores itidem mordaces & maximi ardentes febres indicant, aliquando verò esu, aut potu rei calidioris, aut inedia excreuerunt, & citra grauem vllum affectum apparent. Pulsus etiam nonnulli ob perturbationes animi fiunt, qui citra eas pericula non exigua portenderent. Iam tremores metu defatigatis aut inedia, aut vigilia, aut dolore aliquo, qui alioqui extremæ debilitatis essent: conuulsiones, & singultus, qui conuulsionibus analogi sunt, ex vino, aut gustu, odoratuve nimio rei acrioris, cum minori sunt periculo: ex expurgatione per pharmacum, aut nimia sanguinis effusione, aut etiam nimia exsudatione cum maiori fiunt, quàm sine eis. Circumspiratio ex vehementi cursu aliquando fit sine magno malo, alioqui omnium pernitiosissimum signum. Secessus nigri, virides, liuidi, & impensè flaui pessimi sunt, si verò deuorato pharmaco fiant, minùs erunt mali, atque si ingestis copiosis cibis eiusmodi, multò minùs mali. Perinde etiam euenit in aliis omnibus, quæ circa ægrotos considerantur: quæcunque enim eorum quæ comitantur, quibusdam antecedentibus, grauiora: quibusdam leuiora fiunt. Quare inditia non tantum ex eorum quæ adsunt consideratione procedunt, sed eorum etiam quę antecedunt. Partes quarum considerare debemus affectiones, sunt pili, cutes, venæ, nerui, musculi, carnes, ossa, medulla, cerebrum, & quæ à sanguine viscera, venter, bilis, & alii succi. Enumeratio est hæc partium omnium. Nam duplices partes sunt. Quædam quæ propriè sunt partes, & in toto viuunt: quædam quæ non propriè, sed quia aut in nostris corporibus naturaliter semper sunt, cuiusmodi quatuor succi, & ossium medulla, & proprij partium rores: aut quia innascuntur nobis, vt pili, & cutis non vera, & extremi vngues. Quæ propriè sunt partes, quædam sunt simplices & homogeneæ, quædam organicæ: simplices sunt carnes & ossa (in carnibus verò sunt rubræ, & pingues, & laxæ, & cuique parti propriæ) & medulla spinæ, & cerebri. Organa sunt duplicia, quædam organa prima, & potioribus organis communiter seruientia, vt venæ (in his sunt & arteriæ) & nerui, & musculi: quędam organa præcipua, vt venter, (& hic superior aut inferior) & vterus, & vesica (hi enim etiam sunt ventres) & cerebrum, & viscera quæ à sanguine, idest partes quę ex sanguine concreuerunt (cerebrum enim & venter ex semine) vt cor, hepar, lien, & renes. Omnium ergo curam habere iubet Hippocrates, vt rectè possimus de ægrotantium affectionibus iudicia ferre, non solùm partium, sed & eorum quæ in nobis naturaliter innascuntur. Porrò hæc vt sese habeant agnoscimus, ex dictis antea signis, & ex horum affectionibus notas alias accipimus, vnde in grauiori, aut minùs graui statu esse ægrotum constitutum agnoscimus. Nam ventris affectiones agnoscimus ex secessibus aut vomitibus, velut vesicę & renum ex vrinis: hepatis & cutis, ex germinationibus, & calore, & colore. Cordis & venarum, ex his ipsis, & pulsu: & medullæ, & neruorum, & cerebri, & musculorum, ex tremoribus, & conuulsionibus horum ipsorum: Et ventriculi, ex singultu: bilis & aliorum succorum, ex excrementis, secessibus inquam, & vrinis, sudoribus, & sputis, & vomitibus: ossium, ex quibusdam germinationibus, ex vlceribus enim diuturnis. Porrò pilorum decidentiæ malignas cacochymias, aut extremum tabescentium periculum indicant. Repentina & intempestiua canicies frigiditatem, & humiditatem cutanearum capitis partium. Cutis distentio & ariditas, siccationem corporis, venæ tumores, redundantias. Indicant arteriarum motus multiplices, multiplices affectus: nerui & musculi affecti faciunt partium quarundam peruersiones, quæ & ipsæ in acutis morbis significationem habent insignem. Carnes emollitiones quasdam, aut durities præ se ferunt, malum statum vtraque ratione indicantes, vt in leucophlegmaticis, & tabescentibus. Hi quibus ossium corruptio imminet, dolores quosdam solent pati horrendos: medulla spinæ affecta resolutiones parit: cerebrum affectum, deliria: cor, deliquia animi: hepar, & venter, incoctiones: bilis & alii succi, fastidia, oris amaritudinem, aut salsuginem, & alia multa. En quæ continet hæc Hippocratis dictio, quam satiùs, arbitror, fuerit rursum enarrando repetere. Et germinationes (inquit) & calores (supple) considerari oportet, eò quòd oculis, auribus, naribus, & manu fiunt iudicationes: idest, iudicamus, quæ circa ægrotum sunt. Neque verò duo illa tantùm consideranda, sed & alia quibus agnoscimus, id est, quibus iuuantur ad necessariam circa ægrotos diagnosin, vt an sudet, aut tangat. id est, an sudor aliquis nimius, aut tactus aliquis noxius antecesserit, an olfecerit aliquid insigniter lædens, an gustauerit cibum, potum, aut pharmacum. Alia autem cognoscenda, id est etiam alia omnia quæ antecedere possunt debes curare vt cognoscas, aut per te ipsum, aut interrogando. Porrò quæ considerari debent sunt pili (color dicit, sed satius sit hîc excipi, & cum signis posterius poni) cutes, venæ, nerui, musculi, carnes, ossa, medulla, cerebrum, & quæ à sanguine viscera, venter, bilis, alii succi. Porrò reliqua signa quæ considerandа sunt, præter geminationes & calores, sunt color, pulsus, tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, secessus, quibus dignoscimus, id est, & alia, quibus ad diagnosin vtimur.

Svppuratis oculis, si rumpantur, magna vlcera fiunt: si secentur, profunda, vtroque modo oculi exulcerantur.

Suppurationes fiunt aliquando in oculis, collecto sub cornea tunica pure. A quo quantum periculi visui impendeat, vel hinc constat, quod si expectes vt ipsum erumpat sponte, fiunt vlcera magna [quia non aliter erumpere potest, quàm corrodendo tunicas ipsas, atque ita magnum vlcus faciendo) si feces, facies vlcus profundum (quia non satis est, nisi totam ipsam corneam dissecas) & ἀμφοτέρως αἱ ὄψις ἐλκοῦται, id est, exulcerantur

oculi, ita vt intuitum amittant. Quid ergo remedij ſupereſt? certè quod Galen 4. de comp. ſecund. loc. cap. 3. conſulit, diſcuſſoriis collyriis tentare pus abſumere.

ARiſteas ex Amphilochi pago quarta delirauit, aluus ex viridi aliquantùm pallida egerebat, & ſomni ſalubres aderant, colore candidus erat.

Species quædam mihi videtur eſſe hæc hominis phrenitici in lethargicum abeuntis. Nam notas habebat vtriuſque ſucci, bilis dico, & pituitæ. Nam bilioſas deiectiones habebat, & colorem album, quorum illud bilem, hoc pituitam indicare poterat. Nam duo ſunt hi loci, à quibus redundantium ſuccorum capiuntur argumenta, ab exeuntibus, & à colore ægrotantis. Albus enim pituitam, flauus bilem, ruber ſanguinem, niger atram bilem indicat. Videbatur verò nunc moueri bilis, quia aluus egerebat bilioſa, & delirabat, quare cùm notæ pituitæ ſimul apparerent, qui eſt frequentiſſimus tranſitus in delirium ex pituita cum febre (nam malum erat acutum) ſeſe inſinuabat: in lethargum ergo. Multò verò magis, cùm ſimul eſſent ſomni ſalubres. Nam duorum alterum videtur poſſe ſignificare, dicens ſomni ſalubres, aut ſomnos vtiles ac conferentes, aut quietos, & ſimiles iis qui per ſanitatem fieri ſolent. Vtcumque hoc interpreteris, conſtat hunc non teneri magno peruigilio, vt phreniticorum plerique ſolent, ſed dormire. Certè ſomni phreniticis omnibus vtiles ſunt, vt peruigilium noxium ſi tamen nulli, aut prorſus exigui ſomni huic fuiſſent, non dixiſſet ſomni ſalubres: ſed quod ſolet, ſomni nulli, aut non dormiebat. Dicit itaque huic ſomnos fuiſſe, vel ſimiles beneualentium, aut vtiles, aut forte vtrumque Nam alterum ex altero fit. Si enim phrenitico ſomni placidi, certè & vtiles: atque ſi vtiles certè non valdè implacidi, neque inquieti. Nam qui omninò tales ſunt, laborem faciunt, & deliria, & conuulſiones augent, quare & lædunt. Qui ergo iuuant, ſunt ſimiles ſomnis beneualentium. Tales ergo erant huic ſomni, vtraque ratione ſalubres. Tales verò atteſtabantur colori faciei, ac indicabant in cerebro non valde ſinceram eſſe bilem: ſed pituitæ ſatis admixtam. Quare cùm bilis per aluum effluueret, conſentaneum erat futurum, vt paſſio abiret in pituitoſam.

QVibuſdam ab initio & digiti veluti tremebant & labia quum loquebantur, & aliæ partes, & celeriori lingua præditi proterue loquebãtur. His facies præcipuè rubeſcebat, hi vinum bibebant meracius, aut vomitu conmodè vtentes intumeſcebant.

Qui vehementer vomere coguntur, cum alioqui non ſint ad vomendum faciles, neque ad vomendum paulatim aſſuefacti: aut corpore pleno, & capite infirmo ſunt, lædi ſolent æque ac qui vino plurimo, meraciori præcipuè, vtuntur. Nimirũ vomentes ſolent, non aliter ac ebrij, tremere manibus & labiis, & balbutire, læſis neruis ob conſenſum cum ore ventriculi, & ruborem, tumoremque in facie contrahere, & oculos tumidos, exertos, & humidos habere, raptis in caput humoribus. Cum ergo aliqui per morbos incipientes hæc habent ſymptomata, conſiderare oportet, an aliqua harum cauſarum adſit. Si enim adeſt, melius ſperare potes de ægroto: plerunque enim cocto vino, aut quieſcente à vomitu corpore, ſymptomata hæc ceſſant: ſi autem neutrum affuerit, periculoſa conſtitutio eſt. Nam apoplecticam aliquam paſſionem minatur. Hoc ergo nunc nos hac hiſtoria Hippo. docet, dicens: multos per initia morborum habuiſſe digitos ſubtremulos, & labia cum loqui inciperent, & alia huiuſmodi, & fuiſſe celeri lingua. Hoc idem epitheton lib. 2. ſect. 6. dedit balbutientibus: ſed addit nunc proterue, quod ſanè non omnibus balbutientibus eſt cõmune, ſed peculiare ebriis. Nam loquacem balbutiem, & petulantiam præſtat vinum: & ruborem, faciei præcipuè, etiam dicit fuiſſe his: verùm hæc non citra occaſionem facta, ſed quòd tales ægrotare cœpiſſent, aut ex ebrietate, aut nimio vomitu. Verùm non omnia æquè accidunt ebriis, & vomentibus. Nam petulantia eſt ebriis maior, & tumor faciei vomentibus. Proinde dicit prius (quod ad bibentes vinum magis refertur) ἰσχνλωσσότεροι προπέτειαι, & poſtea addit, ἐμέσαντες ὦδιον. Sed dubitabis, cur dicat χρηστῶς ἐμέσαντες. Niſi enim nimius vomitus ſit, non videtur tam noxius futurus, ſin autem nimius, quî ſit vtilis? Certè qui vomunt, aut vomunt naturali quadam vi coacti, non potentes retinere, aut ſponte id faciunt alicuius vtilitatis gratia, vt qui vomitorium pharmacum accipiunt, aut digitis, intinctis ve oleo pennis, ſibi ipſis vomitum cient. Hi verò, aut nimis ſeſe ad vomitum cogunt, & in ea re modum non tenentes, dictas ſibi noxas faciunt, aut fortaſſe intempeſtiuè vomere tentantes. Velut enim quidam vtilitatis gratia ſeſe expurgare tentauerunt, & à pharmacis vehementer læſi ſunt, ſuperpurgatione correpti, aut commota citra euacuationem bile, aut diſtemperati, aut aliter: ita multi, ſanitatis cauſa vomentes, læſi ſunt, rupto aliquo vaſe, aut grauato capite, aut debilitata ventriculi retentrice, aut aliter. De his dicit, vtiliter vomentes intumeſcebant, ideſt, vtilitatis gratia vomentes, & vt ab alijs affectionibus liberarentur, ac fortaſſe etiam vtilitates alias inde capientes, has noxas incurrerunt, intumeſcebant ſcilicet ſecundum faciem, & oculos, & tremebant digitis, & labiis, & balbutiebant cum rubore faciei, impetu quodam actis in caput humoribus (qua eadem ratione ſolet quibuſdam, nimio & crebro vomitu vtentibus, viſus acies hebeſcere) & ore ventriculi læſo, ab accurrentibus excrementis, in cuius conſenſum pertracto neruoſo genere tremores & concuſſiones partium accidunt.

QVi iuxta Medoſadæ vicum decumbebat, tenuia, nulla bile tincta, aquoſa, multa deiiciebat. Hypochondrium habebat tactui cedens & gibbum, comatoſus factus eſt, circa decimam quartam maximè cùm

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 213 sur 489

©BIUM

ad iudicationem progrederetur, rigor ſine tremore accidit, diſſolutio, langor, contractio, eadem alui deiectiones, comatoſus erat, negligens ex ſomno, non inſaniuit. Iudicatus eſt circa decimam quartam. Nullum iudicantium fuit contrarium.

ὑπακοῦον, id eſt, obediens hypochondrium vocat hic per metaphoram, quod molle eſt & cedit digitis tangentis: gibbum verò quod diſtentum. Nam tumens & elatum hypochondrium rotunditatem quandam comparat. Dicit ergo nunc obediens, & gibbum hypochondrium, quod vocare ſolet contentum & molle. Rigor ſine tremore eſt horror, aut quod ſolùm vocatur frigus. Nam dempta concuſſione, rigor fit horror. Vnde conſtat rigoris nomen apud Hippocratem latiùs patere quàm apud Galenum, & ſignificare omnem extremorum refrigerationem, aut, ſaltem horrorem & rigorem. Alioqui non poſſet eſſe rigor ſine concuſſione partium. Conſtat etiam, vt & in aliis multis locis huius operis indicauimus, tremorem non dici ab Hippoc. vt Galeno eam ſolùm partium inſtabilitatem, quæ ex pondere & debilitate naſcitur, ſed omnem partium ſine voluntate concuſſionem, qua partes loco mouentur. Nam aliter quorſum diceret rigor ſine tremore? Peculiariter enim vocatum tremorem à Galeno, vix vnquam habet rigor adiunctum. Notauit ergo rigorem ſine tremore fuiſſe, quaſi carentem eo tremore quem ſolet habere, ea verò eſt concuſſio partium ab expultrice facultate procedens. Accipiuntur ergo hic nomina rigoris & tremoris, vt dictum eſt, eſtque rigor ſine tremore, horror. Diſſolutio & langor eandem rem fortè ſignificant, niſi fortè διάλυσις (diſſolutionem vertimus) ſit motus partium debilitas, & πάρεσις, (debilitatem vertimus) ſit animi deliquium, & vitalis contentionis remiſſio. Vellem ſanè Galenum libro antiquarum Hippocratis vocum, harum meminiſſe, verùm quando quidem non fecit, licet nobis quod videtur congruentiſſimum, coniectare. Addit deinde σύμπτωσις τῶν ἀπόντων nomen verò σύμπτωσις non eſt facilè diiudicare quid hoc loco ſignificet. Nam nomen ipſum ſignificare poteſt multa, quorum hoc loco vix vllum quadrare videtur. Significat enim concurſum, ſeu congreſſum, & compreſſionē, & contractionem, & calamitatem, & accidens, ſeu ſymptoma. Quod autem horum dicas magis quadrare? Quid enim ſit congreſſus, aut compreſſio quæ exeuntium? Nam illud quæ exeuntium, idem eſt ac ſi diceres, quæ exeuntia σύμπτωσις τῶν ἐξιόντων, id eſt, σύμπτωσις τῶν ἐξιόντα, itaque ſenſus ſit, exeuntia erant compreſſio, aut concurſus, aut calamitas, aut accidens. Compreſſionem legi non eſt conſentaneum. Quia quid aliud ſignificaretur, quàm comprimi exeuntia, ſeu ſiſti? Quo pacto autem cui antea fluxiſſent, eunti in iudicationem ſupprimerentur, aut quo pacto ſi ſupprimérentur circa decimam quartam mox circa eandem diem iudicatus eſſet? Sed neque ſymptoma commodum ſit legi. Cur enim in ipſa iudicatione dicerentur euacuationes eſſe ſymptoma? Legesne calamitatem? Vt dictio ſit calamitas, quę exeuntium, id eſt, calamitas exeuntia? Id verò ſignificet, dictam diſſolutionem & languorem videri euacuatione augeri, itaque euacuationes videri non cum ſatis multa conferentia ac tolerantia prodire, ſed angi, & debilitari deiectionibus. Non quadrat, cum addat mox, iudicatus eſt circa decimamquartam, nullum iudicantium contrarium, quid.n.magis aduerſum in iudicantibus, hoc eſt, in euacuationibus decretoriis excogitari poteſt, quam ſine conferentia, aut tolerantia, denique calamitatem eſſe? Supereſt ergo concurſionem eo nomine ſignificari, vt dictio ſit quam præſcripſi, concurſus quæ exeuntium, hoc eſt, concurſus exeuntia. Quid verò ſignificare poſſit ea dictio? Certè præcipitatam & frequentem fuiſſe deiectionem in iudicatione, adeo vt viderentur deiectiones cōcurrere. Quæ ſanè nimia deiectionum frequentia, caſus virtutis periculum afferre poteſt, ac proinde vituperantur in prognoſtico. Quia, inquit, ſi aceruatim & ſæpé egerit, periculum eſt ne in animi deliquium incidat. Verum ſi hoc abſit, & bona tolerantia eſt in iudicationibus, nihilò deterius eſt abundanter & crebrò deiicere. Vt ergo diceret hoc malum omen non affuiſſe, ſed bene tuliſſe ægrotum tam copioſam euacuationem, addidit, nullum iudicantium contrarium. Vnum adhuc nomen interpretatione indiget, vt pote non ſatis vſitatum παραφερόμενος ἐξ ὕπνου, quod quidem ego verti, negligens ex ſomno. Nam vt παραφρᾶν eſt deſpicere, ſeu res non videre, ſed præterire, ita παραφέρεσθαι præterferri, non conſiderare, negligere, & παραφερόμενος qui res non conſiderat, ſed quaſi non videat quæ videt, neque audiat quæ audit, negligit. Cum ergo eſſet comatoſus, erat etiam ex ſomno, hoc eſt, cum excitabatur, negligens, vt obliuioſus aut ſtupidus. His nominibus, quæ certè omnia inuſitata ſunt, explicatis, hiſtoriam aggrediamur. Hic haud dubiè laborauit morbo acuto ex pituitoſis & aquoſis, hiſque ſatis ſynceris. Omnia enim ſigna talium humorum ſemper fuere (vt hinc conſtet non omnes acutos morbos eſſe ex bile, ſed frigidæ etiam ſubiecto materiæ, poſſe celerem alterationem accidere) nam habebat multam deiectionem per totum morbum (quod multitudinis eſt) tenuium. Quoniam verò duplicia excrementa ſunt in nobis tenuia, bilioſa, & ſeroſa, addit, ἄχολα, id eſt, minimè bilioſa, ſed ὑδατώδεα, id eſt, aquoſa. Hypochondrium erat tactui cedens & gibbum, ideſt, molle, & diſtentum, quod etiam aquoſæ (cum flatuoſa fortè) materiæ redundantiam ſignificabat. Comatoſus fiebat, procedentibus ſcilicet aquoſis excretionibus, pituita purior fiebat, vnde fiebat comatoſus. Circa decimam quartam maximè cùm ad iudicationem progrederetur, accidit rigor ſine tremore, hoc eſt, frigus aut horror, quod etiam frigidum eſſe ſuccum indicabat, aliqui accidiſſet rigor verus. Accidit & diſſolutio & langor (hæc refrigeratio illa affert) & tunc temporis multò abundantiùs cœpit deiicere, adeò vt concurſus quidam eſſet exeuntium, & tunc fiebat magis comatoſus, & ſi quando excitaretur, erat ex ſomno negligens, hoc eſt, nihil conſiderans eorum quæ ſeſe offerebāt, ſed velut mente alienatus. Nihilominus non inſaniuit apertè. Vnde conſtat non fuiſſe legitimum lethargum, ſed coma ſolùm. Tandem per tam cumulatam deiectionem iudicatus eſt citiſſimè, mox enim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 214 sur 489

©BIUM

circa decimam quartam, & bene ſanè: nullum enim iudicantium (hoc eſt ſignorum decretoriorum) fuit contrarium, hoc eſt improſperum, & aduerſum. Nam in die decretoria, & optima, cum euacuatione congruente & copioſa, cum conferentia & tolerantia ſolutus eſt morbus. Vnde conſentaneum eſt, nullam recidiuam ſuperueniſſe.

Simili modo alter in principio ſubuiſcoſa alui excrementa deÿciebat, ex quibus quæ craſſa erant, iudicatoria fuerunt. Inſomnis erat. Poſteà ſubuiſcida, aliquantùm biliosa, matura biliosa, non tenuia demiſit. Poſtquàm autem cæperunt eſſe compacta, celeres fuerunt iudicationes. Hypocondrium apparuit in venarum morem diſtentum circa ſextam, deinde dormiuit ſeptimâ, iudicatus eſt circa nonam.

Cùm plurima eorum quæ hoc opere continentur, videantur citra ordinem ab aliquo collecta, aut ab ipſo autore tumultariè ſcripta, multò certè magis quæ hoc quarto libro, quàm quæ prioribus, quod ex multis aliis dictionibus iam conſtat, ſed & ex hac conſtare poteſt, in qua quædam dicuntur pertinentia ad hiſtoriam ſingularem, quędam interponuntur pertinentia ad communem doctrinam. Multę etiam in hoc libro ſunt inuſitatæ voces. Simili modo alter (inquit) in principio deïiciebat alui excrementa ſubuiſcoſa. Dicit ὁμοίως, quòd hic etiam vt qui ante hunc ſcriptus eſt, habuerit copioſas deiectiones, tametſi profectò non fuerint qualitate ſimiles. Prior enim habuit tenues, non biliosas, quæ quidem tales cùm eſſent, longè aberant à viſcoſis: hic verò habuit ſubuiſcoſas, hoc eſt, aliquantulum viſcoſas. Nam illud, ſub, minuit ſignificationem. His dictis, quæ pertinent ad narrationem, appoſuit illud, ἐξ οἵων τὸ παχὺ κρίσιμον: quod ſanè non de hoc ægroto, ſed in commune dictum putari debet. Nimirum deiectiones craſſæ concoctiones præ ſe ferunt, & proinde iudicatoriæ ſunt. Hoc verò non eſt deiectioni proprium, ſed commune excrementis omnibus, nam in ſuo quodque genere quod coctum craſſum eſt. Concoctio enim omnia facit craſſiora. Verùm non vt craſſa quæ cocta, ita lenta ſunt, imò verò ſine lentore craſſa. Lentor enim in excrementis, ex interno frigore & cruditate naſcitur. Cum ergo dicitur ex quibus quæ craſſa iudicatoria, non eſt intelligendum ex quibus ſubuiſcoſis deiectionibus, quæ craſſa iudicatoria. Nam in lentis quantò craſſior, tantò crudior deiectio eſt: ſed ex quibus, ex deiectionibus ſcilicet. Itaque hæc verba nihil aliud continent, quàm quod in prognoſtico dicitur his verbis, Inſpiſſari oportet deiectionem morbo ad iudicationem eunte. Erat inſomnis. Hoc ſanè non procedebat ex viſcoſis deiectionibus, ſed bilem potiùs ſignificabat. Quid ergo intelliges aliud quàm pituitoſa in inferna repere, & bilem in ſupernis partibus abundare? quod & euentus declarauit. Nam poſt hæc, elapſis ſcilicet duobus aut tribus diebus principij, paulatim cœpit detrudi deorſum bilis, & paulatim cœperunt deiectiones bilis ſpeciem oſtendere, & hypochondria exceperunt calidos humores, donec recedente à capite bile dormiuerit ſeptimâ, & nonâ iudicatus ſit. Itaque, inquit, poſt hæc deiecit ſubuiſcoſa, aliquantum biliosa, matura, id eſt, craſſa biliosa non tenuia, ſed ex craſſa bile cuiuſmodi eſt vitellina. Non ſanè omnes has deiectiones habuit ſimul (nam quî poſſet?) ſed alias poſt alias, procedente verò bilis ad inferna detruſione, abierunt à ſubbiliosis ad biliosas: interim prodiebant aliquæ ſtercoroſæ, ſeu ex fæcibus craſſis, quas coctas vocat. Atqui ex eo tempore, quo cœperunt compactæ eſſe, celeres iudicationes expectabantur, quia vt dictum eſt primo huius operis. Concoctiones celerem iudicationem, & ſecuritatem ſignificant. Hypochondrium diſtentum apparuit φλεβονώδεα τρόπον circa ſextam. Scilicet à ſexta ad nonam eſt quaternarius, ſemper autem primus dies vltimi quaternarij, & qui in iudicationem finitur, ſolet perturbationem afferre. Itaque ſextus nonum indicauit. Sed quid eſt venoſo modo diſtentum eſſe hypocondriũ? noua certè phraſis. Phlegmonoſum affectum puto venoſum modum vocari, quòd tumefactis primùm ac repletis venis ſoleant phlegmonoſi affectus excitari. Fortaſſe etiam (quod magis placet) legendum fuit non φλεβονώδεα τρόπον, ſed φλεγμονώδεα τρόπον. Itaque diſtentum erat hypocondriũ cum calore & dolore, quod ſignificabat eam regionem ſuccos calidos copioſè imbibiſſe, cúmque mox ſequenti die dormiuerit, conſtat ex ſupernis partibus eos deſcendiſſe. Iudicatus eſt circa nonam, procedente arbitror eo biliosorum deſcenſu, ac hypochondriį redundantia deiectionibus biliosis euacuata. Cùm enim Hippoc. non dicat ſtetiſſe ante hos vltimos dies deiectiones, ego intelligo ad finem vſque morbi proceſſiſſe. Itaque malũ hoc, alioqui acutiſſimum, ex vtriſque excrementis, pituitoſis inquã & biliosis pependit, fuitque biliosior multò quàm qui ante hunc enarratus eſt.

Albi coloris, non rufi vterque erat.

Ambos duos ægrotos qui dicti ſunt, & eum qui iuxta Medoſadæ vicum habitabat, & hunc alium qui ſimiliter ægrotauit, dicit eſſe λευκοχρῶτας, id eſt, colore candidos, non rufos. Vbi conſidera Hippoc. non contemnere in morbis, qualis natura ſit ægrotantium, imò hanc in præcipuis conſiderare, atque ob hanc notas omnes ex corporis habitu, colore, capillis, & reliquis omnibus quæ ad eam cognitionem iuuare poſſunt. Albi colore plerunque rufi ſunt plus aut minus, vt Germani, quidam autem etiam ſunt colore faciei ſatis albi, capillis vero & barba nigri. Qui albi & rufi ſunt, ſiquidem in vigente iam ætate ſunt tales, frigidi ſunt. Qui albi & nigris capillis contrarias notas habere videntur, aliam quidem frigoris, aliam caloris. Verùm quia contraria non poſſunt eidem ſimul ineſſe, neceſſe eſt ambo hæc ſigna ſimul iuncta, aliud ſignificent præter alterutrius ſignificationem. Quoniam ergo color capillorum aliquando ſequitur conditionem cauſæ efficientis, aliquándo materialis, neceſſe eſt, quando duo dicta ſigna non poſſunt atteſtari efficienti, quia eſſent contraria & ſimul, aut am-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 215 sur 489

©BIUM

bo aut alterum ſequantur conditionem materiæ. Meritò ergo coniectemus eum, qui ſimul eſt cute albus & capillis niger, duplici ſucco abundare, pituitoſo & melancholico. Non enim æquè repugnat duos hos ſuccos abundare, atque calidum frigidumque ſimul eſſe corpus. Ambo enim ſunt frigidi ſucci, atqui melancholica viſcerum natura, ob ſubſtantiæ proprietatem gignit nigros ſuccos, atque adeò nigras fuligines, ob incoctiones verò etiam ex pituitoſis eduliis multam pituitam, qua molliores corporis partes nutriuntur. Sunt verò in melancholicis multæ incoctiones, quia eorum debilis eſt naturalis calor. Itaque illi erant pituitoſi, & melancholici, & vterque ſanè morbus fuit magna ex parte congruens tali naturæ (nam melancholici ſeroſi etiam ſunt, pituitoſi verò lentis abundant) non tamen omninò. Nam ſatis etiam bilioſus morbus fuit huic poſtremo, poſſe verò & congruentes, & omninò non congruentes, & partim congruentes morbos hominibus accidere, ob multas cauſarum concurſiones, non opus eſt vt dicam. Illud ſolùm addamus oportet, cùm Hippocrates non dicat qui fuerit illis pilorum color, ſed ſolùm non fuiſſe rufos, vnde coniectabimꝰ fuiſſe nigros. Certè quia albi magna ex parte ſunt rufi plus aut minùs, quaſi notatu dignum notauit fuiſſe albos, nullatenus rufos: tales verò ſunt, qui nigri. Rubri enim aut virides pili humani eſſe non conſueuerunt, neque ſanè albiſſimi, niſi raris quibuſdam. Tales autem ſi eſſent, par erat vt rem rariſſimam apertioribus verbis ſignificaret, cur enim quia non erant flaui, ſuſpiceris fuiſſe quales rariſſimi eſſe ſolent, ac non potiùs quales ſæpè fiunt, putà candidos colore, & nigros capillis? Conſtat verò iuxta hanc enarrationem, πύῤῥὸν ſeu rufum latiùs accipi, vt & ὠχρὸν, ſeu pallidum, atque adeò ipſum ξανθὸν, ſeu flauum pro omni pallore, vt non rufi dicantur, qui nullatenus rufi, hoc eſt, omninò abſunt à pallidorum genere. Nimirum dicta tria nomina, etſi differentiam quandam palloris ſecundùm maius & minus plerunque contineant, nonnunquam etiam promiſcuè ſumuntur, ſeu pro omni palloris genere quodcunque eorum accipitur.

DEiectiones aquoſæ cùm ſub dio expoſitæ eſſent, ſupernè leues & tenues, valdè ſimiles erant bili Iſatodi, infernè verò ſubſidentiam habuerunt.

Iſatis græcis dicitur ea herba quæ latinis glaſtum, cuius ſucco vtuntur tinctores ad cæruleum colorè præſtandum, eo enim colore eſt is ſuccus. Herba ipſa viridior, non omninò viridis, hinc ſpecies quædam bilis, vt Galenus docet lib. de atra bile, ἰσατώδης, hoc eſt, iſatidem colore referens vocatur: ea eſt inter viridem & cæruleum, fitque vt omnis alia viridis bilis ſpecies vſtione, niſi cum ſequitur conditionem ciborum, vt in ventriculo aliquando. Ergo dicit deiectiones aquoſas multas, cùm ſub dio expoſitæ manerent, habuiſſe ſupernè tenue & læue, ſimile flori qui in vinis ſolet innatare, colore ſimile iſatodi bili: infernè verò ſubſidentiam ex parte craſſiori. Nimirum vt in vrinis repoſitis ſeparatur infernè ſubſidentia, & ſupernè quiddam tenuiſſimæ telæ araneorum ſimile, læue & tenue, ita in pleriſque deiectionibus aquoſis. Refert verò quod ſeparatur id quod in eis latitabat. Significabat ergo hoc tenue, & læue iſatidi ſimile bilem cum aqua deſcendere. Vnde manifeſtum fit, hoc Hippocratem non dicere de deiectionibus aquoſis, quæ erant in ægroto, qui iuxta Medoſadæ ædes habitabat, ille enim deijciebat tenuia ἄχολα, id eſt, bilis expertia, hæ verò deiectiones erant bilioſæ, & iſatodes: ſed potiùs hanc fuiſſe differentiam aliam aquoſarum, illis contrariam, quam in aliis ægrotis eadem fortaſſe tempeſtate notauit. Tu interim conſidera Hippocr. diligentiam, qui deiectiones & recentes & repoſitas contemplabatur, quod in aliis etiam anteà animaduertimus.

QVibus in dextra parte aliquantùm mollis diſtentio adeſt, phrenitici euadunt, niſi ſoluatur febre deſinente. Quibus verò ſub mollitudine ventris in hac ipſa aliquid velut circumcolligitur, aut cum duritie dolet, & valdè malignum non vult deffundi, fortaſſe ex talibus quidam ſuppurantur. In dextra autem parte ſublati tumores, quales quidem vtplurimùm molles ſunt, ſi aliquo multùm ac maximè premente ſubmurmurauerint, non valdè maligni cenſendi ſunt. Quale quid in dextra parte accidit ei qui ex Amphilochi pago aduenerat, & ei qui iuxtà Medoſadæ vicum decumbebat. Illi ſopore premebantur, & ſomno grauiore corripiebantur.

Quantum referat in acutis morbis, & iis qui ex acutis decidunt, attrectare hypochondria, & ventris inferni regionem, intelliges facilè ex iis, quæ de ea re in prognoſtico Hippocrates reliquit ſcripta, ad quod ſanè etiã pertinet hæc tota dictio, quam enarrare aggredimur. Dictum eſt ab Hippocrate illic, tumores hypochondrii dextri deteriores eſſe quàm ſiniſtri, quod ſanè ob hepatis dignitatem, quæ ex communis alimenti generandi facultate procedit, veriſſimum eſt, vſque adeò vt phlegmones hepatis lethales ſint, & inueterati tumores cum duritie inſanabiles. Hanc ob cauſam tumores in dextris partibus ventris præcipuè perſequitur, eorum differentias quaſdam inſignes & ſignificationes proponens. Prima eſt, diſtentio ſubmollis in dextris, quam diximus iam ſæpè fieri ob flatus eo loco collectos, ſi enim ex tumore phlegmonoſo aut ſcirrhoſo naſceretur, eſſet dura: ſi ex œdemate, non admodum eſſet diſtenta pars, ſed laxior: ſi ex aqua collecta inter peritonæum & inteſtina, deflueret per totum ventrem, neque diſtenderet ſolum dextrum hypochondrium. Flatus verò eam ſolùm partem, in qua contingit gigni, nonnunquam diſtendit, ſurſum petit, neque verſus alias diffunditur. Ita quibuſdam ex flatu diſtenditur ſolum hypochondrium dextrum, aliis pluribus ſiniſtrum, aliis etiam totus venter, vel quòd plurimus ſit, & vix toto ventre capiatur, aut quòd

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 216 sur 489

©BIUM

in omnibus ventris partibus gignatur, aut à lumbis, vtero, aut parte alia inferna gigni cœperit. Tales quidem tumores distentionis plurimùm habent, nam flatus velut ad summa elatus, membranas tendit. Durities verò propriè dictam non habent, & quam tactus à tentione diuersam esse non sentiat. Est ergo distentio submollis, cuius quum per febres continuas apparet, duplex exitus expectari potest: alter bonus, vt scilicet sensim flatus à febre dissipetur, simúlque tentio & febris desinant: alter malus, vt scilicet phrenitici fiant. Scimus enim flatus per venas & arterias redundantiam semper esse capiti periculosam, & significare morbos eius, qui adsunt aut aderunt, prout indicant vrinæ turbatæ, quales sunt iumentorum. Ergo dicit, distentio submollis in dextris futuram phrenitidem timere iubet, nisi soluatur desinente febre. Si enim febre perseuerante tentio ipsa perseueret, quasi febrilis calor nihil eius absumat, aut ipsa soluatur febre non desinente, vtroque modo timeri debet phrenitis. Illud enim significat maximam indissolubilis flatus redundantiam, hoc fortasse raptum ad caput. Quia si febris non definit meritò censebis desiisse tentionem, causa aliam in partem abeũte potiùs quàm consumpta. Quod si febre desinente tentio non soluatur, non sanè est quod timeas phrenitidem, non enim ea fit sine febre, tamen hoc per febres acutas rarum est, tales enim consueuere flatuosos morbos finire, aut in alios per causæ transmissum mutare. Quia ergo hoc ratum est dicit, si non soluatur tentio febre desinente phreniticos fieri ęgrotos. Omninò enim necesse est quatuor horum aliquid euenire, aut tolli ambo, tentionem dico, & febrem, quod est maximè expetendum: aut ambo perseuerare: aut febre manente tolli tentionem, que duo phrenitidem minantur: aut solui febrem, & tentionem manere. Cùm ergo hoc vltimum adeò rarum sit, nisi primum fiat, rationi consonum est ob secundum aut tertium phrenitidem timere. Apponit mox aliam tumoris in ventre differentiam, dicens, quibus verò sub mollitudine ventris in hac ipsa, velut circum colligitur, aut cum duritie dolet, & valdè malignum non vult diffundi, fortasse ex talibus quidam suppurantur. Multas etiam notas scripsit in prognostico internæ in aluo inflammationis in suppurationem abeuntis, quod sanè etiam posse cognoscere plurimùm refert, estque hęc vna earum rerum, quibus periti medici imperitis maximè præstant. Nam multi ex internis inflammationibus ad suppurationes mutatis moriuntur leatè, cùm putarentur iam esse à morbis liberati, atque à medicis dimissi. Cùm enim facto iam pure dolores & febres magnoperè remittantur, putantur multi ad maximam morbi remissionem, & securitatem peruenisse, quibus pus interiùs vomica aliqua collectum subest. Quorum quidam beneficio ipsius naturæ fortis, ruptâ vomicâ, & excreto pure liberantur: quidam pure maligniùs putrescente, & computrefaciente partes internas, aut assidua febricula, quam putridæ ex loco in cor delatæ fuligines fouent, tabescentes intereunt: aut vomica rupta, sed tardiùs, & cum iam debilitata virtus est magis quàm vt possit ipsam puris excretionem sustinere. Multùm ergo refert scire notas internæ inflammationis in suppurationem abeuntis. Ac multi quidem has ignorant, quia

A

B

C

D

E

F

G

ne ipsas quidem internas inflammationes dignoscere sciunt, & latentium affectionum cura deposita nihil ferè considerant, præter ea quæ sensibus comprehenduntur citra ratiocinationem vllam, & vulgaribus etiam sunt nota. Oportet verò inflammationes, & affectas partes nosse, posseque eas ab aliis dolorosis affectibus dignoscere, & magnas ab exiguis. An enim facturi sint abscessum, seu suppurationem, agnosces ex tribus, loco, magnitudine, & modo inflammationum ipsarum. Nam inflammationes partium calidiorum, nisi anticipent resolui, magis suppurantur quàm frigidiorum, ac proinde vt dicitur in prognostico. Tumores in ventre minùs faciunt abscessus quàm qui in hypochondriis, minimè verò qui infra vmbilicum sunt. Porrò exiguę inflammationes pleræque resoluuntur, præcipuè si in locis calidis sint, magnæ in calidis quidem locis suppurant, in frigidis manent crudę & inuictæ. Quod ad modum attinet, quæ sunt rotundæ & eminentes & proprio loco circumscriptæ, & in vnum collectæ, futuræ suppurationis significationem præbent, quæ verò extentæ, & late, effusę, non admodum suppurant: sed si exiguæ sint aut ex materiâ tenui, resoluuntur: si magnæ, aut ex crassiore, iudicationem subeunt fluxu sanguinis, aut alia euacuatione, si modò bonum exitum habeant. Hæc continent illa verba. Quibus verò sub mollitudinem ventris in hac ipsa velut circumcolligitur, aut cum duritie dolet, & valdè malignum non vult diffundi, fortasse ex talibus quidam suppurantur. Mollitudinem alui vocat ipsum abdomen, & sub ventris mollitudine apparere durum, est ipsum abdomen extima in parte molle esse, interiùs autem sub ea mollitudine durum quiddam reconditum esse, hoc ergo significat tuberculum internum. Quia verò dicit aliquid cum duritie dolere in hac ipsa, hoc est in febre, seu cum febre continua, significat id tuberculum inflammationem esse. Hæc, inquit, si circum colligatur, & valdè maligna nolit diffundi, hoc est, & nolit in partes circum sitas effundi & extendi, neque compressa neque aliter, sed vno quodam loco durities & dolor hæreant, & velut in circumscriptam certamque particulam sese colligant, quod quidem est signum malignæ inflammationis (nam quæ se effundit non est tam firmata in parte) fortasse, inquit, ex talibus quidam suppurantur, hoc est, fortasse in iis qui hęc habent, expectari debent suppurationes internæ. Meritò sanè. Nam tales sunt inflammationes magnæ (& ob essentiam propriam, quia in alto cùm sunt sentiuntur manifestè, & propter cacoethiam quia dolent malignè, & nolunt diffundi) & in loco calido: quia sub mollitudine alui, & non sunt benè resolubiles, quod indicat durities. Quid ergo aliud expectes quàm suppurationem? Dicit verò fortasse ob conditionem huius operis, quo non tã docere, quàm obseruationes & experimenta, prout occurebant, tradere institutum est. Dicit ergo fortasse ex talibus quidam suppurantur, quasi non definiat modò, sed affirmet in talibus se obseruasse suppurationes fieri. Tu verò iam hinc, quandoquidem ego experimento idoneam rationem adiunxi, vtere vt signo satis bono. Apponit deinde aliam differentiam tumoris in ventre, quam non esse κακοήθη dicit, adiungens duo exempla. In dextra, inquit, parte sublati tumores, qualcs quidem vt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 217 sur 489

©BIUM

plurimùm molles ſunt, ſi aliquo multùm ac maximè premente ſubmurmurauerint, non valdè maligni conſendi ſunt. Conſtat has eleuationes ex iis eſſe, quæ non admodum circumſcriptæ ſunt: ſed diffunduntur, quas diximus iudicatione aliqua ſeu abſceſſu aliquo eorum qui per effluxionem fiunt, vt ſanguinis fluxu ex naribus, aut deiectione copioſa, aut tali aliqua ſolui. Quæ euacuatio expectanda ſit, ex iis quæ tenſioni accedunt agnoſces. Quibus enim hypochondria velut retracta ſurſum & diſtenta ſunt, fluxus ſanguinis imminet: quibus murmurant, fluxus alui. Si ergo multùm murmurant cum quis premit, conſtat non eſſe humores admodum firmatos in parte, & ad inferna vergere per aluum non difficulter excernendos, vt nihil prohibeat mox aliquid expurgantis medicamenti dare. Non eſt igitur hæc maligna affectio. Talis, inquit, tenſio fuit in dextris ei, qui ab Amphiloco, & ei qui iuxta Madoſadæ vicum decumbebat, ei ſ. de quo nuperrimè ſcriptum eſt. Ambo dicti ægroti ſopore premebantur & ſomno grauiore corripiebantur (conſtat illud, & eſſe declaratiuũ) quod etſi graue videretur, tamen nihil illis euenit mali. Certè de eo qui iuxta Medoſadæ vicum decumbebat, ita eſt dictum. Circa decimamquartam iudicatus eſt, nullum iudicantium contrarium.

Conſtitutiones aëris, quales ſint & quibus temporibus & regionibus magis aut minùs accidant, conſiderandæ. Quo etiam tempore morbi vigeant, ad iudicationem oportet cognoſcere, & quod quotidie accidit, & quod citiùs aut ſeriùs, tertiâ quartane periodo: & quibus in periodis quæ iudicant intumeſcunt, ſanguinem fundunt, aut non.

Quanti faciat Hippocrates ſententiam duodecimam primæ particulæ aphoriſmorum, qua dicitur, paroxyſmos & conſtitutiones indicari ab ipſis morbis, temporibus anni, & circuituum incrementis, & iis quæ mox apparent, inde intelliges, quòd multis ſuorum operum locis ſparſim eam repetierit, partim quidem eandem rem omnino dicens, partim aliquid quod ad eandem ſententiam facit adiiciens. Sanè vel in hoc ipſo quarto epidemiorum lib. bonam partem eius aphoriſmi ſcripſerat, quem hic repetit, quædam etiam vtilia adijciens, quædam etiam detrahens non inutilia, vt videatur mihi hæc ſententia (quod & antea dixi) ſi vndique colligatur, perfecta euaſura, & totam doctrinam de criſibus contentura. Hic non meminit ſignorum concoctionis in excrementis, quæ in aphoriſmo vocauit mox apparentia, quæ ſanè maximam præſenſionis in morbis partem continent; tamen adiecit, habendam eſſe rationem circuituum quibus iudicationes aut abſceſſus fiant, quod etiam ipſum ad fidam aut infidam iudicationem habet magnum momentum. Conſtitutiones dixit in aphoriſmo indicari præcipuè ab ipſis anni temporibus. Vt autem ab anni temporibus, ita & à regionibus, & aliis congeneribus cauſis indicari eſt intelligendum. Quia ſcilicet quædam regiones & anni tempora nunc has nunc illas ſponte ſolent afferre morborum conſtitutiones. Quia calida tempora breuiores, frigida longiores morbos, alioqui eoſdem ſpecie faciunt. Ergo vt poſſis hac præſentiendi ratione vti rectè nunc monet dicens, ſcire oportet quales conſtitutiones ni quibuſdam temporibus & regionibus magis & minùs fiunt. Nimirum breues conſtitutiones in calidis, & temporibus & regionibus magis, in frigidis minus fieri, longas contrà. Sed quid refert conſiderare conſtitutiones morborum? Certè vt præſentias quo tempore vigeant morbi, ideſt, vt præſentias quando habiturus ſit morbus vigorem, & quantum ad vigorem vſque tranſigendum ſit. Quorſum id? Et ad iudicationem, inquit, quaſi dicat, quia iudicationes morborum fiunt in ipſis morborum vigoribus: Ergo & ad præſentiendum tempus iudicationis, oportet præſentire vigorem, & ad hunc, conſtitutionem. Neque verò ſolùm hanc præſenſionem præſtant anni tempora, & regiones: ſed & circuituum inuicem collata incrementa, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue ex longiori interuallo fiant, vt in aphoriſ. dixit. Quod idem nunc explicat, dicens, & quod quotidie accidit, & quod citiùs & quod ſeriùs, hoc eſt, an anticipent an tardent paroxyſmi (inde enim naſcitur circuituum ad ſeſe incrementum, aut decrementum) & quod quotidie, tertia, & quarta periodo, hoc eſt, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue quarto quoque die repetat paroxyſmus. Non meminit autem longiorum circuituum, quia quintani, ſeptimani, & longiores rariſſimi ſunt, & in acutis nunquam fiunt. Itaque hæc verba idem omninò ſignificant; quod verba illa aphoriſmi. Qua ratione autem cognoſcatur conſtitutio morbi ex circuituum inter ſe collatione, in commentario aphoriſmi dictum eſt. Addit, & quibus in periodis quæ iudicant intumeſcunt, ſanguinem fundunt, aut non. Τὰ κρίνοντα Hippocrates vbique vocat euacuationes, velut cum dixit; τὰ κρίνοντα μὴ ἀνάγκη ἐπιφαίνεσθαι, & rursũ τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, id eſt, euacuationes quæ non tollunt morbos. Porrò hæc ipſa aliquando vocat abſceſſus, diſtinguens abſceſſus in abſceſſus cum euacuatione & ſine ea, vocanſque abſceſſus cum euacuatione ἐκκρίσεις, vt ſudores, fluxus ſanguinis, & deiectiones. Ergo dicit nunc, non ſolùm conſtitutionem eſſe notandam, ſed etiam habendam rationem circuituum in quibus apparent τὰ κρίνοντα [id eſt, euacuationes) aut ὀιδοῦντα, id eſt, tumores præter naturam, ſiue ſint αἱμευμένα, id eſt, tumores ex affluente ſanguine, & phlegmones, ſiue non, ſed qualia œdemata, aut ſcirrhi. Non enim hoc parùm refert, ſi quæ vis eſt dierum decretoriorum, ac niſi fruſtrà eſt ſcriptum ab Hippocrate in aphoriſmo. Sudores febricitanti ſi ceperint, boni ſunt tertia die, quinta, & ſeptima, & nona, & vndecima, & decimaquarta, & decima ſeptima, & vigeſimaprima, & vigeſimaſeptima, & trigeſimaprima, & trigeſimaquarta. Hi enim ſudores morbum iudicant: qui verò non ſic fiunt, dolorem ſignificant, & longitudinem morbi, & recidiuas.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 218 sur 489

©BIUM

Abſceſſus quibus recidiuæ contingunt.

Multa dicta ſunt anteà in hoc ipſo opere de abſceſſibus, præcipuè ſectione prima libri ſecundi, vbi diximus morbos difficilis iudicationis eſſe eos, qui per abſceſſus ſine excretionibus, aut cum recidiuis, aut cum vtriſque finiuntur. Hoc idem eſt quod Hippocrat. hoc loco docet. Nimirum abſceſſus & recidiuas eiſdem morbis eſſe familiares, iis ſcilicet qui imperfectè iudicati ſunt: & abſceſſus ſolere fieri, quibus & recidiuæ. Nimirum vtraque fiunt ex iis quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationes, aut ob acriſias, ſiue iudicationum defectus. Nam qui contrà iudicantur perfectè, perpurgantur, ac proinde tutò ſineque vllo malo alio fruuntur ſanitate.

Venæ temporum & concidentiæ, & colorum mutationes contingunt ante iudicationem, & iis quibus nulla accidit iudicatio, atque etiam anxietates, circumtenſiones, colorum mutationes ex rubro in pallidum. Niſi iudicatio contingat, & cutis circumtenſiones ſine iudicatione, & collapſus oculi. Corporis durities ſicca.

Hac oratione complectitur Hippocrates ſigna corporis tendentis ad ariditatem ſeu marcorem. Quia enim ſiccitate extrema, & quam confirmatam vocant, fiunt partes omnes corporis duriores, vnde & talibus contingit durum pulſum, & totius corporis habitus duritiem habere: vocat eam corporis affectionem, corporis duritiem ſiccam, hoc eſt, duritiem corporis factam, non ob concretionem à frigore, ſed ob ſiccitatem & naturalis corporis humiditatis conſumptionem. Quæ quidem affectio, vt ex igneo calore procedit, ſic cum naturalis debilitate fieri conſueuit. Qua ratione multi ex febribus putridis tales manent, cum præcipuè illæ ſunt ardentiſſimæ, aut mali moris, aut cum interna aliqua inflammatione, præcipuè viſceris alicuius calidioris, aut cordi proximi, vt pulmonis, hepatis, aut ventriculi. Talis affectionis futuræ ſigna ſunt hæc, quæ hic recenſuit. Φλέβες κροτάφων vocat manifeſtas in temporibus pulſationes. Nam venas vocabant antiquiſſimi genus vtrumque, & pulſantes, & non pulſantes: vt cum dicit, venarum pulſationes. Velut ergo pulſus ſolet Hippocr. vocare, non qualeſcunque arteriarum motus: ſed inſignes & conſpicuos, ita vocat venas, non ipſos ſanguinis canales: hæ enim non fiunt in ægrotis, quibus in partibus non erant, quū bene valebant, ſed venas manifeſtè & plus ſolitò pulſantes. Concidentias temporum vocat, quæ in prognoſtico collapſa tempora, vt & collapſum oculi, quod illic dicit oculos cauos. Ferè ergo ſunt, hæc ſigna, quæ in principio prognoſtici ſcripta ſunt, quæque vulgus medicorum vocat Hippocraticam faciem. Nam ſunt oculi caui, & collapſa tempora, & cutis frontis circumtenſiones, & colorum mutationes in pallidum. Addit hic pulſus in temporibus, & anxietates. Sed quà ratione hæc tabem indicent, explicemus. Hæc ex magna conſumptione carnium & vitalium ſpirituum procedunt. Aut ergo primis diebus apparent, atque mox ac homo incipit ægrotare; aut procedente morbo paulatim fiunt. Atque vtrouis tempore, aut ex manifeſta aliqua occaſione, aut citra vllam, velut in initio morbi, quia vigilauit homo, aut aluus ſoluta eſt, aut ieiunauit: vel procedente morbo, quod euacuatio aliqua inſignis nuperrimè anteceſſerit, aut adhuc fiat: vel citra omnem talem occaſionem. Hoc ſi fit, imputandum eſt morbi magnitudini, aut malignitati. Qui quidem ſi mox inter initia citra omnem occaſionem hæc facit, non magnus ſolùm, ſed malignus eſt, neque ſine maxima naturalis caloris debilitate, ac proinde nihil aliud ſignificatur quàm mors: ſi verò poſtquàm dies multos vrens febris corpus confecit, hæc incipiant apparere, minùs eſt mirandum, & minorē malignitatē indicat. Significat verò tunc quoque carnes exſuccatas, quod certè ſi ob copioſam aliquam ſucci profuſionem factum eſt, cauſam habet manifeſtam, ſi verò citra illam, ſignificat febris vi corpora ſiccari. Meritò ergo ſunt hæc inditia marcoris imminentis, in iis quibus pulſant venæ temporum. Nam fiunt hæ ob cutis extenuationem & igneas fuligines, quæ per arterias deferuntur, adeò vt venæ pulſare ſentiantur, vbi ſentiri non ſolent. Sed & anxietates, nam qui ita afficiuntur, præ debilitate habent anxietates indicibiles. His etiam perit vitalis color & decens, fit verò quibuſdam in partibus rubor inſolitus, vt in genis, ob calidam arteriarum intemperiem, aliis color pallidus ob effuſam bilem, aut ſpirituum penuriam. Itaque dicit. Quibus venæ temporum, & concidentiæ eorūdē temporum, & colorum mutationes, hæ ſcilicet quæ dictæ ſunt ante iudicationes, & quibus iudicationes non fiunt, hoc eſt, non accidentes poſt aliquam inſignem euacuationem, aut quū adhuc fit, & anxietates, & circumtenſiones (cutis ſcilicet frontis, & aurium, & partium huiuſmodi, in quibus præcipuè hæc apparent) & colorum mutationes ex rubro in pallidum, ſi non iudicent. Hoc, ὡὸ μὴ κρίνῃ, dicitur de ſola mutatione ex rubro in pallidum. Nam talis mutatio aliquando fit decretoriè, vt & morbus regius: aliquando ſymptomaticè, ſignificátque tunc ſanguinem per totas carnes bileſcere, atque euenit tunc carnes ab ipſa bile qua imbuuntur ſiccari, vt ſolent eæ quæ ſaliuntur ab ipſo ſale. Talis ergo mutatio, niſi iudicatoriè fiat, ſignum & cauſa eſt ariditatis corporum. Et cutis, inquit, circumtenſiones ſine iudicatione, hoc eſt, quæ non ob euacuationem aliquam magnam fiunt (hæc repetitio non eſt admodum vtilis, cùm dictum anteà fuerit circumtenſiones. Verùm in tam antiquis codicibus non poteſt non eſſe aliqua corruptio, & vnius vocalæ inutilis repetitio, leuis corruptio eſt) & collapſus oculi, hoc eſt oculi cauitas. Corporis durities ſicca. Hoc eſt, dicta ſi adſint, corporis durities ſicca ſignificatur.

Illis qui volentes illachrymant nullum imminet malum, quibus verò inuoluntariæ effluunt lachrymæ, malum.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 219 sur 489

In prognoſtico non longè à principio libri dixit Hipp. nolentes illachrymare in malis & exitialibus eſſe. Cuius rei reddita à me cauſa in eius loci commentatione eſt, explicatumque quibus in morbis, & quibus exceptis intelligi debeat: nimirum in acutis, præter cauſas externas, & peculiares affectiones oculorum. Itaque altera ex parte non indiget præſcripta oratio noua enarratione, id verò quod dicit. Volentes illacrymare non malum, & quod in aphoriſ. 52. ſect. 4. qui idem eſt cum hac ſententiola adiecit, perpendendum eſt. Num ſignificet ſolùm volentes illachrymare non eſſe malum, vt nolentes, an aliud aliquid: ita ſcilicet, vt quemadmodum inuoluntariè lachrymare malum eſt, ita lachrymare voluntariè, bonam aliquam ſignificationem præbeat. Certè ſi quicunque inuoluntariè lachrymat, poteſt voluntariè etiam lachrymare, nihil boni per ſe ſignificat voluntariè lachrymare: ſed eſt minus malum quàm inuoluntariè id facere. Si verò qui in eo ſtatu iam conſtitutus eſt, vt inuoluntariè lachrymet, non poteſt voluntariè flere, certè voluntariè flere poſſe, minùs malæ diſpoſitionis, aut etiam melioris ſignum eſt. Videtur autem ita habere. Nam & experimento cognitum eſt eis qui moribundis hominibus aſtiterunt, nulla ex cauſa eos flere poſſe. Neque ratio quidem non ſubſcribit epilogiſtica, quia naturalis triſtitiæ ſignificatio eſt fletus: eis ergo qui plurimùm extra naturam acti ſunt, conſentaneum eſt talem iam ſignificationem non adeſſe. Nimirum vt nihil ſecundùm naturam iam agere poſſunt, ita neque ridere, neque flere. Sed & analogiſtica ratio accedit. Vt enim cum naturalis partium firmitudo iam labaſcit, humores inuoluntariè excidunt: ita non poſſunt voluntariè exprimi, quia ob eandem facultatis remiſſionem, ob quam non retinentur, neque etiam exprimuntur. Maiori enim conſtrictione fit expulſio, quàm retentio. Excidere ergo poſſunt inuoluntariè, voluntariè pelli non poſſunt, quibus facultas quæ regit corpora corrupta eſt.

Qvibus in dentibus circum circa viſcoſa fiunt, malum eſt ſubhiare.

Vbi verti ſubhiare, dicit Hipp. ὑποχάσκειν, ſignificat verò χάσκειν aperire, aut infixis oculis aſpicere. Quare ὑποχάσκειν eſt ſubaperire os, aut ſuſpicere infixis oculis. Accidit verò vtrumque horum hiantibus, & iis qui laqueo, aut nimio æſtu ſtrangulantur. Aperiunt enim ora, & inconniuentibus oculis intuentur. Hoc verò malum eſſe quibus circum circa dentes viſcoſa fiunt, conſtat. Siquidem aphoriſmo dicitur, quibus circa dentes in febribus viſcoſa fiunt, iis fortiores fiunt febres: nunc in eandem ſententiam addit ſignum aliud, quod vt ex eadem cauſa ortum, illi annuendo plurimum valet. Nimirum lentores circa dentes fiunt vi caloris febrilis, ſi tamen ſimul qui eos habet, hiet, multò iam manifeſtius eſt eos eſſe ex igne. Nam lentores forſaſſe ob pituitoſam fluxionem ex cerebro aut ventre, cum calore etiam exiguo fieri poſſunt, vt ij materiam potiùs quàm efficientem cauſam indicent: ſi verò per febres iam id ſit, ac multò magis hiante homine, iam ab annuentibus ſignis diſtinguitur ea ambiguitas, & concurſu ſignorum agnoſcitur ignis. Qua ratione ergo in aphoriſmo dixit in febribus, hic adiecit, ſubhiare. Nam hoc ipſum ſubhiare, febris fortis eſt ſignum. Idem ergo eſt dictu, febricitanti lentores fieri malum: aut cui lentores fiunt hiare, malum.

Qvi in tibia vlcus habebat, & Attico vſus eſt, huic exanthemata eleuata ſunt rubra, magna. Hoc pro tuſsi quæ poſtea acceſsit, antea enim non tuſsiit.

Tibia dicitur ea pars cruris, quæ inter genu eſt & pedem. Nomen accipiens à duorum oſſium quæ ibidem ſunt, maximo, & craſſiſſimo, quod femori coarticulatur. Atticum, cum ſimpliciter dicitur, nomen eſt medicamenti compoſiti, antiquis familiaris, & ad curanda vlcera comparati. An eius compoſitio alicubi iam extet an ſolum nomen relictum ſit, non ſatisſcio. Parum refert. Non enim arbitror, quia, cum vlcus haberet in tibia, Attico vſus eſt, ſuperuenerunt huic homini exanthemata, vt neque quia vlcus in tibia habuit: ſed euenit, vt huic ea parte vlcerato & eo medicamine vtenti exanthemata ſuperuenirent. Forſaſſe (nam hoc conſentaneū eſt) quod cùm id fieri vlcus maximè poſtularet, non eſt euacuatum, & expurgatum ſatis. Plenis enim & maligna cacochymia laborātibus, fieri ſolent exanthemata. Facta ergo huic ſunt eleuata, rubra & magna, ea ſcilicet quæ variolæ ob varorum ſimilitudinem vulgò vocantur. Sunt verò multæ inflammatiunculæ malignæ. Hoc, inquit, pro tuſſi quæ poſteà acceſſit, anteà enim non tuſſiit. Semper ſolent exanthemata huiuſmodi, variolæ inquam & morbilli, tuſſi quadam prægreſſa præmonſtrari, incipientibus, arbitror, eruptionibus ſecundùm internas membranarum facies in ventribus, & cauis corporis partibus, locis præcipuè calidiſſimis, vt in thorace fieri. Qua paſſione procedente, ventriculi euerſiones, & dyſenteriæ ſatis periculoſæ fieri ſolent. Itaque, huic factum eſt, vt ſolet. Cum antea vlcere ſolùm tibiæ teneretur, neque tuſſiret, poſtea tuſſiit. Deindè pro tuſſi, hoc eſt ex tuſſi, ſeu poſt tuſſim (quaſi tuſſis in malum hoc aliud abire videretur) facta ſunt exanthemata, eleuata, magna, rubra.

In Aeno horrore concutiebantur quicunque capitis vulneribus laborabant, malignè ſeſe habebant, & pus colligebant. Poſt teneſmum ex itinere pedum dolor aderat, & in perturbationibus laſsitudines. Ex quibus Clinia cibos faſtidiebat, contabeſcebat, & purulentum quid deiiciebat, aliquando ſanguine pauco conſperſum, aliquando merè purulentum intumeſcens.

Dictum eſt lib. 2. huius operis ſectione 4. fuiſſe in oppido Aeno tempeſtatem quandam morboſam, quæ ex fame proceſſit, ita vt fit, vtentibus multis & viris & mulieribus leguminibus in tri-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 220 sur 489

tici penuria. Non dixit autem Hipp. eo loco qualis fuerit ſpecies malignorum morborum, qui ea tempeſtate graſſati ſunt : ſed ſolum exitum quemdam notatu dignum, quem multi habuerunt, quibus crurum impotentia, & genuum dolor facta ſunt, & vſque ad vitæ finem durarunt. Hic narrat quædam eorum quæ à principio, & procedente morbo acciderunt, vnius mulierculæ, Cliniæ nomine, quæ fortè, vt multi alii tunc, ægrotauit, mentione facta. Horrores & rigores intempeſtiui, & ſine febribus & per febres fiunt ex redundantia crudorum ſuccorum. Proinde & iis qui putreſcentibus multis & crudis febricitant, febres horridæ fiunt. Nullus autem victus magis paratus eſt febres tales facere, aut etiam ſine febribus horrores, quàm eſus leguminum. Hæc n. omnia ſunt mali ſucci, & flatuoſa, & coctu difficilia. Vnde crudis & malis ſuccis, flatuque replent. Febres ergo faciunt meritò malignas, vtpote ex putreſcentia malignorum : horridas aut etiam ſine febribus horrores, ob cruda & flatus. Cum vlceribus mali moris, & ſuppuratoriis, hoc eſt, dyſepuloticis, ac curatu difficilibus, & pus multum fundentibus. Nam ex craſſis & crudis multis copioſum pus prouenit. Nimirum ipſum pus ſimile eſt crudis ſuccis. Maligni autem ſucci faciunt vlcera rebellia. Fiebant verò hac tempeſtate in capite vulnera dicta, flatu efferente in illud acres malignorum ſuccorum partes, & cerebro, vtpote parte nobili & forti, extrudente à ſe malignos ſuccos. Patiebantur etiam ſimul crurum impotentiam craſſis ſuccorum partibus (vt lib. 2. dictum eſt) deorſum repentibus. Hanc ob cauſam, habebat poſt teneſmum ex itinere pedum dolorem, hoc eſt, ſi iter agebant, aut ambulando tantillùm defaticabantur, motu crurum deorſum trahente, tentabantur teneſmo deinde dolore pedum corripiebantur. Et in turbationibus, inquit, laſſitudines, hoc eſt, turbationes, ac laſſitudines θορυβὰς, hoc eſt turbationes vocat Hippoc. humorum commotiones, atque ita corpora turbari dicit, agitari humores, vt id nauigantibus accidit, aut iis qui pharmaco commouentur, aut vehementi aliquo corporis motu. Et alii turbationem, deiectiones copioſas ſubſequi, quæ commotis humoribus & aluo ſoluta fiunt. Itaque θορυβὸς hæc turbatio eſt. Nam turbationem animi, & timorem vehementem vocare ſolet θόρυβον vt in prognoſtico, vbi dicit ſignificare turbationem, aut delirium. Hic ergo turbationes alui videntur intelligi. Nam etſi corporis intelligi dicas, in idem redit. Quia corpora turbari dicuntur, cum commoti humores effunduntur vomitu, aut deiectione, aut vtroque modo ſimul. Cùm ergo horum multi teneſmo & dolore genuum & pedum, ac eorundem tenerentur, congeneres etiam his reliquas paſſiones fuiſſe coniectandum eſt, turbationes ſcilicet alui, & reliquorum etiam articulorum defatigationes, & laſſitudines. Nam flatuoſi, & praui, craſſique ſucci cibi, ambo hæc facere admodum nati ſunt. Flatus enim tormina inteſtinorum, & praui ſucci inordinatas excretiones, craſſi verò articulares paſſiones; impotentiæ verò articulorum & neruorum mox faciunt laſſitudines. Laſſantur enim ita affectis corpora vel ſua ipſorum mole. Itaque habebant huius tempeſtatis ægroti laſſitudines articulorum, & alui turbationes. Inter quos Clinia deiiciebat è ventre purulentum quiddam, & aliquando parum purulentum, & ſubcruentum, aliquando purulentum ſubtumidum, hoc eſt, inflatum & ſpumoſum. Erat verò interim cibum auerſans, & colliqueſcens Tres deiectionum ſpecies deſcribit, purulentam, & partim purulentam partim cruentam, & purulentam ſpumoſam (quid enim aliud poteſt tumentem deiectionem reddere?) Porrò purulenta dici videtur poſſe, vel quòd ſit puri ſimilis, vel quod aliquid veri puris in ſe contineat. Velut etiam cruenta dicitur, quæ cruoris aliquid habet. Puri ſimiles deiectiones ſunt, quæ craſſæ, & albæ, taléſque, vt intuens dubites, ſintne revera pus, an aliquis alius ſuccus. Tales verò ſunt quæ pingues. Nam exliquata pinguedine, cum aliquo alio ſucco permixta, fit ſuccus quidam huiuſmodi. Hæ verò fiunt corporibus colliqueſcentibus. Quoniam ergo dicit Hippocrates hanc fuiſſe faſtidioſam, & colliqueſcentem, in hanc nos ducit coniecturam, vt ſuſpicemur deiectiones fuiſſe pingues, puri ſimiles, ob colliqueſcentiam factas : interim tamen aliquando ob hepatis debilitatem ſanguinis aliquid cum eis deſcendiſſe : interim has ipſas exiiſſe ſpumoſas ob eandem ſane cauſam. Nam ſpuma, vt Gal. dicit in prognoſtico, flatum, aut calorem igneum ac colliquantem indicat. Hæc verò omnia acciderunt mulieri illi non immeritò, ob naturam morbi qui illo tempore graſſabatur, & conditionem praui victus, quo homines tunc vſi eſſe dicuntur. Nam per putreſcentiam prauorum ſuccorum & flatus redundantiam, quæ ambo ex leguminum eſu colligi neceſſe eſt, fiebant hepatis debilitas, colliquationes, & ſpuma. Si verò illud πυῶδες, ſeu purulentum ſignificat quod in ſe habet puris admixtionem, conſtat ſignificari, mulierem illam habuiſſe vlcera aliqua interiora, ex quibus nunc pus ſolum, nunc pus & cruor excernerentur, non diſſimilia iis quæ in externis partibus, ac præcipuè in capite multis tunc fiebant maligna & ſuppuratoria. Colliqueſcere autem corpora ob hæc ipſa vlcera, & internas partes ſuppurari, multis euenit. Faſtidium verò prauorum ſuccorum redundantiæ, & igneo calori familiare admodum eſt. Quare qui vi febrium colliqueſcentium tabeſcunt, cibos auerſantur.

MVlier Hippei Hydropica, quæ etiam per tres annos vere incipiente tuſſiit, diutiùs ſuppurata eſt. Circa hyemem aquoſa eſt facta. Illis autem pharmacis purgata, firmata eſt. Mortua eſt ancilla.

Dubitare poſſis, an in hac oratione contineantur duæ hiſtoriæ, altera mulieris illius Hippei ſuppuratæ & hydropicæ, altera ancillæ illius, ſiue ipſiuſmet Hippei, ſiue alterius quæ mortua eſt, an non, ſed eadem fuerit mulier illa, & ancilla. Nam etſi Ianus Cornarius legat, vxor Hippei, vt alia fuerit vxor ab ancilla, tamen Hippo. dicit ἡ ἰητροῦ, id eſt illa Hippei, mulier ſcilicet, ſiue vxor, ſiue filia, ſiue familiaris, ſiue ancilla. Videtur tamen conſentaneum, non vnicæ ſed duarum mulierum hiſtorias hic narrari. Nam altera confirmata fuit pharmacorum vſu, altera mortua, quæ duo non viden-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 221 sur 489

©BIUM

tur posse bene de eadem dici. Sed cùm Hippocrates scriberet hæc, obseruando quos exitus morbi haberent, & scripta historia mulieris quæ ab eo morbo pharmacis est liberata, recordaretur cuiusdam ancillæ quæ ex eodem morbo mortua est, gratia suæ obseruationis adiecit, mortua est ancilla. Sed hoc non multùm refert, naturam morbi contemplemur. Suppurati dicuntur, qui pus excreant, horum quidam breui ex inflammatione in suppurationem mutata tales euadunt, vt ex peripneumonia, aut pleuritide: alij non ita: sed diutino pulmonis, aut thoracis morbo detenti tandem pus excreant. Huiusmodi sunt qui ex assidua in pulmonem destillatione, aut succorum paulatina congestione, aut crudorum lateribus hærentium putrescentia, illud incipiunt extussire: quorum plerique euadunt pthysici. Tale quiddam passa est hæc mulier, quæ per tres annos vere incipiente tussi vexata est. Nimirum succorum redundantiæ vere maximè nocent, & huic ob naturalem earum partium infirmitatem, autem fortasse etiam structuram, occupabant spiritus vias, & cogebant tussire. Siue id ex capite deflueret: siue ex toto corpore conflueret: quod, ob ea quæ dicam, verius puto. Congesto tandem succo pluri quàm extussiretur, contigit alterari, ac fieri pus. Neque tamen hic constitit noxa: sed exactis his, ineunte hyeme aquosa est facta, vel pulmone trahente ad compassionem hepar, vel calore naturali iam debilitato ob incipientem pthysim: vel quia mulier (vt fieri solet) ad soluendam spiritus angustiam nimio vtebatur potu, & aëris frigus ex anni tempore accedebat. Addit, illis autem pharmacis curata, firmata est. Non dicit quibus. Putes pharmacis hydragogis, hoc est, aquam vacuantibus [his enim curatur hydrops] sed quo pacto his liberaretur à puris excreatione; Aut quo pacto ab hac non liberata, firmitudinem, hoc est, firmam salutem compararet, ac non potius tabesceret? Ego proinde suspicor hic pharmaci nomen, non de solo expurgante per ventrem dici, vt aliquando solet: sed aut pro omni medicamine, vt solet etiam, aut pro omni medicata potione, atque vocem, illis, referre medicamenta aliqua, quorum antea facta sit mentio, etsi ex hoc volumine intercideriut: aut dici figuratè, vt ea vocula significentur insignia, & ad eam rem magna medicamenta: ea verò esse mouentia menstruas purgationes. Nam perrarò muliebres morbi hunc decursum tenent, nisi ob menstruorum suppressionem, ob hanc verò sæpissimè is qui detentus est præter naturam sanguis occupat primùm vias spiritus in thorace, deinde naturalem in hepate calorem suffocat. Atqui has passiones, cùm eo vsque progressæ sunt, nunquam videmus curari, nisi superueniente illa euacuatione, quæ vt cum maximo periculo detinetur, ita cum tanta vtilitate erumpit, vt ea mulieres multæ curatæ sint, quæ videbantur insanabiles, vt nonnunquam res sit miraculo similis. An hoc innuit dicens, κείνων δὲ φαρμακευθεισέων.

Ex tussientibus qui manibus laborabant, velut puer qui sarmenta torquebat, & Amyntæ filius, ambobus cùm sola dextra esset resoluta, cessauit tussis, quandoquidem hoc patiebantur tussientes. Qui autem aut equitarũt aut iter fecerunt, ijs in lumbos & femur decubuit. Siccæ autem erant vt plurimùm tusses, sin minùs violentæ.

Tusses siccæ sunt, per quas in vanum laboramus & omninò excreatur nihil. Violentæ, per quas excreatur quidem aliquid, sed exiguum & cum magno labore. Fiunt verò tales, vel ob intemperiem nudam instrumentorum respirationis, vel ob maximam materiæ cruditatem. Intemperiem nudam fuisse causam horum morborum, non est consentaneum, siquidem tam insignes habebant abscessus. Patiebantur enim paralysim tussientes, quamquam non earundem omnes partium, sed quiuis earum quibus maximè laborasset. Nam quidam qui laborabant manibus, vt puer qui sarmenta torquebat, & puer alius Amyntæ, qui etiam laborabat manibus, liberati sunt ambo à tussi, resoluta dextra, ea nimirùm manuum parte resoluta, qua maximè laboratur, præcipuè verò ab iis qui sarmenta torquent: qui verò equitauerant, aut iter egerant pedites, lumborum, aut femoris resolutionem patiebantur. Nimirum iter agentes lumbis, equitantes femoribus, & vtrique vtrisque partibus maximè laborant. Dictum verò ab Hipp. est. 4. aph. Quibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hîc fiunt abscessus. Dicitur verò in aph. nomen laboris, & de dolore, & de vehementi motu: vt & lassitudinis nomen in 31. de spontanea & non spontanea.

Vxor Emmyris cùm morbo affecta non appareret, sine febre stupida esse videbatur. Deinde in tremorem totius corporis collapsa est, & colliquationem, & cibi fastidium & sitim, & frigida erat.

Hæc mulier primùm videbatur esse fatua sine febre, τρόπῳ οὐ νοσώδης, sed vt esse videretur fatua, vt quædam aliæ quę naturaliter tales sunt. Deinde correpta tremore incidit in febrem malignam, colliquantem, & generis earum quę dicuntur lipyriæ, per quas exteriora frigent, & interiora vruntur, & sitim habent: fatuitas ob abundantiam pituitosorum in cerebro perse, aut per consensum fit. Constat igitur multis & crudis restagnasse huius mulieris vel corpus totum, vel solum caput, aut ventriculum, vterumue, aut pulmonem, aliamue partem quæ caput in sympathiam trahebat. Verùm quoniam ad totius corporis tremorem res venit, totis musculis debilitatis ex aggrauatione (intelligo enim hoc nomen tremoris propriè, pro eo qui ex animalis facultatis impotentia procedit, accipi) constat totius corporis fuisse illam cacochymiam, maximè autem cùm successerit (putrescentibus malignè excrementis in proximis cordi locis, aut magna & maligna interius inflammatione oborta) febris lipyria. Nam si ea redundantia ad solum cerebrum pertinuisset, omninò factus esset lethargus, aut passio aliqua apoplectica. Consentaneum ergo est, ob redundantiam totius corporis, occupatum imprimis es-

sc ci

©BIUM

se ei caput, factámque fatuitatem, crescentéque aggrauatione instrumentorum motus, factum tremorem, mox verò humorum copia (vt fieri solet) degenerante in putredinem, & magnam aliquam inflammationem internam, factam esse febrem perpetuam. Non mirum autem ex frigidis & crudis, qualia fatuitas significabat, factam esse febrem colliquantem, & lipyriam. Nam liquare, & naturalem calorem trahendo consumere, non certi cuiusdam succi est, sed malignæ putrescentiæ, quæ cuiuis succo potest accidere, cui putrescentia. Nam & in veris inflammationibus, & œdematis, & scirrhis, & omnibus ad hæc genera pertinentibus tumoribus, videmus nunc fieri simplices, nunc malignas putrescentias. Ita ergo potest in febribus euenire, nam ex succo subiecto frigido potest vrens febris fieri, ob modum putrescendi. Accedit quòd euenit aliquando multiplicem fieri cacochymiam, quòd duæ pluresve species excrementorum simul redundent, aut etiam aliam in vna, aliam in alia parte esse. Vt si huic mulieri pituitæ & bilis fuerit redundantia, & pituita in cerebro, bilis in hepate, aliaue parte, & illa priorem, hæc posteriorem passionem fecerit. An simplex fuerit cacochymia, & modus alterationis tantam passionum differentiam fecerit, an multiplex, ex aliis signis oportuit agnosci, præcipuè ex exeuntibus, adiunctis hominis naturâ, & anni tempore, & anteacto victu.

Nyctalopes autem, qui plurimum mingebant, postea exiguum quiddam. Iis verò cùm tussiissent & insuper febricitassent, tumores prope aures erumpebant circa septimam aut etiam octauam diem.

Nyctalopia est visus imbecillitas, per quam noctu nihil, & in crepusculo exiguum videtur, tametsi interdiu videtur bene. Constat esse eum affectum aciei oculorum hebetudinem, aut spirituum crassitiem, & exiguum fulgorem. Si quidem indiget magno fulgore aëris, vt possit recipere visibilium species: passio contraria ei, per quam interdiu exiguum, & noctu aliquantò plus videtur: quod sanè fit oculis & spiritibus tersis, tenuibus, & fulgentibus, cuiusmodi videmus esse noctuis. Talibus enim diei fulgor cum tanto fulgore interno cõiunctus fit nimius, & nocturnus est satis. Ergo vel hac ratione constat nyctalopiam ei passioni contrariam in contraria affectione habere essentiam, essèque crassitiem ac opacitatem, aut spirituum aut vtrorumque. Constat verò nisi in natura membranarum, succorúmue oculi, aut spirituum sit, ex redundantia excrementorum plerunque pituitosorum ex cerebro in eum locum confluentium produci. Quibus excrementa in cerebro sunt, nonnunquam fiunt spontaneæ reuulsiones in inferna, ventrem inquam aut vrinæ vias, & ita, si euacuatio satis producitur, contingit liberari, velut surditas fluente aluo cessat: nonnunquam deriuationes quædam ad vicinia, & harum quædam sunt per conuenientes regiones, vt eruptiones ad glandulas quæ post aures, aut in ceruice sunt: quædam per non conuenientes, vt destillationes in pulmonem, aut ventriculum: nonnunquam euacuationes per propria emunctoria, vt per nares, aures, & palatum. Cùm ergo essent quadam tempestate multi, capitibus excrementosi, quod nyctalopia indicabat, primùm incipiebant copiosè mingere, pituitosis & aquosis descendentibus. Verùm hæc per vrinam expurgatio non satis producebatur, sed ea cohibita intempestiuè, eueniebat deinde exiguum quiddam mingere, minùs etiam quàm alioqui solerent, quod recursum humorum in superna declarabat. Eo ergo defluxu intercepto, neque cerebro degrauato, necesse erat aliquid alia via erumpere, ciebatur ergo destillatio in pulmonem, quare cessante copiosa mictione tussiculosi fiebant. Verùm cùm pro magnitudine prioris exigua euacuatio ea esset, quæ inculcata erat in cerebro, multitudine putrescente, febris superueniebat, à qua, cerebri facultate expultrice abscessum faciente, septima, aut etiam quibusdam octaua febris die, post aures tubercula, nascebantur. Non dicit quid deinde factum, meritò tamen credas, quosdam liberatos à cerebri passione & à nyctalopia, quosdam non, aut non omninò. Nam vt euacuationum decretoriarum, ita abscessuum est dispar conditio. Ij præcipuè liberauerunt qui septimâ eruperunt, illi minùs qui octaua. Non enim solùm in euacuationibus interest multùm quo die fiant, sed & in abscessibus. Nam vt nuper ab ipsomet Hippocrate dictum est, habenda ratio est circuituum, in quibus iudicantia, tumentia, cruenta, & non.

Emmyris filius febricitabat & purulentum quid efluxit ex aure; an circa octauam diem non scio manifestè.

Inflammatione pori auditorij censendum est puerum hunc laborasse, cui coniuncta est continua febris, simul etiam habuit eius partis dolorem (fortasse autem habuit, & doloris non meminit Hippocrates quòd puer infans esset, & dolorem non posset declarare) in talibus enim ex febre continua & magna, cui puris eruptio superuenit, intelligimus affectionem esse auris inflammationem. Est verò morbus pueris satis frequens, & qui in illis plurimùm latet; quia neque qua parte doleant possunt dicere, neque si delirent, vt quibus magna est ea inflammatio agnoscere possis. Atqui ego multos infantium, qui post acutam febrem conuelluntur, hoc malo perire suspicor, coniectans id ex iis qui euadunt, post febrem eiusmodi pure ex aure effuso. Ij enim ipsi, nisi ad suppurationem res venisset incognita affectione periissent. Proinde inter ea quæ puerulis febricitantibus acutè, tentando agenda sunt, consultum putò, aliquid mitigatorium, & concoctorium auribus infundere, vt primùm quidem rosaceum, deinde verò chamemælinum, aut ex dulcibus amygdalis. Quid enim mali inde fiet? Euenit (si res ita habuit) huic puero, iuxta id quod capite. 19. prognostici dicitur, vbi ita scriptum est. Aurem acuto dolore affici cum febre continua & vehementi, graue est: periculum enim ne homo desipiat & moriatur. Cùm ergo fallax hic locus sit, celèriter oportet animum ad-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 223 sur 489

©BIUM

uertere omnibus ſignis à primo die. Moriuntur verò ex tali morbo iuniores homines ſeptimo die, aut citiùs, ſeniores verò multò tardiùs. Febres enim & deliria minùs ipſis accidunt, atque ideò aures poſſunt ſuppurari. Verùm his ætatibus recidiuæ morbi accidentes plurimos interimunt. Iuniores verò antequam auris ſuppuret moriuntur. Si autem fluit pus album iuniori ex aure, ſpes eſt eum ſuperuicturum, ſi aliud etiam optimum ſignum ipſi accidat. Hæc Hippocrates, ex quibus conſtat, vt in commentario eius loci explicuimus, iunioribus periculoſum adeò eſſe hunc morbum, vt ſæpe moriantur ante tempus ſuppurandi, aliquando tamen etiam ſuppurare: idque cum fit, intra ſeptimum fieri, & ſalubriter, ſi pus fiat album. Hic filius Emmyris exemplum exhibet iuniorum quibus ſuppuratio fit, quandoquidem autem contigit Hippocrati videre id die octaua febris, & rarum eſt vltra ſeptimum in iuniore produci puris ex aure eruptionem, miratus eſt: & quia fieri potuit, vt, etſi id Hippocrates non animaduerterit, die ſeptima cœperit, dicit, effluxit purulentum quid, an circa octauam diem, non ſcio manifeſtè, ſcilicet, an tunc primum, an anteà cœperit. Sin autem nullus auris dolor huic puero fuit (fieri verò etiam ita potuit] coniectandum eſt, febrem ex putreſcentibus in capite ſuccis pependiſſe, & euacuationem hanc circa diem octauam, aut fortaſſe etiam ſeptimam (non enim ſatis certus Hippocrates eſt) tentaſſe naturam, vt per emunctorium non parùm capiti familiare. Itaque fuit non ſuppuratio in aure ipſa facta, ſed abſceſſus ex capite, eius generis, de quo aph. 10. part. 6. ita eſt ſcriptum. Caput dolenti & circum dolenti pus, aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures ſoluit morbũ. Velut quibuſdam aliis in dẽtes factos fuiſſe mox dicit.

Qvibuſdam autem etiam dens fuit corroſus, præcipuè tertius ex ſupernis. Præ omnibus autem hic reperiebatur corroſus, in hunc dolor, & quibuſdam etiam circa ipſum pus colligebatur: Quibus autem circa aures, hi vehementer tuſſiebant, & magis quàm illi.

Dictum antea eſt in hoc ipſo quarto libro, quod parte prima huius orationis dicitur, putà tertium dentem ſuperiorum, omnium maximè ſolere pati dolorem, corroſionem, & ſuppurationem, dictáque eſt eius rei cauſa. Nunc quod addit oportet explicemus. Cur ſcilicet ij quibus in aures puris abſceſſus fit, ſolent fortiter tuſſire, magis quàm illi quibus in dentes. Mihi ſanè videntur aures maiorem rectitudinem habere cum partibus internis cerebri quàm dentes, & hos cum externis quàm aures. Internæ autem cerebri redundantiæ videntur in laryngem & aſperam arteriam, atque adeò pulmonem incumbere, externa autem in maxillas, dentes, & buccas potiùs. Ergo aurium ſuppurationes, ſeu potiùs puris per aures eruptiones internæ cerebri redundantiæ ſigna ſunt, velut corroſio aut dolor dentium, aut buccarum tumores, externæ. Quare magis tuſſis mouebitur, quibus aures pus effundent, quàm quibus dentes laborabunt. Vnde etiam licet colligere deterioris grauedinis ca-

A pitis eſſe tuſſire ob deſtillationem, quàm ſecundum maxillas, buccas, dentes, aut etiam nares pati aliquid.

Qvibus autem tumor vertitur in ſuppurationem cum febribus, hi liberantur ſeptima.

Cum acutis febribus intelligit, dicens σὺν πυρετῷσι. Quibus ergo ad ſuppurationem, ideſt, puris per aurem excretionem venit, laborantibus acuta
B febre, eos ἀπαλλάσσει ἑβδόμη. Nam cum acuta febre pus generari inflammationem ſignificat, inflammationis autem in quauis parte capitis cum acuta febre coniunctæ conſtitutio longiſſima prorogetur vſque ad ſeptimam, præcipuè verò in iunioribus natu, vt Hippoc. in prognoſtico nuper citato dicebat. Meritò ergo quibus febricantibus acutè, res venit ad ſuppurationem, iis ſeptima die erumpit pus, & ſoluitur febris. Adeò vt cùm Emmyris filio circa octauam videretur pus fluere, non ſatis id credideriC t Hipp. ſed ſuſpicatus à ſeptimo cœpiſſe dixerit, an circa octauam non ſcio manifeſtè.

Poſtquam exacerbatus eſt hypochondrij tumor, non eſt ſolutus: aluo autem emollita inerant exigua, ſubuiſcida, compacta, non bona. Vrina erat ſanguinei coloris. Spuebat ſpumoſum.

Hæc verba haud dubiè aliunde deciſa ſunt, non continent integram narrationem, ſed ægroto cuiD dam (cuius fortaſſe nomen hinc vetuſtas ſuſtulit) contigiſſe inter alia quiddam narratur, quod ſcitu dignum eſt, putà exacerbatũ eſſe ei hypocondrii tumorem, hoc eſt duritie, & dolore correptum, & ex quo exacerbatus eſt, non eſſe hominem ſolutum, hoc eſt, ſuppreſſas eſſe ei euacuationes conſuetas, donec emollito rurſum hypocondrio cœpit deijcere ex aluo exigua ſubuiſcoſa, compacta, non bona: & vrina facta eſt αἱματοχρῶδης & ſpuebat ſpumoſum. Hic euentus haud dubiè ſignificat ſanguineos & pituitoſos ſuccos ſeſe ob morbi vim, & partium debilitatem in hypocondrium collegiſſe, indeE que rurſum remittente malo, & facultatis nixu demiſſa, hac & illa cæpiſſe effluere. Eſt verò per acutas febres grauiſſimum, exacerbato hypocondrij tumore euacuationes conſuetas ſiſti, quia ſignificatur humores omnes eò vi inflammationis trahi: rurſum cum totum hypocondrium, aut altera eius pars tumet, euacuationibus plus ſolitò exeuntibus, hypocondrium emolliri bonum eſt. Nam vt Hipp. ipſe in aphoriſmo dicit, ſplenicis dyſenteria accedens bonum. Eadem autem ratione iecoratiis deiectio, & mictio prodeſt. Illa enim cauam, hæc gibbam eius partem vacuat: ſputum etiam ſpuF moſum fieri poteſt, regurgitantibus in pulmonem, quæ ex hypocondrio erumpunt. Verùm ea euacuatio non eſt probanda, vt priores, non enim per conuenientem regionem, vt illæ, agitur. Sed quales deiectiones habuerit, oportet explicemus. Exigua, inquit, ſubuiſcoſa, compacta. Conſtat has deiectiones fuiſſe ex crudis, craſſis, & lentis, quæ ab oppilationibus exibant: quod vt innueret, addit, non bona: ideſt non per concoctionem, vt ſolent compactæ, ſed, quòd ex craſſis-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 224 sur 489

crudiſque eſſent, & pituitoſis. Sanguis etiam crudior, qui impactus hærebat, cœpit loco ſolutus, in vrinæ vias deriuari, & vrina coloris ſanguinis fieri, & regurgitante etiam ſurſum humore atque carnem pulmonis occupante, cœpit ſpumoſum ſpui.

ILle ad quem Cynicus me deduxit, ſeptima exacerbatus eſt, circa decimamquartam autem iudicatus eſt hordeacea praua expectorauit (vel ſenſim euaneſcentia portendebant mala) cùm puras haberet fauces, pauca, lata, & concocta expuit, paucus è naribus ſtillauit ſanguis. Huic capitis grauitas, & manuum & crurum diſſolutio accidit. Aluus ſoluta profuit, pedes ſemper calueruut, huic ſommi aderant, nec quicquam iuxta aures accidit, quòd concocta expuiſſet.

Hunc laboraſſe febre acuta, vel dies qua iudicatus eſt, indicat. Acuti .n. quatuordecim diebus iudicantur, exacerbatus verò eſt illi morbus die ſeptima, iuxta legem conſtitutionis legitimæ, iuxta quam dimidiato totius conſtitutionis tempore, ſolent incipere morborum incrementa. In hoc præcipuè laborabat caput ſuccorum putreſcentium multitudine. Nam ob hanc capitis grauitas accidit, & paucus ſanguis, è naribus deſtillauit. Et ſomni ei aderant, quod non ſolùm indicat capitis paſſionem, ſed & ſucci ſpeciem. Non enim is erat ſummè bilioſus, alioqui delirium ac peruigilium feciſſet potiùs quàm grauitatem, & ſomnos. Erat ergo bilioſus nonnihil (nam ab hac ſpecie nunquam omninò abſunt acutæ febres) cum ſanguine craſſiori & pituitoſiori. Cùm ergo multus ac multiformis in capite redundaret, factum eſt, vt fluxio in partes cum eo rectitudinem habentes deriuaretur, in pectus ſcilicet & ſpinalem medullam: vnde euenit vt ex thorace praua primùm, deinde cocta ſpuerentur, & ob medullam ſpinæ manus & crura reſoluerentur. Sanguis è naribus fluens non potuit hominem liberare, quia fluxit paucus. Quare vt ſignum quidem prauus fuit, vt cauſa verò, inutilis. Profuit verò aluus ſoluta, eadem ſcilicet ratione, quâ ſolet ſoluere ſurditatem. Expectabatur tuberculum huic ſecundùm aures, quia vt in febribus laborioſis, & quas laſſitudo comitatur, expectantur abſceſſus ad articulos: ita & in febricitantibus cum capitis grauitate expectantur tubercula ad aures, à quibus præſeruare poterat fluxus copioſus ex naribus: verum quia huic factus fuerat exiguus, expectabatur meritò tuberculum: quod non eſt factum, quia ſpuit concocta. Per morbi decurſum, potione parata ex hordeacea farina, excreauit praua, hoc eſt, excrementa prauis & variis, colore & ſubſtantia prædita, quæ circa fauces hærebant. Deinde verò puris iam faucibus, ex pulmone extulit pauca, lata, concocta hoc eſt, craſſa, nam quæ verè concocta ſunt, non ſunt lata, aut rotunda, ſed craſſa ſine lentore, neque tam compacta. Rotunda verò, aut lata (quæ etiam ob craſſitudinem cocta aliquando Hipp. vocat) fiunt vi febris ſiccatis excrementis. Verùm quando excreatio concoctorum & liberauit cum alui fluxione à febre, & præſeruauit ab abſceſſu, ſuſpicor poſt dicta, ad morbi finem bene concocta & multa ſpuiſſe. Multitudinem ergo fluxiliorum per aluum deiecit, craſſa verò, & quæ non longè à parte potuerunt fluere, excreauit. Ad quam rem accommodatiſſimæ ſunt potiones, & eclegmata, quæ parantur ex hordeacea. Extergent enim optimè, & ſputum cogunt, quæ per febres ſanè omnibus quæ ex melle parantur meritò præferuntur, ob frigidam & humidam naturam. Pedes calidos ſemper fuiſſe, febrem aſſiduam, & quæ neque rigore, neque infebricitatione interrumperetur, ſignificat. Porrò enim qui Hip. deduxit, Cynicum proprio nomine vocari intellige, non ex profeſſione, quia nondum nata erat Cynicorum ſchola. Cæterùm pro ὠμηλύσει .i. farina hordeacea, vt perperam legiſſe videtur Valleſius, legendum μαλυσμένα vel μαλύσει, vt ſenſus ſit, tumores paulatim marceſcentes ægro malum portendiſſe.

DEmarati vxor pedes etiam in horroribus calidos habuit, ſiue in ſuppurationem tenderet, ſiue non, mortua eſt.

Occultæ ſuppurationis ſuſpitionem habuit Hippocr. in hac ægrota, non tamen certò cognouit. Occultam ſuppurationem voco internam, ea verò eſt, vt ipſemet libro de morbis dicit, in ſuperiori ventre, hoc eſt, in thorace, ad quem pertinent pulmo, & ipſa latera (cor enim non ſuſtinet eam paſſionem) aut in inferiori, ad quem pertinent omnia quæ ſubſepto tranſuerſo ſunt inter inguina & alas. Fiunt verò hæ ex timoribus præter naturam, vt ex pleuritide, aut inflammatione inteſtini, renis, aut vteri: vel ex vlcere, vt ex hæmoptoica paſſione, aut etiam nonnunquam citra hæc, ex pituita non expurgata, ac propterea putreſcente, velut ex catarrhis aliquando, non quidem prius facta phlegmone, aut exulcerato pulmone (tametſi id quoque fieri ſolet) ſed aliquando hærente ſolùm ea quæ deſtillat pituita lateribus, & ibi putreſcente, vt Hipp. loco citato autor eſt. Vtcumque, vbi pus continetur, putredinalis calor partes corripit, qui etiam per totum corpus deducitur, arteriis fuligines putridas recipientibus, & ob hunc tam fixum, vt quis dicat, calorem, colliqueſcunt carnes & corpora tabeſcunt. Fientis ſuppurationis ſigna ſcribit Hippoc. in prognoſtico, dicens, conſiderare autem oportet principium ſuppurationis futuræ, factâ ſupputatione à die quo primùm homo febricitauit, aut quo primum illum rigor prehendit, etſi dixerit pro dolore pŏdus ipſi fieri, in loco quo dolebat. Hæc enim in principiis ſuppurationum fiunt. Suppuratorum iam ſigna ſcribens, mox ſubiunxit. Suppuratos omnes agnoſcere oportet his ſignis, primùm quidem ſi febris non intermittit, ſed per diem mitis eſt, per noctem maior, & ſudores multi ſuperueniunt, & tuſſis fortis fit, & excreant nihil mentione dignum, & oculi cani fiunt, & maxillæ ſunt rubentes, & vngues manuum curuantur, digiti autem calent, & maximè extremi. Dicta à me eſt in commentatione huius loci cauſa, qua digiti extremi calent ſuppuratis, ea eſt quam paulò ante tetigi. Deferunt ſcilicet venæ & arteriæ fuligines putridas, quæ extremis arcubus expirant. Cum ergo hæc mulier per longum tempus laboraret

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 225 sur 489

©BIUM

& haberet aſſiduum calorem pedum, etiam in horroribus, ſuſpicatus eſt Hip. in ſuppurationem abire, quia horrores inordinati ad ſuppurationem ire morbum indicant & calor extremorum pedum puratiōnem factam. Verùm cùm fortaſſe alia ſigna viderentur deſiderari, inſuſpitionem coniectus eſt, & ſuſpitionis cauſam inſinuans dicit, pedes etiam in horroribus habuit calidos, ſiue in ſuppurationem tenderet ſiue non, mortua eſt. Merito autem dubitauit, niſi alia multa adfuerint ſigna. Nam non ſuppuratis ſolùm, ſed aliis etiam ſolet hoc accidere morituris, iis ſcilicet quibus malignus venenatúſve humor intra corpus collectꝰ eſt, aut venenum etiam hauſtum. Talibus enim etiam mortuis calor putredinalis ſolet per extremas corporis partes expirare. Itaque conſtat, aut ex ſuppuratione, aut maligna febre quam mali moris vocant, mortuam eſſe hanc mulierem.

A

B

SEnex qui mortuus eſt ægrotabat ſimul cum ſua vxore languida, cui occultum maniacum quid inerat. Poſtquàm autem exiuiſſet lumbricus ſubcraſſus, & paucus cibus, ſtatim melius habuit, & dormiuit, & ſanus erat hic ſenex. Et cutis corporis circumtenſio aderat, extrema frigida, mollis erat, & ab initio tremulus & labiis, & manibus, & voce. Motus eſt mente moderatè, hiabat, non valdè difficulter ſpirabat, diebus neſcio quot vltra viginti mortuus eſt.

C

D

Ἔχεσθαι, id eſt teneri, & ἐχόμενον ſeu detentū, ſolet dicere Hip. eum qui morbo tenetur non leuiter, velut in aphoriſmo dicit ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, ideſt, ei qui à febre tenetur, & rurſum ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ, ideſt, à febre ardente occupato. Ita nunc dicit ἔχετο πρεσβύτης, ideſt, tenebatur ſenex, quaſi dicat, tenebatur morbo & grauiter ægrotabat. Hic ſenex vt ex ipſa narratione conſtat, habebat vxorem quandam debilem, & nonnihil maniacam, etſi non adeò vt manifeſtum id eſſet, ſed vt multis euenit, quod diſſimulari poterat, ac celari. Contigit hunc ſenem ſimul cum ſua vxore ægrotare ac mori, qui euentus vtpote rarus memoriæ hæſit, quo factum eſt, vt Hipp. quæ ſeni acutè ægrotanti euenerunt volens narrare, hæc præſcripſerit. Senex qui mortuus eſt ſimul cum vxore ſua debili, languida, cui occultum maniacum quid inerat: ille inquam ſenex tenebatur, id eſt grauiter ægrotabat. Perſequitur his dictis narrationem morbi, in qua haud dubiè quædam deſiderantur. Nam interſciſſam eſſe dictionem, & quædam verba ſublata eſſe conſtat legenti. Dicit enim poſtquàm ægrotaſſet exiuiſſe lumbricum ſubcraſſum & paucum cibum, ſtatim ſedatū eſſe morbum, & dormiuiſſe ſenem, & ſanum factum eſſe. Videtur autem nimis ex abrupto dixiſſe illud, poſtquàm exiuiſſet lumbricus. Cùm non dixerit antea quo morbo ægrotaret, an febricitaret, an non, an parte aliqua doloret, ſiti aut faſtidio vrgeretur, aut peruigilio, aut tali aliquo, vt narrare ſolet. Sed cùm tantùm dixiſſet ἔχετο adiecit modum quo ſedatus eſt. Sed permittamus vt illo verbo ἔχετο ſignificetur graui morbo teneri, & febre magna, & inquietum vigilemque eſſe dici per inſinuationem, quia adiicitur, melius habuit & dormiuit. Verùm illud ferendum non videtur vt dicat, ſanus erat ſenex hic, & corporis cutis circum tenſio aderat, extrema frigida, mollis, tremulus. An ſimul ſanus erat, & habebat hæc? Non ſanè fieri poteſt. Sed conſtat hunc exeunte lumbrico cum pauco cibo quieuiſſe, dormiuiſſe, & liberatum eſſe à febre, aut omninò, aut ita ſanè vt ſanus factus eſſe videretur, deinde verò poſt dies aliquot (nō enim dicit quot) factam eſſe ei recidiuam priori morbo longè grauiorem, à qua mortuus eſt cum his ſignis quæ apponit, cutis inquam circumtenſione, extremorum frigore, extenuatione, tremoribus, mentis alienatione, hiatu, & difficili reſpiratione. Hæc enim omnia in febribus continuis lethalia eſſe, pluries in prognoſtico, & aphoriſmis, & alibi dicit Hipp. haud dubiè ergo vetuſtas ſuſtulit verba aliquot inter illa, ſanus erat ſenex hic, & illa, & corporis cutis circum tenſio, quibus ſignificabatur factam eſſe recidiuam. Quaſi ita diceret, dormiuit & ſanus erat ſenex hic, deinde rurſum febricitauit, acciditque ei inquietudo, peruigilium, & corporis cutis circumtentio. Hæc inquam aut alia his ſimilia deſunt. Quæ enim ea fuerint non poſſumus diuinare. Sed in tota hac narratione hæc duo ſunt notatu digna, liberatum eſſe hunc ægrotum à tanto malo, primùm exeunte ſolum lumbrico craſſiuſculo cum pauco cibo, hoc eſt, cum paucis fæcibus cibi non ſatis cocti (ita enim ſolemus vulgò dicere, modicum cibum excretum eſſe) deinde mortuum eſſe cum his quæ narrantur ſymptomatis. Nam ſi liberatus hic eſt primùm, iuxta id quod in prognoſtico dicitur, expedit etiam lumbricos rotundos deſcendere cum excretione, morbo eunte in iudicationem, quomodo potuit deindè intra fines acuti morbi mori? Si enim ibat iam malum in iudicationem, & cum concoctionis ſignis, celeritatem iudicij, & ſecuritatem ſignificari oportebat. Non poterat ergo ex eodem morbo tam citò mori. Quod ſi non ibat iam malum in iudicationem, certè ſymptomatica vermis & fæcis excretio fuit, ſymptomatica verò & exigua non poterat tantę vtilitatis eſſe, vt inde diceretur hominem melius habuiſſe, & videri factum ſanum. Quid ergo eſt quod ex hac narratione videtur probabiliſſimè colligi poſſe? Certè ſenem hunc laboraſſe à principio morbo ætati ſuæ parùm cōgruente (puerili enim) febre acuta ex crudorum putreſcentia, atque proinde habuiſſe eam febrem in ſuis ſymptomatis, vt longè grauiſſimum, multum vermium prouentum. Nam ſi rectè perpendas, & autores omnes de hac re conſulas, videbis plæraque ſymptomata quæ narrantur, ea eſſe quæ vermiū in ventre abundantiam ſequi ſolent. Paulus c. 57. lib. 4. ita de vermium ſignis ſcripſit. Sequitur autem eos qui rotundos lumbricos continent, roſio inteſtinorum & ventris, tuſſes exiguæ cum ſiccitate irritantes: nonnullos comitatur ſingultus quoque, & ſomnus cum palpitatione, ijque ſine ratione expergiſcuntur, nonnulli & cum clamore expergefiunt, & iterùm ſopiuntur: pulſus inæquales, & febres augeſcunt inordinatè, quæ cùm extremorum perfrictione, tertiam, interdum quartam die vel nocte acceſſionem ſine ratione habent. Infantes autem etiam mandunt linguâ inaniter exertâ, & dentibus ſtridēt, oculis conniuent, vo-

E

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 226 sur 489

luntque conquiescere, excitantibus ipsos indignantur, oculi cani apparent, genæque rubore suffunduntur, ac rursus liuent: atque hæc breui & ex interuallis fiunt. Quibusdam nauseæ & rosionis causæ stomacho peculiares creantur, atque ægri cibum respuunt, compulsi autem ad assumptum reuonunt, plerisque verò aluus descendit corruptos cibos egerens, & tympani modo inflatur. Reliquum corpus sine ratione contabescit, neque fame neque euacuatione immoderata subortâ. Atqui non in omnibus omnia quæ iam commemorauimus signa inquiere oportet, sed nonnulla quæ præpollent, aliquando etiam plurima. Hæc Paulus, qui etsi multa signa amplexus sit, quædam tamen omisit, quæ alij addunt. Aetius dictis signis ferè ex Diocle recensitis hæc addit. Alij instar declarantium aliena loquuntur in somnis. Alij decubitum transmutant continuè dormientes, angoreque vexantur, ex locoque ad locum sese vicissim proiectant. Verùm paucos omninò ex ipsis morsum confiteri constat. Plerique enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt. Porrò qui à rotundis lumbricis infestantur, etiam cibum auersantur, & si quid acceperint, reuomunt, aut nauseabundi vix deglutire possunt: febres in eos cum vehementi extremarum partium refrigeratione irruunt. Hęc Aetius, tametsi igitur huic seni multa signa eorum quæ vermium esse dicuntur non adfuerint, si tamen omnia quæ adfuerunt vermes significare poterant, cùm antecessisset illud quod in horum cognitione maximi momenti est, putà vermem resectum esse, meritò coniectabimus toto morbo vermibus vexatum esse. Nam vt dicebat Paulus, non omnia hæc omnibus ita affectis adesse necesse est: sed aut quædam præcipua, aut pleraque. Nosse verò etiam oportet, cum his signis intelligi debere, etiam quæ cum illis ob eandem ipsam causam coniungi possunt. Si enim vehemens adsit morsus ventriculi, imminet periculum deliquij animi, & conuulsiuorum motuum ob naturalem consensum cerebri & cordis cum ventriculi ore: si magna nausea adsit, etiam hiatus quidam oris adsit necesse est: ac ob eandem causam difficultas aliqua respirationis, nam hiante ore non facilè mouetur thorax. Iam verò vomitum instantem tremor inferioris labij portendere solet, & ob eandem causam tremula vox. Si tabescant, fient graciles ac tenues, & cutis fiet circutensa. Frigus verò extremorum ad deliquium animi pertinet. Delirium in signis vermium ponebatur, scilicet per compassionem cerebri. Quamquam ergo non omnia signa vermium dicitur hic habuisse, vermes tamen illi innatos fuisse ob dictam causam suspicor. Neque sane mirum ex hoc morbo mortuum esse, cuius ætati esset tam aduersus, cùm plurimi moriantur pueri, quorum ætati est congruens. Cùm igitur vermes qui in homine quopiam generantur inæquali magnitudine sint, neque eam qua sunt eodem tempore coniquirant, sed alii ante alios augescant, & qui grandiores sunt sæuiora afferant symptomata, pusilli verò exigua, fieri potuit, vt huic homini vnus quidam vermis plurimùm præ aliis auctus anxietatem & inquietudinem afferret, adeò vt eo expulso sedatus dormierit, factusque sanus videretur, donec auctis reliquis graviora mala excitata sint, ex quibus etiam est mortuus. Itaque lumbricus ille, etsi eius excretio tantopere iuuisse videtur, non vt concoctionis signum, neque decretoriè, sed symptomaticè excretus est, iuuit tamen magnoperè dictam ob causam, neque in morbo tali, re veluti diximus se habente, excretio vnius non exigui vermis exigua debet censeri.

Qvibus hypochondria & aluus deiciunt compacta & tepida sine murmure, vt in Abderis, lacertæ formam referentia.

Deiectiones duræ & compactæ ratò exeunt cum crepitu, nam calor qui crassitudinem eis præbet, flatum insensibiliter absumit. Porrò fæces compactæ, quæ sine summa siccitate sunt [siccitas enim in exigua frustula comminuit) longæ sunt, & ipsorum intestinorum quibus sunt densata figuram referunt. Proinde quæ compacta, longa, & crassa sunt, in crassis intestinis compactionem recipisse significant: quæ compacta, longa, & gracilia, κωλοπηδέα ab intestinis tenuibus compacta veniunt. Non solent autem fæces soliditatem ante intestina crassa recipere, nisi cum aliquantò maior solito toto ventre calor est, non tamen si maior sit multò, hanc eandem formam recipient, sed exigua, dura, stercus capræ imitantia fient. Quæ ergo compacta sine crepitu lacertæ formam referentia deiiciuntur, ab intestinis gracilibus veniunt & ἀλέα, id est conferta aut calida, aut calorem mediocri paulò maiorem indicant. Quia ergo ab intestinis gracilibus hæc veniunt, dicit. Hipp. quibus hypochondria & aluus deiiciunt compacta, alioqui enim solet tantùm dicere, quibus aluus deiicit. Verùm hypochondrium est suprema alui pars, in qua gracilia intestina sita sunt.

Qvod primum accidit in antecedenti die decretoriorum, considerandum.

Dies decretorii decurrunt per quaternarios intra fines acutorum. Nam vt in prognostico dicitur. Primus impetus ad quartum definit, secundus ad septimum producitur, tertius ad vndecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum. Hi ipsi dies sunt morborum iudicatorii, & aliorum indices. Nam in aphorismo dicitur, septimi quartus est index. Itaque eisdem diebus fiunt iudicationes & indicationes, etsi non simul, neque eorundem morborum. Sed indicatio antecedit iudicationem. Primum itaque in iudicationibus est indicatio, postremùm ipsa iudicatio. Indicatio verò fit in antecedenti die, computatione facta per quaternarios, vt diximus, quartus enim septimum, hic vndecimum, hic decimumquartum, hic decimumseptimum, hic postremò vigesimum indicat. Meritò ergo dicit Hippoc. considerandum esse quod primùm accidit id est indicationem, quę fit in antecedenti die decretoriorum, hoc est in die qui præcedit eum in quo agitur iudicatio. Qua ratione indicentur iudicationes aliis locis dictum est satis.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 227 sur 489

A

ET mala & bona ſigna contingunt diebus, quibus morbi diuturniores habent exacerbationes, & quibus deſinentes tardiùs inuadunt.

Eiſdem diebus fiunt obſeruanturque in ægrotis ſigna bona & mala, nam & moriuntur eiſdem diebus quibus ſalui fiunt, vt in prognoſtico dicitur, diebus nempe decretoriis vocatis: atque adeò bona ſigna in his meliora, mala deteriora ſunt quàm in aliis diebus. Omnes itaque mutationes morborum diebus decretoriis potiùs quàm aliis præſentiri poſſunt, ſiue breui finiendi, ſiue in longum producendi, ſiue bonum ſiue malum exitum habituri ſint. In hanc ſententiam dicit nunc Hippocrates & mala & bona ſigna fiunt diebus ὅσοι ἐπιπαροξυνόμενοι χρονίζουσι, καὶ ὅσοι λήγοντες βραδύνουσι. Sed videtur idem eſſe morbos produci & remorari, χρονίζειν & βραδύνειν. Quo pacto autem ſi idem eſt ἐπιπαροξυνόμενοι, id eſt ſuper exacerbati, & λήγοντες hoc eſt deſinentes aut ceſſantes, vtrique producuntur, aut remorantur? Nam λήγοντες contrarij eſſe videntur ἐπιπαροξυνομένοις, quo pacto autem à contrariis ſignificentur. Atqui fortaſſe non vtrumque horum, ſed neutrum potiùs videtur ſignificare morbi productionẽ. Nam deſinentes ſeù ceſſantes potiùs videntur finiri quàm remorari: exacerbari verò diebus decretoriis non facit ad productionẽ, ſed ad cõtractionẽ morbi. Nam exacerbationes crebræ celeritatem motus ſignificant, celeritas verò cæteris paribus contrahit cuiuſque motus tempus. Neutrum ergo horum ſignificat productionem morbi; tam longè abeſt vt vtrumque. Sed animaduertendum eſt Hip. non dixiſſe παροξυνόμενοι id eſt exacerbati: ſed ἐπιπαροξυνόμενοι .i. ſuperexacerbati. Exacerbationes autem ſunt, quæ legitimum naturaleque tẽpus durant ſecundùm cuiuſque morbi naturam & ſua hora remittuntur, ſuperexacerbationes autem quæ producuntur adeò, vt occupent etiam id tempus quo iam erant deſituræ, velut & ſuperpurgationes vocantur ab Hippoc. quæ procedunt vltrà quam par eſt. Exacerbationes ergo crebras fieri, & nullum diem decretorium intermittere, quo non aliquid natura circa morbum moliatur, celeritatem indicat, ac proinde contrahit morbum: has non fieri, ſed deſinere, non etiam febre deſinente, lentum morbum & tardiùs finiendum ſignificat. Quia quod lentè mouetur, tardiùs quieſcit. Verum non item ſuperexacerbationes ſignificant morbum futurum breuem. Nam ſignificant maximam ſuccorum multitudinem, hæc verò cum debili facultate ſignificat mortem: cum forti, morbi longitudinem. Salutares ergo morbos fore chronicos ſignificant ſuperexacerbationes. Euenit ergo quod Hipp. hoc loco animaduertit, & ſuperexacerbationes, & exacerbationes deſinentes (quamquam ſint longè contrariæ) ſignificare eandem rem, putà morbi longitudinem, non eodem modo: ſed alterum ob materiæ multitudinem, alterum ob motus tarditatem.

B

C

ET quæ non fideliter alleuant, & ea quæ per ſe ipſa exacerbantur.

Τὰ ἄπιστα τῶν ῥιζόντων haud dubiè dicuntur ea quibus non oportet fidere, ea verò ſunt, vt aph. 27. ſectionis ſecundæ dicitur, quæ non ſecundùm rationem leuant. Secundùm rationem verò leuant, quæ cum ſignis concoctionis, & per iudicatoriam euacuationem humoris multitudini reſpondentem. Cur autem fidendum non ſit iis quæ leuant aliter, ipſemet dicit eodem aphoriſmo dicens, pleraque enim talium inconſtantia ſunt, & non valdè permanere ſolent. Itaque non fideliter alleuant ea quibus poſteà accidunt recidiuæ, quæ plerumque primis morbis ſunt grauiores. Quod ſanè ægrotis eius tempeſtatis, qua hæc ſcripta ſunt, accidiſſe ſequentibus inſinuatur. Et ea quæ per ſe ipſa exacerbantur, ſcilicet priora exacerbantur, non per ſe ipſa, ſed per recidiuas. Itaque dicit Hippocrates, quædam non fideliter alleuabant, quia ſuccedentibus grauioribus recidiuis exacerbabantur, & quædam exacerbabantur per ſe ipſa, hoc eſt, ſine vllis alleuationibus à principio ad finem vſque.

D

SPuta peripneumonicis quibuſdam ſunt bilioſa, cùm deſinere vult morbus, valdè flaua breuem ſignificant. Quæ ſi qualia in principiis erant, talia appareant, hæc non valdè concoqui putò, ſed iudicare, vt illi contigit, qui iuxta præceptorem erat, & vt aliàs quoque vidi.

Scripto mandabat Hipp. quædam vt frequentia & legitima, quædam etiam vt rara & illegitima, in hoc præcipuè opere, quod non ſelectiſſimis regulis, & ratione multiſque experimentis confirmatis dicatum eſt, vt liber aphoriſmorum, ſed obſeruationibus. Experimenta verò captantibus non ſolùm mos eſt notare legitima, ſed etiam, atque adeò nonnunquam multò magis, iis contraria & rara, velut nunc facit. Nam legitimum eſt morbos ſolui concoctis excrementis, deiectionibus inquam, vrinis, aut ſputis, quibuſuis horum iudicentur (nam eadem ratio eſt) euenit verò nonnunquam, vt materia non coquatur, ſoluatur tamen morbus, beneficio facultatis expultricis. Neque mirum eſt facultatem ad expulſionem eius conuerti quod non poteſt coquere, nam & cùm legitimè operatur, pellit ob irritationem. Verum eſt has ſolutiones non eſſe ſolere tutas, & ab eis recidiuas meritò timeri, fieri tamen aliquando poteſt, vt ſine recidiuis accidant. Neque enim ratione contraria probatur neceſſarium aliquid, ſed vt conſuetum naturæ & frequens. Itaque etſi iudicationes optimæ poſt concocta excrementa fiant, & his non coctis exigua fides iudicationibus eſſe poſſit, tamen nonnullis euenit iudicari circa concoctionem. Vt fortè euenit illi qui iuxta præceptorem habitabat, & aliàs quoque aliquando factum vidit Hipp. Sed cur incipimus ab enarratione vltimæ partis huius dictionis?

E

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 228 sur 489

©BIUM

Certè quia tota hæc oratio ad eandem ſcientiam pertinet, eam ſcilicet quam diximus. Vt vrinæ & alui deiectiones in febribus putridis conſiderari debent, ita in peripneumoniâ, pleuritide, & aliis partium circa thoracem morbis ſputa. Nam illa in illis, hæc in his propriam morborum materiam indicant. Sputa bilioſa in crudis, valdè flaua etiam in peſſimis poni cenſuit Hipp. in prognoſtico. Quare ſecundùm communem morborum rationem, longè abeſt vt hæc appareant peripneumonicis, quum deſinere vult morbus, tunc enim cocta eſſe oportet, alba ſcilicet læuia, craſſa ſine lentore, & quæ facilè excreentur. Verùm quia aliquibus id factum vidit, ſcripſit bilioſa quibuſdam peripneumonicis, quum deſinere vult morbus. Sanè eadem ratione potes expectare deiectiones aut vrinas bilioſas in febribus, quum deſinere volunt. Conſtat verò hæc non eſſe concocta, quia à talibus ſolent bilioſi morbi incipere: quæ verò apparent qualia in principiis morborum erant, conſtat ea non valdè coqui, ſed aut nihil aut omninò exiguum. Nam principium morbi tempus cruditatis eſt, ex crudis autem vt cocta fiant, neceſſe eſt ſubſtantiæ modum mutent. Hæc ergo cùm apparent qualia à principio ceperant, non coquitur morbus, atque ſi quo modo ſoluetur, certè eueniet iudicari, vt ille qui iuxtà præceptorem erat, ſine ſignis ſcilicet concoctionis. Nec mirum, nam velut curationum quæ arte fiunt, quædã ſunt legitimæ, quædam illegitimæ, ita etiam earum quę ſponte contingunt. Spõte factas morborum curationes voco, concoctiones & iudicationes; vt arte factas, miſſiones ſanguinis, & expurgationes, & quorundam admotiones. Vt ergo artifici aliquando quibuſdam occaſionibus, regulis & methodo excedere licet, ita natura quibuſdam cauſis familiari ordine cogitur deſiſtere. Interiecit illa verba Hippocrates, Τὰ παχέα ξανθὰ βραχέα γίνεται, quæ quia ſententiolam aliorſum nonnihil deflectunt tranſiliuimus, nunc neceſſe eſt ad ea reuertamur. Bilioſa ſunt quæcunque flaua ſunt (is enim eſt bilis color) verùm ea amplam habent eius coloris differentiam. Nam & quæ pallida, & quę rufa, & quæ peculiariter flaua, & quæcunque aut remiſſè aut intenſè talia ſunt, in flauis ponuntur. Hippocrates enim, vt anteà etiam me dixiſſe memini, omnibus his nominibus vtitur generatim: intentionem verò coloris oratione explicat. Cùm ergo dixiſſet bilioſa ſputa fieri quibuſdam peripneumonicis, quum deſinere vult morbus, dixit valdè flaua breuem morbum ſignificare, quaſi diceret, inter bilioſa breuiſſimi morbi ſigna eſſe ea quæ admodum flaua ſunt. Non dixit autem optima, ſed breuiſſima. Nam deterrima ſunt, vel hoc ipſo nomine quod cùm ſint, lethalia, ſunt breuiſſima. Nam vt ſaluta ia tantò meliora quantò breuiora: ita lethalia tan o peiora. Ergo valdè flaua lethalia ſunt, quia ſincera: breuia autem, quia acerrimi & tenuiſſimi ſucci ſoboles. Non dicit hic quem exitum portendant valdè bilioſa: ſed tantùm breuia eſſe quemcunque habitura ſint. Atque ita eſt profectò, aut moriuntur citò ex peripneumonia, aut tabeſcunt citò, atque ita etiam moriuntur ſatis breui, quia peſſima talis tabeſcentia eſt. Aut ſi fortè talia bilioſa contingant, aliquando cum iam ſoluuntur morbi (quamquam hoc ſit longè rariſſimum) ſoluentur etiam breui, bile affatim vacuatã.

NIcippus in febribus ſemen effudit ſomnians, nec quicquam in deterius proceſſit, & hoc ipſi ſæpe contigit, & nullo modo læſus eſt. Illi prædictum eſt iſtud ceßaturum, quum febres iudicatæ eſſent, & ita accidit.

Sexto epidemiorum parte quinta cont. 23. dicetur ab ipſo Hippocrate, venerem morbis pituitoſis mederi, cauſſa eſt vt Gal. dicit in commentario, quia ſiccat partes, atque ita humida excrementa abſumit. Conſtat verò eadem ratione poſſe ita affectos iuuari ſeminis effuſione, etſi cum mulieribus non congrediantur. Porrò poſſunt citra congreſſum fundere volentes, vt Diogenes; aut nolentes, idque aut excitati, quòd laborent gonorrhœa, aut dormientes. Vigilantes excernere præter voluntatem, maiorem noxam ſignificat, quàm dormientes: hos enim ſæpe inſtigant inſomnia. Vtriſque verò id euenit; aut ob redundantiam, aut ob prauam ſeminis qualitatem, aut ob debilitatem retentricis diuturnitate morbi comparatam. Quibus ob debilitatem fit, nulla ratione poteſt eſſe ea excretio vtilis, exanimat enim & tabefacit, verùm quibus ob redundantiam, non rarò eſt vtilis, & curandum illud ſolum eſt, ne plus ſatis duret, & ne partium aſſidua tumeſcentia, arteriarum ora pateant, ne plurimùm etiam ſpiritus effundatur. Ita enim fieri poteſt, vt cum redundanti ſemine abeat ſpiritus neceſſarius, fiatque inde plus mali quàm boni: alioqui excretio multi ſeminis aut vitioſi vtilis eſt. Quia eius ſucci ſuppreſſio adeò eſt noxia, vt cum ſæuiſſimis ſymptomatis cruciet, viſcera omnia vitiet, melancholicas paſſiones pariat, aliquãdo etiam repentinam mortem, velut ex epoto veneno. Quin etiam eum morbum quem gallicum hoc ſæculo vocant, ſi quid habet proprium, & quo ab aliis malignis cacochymiis diſcrepet, id certè eſt, ex maligna ſeminis putreſcentia naſci. Computreſcit enim mox cum ſemine per corpus totum proprium ſolidarum partium alimentum, quod ſemen eſt etiam, etſi infæcundum. Hinc tot ſolidarum partium corruptiones, hinc illa penitiſſimè latens cacochymia, rarò niſi vehementiſſimæ exſudationi & exercitationi cedens. Argumento eſt, hoc illius eſſe principium, quod vix vnquam niſi ex congreſſu cum ſordida muliere naſcitur. Tametſi ex multo etiam congreſſu cum non ſordidis naſci poſſe exiſtimo. Si igitur tantarum noxarum cauſa eſt ſeminis redundantia aut vitium, meritò fit, vt multi ægroti venere iuuentur. Præterquàm quod, vt dictum eſt, ipſa venus humiditates alias ſiccans morbos ex humidis ſanat. Vt non putem ratione carere, quod de gallico morbo laborantibus nonnulli affirmant, fieri aliquando vt congreſſu cum mulieribus non ſordidis, qui ita affecti ſunt ſaneſcant, & illæ inficiantur. Nimirum illi deponunt propriam morbi materiam, illæ recipiunt inquinamenti principium. Itaque venerem cauſam ſalutarem aliquando eſſe, etſi Epicurei aliter putarent, ex eo loco colligimus. Quid Nicippo euenerit perpendamus, nunquid Nicippus febricitabat ex ſemine? Non arbitror. Fortaſſe enim is ſuccus febrem non parit niſi hecticam, eius verò febris iu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 229 sur 489

dicatio citò expectabatur futura. Febricitabat ergo ex alia causa (vt fortassè ex pituita) excernebaturque simul semen redundans. Cur ergo prædicebatur ei fore, vt cum febris iudicaretur, cessaret ea excretio. Si enim ex diuersis succis passiones illæ pendebant, quid prohibebat manere vtramuis altera sublata? Certè quia antequàm febricitaret, nihil tale patiebatur, coniectauit Hippocrates fore vt quū febricitare desineret, cessaret excretio: viditque non ob solam multitudinem, aut corruptelam seminis fieri, sed quòd calore febrili calidius, acrius, & mordentius fieret. Necesse ergo erat, cùm virtus illi constaret, interim prodesse, excreto redundante & mordaci succo, paritérque corpore siccato; desinere verò, cum febris solueretur. Et factum est ita.

Critias in febribus ab insomniis vexabatur, à qualibus quidem nouimus, liberatus est etiam hic simul cum crisi.

Libello de insomniis multa ad hunc locum pertinentia scripta reperies. Ex quibus facilè intelliges, insomnia multa & perturbantia, magnæ perturbationis in corpore, præcipuè verò in capite, aut per se, aut per consensum cum toto corpore significationem præstare. Cùm enim agitatis succis & vaporibus agitentur animales spiritus, & cum eis conceptæ rerum species, fiunt varia multáque spectra, vnde multa insomnia, aut allegorica quapiam ratione morbum, affectum locum, aut internam causam, aut ægrotandi occasionem indicantia: aut morbi exitum præmonstrantia (vt alibi dixi) aut nihil certi: sed perturbatè multa continentia, ipsa solùm perturbatione perturbationem humorum indicantia. Hinc fit, vt plus solitò somniare, præcipuè cum tumultu ac perturbatione, in sanis prænuntiet morbos, in ægrotis raptum humorum in caput timere iubeat, aut indicationem expectare. Raptum sanè, quia agitati facilè efferuntur: iudicationem verò, quia decretoriam euacuationem antecedere consueuit agitatio. Ergo de insomniis perturbatis per febres, vt de multis aliis censendum est. Si iudicationum indicatio anteceſſit, & opportunitas instat, decretorium haberi debet, putandumque fore, vt desinat simul cum febre, vt Critiæ euenit; sin minus, phreniticum est, capiti ergo prospiciendum.

Alcippus hæmorrhoidibus laborans prohibebatur curari. Curatus insania correptus est, quæ febre acuta superueniente cessauit.

Tantoperè reformidat Hippocrates hæmorrhoidum curationem, vt dicat aphor. 12. sectionis sextæ, ab hæmorrhoidibus diuturnis curato, nisi vna seruata fuerit, periculum est hydropem aut tabem accedere. Et sanè meritò timet. Nam in omni euacuatione consueta supprimenda, periculum est redundantiæ eius quod solebat euacuari: hac verò solet euacuari detertimus & fæculentus sanguis, maximum ergo periculum erit, vt pote ex pessimæ materiæ detentione. Prohibebatur idcirco Alcippus curari, ille verò morbi tædio compulsus curari se fecit, curatus verò non in hydropem aut tabem, vt alii solent, incidit: sed maniâ correptus est. Quod meritò etiam est factum. Illa enim mala cuiusque causæ euacuationis suppressione nata sunt fieri, à à quibus ea euacuatio liberabat. Dicitur autem aphor. 21. eiusdem sectionis, Maniacis si varices, aut hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio fit. Hanc itaque ob causam maniacus est factus: qui, febre acuta superueniente, à mania est liberatus. Duplici ratione fit, vt morbus acutus superueniens à diuturnis liberet, aut ipso igneo calore absumente excrementa, aut crassis excrementis simul cum materia propria acuti morbi in eius iudicatione radicitùs euacuatis. Illud fit in passionibus pituitosis, & crudis, vt resolutione, & conuulsione, & lentis febribus, & catarrhis: hoc in melancholicis. Aquea enim igne absumuntur, terrea non item: sed crassescunt exusta. Alcippo ergo secundo modo consentaneum est solutam esse maniam. Nam mihi etiam ita ardentissima illa febris cùm agerem vigesimum octauum ætatis annum, sustulit passiones melancholicas.

In acutis febribus siticulosi, à medicis vexati in potu, aut etiam sua sponte abstinentes, videntur posse bibere multum. Aqua frigida data, vt vomant, prodest, biliosa enim aderunt.

Multis differit Galenus de potu aquæ frigidæ in febribus, lib. 9. meth. cap. 5. vbi proximum missioni sanguinis auxilium in continentibus febribus esse dicit: sed & in omni maxima febre, intelliges ex iis quæ ibi dicit, magnum remedium esse, si tempestiuè alicui exhibeatur, quia habitus corporis refrigeratur, & hinc euenit facultatem recreari, & aluum solui supernè aut infernè, aut sudorem copiosum erumpere, & ita febres solui. Vnum horum est, quod Hippoc. nunc iubet procurari aquâ frigidâ datâ, nimirum vt vomant. Ergo, inquit, qui in acutis febribus (acutam febrem vocat Hippoc. exurentem calorem) siticulosi sunt, & à medicis priuantur potu, aut ipsi per sese abstinent, videntur posse bibere multùm, id est, multùm bibere poterunt si quis offerat (nisi fortè sint βραχυπόται, qui cum delirio fiunt) adeò vt videantur sibi, neque congio satis recreandi. Illis ergo frigidæ potu vomitum mouere vtile est. Nam cùm tam multùm sibi bibere posse videantur, auidissimè capient quantum voles, bibentque vsque ad vomitionem, plus scilicet quàm ventriculus possit continere, vnde fiet vt vomant (nam valdè sitienti, si frigidæ modicum des, non vomet) bilis verò aderit præsto, vt vomatur. Nam fortis ille æstus ac sitis significabat redundantiam bilis circa viscera. Cieri ergo poterit biliosus vomitus frigidæ potu in ita affectis, eritque vtilissimus, quia pariter eodem auxilio materia euacuabitur, & intemperies extinguetur. Ad sententiolam hanc explicandam hæc erant satis, verùm ipsius rei gratia, & ne quem verba Hippocratis decipiant, opus est explicare, quę sit oppor-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 230 sur 489

©BIUM

tunitas frigidam exhibendi. Nam vt eſt auxilium optimum & iucundiſſimum, ita etiam & periculoſiſſimum, & maximè poſitum in occaſione. Non enim vtcumque febris vrat, & ægrotus ſitiat, ac multùm ſibi poſſe bibere videatur, offerenda eſt frigida. Multis enim hæc habentibus oblata, primùm quidem iuuare viſa eſt ob intemperiem quam extinxit, deinde verò cauſa fuit vt denuò excitaretur alia febris, & maior & cõtumacior priori, quòd oblata quum adhuc materia morbi erat cruda, eius & concoctionem, & diſcuſſionem prohibuerit: aliis etiam incurabiles paſſiones, & pro inflammationibus breui reſoluendis, indiſſolubiles tumores manere fecit. Alios vna aliqua parte læſos, reliquum vitæ fecit miſerè tranſigere. quoſdam etiam vita repentè priuauit, naturali ſimul cum igneo calore extincto. Neque igitur phlegmonem quampiam internam habentibus, neque niſi cocta materia, neque niſi robuſtis, & ſecundùm partes omnes internas, præcipuè nobiles abundantibus naturali calore, offerenda eſt. Ego proinde raro febricitantes ad copioſum frigidæ potum cogo: ſed crudâ adhuc materiâ, aut phlegmone viſcera obſidente abſtinere iubeo, quantum citra periculum tabeſcentiæ poſſunt: materiâ verò concoctâ, aut phlegmone inclinante, eius potus quo per morbum vtuntur quantitatem ſenſim augeo, ſi frigidam pro decocto (ſi decocto fortè vtitur) efflagitat, audeo concedere: interim, cum vrgetur ſiti, potiones medicatas, vt ſtillatitias aquas, aut ſerapia valdè diluta affatim offero. Sunt enim horum quædam à quibus attemperationem expectare poſſis, & incommoda frigidæ aquæ non timere. Nihilominus non nego, quod Hippo. Galenuſque dicunt vtiliſſimum eſſe: ſed cautè admodum fieri ſuadeo.

QVòd nerui ipſi in ſeipſos contrahantur ſignum eſt. Siquidem ipſi nerui in ſuperna manus parte fuerint præciſi, deorſum nutabit manus tracta à neruis qui infra ſunt: ſi verò contrà, aliter eueniet.

Supernam manus partem vocat hic haud dubiè, quàm nos diceremus externam: infernam verò quam internam, eam ſcilicet verſus quam flectitur. Nam ſi ſecundum longitudinem brachij intelligat ſupernam, & infernam manus partem, falſum eſt manum deorſum nutare, quòd nerui in ſuperna parte ſint præciſi, aut contrà: non enim ita oppoſiti ſunt nerui motorii, ſed ſecundùm motuum naturalium differentiam, interni externis, & dextri ſiniſtris. Et manus, ſeu eleuatio, ſeu exporrectio aliquibus horum fit. Itaque dicit neruos motus in ſeipſos trahere, partes ſcilicet quas mouent. Sed quo pacto? Certè contrahentes ipſi ſeſe in ſeipſos. Ita enim fit, vt eorum contractiones partes quibus inſerti ſunt ſequantur. Hoc quod hac dictiuncula Hippoc inſinuat, eſt argumentum totius operis, quod de motu muſculorum ſcripſit Gal. verùm Gale. exactiùs rem tractauit, proprium voluntarij motus inſtrumentum diſtinctiùs indicans. Nam re vera inſtrumenta eius motus non ſunt nerui: ſed muſculi, verùm mouendi facultatem accipiunt à cerebro per neruos. Hi verò partim ſubeunt in muſculos coaleſcentes cum ligamentis, factique tendones, rurſum emergunt ex muſculis per eorum caudas: partim impermiſti præterreunt. Hi facultatem præſtant, non tamen etiam alligant muſculos oſſibus, & diſtenduntur contrahunturque cum illis, atque tenſionem eis præbent: illi verò, præterquam quod & facultatem aliquam deferunt, quà nerui ſunt participes, per ſeſe etiam firmant & alligant muſculos oſſibus, & iis qui citra, & iis quam vltra articulos ſunt. Vtriuis ergo nerui, ſiue inquam ii, qui tantùm ſunt nerui, facultatem verò mouendi deferunt, ſiue qui vocantur tendones præſcindantur, atque ſiue ante capita, ſiue poſt caudas muſculorum, neceſſe eſt muſculos ipſos motu priuari, & membrum in contrariam partem cadere. Quia deerit muſculo virtus, aut partium firmitudo, & continuatio. Verùm ſi & hæc & alia omnia neceſſaria rectè habent, mouentur partes hac & illac, multis muſculis viciſſitudine operantibus, ſingulis verò habentibus vnicum motum, contractionis ſcilicet in ſeſe, ſiue verſus ſuam radicem, ſiue verſus ſuum ventrem dixeris, nihil refert (quanquam voluit contradicendi Galeno anſam inde Veſalius accipere) nam ſi illi ſeſe in ſuos ventres contrahunt, neceſſe eſt membra quæ ab eis mouentur verſus eorum radices euerti, ac cum eis ipſos muſculos. Laborare ergo an in ſuos ventres ſe contrahant, an verſus ſuas radices, inane eſt, nam vtrumque euenit. Atqui à contractione verſus ſuos ventres rem incipere Galenus optimè intellexit, qui muſculorum motus explicans ſexto meth. dicit, neceſſe eſt vbi figura mutatur, alios muſculorum tendi, ac velut contractos rotundari. Conſtat enim muſculos non aliter rotundari poſſe, quàm in ventres ſuos contractos. Res ergo ita habet. Muſculi ipſi in ſe ipſos trahunt. Hippoc. verò dicit neruos, intelligens tendones, quia hi muſculorum ipſorum partes ſunt. Conſtant enim muſculi propria carne & tendonum fibris, quæ in eam inſumuntur.

TVſſi ſicca vexantur qui teſtes habent affectos, & ex tuſſibus in teſtem fit ſolutio ſectâ venâ, & phlegmone laborantes tuſſiunt, & febribus ortis ex inguinum tumoribus tuſſes ſuccedunt.

Nihil ferè noui continet ſententiola hæc. Nam lib. 2. parte prima dixit, tuſſes diuturnæ vbi teſtis intumuit ceſſant, & teſtis tumor à tuſſi ceſſat. Et paulò poſt dixit, in teſtes aliquando ex tuſſi, & teſtis ipſe à ſe ipſo. Rurſum parte quinta eiuſdem libri dixit, quibus tuſſis ſicca eſt, his non ſoluitur niſi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad teſtem irruat. Hoc idem dicit modo: nimirum tuſſes ſiccas fieri à teſticulorum tumoribus, & à ſiccis tuſſibus tumores teſticulorum, ob communionem ſcilicet vitalium cum genitalibus, vt primo loco excitatis dixit. Certè quòd ſiccæ tuſſes eo modo terminentur potiùs quàm humidæ, cauſa eſt, quia hæ ſoluuntur per ſe excreatione. Sed cur ex tumoribus teſtium fient ſiccæ tantùm tuſſes? Certè & humidæ fieri poterunt, verùm illæ etiam incipient à

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 231 sur 489

ſiccis. Non enim excreantur antequàm coqui incipiant ſucci, quare excretiones antecedet tempus cruditatis, & ſicca tuſſis. Sed quod hoc loco addit, ſectâ venâ, eſt conſideratione dignum. Videtur enim dicere, tuſſes deſinere in tumorem teſtium non ſponte: ſed quum ſecatur vena, locis verò citatis nulla ſectionis venæ mentio facta eſt. Fieri ſanè poteſt, vt citra venæ ſectionem hunc abſceſſum natura moliatur, ſæpè tamen etiam fiet, vt quem A multitudine circa partem affectam obruta non poterat facere, deonerata ſectione venæ faciat. Non ſolùm autem cum teſtibus ipſis dicit partes ſpiritales habere hanc communionem, ſed & cum partibus omnibus genitalibus, & adenibus qui illas circunſtant. Quapropter & ob phlegmonas inguinum dicit corripi tuſsi quoſdam, quibus febricitantibus ex bubonibus tuſſes ſuperueniunt, ob dictam ſcilicet communionem.

LIBER QVINTVS

EPIDEMIORVM

PROOEMIVM.

TAMETSI Gale. 3. de difficultate reſpirationis, & in initio primi commentarij libelli de humoribus dicat, quintum & ſeptimum libros Epidemiorum indignos eſſe Hippocra, auctore, adeò vt neque Theſſalo, aut Polybio, aut alicui è probatiſſimis Hippocr. diſcipulis adſcribendos putet, ac proinde ſine commentariis eos reliquerit, mihi tamen non ita placet facere: ſed integritatis gratiâ, totum opus hoc quod ſeptem libris conſtat, commentariis proſequi, neque curare cuiuſquam cenſuram: ſed res ſingulas perpendere; & ex quibus aliquid fructus capi poterit animaducrtere, ſi quid verò prorſus inutile reperiatur aut indignum, monere & hocipſum indicare. Interim lectores, ſi quæ in libro hoc continentur, nolint tanquam ab Hip. ſcripta accipere, tamen quę dicentur in commentariis, accipient vt mea. Hoc etiam conſilio quartum ſum commentatus librum, quamquam & de eo dubitauere veteres, an Hippoc. eſſet, tamen ſcio non pauca ſcitu digniſſima eius commentarium continuiſſe. Itaque & hunc quintum percurramus. Habet enim illud peculiare, quod in aliis multi deſiderant, hiſtorias ferè omnes continere modos quibus curati ægroti ſunt, vt hac ratione fieri poſſit, vt vtilior quàm alij omnes euadat hic liber, quia practicæ medicinæ habet multò plus.

IN Helide Olitoris vxorem corripuit febris continua, nec medicamentis epotis quicquam iuuabatur. In ventre autem infra vmbilicum quiddam erat durum & altero ſublimius, & dolores inferebat vehementes. Hoc cùm fortiter tractatum & compreſſum eſſet manibus oleo inunctis, & poſteà ſanguis plurimus deorſum proceſsiſſet, & ſanata eſt & vixit.

Rarò ſolet Hippoc. dicere, quæ ergà ægrotum acta ſunt, ſed ea ſolùm quæ patiebatur, nunc verò quæ patiebatur, & quæ acta ſunt, & quæ inde euenerunt: non certè ea dicens vt imitanda, quaſi rectè acta ſint: ſed vt rectum diſcernatur ab errore. Nam temeraria prorſus curatio erat, inflammatum imum ventrem pharmacis expurgantibus (hæc enim vocat pharmaca) laceſſere, moxque his nihil iuuantibus partem inflammatam fortiter attrectare, ac velut affuſo oleo tentare emolliendam. Nam E laboraſſe hanc mulierem inflammatione in hypogaſtrio conſtat, ſiquidem habebat ea in parte tumorem ſatis magnum præ reliquo ventre, & dolores fortes cum febre continua. Non expedit autem quum hypochondria aut venter inflammatus eſt, pharmacis expurgantibus vti, ſaltem non ſunt vſurpanda ante inclinationem, neque tunc quidem niſi leuibus, quia alioqui excrementa conuocantur ad affectam partem, & per ventrem laborantem adſtricta paſſione (talis enim eſt inflammatio) malè demittuntur. Meritò ergo factum eſt, vt ex epotis medicamentis iuuaretur nihil: ſed neque digitis fortiter comprimendo ſubigere iubet ats, ſed blandiùs fouere, ne irritatione creſcat inflammatio. Verùm huic ex temeraria hac curatione vtile quiddam euenit, vt ſolueretur inflammatio iudicatione per fluxum ſanguinis frequentem ex aluo. Suſpicor in-

flammationem hanc pertinuiſſe præcipuè ad venas meſenterij, quæ ea in parte ſunt, nam quia naturaliter plenæ ſunt ſanguine crudiori, quem ipſæmet gignunt ex chylo quem ex aluo deducunt in hepar, & aliquando etiam ex eodem hepate recipiunt ſanguinem confectiorem, qui in eo redundat, fit vt cum copioſus in eas ſanguis influit, inflammatio in tunicis & earum oſculis oriatur, & ſibi ipſi exitum obturans illas plurimùm diſtendat, & vt inflammatio ſanguinem cohibeat, & is cohibitus inflammationem foueat. Quamuis ergo durior illa palpatio inflammationem ipſam nihil leniret, potuit tamen vix & vi ſanguinem exprimere, à quo deonerari cœptæ venæ potuerunt reliquum ſanguinem eiicere, illis laxatis facilè diſcutitur inflammatio. Oleum verò quo intincti digiti compreſſionem faciebant, ad diſcuſſionem valere potuit. Sed ſi hæc ratio curationis non eſt imitanda, quid huic mulieri agendum fuiſſet? Certè mittendus ſanguis ex malleolis, & laxantia blandè admouenda: expurgandum verò non ante mali remiſſionem.

IN Helide Timocrates plurimùm potauit, inſaniens autem ab atra bile bibit pharmacum. Hic purgatus eſt. Purgatio multam pituitam & bilem nigram tota die egeſſit, & circa veſperam ceſſauit purgatio: in purgatione autem multùm laboris paſſus eſt, & cùm polentam bibiſſet, ſomnus ipſum corripuit, & tenuit per noctem, donec ſol oriretur. In ſomno autem non videbatur iis qui aderant reſpirare quicquam, ſed mortuus eſſe, nec quicquam percipiebat quod diceretur aut fieret, extento autem erat corpore & rigido, verùm vixit & excitatus eſt.

Hic Timocrates à largo vini potu (non enim profectò aquæ) inſania correptus eſt, ob quam purgatus, cùm in media purgatione cibum accepiſſet, & ad ſomnum ſe conuertiſſet, pro ſomno apoplexa illi facta eſt, à qua forti alioqui liberatus eſt, ob expurgatam (arbitror) magnam copiæ partem. Sed hoc eſſe quod præſcripta verba contineant, & ſingulorum cauſas explicemus. In Helide (inquit) Timocrates plurimum bibit. Si hinc hydrops, aut paſſio aliqua huic ſimilis eſſet facta, ſuſpicaremur aquæ bibiſſe multùm, at verò quia exuſtis ſuccis fecit maniam, conſtat eum potum fuiſſe vini, & eius meracioris. Viſiſſe verò potum ſuccos, genuiſſéque multùm atræ bilis non obſcurè inſinuat, ſiquidem narrata cauſa procatarctica ægrotandi ſubiungit, inſaniens ab atra bile. Sed quid fecit? bibit (inquit) pharmacum, nempè melancholagogum. Hic (inquit) purgatus eſt. Hoc videtur dixiſſe ob vxorem Olitoris, de qua dixerat, pharmaca bibens nihil iuuabatur. Quaſi nunc diceret, hic purgatus eſt, non vt vxor Olitoris, quæ cùm acciperet pharmaca non expurgabatur. Itaque etſi proxima hiſtoria non explicuerit cur non iuuaretur mulier illa, nunc licet intelligere illud accidiſſe, quòd non expurgaretur, etſi pharmaca biberet. Sed quo pacto ſit hic expurgatus audiamus. Tota die (accepit pharmacum diluculo, vt fieri conſueuit) egeſſit multam pituitam, & bilem nigram. Bene ſanè, nam hæc erant qualia euacuari oportebat, nam in melancholicis duplicem hunc ſuccum euacuare maximè optamus, nigrum quidem vt propriam morbi materiam, crudum verò, vt per debilitatem naturalis caloris congeſtum. Sed quid mali habuit? Non eſt perfecta purgatio, quia cùm egereret (quod imperfectam actionem ſignificat) repentè ad veſperam ceſſauit à purgatione. Sed neque per ipſam expurgationem, conferentiam præ ſe ferebat res. Non enim facilè fiebat, & citra cruciatus, ſed in purgatione multùm laboris paſſus eſt, qui certè labor malignitatem humorum, & copiam maiorem quàm pro magnitudine euacuationis indicauit. Cùm ergo videretur iam ceſſare purgatio, ea tamen eſſet imperfecta, polentam bibit, & ad ſomnum ſe conuertit. Facta verò eſt pro ſomno apoplexia fortis, quæ durauit per totam noctem, & orto iam Sole eſt ſoluta. Nam non videbatur iis qui aderant reſpirare, ſed mortuus eſſe, neque ſentiebat quicquam, quod diceretur, aut fieret: ſed extento erat corpore, & rigido. Neceſſe eſt fuiſſe hanc paſſionem apoplecticam: quæ autem fuerit, non eſt dictu facile. Nam carus non ſuſtuliſſet reſpirationem, catocho laborantes ſolent videre & audire ea quæ fiunt & dicuntur, & apertis eſſe oculis: apoplectici non ſolent habere corpora rigida, ſed demiſſa, & reſoluta: accedit quòd apoplexia fortis videtur non poſſe ſolui, catochus verò ſolui poteſt. Quod ergo habuit corpus rigidum & excitatus eſt, me adducit vt catochum fuiſſe dicam: quod verò neque videbat, neque audiebat quicquam, vt apoplexiam. Proinde apoplecticam paſſionem, ex apoplexia & catocho mixtam (miſcentur enim ſæpe) fuiſſe ſuſpicor. Facta quidem fuit hæc paſſio excrementis ſeſe colligentibus in caput, ob debilitatem quam ei attulit vinum. Quòd verò per noctem aduenerit poſt tam copioſam craſſorum euacuationem, admirationem parit, & me quidem ſuſpicati res cogit, medico inſcio eum ea nocte poſt polentam rurſum bibiſſe vinum. Nam ille erat eius cupidus, ex cuiuſque verò moribus ſæpe iubent Hippo. & Gale. morborum cauſas ſuſpicari. Et euentus hanc ſuſpicionem auget. Nam repentè obmutuit, & vox rediit quum crapulæ ſolui ſolent. Atqui ſi hoc factum eſt, tollitur admiratio. Nam apoplexia ex vino quantumuis fortis crebrò ſoluitur cum ipſa crapula: tametſi hæc quoque non rarò interimat, præcipuè ſenes, & eos qui diutina ebrietate cerebrum excrementis impleuerunt: ſin autem non bibit ea nocte vinum, certè quia imperfecta fuit euacuatio, & commota non vacuata excrementa fuerunt in caput rapta: ſed ob bonam copiæ partem ſuccorum effuſam potuit malum alioqui inſuperabile ſolui. Interim tamen iuuat conſiderare modum cibi exhibendi, quo in purgationibus veteres vtebantur, ob omnes ferè noſtri ſeculi medicos, quibus perſuadere non poſſum, ne purgatione in media contra Hippoc. præceptum & rationem cibos dent, ſed potius abſtinere faciant, donec euacuatio conquieſcat: niſi fortè ægrotus is ſit, qui ſuſtinere inediam non poſſit, vel in ipſa purgatione inſperata debilitas intercurrat. Tota die (inquit) multùm egeſſit, circa

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 233 sur 489

©BIUM

veſperam ceſſauit purgatio, & cùm polentam bibiſſet ſomnus illum corripuit. Itaque non antequàm ceſſaret purgatio cibum accepit, tuncque non niſi polentam. Quod certè Hippocraticum eſſe conſtat, ex iis quæ de ratione victus in acutis ſcripſit. Non autem cur tam timidi hoc ſæculo omnes medici ſint, vt nullum ægrotum putent poſſe ſine cibo ſolido totum diem tranſigere, cùm multi me id videant facere in omnibus ferè, quibus expurgans medicamentum do. Concedo certè ad meridiem potionem iuſculi, ac quibuſdam etiam prima, ne id quidem facturus, niſi ob inueteratam iam Hiſpanorum conſuetudinem qui prandent lautiùs quàm cœnant, contra antiquorum morem: dare ergo aliquid cibi leuiſſimi ad meridiem etiam non perfecta purgatione propter conſuetudinem hominum non eſt præter artem, ſi quidem maxima eſt indicatio conſuetudinis: dare verò cibos craſſos in purgatione media magnopere noxium eſt.

Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus mortuus eſt ſeptima die delirans. Pharmacum autem bibit deorſum purgans, ipſo ante purgationem die mentis erat compos, nec multùm purgatus eſt, in ipſa autem purgatione delirauit.

Hunc mortuum eſſe, & ſeptimâ die id eſſe factum ex pleuritide non mirum eſt, quandoquidem morbus eſt è lethalium genere & ſemper acutus, non rarò autem etiam acutiſſimus, præcipuè quum error aliquis in curatione committitur. Sed reliqua perpendamus. Ex pleuritide non admodum ſolent homines delirare, neque certè cum pleurâ habet cerebrum magnam conſenſionem: ſed plerique ex pleuritide obeuntes ad extremum vſque ſapiunt, qui inquam ex ſola pleuritide. Nam ij quibus ſeptum tranſuerſum inflammatum eſt ſemper delirant, & peripneumonicis crebrò ſuperuenit delirium, pleuritis verò ſæpe parit peripneumoniam, ac nonnunquam etiam ſepti inflammationem, quia ea quæ in membrana lateris eſt ſerpit in partes proximas. Huic fortaſſe horum quippiam factum eſt, ſin minùs ſucci malignitas, & debilitas cerebri fuerunt in cauſa, vt per conſenſum in pleuritide deliraret. Dicit purgatum eſſe hunc pharmaco deorſum deiiciente, & cùm anteà non deliraret, purgatum deliraſſe. Non dicit purgationem attuliſſe delirium, verùm narrat quod actum eſt, vt ipſe coniicias an attulerit. Videtur ſuſpicionem hanc augere, quòd purgatus eſt non multùm. Nam à pharmacis non omnino leuibus, quum expurgatio non procedit, meritò timetur, ne commota excrementa nec vacuata in partem aliquam nobilem ferantur, vbi deteriorem aliquam paſſionem faciant. Certè in pleuritide non eſt multi vſus expurgatio: nam vel in iis quæ pertinent ad inferiores coſtas, & ad hypocondrium finiuntur, in quibus Hippocrat. ſecundo de ratione victus in acutis iubet pharmaco vti, videtur Gal. id eſſe periculis multis plenum, ac proinde quoad fieri poteſt, agendum ſola ſanguinis miſſione. Non tamen proinde nunquam eſt expurgandum. Nam in inclinatione, remittente iam inflammatione, quum corpus totum malo aliquo ſucco abundat, magnum expurgationis thoracis compendium affert expurgatio totius corporis. Sed & antequàm fluxio in parte firmata ſit aliquando (etſi rariùs) ob dictas inflammationes, vtile eſt reuulſoria vti expurgatione. Id quod ne temere facias: ſed cùm febris non eſt omnino magna, & miſſus eſt ſanguis ſatis, & ſucci à ſanguinis natura degenerant, & nihilominùs facultas fortis eſt ad ferendam alui fluxionem, & ad inflammationis tempus legitimum tranſigendum, & natura propria hominis non repugnat, ſed is eſt qui facilè expurgetur. Tantæ difficultatis eſt pleuriticum nondùm inclinante morbo expurgare. Læduntur enim mille modis, aut aucta febre & inflammatione ab ipſis medicamentis, aut debilitata virtute & morbo nihil minuto, quòd non euacuetur quod oportet, neque vnde oportet; aut quòd commoueantur multa, euacuentur verò pauciora, velut huic euenisſe eſt probabile: qui, quantum ſuſpicor, niſi accepiſſet pharmacum, aut non obiiſſet, aut non tam citò, ſed vndecimâ, aut decima quarta, tuncque fortaſſe ſine delirio, aut delirium multò poſteriùs accidiſſet.

In Oeniadis Phœnici & Andreæ fratribus altera gena intumuit, & labrum quod eſt ante genam & oculum, & neque interius ſpectanti quicquam apparebat, neque forinſecus ſuppurabat, ſed intumeſcens marceſcebat aridâ putredine, & mortuus eſt. Et alter eadem perpeſſus eſt. Mortuus eſt autem hic ſeptimâ die, & bibit pharmacum, & nihil profuit, Phœnici verò putredo in circulum exſecta eſt, & vlcus purgatum eſt magna ex parte antequàm moreretur. Mortuus autem eſt etiam hic, cùm diutiùs vitam protraxiſſet.

Putredinem aridam appellat partis cuiuſpiam putreſcentiam citra reſolutionem in ſuccum vllum, vt putreſcentia humida ſit ſuppuratio, per quam & partes tumentes, & ſucci quo repletæ tument, mutantur in eum ſuccum quem pus vocamus. Itaque arida putreſcentia eſt, vt quum vlceris labia fœtent ac liuent, & pars quæcunque gangræna corripitur, aut vlcere ἐσθιομένῳ, id eſt, corroſiuo. Ergo hi duo fratres inflammatione ſecundùm alteram genam correpti ſunt, & ſecundùm labium ſuperius eiuſdem lateris (hoc enim ſignificat dicens τὸ χεῖλος τὸ ἄνω τῆς γνάθου καὶ ὀφθαλμοῦ) nimirum ſuperius quod ſub eadem gena: & neque intrò ſpectabat tumor, neque exteriùs ſuppurabat, ſed in gangrænam abibat vtrique. Sed quod in hac hiſtoria eſt notatu dignißimum, eodem modo affecti, non eodem modo curati, non ſunt mortui totidem diebus, ſed etſi ambo ſint mortui, qui purgatus eſt non vltra ſeptimum diem vixit: ſed is cui ἐξετμήθη κύκλος σαπεὶς, id eſt, in circulum exſecta eſt pars emortua, & vlcus maxima ex parte expurgatum, diutiùs ſuperfuit. Vt hinc intelligas, ſi ſuperabile fuiſſet hoc malum, hunc potiùs ſeruandum fuiſſe quàm illum. Quod quidem nos monet non obſcurè, in malignis

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 234 sur 489

©BIUM

malignis inflammationibus & gangrænis, non esse expectandum serum auxilium, ex solis remediis vniuersalibus vocatis (tametsi hæc debeāt topica antecedere) sed citissimè veniendum esse ad sectionem, vstionem, & siccationem maximam. Quin etiam considerandum, an materia venenosa sit, tuncque à pharmacis abstinendum, quæ cor versus trahere possunt, nisi toto in corpore plurimùm redundet, & vtendum missione sanguinis, quam ita affecti possunt tolerare, & diaphoreticis, id est, per halitum discutientibus, quæ simul sint alexipharmaca, vtendum, mòxque in ipsa parte ferro, igne, & siccissimis medicamentis conandum putrescentiam extirpare. Nam hac ratione in pestilentibus constitutionibus seruantur plurimi.

EVridamus in Oeniadis peripneumoniâ laborans decimâ die cœpit delirare, curatus autem redyt ad mentem, & sputa reddebantur puriora, & morbus ad melius procedebat, & somno multo perfusus est. Et oculi auriginem contraxerunt, & mortuus est circa vigesimam diem.

Omnes morbi acuti aliis cutis superuenientes lethales sunt, quia exhaustis iam à magno malo viribus, alius etiam magnus superueniens non potest tolerari. Hanc ob causam in aphoris. rectè dicitur. A pleuritide peripneumonia malum, & à peripneumonia phrenitis malum. Vocare verò consueuit Hipp. phrenitidem, morbum omnem cui delirium perpetuum coniunctum est, vt phrenitis sit, & quod cum peruigilio, & quod cum comate est perpetuum delirium. Crebriùs succedit peripneumoniæ lethargus quàm phrenitis, quia pituitosum malum est crebriùs quàm bilio sum. Proinde phrenitis superueniens significat deteriorem peripneumoniam, quia bilio sam. Verùm vtrumque superuenit cum periculo, dictam ob causam. Huic Euridamo vtrunque superuenit, phrenitis decimâ die, deinde cùm hæc auxiliis idoneis sisteretur, & pulmo videretur meliùs habere (nimirum ob permutationem succi qui aliò tendebat) & sputa redderentur puriora (hoc est, neque cruenta, neque bilio sa, neque spumo sa, sed concoctis similiora] postremò factus est lethargicus (decimasextâ fortasse die, quia per pares moueri cœperat) & oculi auriginem contraxerunt (bile arbitror abscedente ab interno cerebro, quod pituita occupauit) & mortuus est circa vigesimam diem iuxta legitimam sanè constitutionem, quia decima cœpit malum per lethalia procedere.

IN Oeniadis vir quidam morbo tenebatur, cùm sine cibo permaneret, vehementem suctionis sensum & dolorem in ventre percipiebat, & cùm cibo assumpto & contrito tempus etiam aliquod elapsum esset post assumptum cibum, paulò post hoc ipsum patiebatur, corpúsque tabescebat & absumebatur, nec alimentum ei accedebat ex assumptis cibis, & reliquiæ ciborum praua & combustæ subducebantur. Cùm verò recens cibatus esset, hoc ipso tempore suctionis sensum & dolorem minimè percipiebat. Hic assumptis omnis generis medicamentis & sursum & deorsum purgantibus nihil iuuabatur. Sectâ autem per vices vtriusque manus venâ, donec exanguis redderetur, tum demum iuuatus est, & à malo liberatus.

Audacter sanè tentata est copiosa missio sanguinis in tabescente, & alimentum ex cibis non capiente homine, & fœliciss imè succes sit. Quotus enim quisque medicus non abstinuisset ab omni sectione venæ, ob virium imbecillitatem, quæ adesse videbatur, & ob penuriam alimenti, & reliqua symptomata? Neque tamen temerè factum id huic ægroto est, sed prudenter. Nam fortis suctus in ventriculo, & dolor, nisi cum recenti cibo madet, fieri potest, vel ob melancholici succi circa hypochondria redundantiam, vel ob maximam toto corpore fientem dissipationem. Melancholicus enim succus corrugans os ventriculi, suctus speciem facit, nisi dum recens cibus temperat eius acorem: dissipatio verò maxima facit, vt partes fortiter semper fugant à ventriculo, qui suctus tunc temporis sentitur, & dolorem facit, quum non est in eo quod fugatur. Tunc enim pressius fugitur, & pars magis vellicatur, vt certè in vacuo iam vbere. Melancolia non solet facere tantam fæcum exustionem, & duritiem, neque tam citam ciborum contritionem, nisi esset atra bilis admodum exusta, qualis etiam in pyloro solet esse. Sed neque si talis esset, faceret vt corpus totum tabesceret, & partes alimentum non sentirent, nisi aut illi deessent cibi quos caperet, aut atrâ bilis toto corpore redundaret, atque ita totum corpus siccaret, dissiparetque. Accedit, quòd si à melancholia hypochondriaca nascereturmalum, necesse fuisset pharmacis hunc succum extrahentibus iuuari. Tales enim melancholici nulla ex re solent magis præsentaneum auxilium sentire, quàm expurgatione. Cùm igitur hæc haberet omnia, & nihil pharmacis iuuaretur, necesse erat oriri affectum ob maximam dissipationem alimenti toto corpore, & ob calidam & siccam intemperiem, quæ aut citra humorem esset in ipsis carnibus, aut quod calidissimo sanguine foueretur. Qua in affectione, expurgantia medicamenta tam longè abest vt iuuent, vt etiam morbum augeant, etiamsi atrabiliarius sanguis nutriret totum corpus, & melancholagoga præberentur. Quia vt Hipp. libro de expurgantibus medicamentis scripsit. Cùm carnes calidę sunt, distrahunt ipsum medicamentum, quantò magis necesse erat distrahi in hoc homine, in quo continenter à ventriculo sugebatur. Cùm ergo expurgantia medicamenta calida & sicca sint, intéperiem augebāt, ac proinde omnia symptomata. Vnde ergo potiùs expectari auxiliū poterat, quā à refrigeratione corporis? vt extincto calore cessaret dissipatio, & hac cessante suct⁹? Ad refrigerādū autē corp⁹ nullū maius remedium excogitatum est ab antiquis quā missio sanguinis, donec ægerlinquatur animo, aut exangue corpus fiat. Proximū huic est potus aquæ frigidissimæ, & balneū subfrigidum. Nihil er-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 235 sur 489

go citiùs poterat huic homini malum tollere, quàm eò vſque ſanguinem mittere. Verùm qui curationem aliquantò tardiorem, ſed aliquantò turiorem optaret, mitteret ſanguinem aliquantò parciùs, & cibaret craſſis & lentis cibis, & vteretur potu gelido, & balneo ſubfrigido.

EVpolemo in Oeniadis dolebat coxa dextra, & inguen, & iunctura coxæ proxima, quæ eſt ab inguine & anteriore coxæ parte. Huic ſanguis detractus eſt à malleolo, admodum multus, & niger & craſſus, & cùm medicamentum elaterium hauſiſſet, multùm purgatus eſt, & aliquatenus quidem meliùs habuit. Dolores autem non deſinebant, ſed ſuppuratam habebat & coxam & coxæ ad ſedem commiſſuram, partéſque inguini proximas, quæ magis etiam dolebant. Pus autem circa os magis quàm circa carnem in profundo generabatur, & aliquamdiu latuit quòd ita ſe haberet, donec debilis admodum factus eſt. Poſteà inuſtæ ſunt cruſtæ valdè multæ, quæ magnæ factæ ſunt & ſibiipſis propinquæ, tum pus multum & craſſum effluxit & paucis poſt diebus mortuus eſt, tum propter vlcerum magnitudinem & multitudinem, tum propter corporis debilitatem. Hic ſanè videbatur, ſi ſectus fuiſſet vnicâ & ampla inciſione, per quam pus facilè effluxiſſet, aut ſi ſecundùm neceſſitatem altera inciſio & ampla facta fuiſſet, hæc ſi in tempore facta fuiſſent, videbatur, inquam, poſſe ſanitati reſtitui.

Coxa dicitur, & articulus ille omnium maximus quo os femoris coarticulatur, & os illud magnum, cum quo coarticulatur. Quod os dicitur, aut coxa, aut os coxæ eſt magnum, varias prominentias habens, & perforationes. Quod quidem cum oſſe ſacro coniungitur per ſymphyſim. Huius ſuprema pars quæ à lateribus tendit in partem anteriorem, & eſt ſuperior pudendis, ea in regione quæ dicitur ile, vocatur oſ illum: pars media, & quæ habet magnam excauationem, qua recipit oſſis femoris caput, dicitur coxa, aut coxæ os peculiariter: quod quidem à regione pudendorum eſt, & per partem internam & imam habet proceſſum acuminatum, tendentem ſub pudendis, quaſi vtrinque venientes productiones ſint in interfœmineo congreſſuræ: prōpiùs autem accedunt ad ſeſe in viris, quàm in fœminis, in neutris verò vniuntur. Ab huius oſſis ſuprema parte producitur in anteriorem corporis partem ſupra pudenda os, quod in medio vnitur cum proceſſu alterius partis, cartilagine, & mox deorſum redit à latere pudendi in imam partem coxæ, & finit ita per foratiōnem ſatis magnam, quam hoc os habet, vocatur hæc oſſis productio, os pubis. Itaque os ilium, & coxæ, & pubis, idem os eſt, verùm prægrande, & quod tribus in partibus tria nomina accipere potuit. Hoc os coarticulatur cum femore, atque ita in eo voluuntur crura: coaleſcénsque cum oſſe ſacro, & dictam magnitudinem, figuram, & poſitum habens, ſimul cum oſſe coccygis munit, & commodum locum parat pudendis & podici. Nam pudenda erumpunt inter os pubis, & internos illos proceſſus coxæ, & podex inter hos proceſſus & os coccygis. Sæpè tentatur dolore, & articulus ille magnus, & ipſum coxæ os, & illi hærentes carnes: articulus quidem, quia maximus profundiſſimuſque eſt, & aſperitatem etiam quandam habet, & interius quaſi in centro ligamentum quoddam, quod imbibit fluxionem, quam ob magnitudinem articulus recipit. Os verò ipſum (vt oſſa dolere poſſunt) & caro, ac reliquæ partes, quæ illi hærent, quia poſita ſunt in ipſo ſordium confluxu. Nam per id os, & vrinæ, & fæcum viæ decurrunt, & genitales: & illi proximæ ſunt venæ hæmorrhoidales, præter venas & arterias ſatis magnas, quę in crura deferuntur. Has ob cauſas ſolet hæc pars recipere multas variaſque fluxiones, & ab omni fluxionis genere cruciari, nunc in articulo, nunc etiam extrà iuxta os, aut ad anteriorem partem verſus inguen, aut ad imam ad interfœmineum, aut ad poſticam ad nates: ſæpéque fluxio ipſa in pus abit, quod niſi tempeſtiuè educatur, ſpontè erumpens extrà, fiſtulas eo loci facit, aut interiùs manens acerbiùs cruciat. Suppurationes, quum à cute non abſunt plurimùm, facilè deprehenduntur, vel ipſo chirurgi tactu, quum verò in alto latitant, maiori arte opus eſt ad cognoſcendum. Eas quæ in thorace, aut magno alio ventre ſunt ſuppurationes, aut parte cordi vicinâ, neceſſariò febres antecedunt, eæque quum pus conficitur creſcunt, fiuntque horridæ, & quum rumpuntur nouos rigores cient, & iam inde faciunt pro dolore pondus, atque adeò fluctuationes in conuerſionibus, durāque deinde febriculæ remiſſiores, ſed ex quibus, niſi citò liberentur, tabeſcunt homines. Verùm accidunt ſuppurationes quibuſdam in locis, in quibus non potes hæc expectare. Nam in brachio, aut parte alia longè ſita à corde, poteſt adeſſe pus in alto latens iuxta ipſum os citra febrem: non quidem erit multum, neque ex inflammatione magna ſed exiguum, & ex corroſione particularum iuxta os aut etiam oſſis tunicam factum. Sed & quibuſdam in partibus inter inguina, & alas fieri poteſt, vt pus lateat, cùm neque febris maxima anteceſſerit, neque ſenſus ponderis, neque fluctuatio ſubſecuta ſit: febris quidem magna, quòd lōgè etiam ſit pars à corde, & non ex magna aliqua inflammatione in ſuppurationem affatim abeunte proceſſerit malum, ſed ex fluxione aliqua paulatim putreſcente & corrodente: fluctuatio, aut pondus, quòd non habeat pars ventrem, aut vomicam inſignem, ſed inter muſculos & perioſtium, aut hoc & oſſa interfluat, velut imbibitum partibus pus. Velut huic factum eſt pus in coxa, inter os ipſum & perioſtium, perioſtio ipſo, vt arbitror, corroſo. Quæ ergo ſigna in talibus expectanda ſunt? Certè febricula non poteſt abeſſe, vbicunque pus notatu dignum (quod ſectione dico, aut vſtio-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 236 sur 489

ne extrahi ſit neceſſe collectum ſit inter inguina & alas, non ſub cute; ſed in interioribus moram faciens. Nam vbicunq; ita ſit, aut tenet arterias aliquas magnas, aut illis proximum eſt pus, per eas autem neceſſe eſt fuligines putridas in cor tranſmitti. Quo fit, vt quibus incautis interna aliqua ſuppuratio eſt, lentè, ignarique quid patiantur, tabeſcant cum quibuſdam febriculis, quas neque an febres vocent, ſatis certò ſciunt vulgares medici. Et hoc quidem commune eſt omnibus internis ſuppurationibus, magis verò accidit iis quæ ſunt in ventribus, in quibus quidem dolor tunc ceſſat, quum pus erupit, & pro eo fit ſolùm pondus: in iis verò quæ iuxta oſſa, aut inter ipſa carnéſque proximas factæ ſunt, febris non adeò apparet, ſed quantò puris generatio magis procedit, tantò magis dolores ipſi ingraueſcunt, quia tantò magis procedit perioſtij, & partium aliarum ſentientium corruptio & exeſio. Cum ergo os aliquod aut partes illi hærentes dolore afficiuntur, & vacuato expurgatóque corpore, & adhibitis idoneis medicamentis, quamquam reliquo corpore videatur ager ſeſe habere meliùs, & ſecundum ipſam adeò partem iuuatus, ac ſi quid tumoris carnei, aut inflammationis ſublatum ſit, dolores tamen durant, ac rurſum augentur, & corpus debilitatur, quod vel ob dictam cauſam cum febricula fiet, vel etiam ſine ea (vt erit pars): ob aſſiduum dolorem meritò chirurgus ſuſpicabitur corruptionem ſubeſſe & pus, parabitque auxilia ad eam affectionem neceſſaria. Ea porrò, vt ex Hippocrate innumeris in locis accepimus; præcipuè libello de internis affectionibus, ſunt duo, vſtio & ſectio. Nam medicamenta ſola rarò ſunt in his ſatis. Vſtio præterea eſt duplex, aut enim eſt penetrans vſque ad ipſum pus, vt ſimul ſit vſtio & ſciſſio, velut ſi cultello aut ſtillo ferreo ignito pungas aut ſeces: aut eſt inuſtio, hoc eſt, vſtio vulnerans ſuperpoſitam cutem, & cruſtam gignens, non penetrans tamen. Priori vſtione non minùs quam ſectione educitur affatim pus, inuſtione non ita, ſed vlcuſcula fiunt, vt per ea natura demittat ea quæ ad internam partem colligebantur, aut etiam quæ collecta erant, paulatim trudat interna expurgans. Proſunt etiam inuſtiones ſiccando, ac firmando partes, quum ſunt humidæ & laxæ, ac intercludendo viam fluxionibus, nimirum cicatrice durantur conſtringuntúrque partes. Hinc fit, vt cum educere pus quod in alto eſt volumus, ſectione vti debeamus: ſi pus malignum non ſit, nec pars putredini opportuna, ſolo inciſorio: ſin autem ſit, ferro candente, quia ignis cohibet & extirpat putreſcentiam: inuſtione verò vti tunc ſolùm debeamus, quum fluxio nondum in pus mutata ſubeſt, aut mucores adſunt & laxitates partium, velut ligamentorum in dolore coxæ, & aliis articularibus, aut niſi fortè quum ſectionem non audemus facere, etſi alioqui eam petat morbus. Velut ſuppuratis intra thoracem iubet Hippocrates dicto libello ſectionem facere penetrantem quà pus effluat (nimirum id conſulens, quod morbus petit) alij tamen inuſtionibus in ſpatiis intercoſtalibus contenti ſunt, qui ſcilicet magnitudinem auxilij, & difficultatem in debili iam ægroto reformidant. Huic igitur Eupolemo dolebat coxa, os ſcilicet coxæ, & inguen (inguen dicitur is flexuræ locus, quo ſuprema femoris pars adducitur ad pudenda, qua parte ſunt glandulæ copioſæ) quare quum addit καὶ τὴν πλησίον συμβολὴν ποιεῖς τὸ ἰσχίου πρὸς τὸν βουβῶνας, illud καὶ eſt declaratiuum: Συμβολὴν enim vocat illam commiſſuram, quæ eſt ab inguine ad coxam, aut locum quo adducitur coxa, quæ eſt articulata cum ſupremo femore ad inguen. Declarans etiam quæ coxæ pars doleret, addit & coxæ partem anteriorem. Itaque laborabat dolore partis anterioris coxæ quà ſpectat ad inguen, & ipſius inguinis. Huic ſanguis detractus eſt ex talo. Certè vnde maximè educi debuit, iuxta legem rectitudinis, quam in mittendo ſanguine, quoad fieri poteſt ſemper ſeruare oportet. Nam ſi partes hypochondriis humiliores afficiantur, ex crure eiuſdem lateris euacuare oportet, velut ſi ſuperiores è brachio. Itaque & ob nephritidem & ob iſchiadem, & ob inflãmatas hæmorrhoidas, & bubonum tumores, oportet ex crure affecti lateris ſanguinẽ mittere Exijt verò etiã quantum & quale oportuit, nã valdè multus, & niger, & craſſus: multum.n. exigebat magnitudo affectus, nigrum & craſſum conditio loci. Nam ad has humiles partes ſemper repit ſanguis melancholicus, proindéque poſt miſſionem ſanguinis pharmacum etiam deſiderant, datúmque huic eſt pharmacum Elaterium. Ita vocat Hippocrates familiare ſibi pharmacum ex ſucco cucumeris ſylueſtris paratum. Docet modum parandi Dioſcorides libro 4. Commendat illud Meſue inſigniter ad iſchiadicos dolores. Sed & Hippocrates libro bis iam citato de internis affectionibus. Huic (inquit) qui ſic habuerit [loquitur de iſchiadicis) elaterium bibendum dato. Itaque venæ ſectio, & expurgatio rectè acta ſunt, & purgatus eſt multùm, & meliùs habuit. Dolores autem non deſinebant, quia non pendebat malum ex ſola redundantia ſucci cuiuſpiam circa eam partem, ſed ſuppuratam iam habebat, & coxam, & coxarum ad ſedem commiſſuram (κοχώνην vocant Græci eam partem, quâ in interfœmineo, inter pudenda inquam & podicem ferè coniunguntur, in viris præcipuè duo illi coxarum proceſſus, quos diximus) & partes inguini proximas, quæ (inquit) magis etiam dolebant. Sed dices, ſi dolebant hæ partes etiam plus quàm anteà, quo pacto dicitur habuiſſe meliùs? Nam dolor harum partium erat præcipuum malum, quo homo laborabat? Certè recens miſſo ſanguine, & facta expurgatione, neceſſe fuit laxatis circa partem venis dolores minui, verùm cùm in parte pus maneret, neceſſe etiam citò creſcere denuò ſuccreſcente putreſcentia, & in maiores etiam abire quàm eſſent priùs. Pus verò fiebat non iuxta cutem, ſed in profundo verſus os magis quàm circa carnem. Quod quidem duplicis mali erat cauſa, & quòd dolores eſſent grauiores, & quòd multò magis falleret, neque cognoſceretur affectio. Vt ſanè factum eſt. Nam non intelligens quid mali haberet, per tempus ſatis multum ἐλελήθη οὕτως ἔχων, hoc eſt, quamuis ita ſe haberet, non magni faciebat, neque ſe curandum medicis tradebat, putans ſe leuiori aliqua de cauſa dolere, & expectans, ita vt fit, auxilium temporis: donec valdè debilis factus eſt. Tunc tandem intellexit curatione aliqua maiori eſſe opus, & inuſtæ ſunt cruſtæ valdè multæ, & illæ quidem exeuntibus eſcharis, vt in combuſtis fieri ſolet, factæ ſunt magnæ, & proximæ inuicem. Qua in curatione duo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 237 sur 489

bus modis peccatum eſt, & quia ſerò iam eſt adhibita quum æger præ debilitate non poſſet ferre & quòd maior quàm pro facultate adeò debili. Nam multæ maiores & propinquiores inuicem factæ ſunt, non arbitror quàm morbus peteret, ſed quàm facultas ferre poſſet. Non eſt autem faciendum quantum morbus petit, niſi etiam facultas permittat. Ita factum eſt, vt pus flueret multum & craſſum, morbo ſcilicet tantam curationem poſtulante, homo tamen moreretur, magnitudinem & multitudinem vlcerum facultate præ imbecillitate non ſuſtinente. Si igitur huic non fuiſſet adhibita curatio tarda, ſed opportunè (ante ſcilicet quàm debilitaretur) factum eſſet quod expediret, veriſimile eſt ſeruari potuiſſe, quandoquidem cœperat ſubleuari euacuationibus vniuerſalibus, & alioqui affectio non eſt incurabilis. Atque tunc non opus fuiſſet inuſtionibus, neque ſectionibus tam multis. Nam cùm pars non admodum cæpiſſet putreſcere, neque virus malignum, ſed pus bonum eſſet, non oportebat ignito inſtrumento ſecare, ſed inciſorio ſolùm. Nam vt in quibuſdam aphoriſmis reperitur ſcriptum. Ignis ſanare debet quos non poteſt ferrum, & hoc, quos non poteſt medicamentum. Fruſtrà verò atque adeò malè tentatur auxilium maius, vbi minùs poteſt conferre. Porrò cùm pars nondum eſſet diuturnitate facta admodum ſinuoſa, non opus erat tam multis vlceribus, ſed ſufficiebat vna aut altera ſciſſio bene fluens; πμὸν εὔροον, ideſt, ſectionem facilè fluentem vocat Hipp. non ſolùm amplam, vt Cornarius intelligit, ſed accommodatiſſimam ad expurgationem ſinus. Talis eſt quæ alta aut ampla eſt quantum oportet, & decliuis ita ſcilicet facta, vt ſpontè pus efluat, ſi fieri poteſt, ſin minùs, ſaltem vt minimo negotio extrahatur. Ergò duplici ratione expectare poſſes hunc ſeruari potuiſſe, ſi tempeſtiuè eſſet curatus, & quia minus auxilium fuiſſet ſatis, & quia quodcumque facultas tuliſſet melius. Proinde dicit, videri ſibi ſeruari hunc potuiſſe, ſi tempeſtiuè paſſus eſſet vnam aut alteram ſectionem εὔροον. Vtiliſſima profectò eſt hæc lectio, qui ſquis ſit illius author, quâ non tantùm narratur quid factum ſit, ſed quid faciendum fuerit docetur.

Licon in Oeniadis in reliquis quidem eadem paſſus eſt, dolores tamen in crus non valdè procedebant, nec purulentus factus eſt, ſed longo tempore ſanitati reſtitutus. Medicamenta autem bibebat & cucurbitulas admouebat, & venæ ſectione vtebatur, & cùm hæc pateretur, melius ſe habere videbatur.

Licon laborabat etiam iſchiade vt Eupolemus, erat verò huic magis circumſcriptus dolor in coxæ articulo, neque carnes proximas adeò occupans, neq; ad crus ſe effundens, qualè coxæ dolorem plerunque ſolui Paulus animaduertit. Proinde non eſt ſuppuratus vt prior, vt pote carnibus non tentatis phlegmone, ſed humore occupante articulũ. Erant dolores magni, & ob profunditatem articuli non niſi multo tempore ſanus eſt factus. Diutinus enim

A eſt hic morbus, præcipuè quum pituitoſus eſt, & ſenioribus accidit. Tunc enim vt libro 2. prædictionum dicitur, non ſolet finiri ante annum, & veris æſtatisque opem expectat, ſed & cum iunioribus fit eſtque breuiſſimus, non ante quadrageſimum diẽ ſoluitur. Ac plerunque quidem non ſoluitur tunc perfectè, ſed miteſcunt dolores, & qui priorũ obliuiſci non ſinunt diutiùs durant: quin etiã per viciſſitudines prout accidunt mutationes aut aëris, aut victus, aliquando exacerbantur, aliquando miteſcunt, & ita etiam curantur. Primis enim quadraginta diebus cum malum vrget, inſtatur euacuationib⁹
B & aliis auxiliis magnis. Deinde leui aliqua agitur curatione, & quã diutiùs poſſit ferre ęgrotus. aliquandòque ex quibuſdam interuallis, vt malum exacerbatur, aut corpus repletur, aut ob aliam occaſionem videtur medico, reditur ad maiora auxilia. Sed quæ ſunt ea? Venæ ſectio in crure, & expurgatio, ſiue per elaterium, ſiue per quoduis aliud efficax, & craſſos ſuccos extrahens medicamentum, & cucurbitularum ſuper ipſa coxa admotio, ſiue cum ſcarificatione, ſiue etiam ſine ea, & inuſtiones. His enim quatuor auxiliorum generibus, præcipuè ad hanc affectionem vtebatur Hippoc: miſſione quidem ſanguinis, ad vacuandum & corpus totum, & proximas venas affectæ parti. Atqui vt proximæ venæ vacuentur, rectitudo venæ ſecandæ facit, quæ quidem dicta in vena maximè eſt: expurgatione autem ad expurgandum totum corpus, ac nonnihil etiam extrahendum ex affecta parte. Maximè autem extrahent ex ipſiſſimo articulo in extimam cutem cucurbitulæ, quæ profectò maximi ſunt vſus in omni
D profundo dolore, in hoc verò præcipuè. Nam qua ratione (vt medicamentorum etiam meminerim) vitari iubet Gale. 10. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 2. in hac affectione repercutientia, & vti in initiis ſolis anodynis, deinceps ex alto trahentibus; eadem adducimur, vt cucurbitulis crebriùs quã in alia affectione articulari vtamur. Nam quid aliud eſt cucurbitula, quàm potenter extrahens auxilium? Si igitur admota cucurbitula cutẽ valdè rubram reddiderit, ſcarificabimus, ſin minùs, ſcarificatione dimiſſa ſupra carnem quam cucurbita traxerit, medicamentum trahens imponemus. Inuſtiones quibus libro de internis affectionibus vtitur (mirabiles
E quaſdam vſtionis modos reperies apud Aetium ex Archigene 1. cap. 12. libri) partim hac ipſa ratione proſunt, partim quòd, vt in hiſtoria proxima dicebatur, ſiccent mucores, qui ſunt in ligamentis articulorum, & firment partes. Quod Hippocra. vltimis ſextæ partis aphoriſmis apertè docet. Meritò ergo hic ex miſſione ſanguinis, expurgatione, & cucurbitulis melius ſe habebat, & his repetitis perſanari potuit. Quandoquidem dicit pharmaca bibebat, adhibebat cucurbitulas, ſectione venæ vte-
F batur; præteriti imperfecti verbis vtens, innuit non ſemel eum vſum his eſſe, neque vno aliquo tempore citra intermiſſionem, ſed aliquoties ex interuallis. Quibuſdam fortaſſe non probabitur quod diximus, miſſionem ſanguinis debere fieri ex crure, quia 6. epid ſect. 5. dicit, in fluxionibus ad coxam venas poſt aures ſecato. Et Gale. loco citato ex 2. de comp. med dicit à cubito primùm ſanguinis detractionem faciendam, ac vomitoris vtendum, cui ſubſcribunt Paulus & Aetius propriis capitibus de iſchiade. Porrò quidam alij exi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 238 sur 489

©BIUM

gunt, vt dicamus, non tantùm in crure ſecandam eſſe venam, ſed & quæ vena, quæ in interna, an quæ in externa parte tali. Verùm his vtriſque reſpondet Gal. in com. aphor. 36. particulæ ſextæ dicens: affirmare venas in cubito ſecandas eſſe ob iſchiadem, neque verum eſſe neque conſentaneum Hippo: velle autem ipſas malleoli venas diſtinguere eſſe inane. Videmus ſiquidem (inquit) ipſum in omnibus libris ſuis, in partibus quæ ſupra hepar ſunt, è manibus ſanguinem mittere; in inferioribus verò venas quæ in poplite vel malleolo ſunt, ſecari iubere. Siquis verò de his (hoc eſt, de venis malleoli) ipſum dixiſſe arbitretur, ſecare autem interiores, hoc dictum paruam vim habet. Ab vna enim ambæ naſcũtur, quæ in poplite trifariam diuiditur. Quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, non ſicuti ad manum duæ. Hæc Gal. quibus affirmat in malleolo nihil intereſſe, quas venas ſeces: verùm ſecandas eſſe in cubito ob iſchiadem falſum eſſe & minimè Hippocraticum. Quod verò Gal. alibi hoc faciendum dicit, quod hic dicit eſſe falſum, intellige non eodem modo eſſe vtrobique dictum, ſed in aphoriſmo curari firmatam iam in parte iſchiadem, in aliis locis imminentem, & iam iam parti minantem, quo etiam tempore vomitiones quàm deiectoriæ purgationes meliores ſunt, contrà verò iam firmato malo. Sed de hac re à me ſcriptum ſatis eſt in controuerſiis capi. de rectitudine. De ſectione venarum poſt autres, & de diſtinctione venarum in crure iterum ſuo loco dicetur.

Athenis homo quidam laborabat pruritu totius corporis, præcipuè verò teſtium & frontis: cruciabatur autem admodum vehementer, & cutis craſſa erat per totum corpus, & qualis in lepra videri ſolet, nec cutis præ craſſitie vlla ex parte apprehendi poterat. Hunc nemo iuuare potuit. Melum autem profectus, vbi ſunt calidæ balneæ, à pruritu quidem & cutis craſſitie liberatus eſt, hydrope tamen laborans mortuus eſt.

Hic affectus ortum habuit non tam ex bile aduſtâ (qualis eſt ea quæ lepram gignit) quàm ex pituitâ ſalſâ, quia erat admodum vehementer pruriens. Verum conſtat melancholiæ etiam admiſtionem habuiſſe, quandoquidem erat aſpectu velut lepram habens. Atqui profectò erat lepræ proximum malum, & vt ego dixerim, lepra quædam. Erat ex melancholiâ & ſalsâ pituitâ, fiebat pruritus ex ſalſo & acido, vt ſiquis ſcalptu dilaniatæ cuti affricet ſalem cum aceto. Erat verò durata ac velut cruſtoſa cutis congeſtione craſſorum & ſiccantium excrementorum. Hic cùm medicamentis parùm iuuaretur, confugit ad balnea aquæ dulcis & calidæ. Veriſimile eſt autem hunc expertum iam morbi contumaciam, qui nullis medicamẽtis ceſſiſſet, vſum fuiſſe immoderatiſſimè balneis, quibus meritò à pruritu, & cutis craſſitie liberatus eſt, balneo dulcedinem afferente ſalſis & acidis, & reſoluente ſuccos, & emolliente cutem: tamen ob immoderatum vſum factus eſt hydropicus. Nam vt Gal. docet cap. 8. primi de ſimpl. med. facult. Balneum calidum refrigerat corpora, quia corpus rarefactum, tranſpirante immoderatiùs calore natiuo, frigidius efficitur. Admonemur itaque hac hiſtoria, ne balneis calidis immoderatiùs vti ſinamus, etiamſi quis ex iis vtilitatem videatur percipere, in iiſdem affectionibus propter quas ille ad ea profectus eſt.

Athenis virum cholera corripuit. Vomebatque, & deorſum deyciebat, & dolebat, & neque vomitus, neque deiectio ſiſti poterat. Et vox deficiebat, & moueri ex lecto non poterat, & oculi caliginoſi & caui erant. Et conuulſiones detinebant ab aluo & inteſtino profectæ, & ſingultus. Deiectio autem multò maior erat, quàm vomitus. Hic bibit elleborum in lentium ſucco, & ſuperbibit lentium aliuin ſuccum, quantum potuit, & poſtquàm vomuit ambo coacta ſunt & ſubſtiterunt, frigidus verò factus eſt, & lauatus eſt multa valdè calidâ à prudendis inferne, donec ſuperiores partes incaleſcerent, & vixit. Poſtridie autem tenuem polentam bibit.

Cholera, ἀπὸ τῆς χολῆς, hoc eſt à bile, vt multi volunt, aut ἀπὸ τῶν χολάδων, hoc eſt, ab inteſtinis, vt vult Trallianus, morbus eſt acutiſſimus pariter & periculoſiſſimus. Plerunque primo quaternario finitur, rariſſimè ſuperat ſeptimanam, ac fortaſſe nunquam, ſi legitimus morbus is ſit. Eſt morbus per quem ſimul euertitur ſupernus & infernus venter, neque continere ſe poſſunt ægroti, quin ſimul deiiciant & vomant. Conſtat ergo hoc ſymptoma pertinere ad retentricem, & expultricem, eſſéque alterius motum nimium, alterius impotentiam. Hæc fit, aut in eſſentia debilitata facultate retentrice, per intemperiem propriam ventris, aut obmalignam qualitatem, redundantiámue immodicam alicuius excrementi, plurimum irritata expultrice, aut, (quod plerunque fit, multarum enim cauſarum congreſſum deſiderant affectus grandiores) his omnibus ſimul accidentibus, debilitate inquam retentricis, & magna copia maligni excrementi. Hinc fit, vt magnus præcépſque lapſus virium hunc morbum citò ſequatur, ac proinde vocis defectus, mouendi impotentia, caligo & excaeatio oculorum, & frigus extremorũ. Quia ſ. nõ robore, ſed impotentia facultatis agitur euacuatio, quâ æquè funduntur ſpiritus & excrementa. Accedit loci natura, oris inquam ventriculi, cum quo cor & cerebrum facillimè patiuntur, ac per hanc cõpaſſionẽ conuulſione tentantur, etiam quum procedit malũ: ſingultu verò, quia eſt ventriculi conuulſiuus motus. In morbis huiuſmodi, quibus euacuationes præter naturam coniunctæ ſunt, fruſtrà neq; ſine magno periculo tentatur adſtrictio, antequàm copia excrementi vacuata ſit. Quum ergo euacuationes videntur proceſſiſſe ſatis copiosè, & neque virtus adhuc labaſcit plurimùm (ferendæ enim ſunt aliquæ debilitatis notæ propter ſymptomata) neque cohibendum, neque prouocandum eſt, ſed occurrendum ſolùm alijs ſymptomatis: ſin autem iam videtur proceſſiſſe pluſquàm pro excrementorum in corpore abundãtia, aut pluſquã pro virtute facultatis, ſiſten-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 239 sur 489

©BIUM

dum mox: ſin autem irritatio, dolor, & anxietas ſit maior quàm pro magnitudine euacuationis, & euacuatio minor quàm pro multitudine excrementorum, expurgandum eſt, vt copiâ affatim vacuatâ valeas occurrere ſymptomati, quod in nimia expulſione eſt. Quæ regula & in cholera, & in dyſenteria pariter obſeruanda eſt. Verùm quia ſymptoma vel à principio vrget, & irritatio nunquam per hunc morbum omninò tollitur, neque cum expurgamus ſymptoma negligere, neque cum cohibemus, irritantis ſucci obliuiſci debemus, ſed expurgantibus debemus admiſcere aliquid adſtringens, & adſtringentibus aliquid extergens, aut aliquid mordacitatem heberans, aut alternatè eis vti. Hanc ob cauſam dedit helleborum in ſueco lentiũ, & ſuperbibit lentium alium ſuccum quantum potuit. Veluti quum poſt medicamentum expurgans ebibitum, conſulit ſecundo de ratione victus in acutis, ptiſſanam protinus dare ſorbendam non inſigniter minore quàm conſuetum eſt quantitate: ita huic ſuperbibendum dedit ſuccum lentium: intelligendum autem eſt ſuccum expreſſum cum iure bis coctarum. Talis enim, vt Dioſcoridi & Galeno placet, adſtringendi vim habet, & ad choleram & dyſenteriam vtilis eſt. Itaque miſcuit helleborum cum ſucco lentium, vt expurgans adſtrictorium faceret: eodem conſilio quo hodie in his paſſionibus dantur myrobalani toſti, aut etiam toſtum rhabarbarum, aut aloë, non ſanè, vt mihi videtur, præter rationem, ſed iuxta hanc quam ſecutus Hip. eſt. Sed cur dedit helleborum, quo ad ſupernas purgationes ſolebat vti, vt ex aphor. 4. particulæ conſtat, potiùs quàm deiectorium aliquod? Certè quia deiectio multò maior erat quàm vomitus. Cùm enim inteſtina magis affecta eſſent quàm ventriculus, vomitoria expurgatoriis præſtabant vt totius corporis euacuatio, & à parte præcipuè affecta reuulſio fieret. Id enim eſt quod in ventris affectionibus maximè timemus, non poſſe expurgari corpus, niſi per affectam partem, vitandum ergo eſt id quàm maximè poteſt, atque ſi ventris partes non æquè laborant, per eam mouendum quæ laborat minùs. Multò ergo magis in dyſenteria (vt hoc dicatur obiter) vomitoris vtendum eſt. Itaque accepit dictum pharmacum & euomuit, & ita (euacuato ſcilicet ſucco qui irritabat] coacta ſunt, & ſubſtiterunt ei ambo. Frigidus verò factus eſt, debilitato ob effuſos ſpiritus calore naturali, & eo qui ſupererat intra cor ob dolores, & anxietatem recepto, donec his ſolutis reuocaretur, reuocatúſque ſeſe in totum corpus effunderet, & liberaretur à ſuffocatione, quâ coactus conſtipatuſque periclitabatur. Vſus proinde eſt aqua calida infernè valdè multa, faciens ægrotum in eam deſcendere vſque ad pudenda, maneréque ibi, donec caleſceret totus. Fieri etiam poteſt hæc caloris reuocatio linteolis calidis admotis brachiis, & cruribus. Deinde cibatus eſt polenta tenui ex aqua, cibo ſanè tenui, vt à debili etiam facultate commutari poſſet, & lento, & dulci, vt lentore hæreret, retineretúrque, & alia retineri faceret, & ſi quid recluſum aut excoriatum maneret, obtureret & obliniret: dulcedine verò ſi quid ſupereſſet irritans, obtunderet. In hunc vſum nos vtimur amylo ex iure pulli aut gallinæ. Conſidera hic antiquorum prudentiam circa victum debilitatorum, qui recens expurgatis, aut alioqui ſponte exhauſtis, tenuis cibi exiguum exhibebant, adeò vt hic auror polentam ex aqua non niſi tenuem, hoc eſt, conſtantem pauca farina dare auſus ſit. Contrà ac vulgares medici faciunt, tribuentes multos bene craſſos cibos cum vino. Quaſi quod multis diebus exhauſtum eſt, vnâ ſint repoſituri. Non eſſet præter rem huic ægroto cataplaſmata ſecundùm totum ventrem admouere, citra inſignem calorem aut frigus roborantia, & ventri naturaliter grata. Cuiuſmodi ſunt quæ parantur ex carne cydoniorum aut palmularum, cum idoneis oleis, aut vino, aut aliis ſuccis, & farinis, aut aliis huiuſmodi. Verùm Hippocrati non erat inſtitutum dicere omnia quæ agi poſſent, ſed quæ acta ſunt, neque meum ſanè omnia addere, ſed quæ ſunt præcipua. Cælius Aurelianus libro 3. acutorum morborum cap. 21. carpit Hippocratem, quòd vomitum curauerit vomitu, cùm cohibere potiùs opus eſſet. Verùm erat Methodicus, & in ſolam adſtrictionem aut laxitatem oculos intendens, & eorum quæ ex accidenti fiunt ignarus. Nos verò vomitum vomitu ſolui. 6. libro docebit ipſemet Hippocrates.

IN Iariſſa vxori Gorgiæ menſes ſuppreſſi erant per annos quatuor, præter valde paucos, in vtero autem quoquo verſus conuerteretur pulſum exhibebant & pondus. Hæc mulier concepit, & peperit, & puella viuæ nono menſe edita eſt, vlcus habens in coxa, & ſecundæ conſequutæ ſunt, & copioſus admodum ſanguinis fluxus ſuperuenit, & poſtridie, & tertia die, & quarta etiam grumi ſanguinis concreti, & febris eam tenuit decem primis diebus, & effluxit deinceps illi ſanguis ruber, & intumeſcebat facies vehementer, & tibiæ, & ambo pedes, & alterum femur, & cibos non capiebat, ſitim autem habebat vehementem, & frigidiſſima aqua conferebat, vinum autem nullo modo. At venter poſt primum fœtum modicè emollitus eſt, omnino autem non concidit, ſed durior erat. Dolor verò non aderat. Quadrageſimâ autem die à prima excidit ſuperfœtatio, caro quædam, & venter concidit, omnéſque tumores, & fluxio tenuis & ſanguis olens prodiit, & conualuit.

Hæc Gorgiæ vxor habebat vterum ſcirrhoſum, quod ſignificabant pondus & pulſatio, quæ ſentiebantur in quamcumque partem mulier conuerteretur. Duratus enim vterus, velut alienum pondus, fertur quocunque conuertitur corpus, & arteriæ quæ comprimuntur, nitentes ſeſe efferre, ſentiuntur pulſare. Hic affectus genitus fuit ob ſuppreſſionem menſtruorum, & rurſum ob hunc affectum non fluxerunt. Ita ſuppreſſi erant menſes per annos quatuor, præter valdè paucos menſes, qui illis quatuor annis fluxerunt. Nihilominus concepit, & ſuperfœtauit. Vnde conſtat duritiem non

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 240 sur 489

occupaſſe vterum vſque ad os eius, alioqui non poſſet concipere. Concepit verò fœmellam, & cùm iam inſtaret tempus partus ſuperfœtauit. Cauſam ſuperfœtandi dicit Hippocrates libello de ſuperfœtatione eſſe, quòd os vteri exactè clauſum non ſit. Veriſimile ergo eſt affectionem illam diuturnam, etſi omninò prohibere non potuit oris adductionem, prohibuiſſe tamen exactam, vt concipere quidem potuerit, ſed & ſuperfœtauerit. Aut fortaſſe non ob affectionem priſtinam, ſed ob inſtantem iam partum ſuperfœtatio contigit. Incipit enim natura eo tempore os vteri iam recludere, ac proinde maius periculum ſuperfœtationis eſt prope partum, quàm ſuperiori prægnatione. Factam autem eſſe iuxta partum conſtat, quia abortus contigit quadrageſima die à partu, & caro informis edita. Si enim vel viginti dies ante partum eſſet concepta, plus aliquid ac melius formatum editum eſſet quàm carnea moles. Porrò conſtat ſuperfœtationem etiam conceptam eſſe fœmellam, maſculis enim quadraginta dies ſufficiunt ad figurationem, neque vnquam videntur carni ſimiles. Non mirum eſt autem impurum matris corpus concepiſſe fœminas. Et cùm ſecunda fœtura adeò exigua eſſet, non potuit expellere priorem, ipſa verò corrupta eſt prioris partu intra quadraginta dies. Et partus quidem cœpit, abortus autem ſuccedens perfecit iudicationem morbi veteris, ita ſcilicet vt ſolet. Cùm enim per partum tam copioſa euacuatio fiat, euenit multos muliebrium morborum partu iudicari. Itaque inquit, mulier concepit & peperit, hoc eſt concipere potuit, & ad perfectionem fœtum perducere, & puella viua nono menſe edita eſt, non tamen ſana, ſed vlcus habens in coxa, quod accidit ob paruum (arbitror) alimentum quo in vtero vtebatur. Et ſecundæ conſequutæ ſunt exeuntem fœtum (vt oportuit) & ſanguinis fluxus ſuperuenit admodum copioſus (ſtatim ſcilicet in ipſo loco, in quo ſeſquicotylam oportere euacuari Hipp. dicit) ſed & poſtridie etiam & tertia die & quarta exierunt grumi ſanguinis concreti. Non tamen ſine febre tranſegit [vt quædam ſolent] neque quarta die eam reliquit (vt pleraſque earum quæ ritè purgantur ſolet) ſed febris eam tenuit vehemens decem primis diebus. Scilicet euacuatio primi quaternarij ceſſauit, ac proinde producta febris eſt vſque ad decem dies, quibus exire cœpit ſanguis ruber. Non enim oportet ceſſare. Ita enim dicit Hipp. 1. de morbis muliebribus. Si verò purgatio puerperij primis tribus aut quatuor diebus proceſſerit, verùm poſtea repentè euanuerit, eaſdem affectiones patitur quas prior. Itaque poſt decem dies ceſſauit febris fluente ſanguine rubro, cepit verò motus magnitudine forte diuulſa putreſcere ſecunda fœtura, & proinde mulier habere ea quæ Hippocrates initio de ſuperfætatione familiaria eſſe huic affectioni dicit his verbis. Niſi verò ſtatim ſecedat ſuperfætatio (ſtatim inquam ac deciditur aut putreſcere incipit) dolores excitat, & fluxum fœtidum, ac febrem & facies, tibiæ ac pedes intumeſcunt, atque ſi diſſoluatur, cibum auerſatur mulier donec exciderit. Quandoquidem ergo ſuperfætatio cùm rumpi incipit, febrem ſolet facere, conſentaneum eſt hanc non fuiſſe omninò ſine febre à decima ad quadrageſimam diem, ſed ſine acuta & vehementi. Omninò autem fuiſſe aliquam, ſitis illa vehemens quam habuit indicauit. Sed quam ob cauſam his intumeſcunt, facies, pedes & tibiæ, atque huic alterum femur? Certè quòd per compaſſionem cum vtero debilitetur hepar, ac gignat ſanguinem ſeroſiorem, qui in corpus diſtribuitur. Cur ergo hæc potu aquæ frigidiſſimæ iuuabatur, & vini nequaquam? Certè ob ſcirrhos vteri, qui cùm tunc eſſent phlegmonoſi, vino exacerbabantur, frigidiſſimæ autem occurſu, attemperatio quædam & ſolatium ſentiebatur. Non tamen potus frigidiſſimæ poteſt perſanare affectionem, neque perſanata eſſet, niſi alia eáque magna ſuperueniſſet euacuatio ex abortu. Primus enim partus affectiones veteres minuit, ſecundus ſuſtulit. Nam venter (inquit) poſt primum fœtum modicè emollitus eſt, omninò autem non concidit, ſed durior erat. Sed quo pacto durior erat, ſi emollitus eſt? Certè ſcirrhoſi tumores minores facti ſunt, atque ita venter eâ regione quâ ſitus eſt vterus, duricies habebat minores prioribus, quam ob cauſam emollitus dicitur, non tamen adeò minores vt non ſatis ſentirentur, atque ita dicitur non omninò concidiſſe, ſed eſſe durior, non quàm antea ſed quàm pro natura. Ita etiam dicit, dolor non aderat, non arbitror quòd omninò nullus adeſſet, ſiquidem ſuperfœtationis corruptiones dolores excitare dicit Hippocrates libello de ſuperfœtatione, ſed non quales antea. Nimirum phlegmonoſum modum depoſuerant magna ex parte ſcirrhi, quadrageſima autem die (inquit) à prima (ea ſcilicet qua peperit] excidit ſuperfœtatio, caro. Et venter concidit & omnes tumores, & fluxio tenuis, & ſanguis olens prodiit, quæ ſcilicet congeſta erant putreſcentia ſuperfœtationis.

PHeris mulier diuturno capitis dolore laborabat, nec vllus quicquam iuuare poterat, nedum purgato capite. Melius autem ſe habebat, quum menſes illi facile prodibant. Hæc quum caput circumdolebat, peſſis bene olentibus ad vterum appoſitis iuuabatur, & paucum quiddam expurgabatur, & cùm concepiſſet, capitis dolores deſiierunt.

Cùm caput doleret ob ſuppreſſionem menſtruorum, meritò fiebat vt non niſi fluentibus illis facilè, aut in vtero concipiente muliere tolleretur dolor. Nam perinde eſt quod ad quantitatem attinet, vtero gerere & menſes fluere, quia fœtus attrahit ad ſeſe ſanguinem, & in ſuam nutritionem abſumit. Hanc ob cauſam prægnatione ſoluuntur dolores, qui ex ſuppreſſione menſtruorum fiunt: quamquam quibuſdam etiam prægnatio hos ipſos dolores affert, quibus antea non erant. Qua quibus menſtrua bene ac facilè fluebant, prægnatione detinentur intra vterum. Minùs autem dolere poſſunt partes ex vtero facilè fluentibus menſtruis, quàm ad vterum tractis, ſicut etiam minùs ad vterum tractis, quàm neque tractis neque exeuntibus. Proinde prægnatio dolores tales habentibus tollit, non habentibus affert. Porrò ſuppoſitoria odorata, aut ſuffitus vterum laxare, & vias eius aperire & fluxiliores facere, ac proinde vterinas paſſio-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 241 sur 489

©BIUM

nes ſoluere, quæ ex adſtrictione aut ſuppreſſione ſunt, Hippocrati eſt celebratiſſimum, & vulgo notiſſimum. Cauſa verò eſt in tenuitate & calore vaporum. Quod verò hæc ipſa naribus hauſta præfocationes vteri augeant, quod etiam mulieribus eſt experimento cognitum, cauſa eſt iucunditas, quam cerebrum recipit, & proinde otium agens deſiſtit à concuſſione quâ vterum iuuare ſolet, & præfocationem diſcutere non aliter ac epilepſiam.

MVlier Lariſſæa prægnans decimo menſe ſanguinem multum quatuordecim diebus demiſit, plurimum verò tribus ante pueri corruptionem. Decimaquartâ vtero excidit puer mortuus, habens dextrum brachium adhærens lateri, & tertia die eadem noctis horâ quâ puer, ſecundina & alba purgamenta prodierunt: deinde tribus diebus & noctibus multa moderatè prodierunt. Poſteà autem febris corripuit duabus diebus & duabus noctibus, totiúſque ventris & coxarum, præcipuè verò imi ventris dolor infeſtauit.

Quaſi prægnatio affectus ſit decem menſium, dicit decimo menſe ſanguis exiit illi multus quatuordecim diebus, cùm tamen dictum ſit. 2. huius operis ſectione 3. nouem menſium græcorum eſſe. Neque ſanè ad id quod modò dicitur, ſatis eſt quod eo loco notauimus, putà nouem menſes græcos continere partem decimi menſis lunaris, atque ita naturales & communes partus fieri nouem menſibus græcis, & decem lunaribus: neque quod ex libro de carnibus diximus, nouem menſibus græcis & decem diebus legitimum partum fieri. Non inquam ſatis eſt putare hic intelligi menſes lunares. Nam dicit decimo menſe exiit illi multus ſanguis quatuordecim diebus, at verò nouem menſes græci capiunt tantùm nouem dies decimi lunaris, aut quã minimum plùs aut minùs, quo pacto ergo nouem decemue diebus exierit ſanguis diebus quatuordecim? Certè non potuit, ſed intelligere neceſſe eſt, huic productam eſſe prægnationem vltra nouem græcos (multas enim decem græcis perfectis parere, illo loco diximus, confirmauimúſque teſtimoniis Hippocratis & Ariſtotelis) videtur ſanè imperfecta eſſe narratio, in qua de re non adeò frequenti, quaſi frequens ſit agitur, neque id ipſum narratur, oportuit enim primùm omnium dici, huic productum eſſe partum vltra ducentos ſeptuaginta dies, quibus nouem menſes græci conſtant. Non tamen hoc mirum eſt, imperfectam enim eſſe hanc narrationem, atque adeò vt ego ſuſpicor, vetuſtate mutilatam, alia ex parte intelliges. Nam cùm peperiſſet partu omni ratione præter naturam, tempore ſcilicet, quia neque nouem neque decem perfectis menſibus, & cauſa, quia ob fluxum ſanguinis præter naturam (præter naturam enim fluit in paru ante fœtum editum) & ipſo fœtu, quia monſtruoſus aliquatenus erat, cùm haberet brachium adhærens lateri, cum inquã adeò præter naturam peperiſſet, vt neceſſe eſſet multos dies poſt partum laborare, & multum periclitari, tamen narratio ſolùm continet, quæ primis ſeptem diebus à partu paſſa eſt: neque de exitu morbi quicquam dicitur. Imperfecta itaque eſt narratio. Nos tamen notemus quæ acta ſunt, ne fieri ita poſſe nos lateat. Itaque hæc cùm prægnans exceſſiſſet nouem menſes græcos, iam decimum ingreſſa cœpit fluxu ſanguinis laborare, qui fluxit diebus quatuordecim, maximè autem vltimo illorum quaternario: nam tribus diebus ante corruptionem fœtus: corruptio verò contigit decima quarta, quâ excidit vtero puer mortuus, habens brachiũ adhærens lateri. Itaque ab vndecima ad quartamdecimam (qui vltimus quaternarius eſt) copioſiùs fluxit ſanguis. Decima quarta nocte excidit puer mortuus, tertia die eadem noctis horâ quâ puer exciderat, exciderunt ſecundinæ & alba excrementa. Expletis ergo à partus horâ duobus diebus naturalibus excidit ſecundina. Quod etiam difficilem partum indicauit, in naturalibus enim & facilibus ſecundina mox ſubſequitur exeuntem fœtum. Poſthæc tribus diebus & noctibus multa prodierunt moderatè, erant itaque inſumpti iam quinque dies naturales, mox apprehendit eam febris duos dies & duas noctes, & totius ventris & coxarum, præcipuè verò imi ventris dolor infeſtauit. Non eſt conſentaneum his ſeptem diebus finitum eſſe morbum, ſed mutilatam hic narrationem.

LAriſſæ Hippoſtenes medicis videbatur peripneumonia laborare, falsò tamen. Principio quidem luctans cecidit ſupinus in duro loco, & illi ſuperincidit aduerſarius, & frigidâ lauatus eſt, cænauit, & grauior ſibi videbatur. Poſtridie autem febricitauit eumque tuſsis ſiccior & frequens ſpiratio tenuit. Quintâ die cruentum excreauit non multum & delirare cepit, quum tuſsiebat tunc dolebant pectoris partes & dorſum, ſextâ autem poſt ſternutamentum cotylæ circiter quatuor ſanguinis ex naribus effluxerunt. Circa veſperam neque loquebatur, neque quid fieret aut diceretur percipiebat. Vndecimâ autem mortuus eſt. Quinque autem diebus nunc mente conſtabat, nunc non, febre etiam carebat. Sputum autem nullum excreauit, neque ſtertorem habuit, quia nullum aderat ſputum.

Hippoſthenes mortuus eſt ex caſu, videbatur verò medicis quibuſdam pulmonis inflammationem contraxiſſe, quia febricitabat cum tuſſi & denſo ſpiritu: tamen reuera non contraxerat, quod exitus aperte indicauit, cùm ad extremum vſque neque excreauerit, neque ſtertorem habuerit. Sed qua ratione fuerit læſus, ex iis quæ narrantur oportet coniectare. Principiò luctans in duro loco, cecidit in occiput & dorſum, & aduerſarius inſiluit in pectus illius. Cúmque oporteret mox ſanguinem mittere, & frigidæ potum offerre, & pannis inuoluere, ne ſanguis ad contuſas partes affatim accurreret, & vt is qui conturbatus effuſúſque erat, ex-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 242 sur 489

©BIUM

tenuatus discuteretur: nihil tale fecit sed lauit sese frigida, & dormiuit, itaque cutem densauit, & sanguinem intrò repulit, eò etiam sponte ob somnum confluentem: quam ob causam meritò grauari videbarur. Et sequenti die febricitauit, putrescente iam succo in partibus quibus erat inculcat⁹, & tussis siccior tenuit ipsum, & πνεῦμα πυκνὸν ob multos affectus phlegmonosos instrumentorum respirationis in thorace. Constat verò talem spirationem fuisse etiam paruam, cùm crebram & paruam faciant affectus dolorosi, earum partium. Quinta die excreauit cruentum non multum, ruptis iam (arbitror) in lateribus venulis, & cœpit delirare. Poterat sanè hoc fieri ob affectum phlegmonosum septi transuersi, verùm ob raptum sanguinis qui conturbatus ferebatur in caput, factum esse indicauerunt quæ subsecuta sunt. Nam sexta die sternutauit, & mox sanguis effluit ex naribus ad quatuor ferè cotylas. Circa vesperam eadem die neque loquebatur, neque quid fieret aut diceretur percipiebat. Quod aut ob euacuationis magnitudinem linquente animo, aut occupato toto cerebro apoplectico modo fieri poterat. Non videtur autem tantùm fuisse sanguinis effusum, vt ob hoc animo linqueretur, nisi forte homo esset per sese debilissimus proinde in alteram coniecturam magis feror, vel ob quinque sequentes dies, quibus nunc mente constabat, nunc delirabat, & aliquando etiam febre carebat. Nam quia delirabat, videtur cerebrum fuisse affectum, quia verò aliquando & delirio & febre liberabatur, constat non phlegmone, sed obstructione laborasse. Sæpè enim vidimus apoplecticos per quædam interualla ad sese redire, loqui, & sapere, vt videantur circunstantibus liberati, ac denuò corripi, idque bis aut ter, donec quum non possunt reuocari, tandem moriantur. Quod coniectauimus fieri expultricis facultatis cerebri operâ. Hæc enim si valida est longè pellit, & hominem liberat, si debilis admodum, ne mouet quidem, & tũc vno perpetuo paroxysmo moritur homo: sin autem est inter hæc mediocriter debilis, non pellit longè, facit tamen succos abscedere, cùm verò non satis renitatur pars quæ expulit, irrunt in ipsam rursum. Velut in hoc homine qui cùm sexto die apoplecticus esset factus, & per quinque dies qui sunt à sexto ad vndecimum denuò correptus, mortuus est. Quòd verò per interualla nunc delirauerit, nunc non, succus etiam ille qui cerebrum obsidebat fuit in causa. Eius enim agitatio nunc plus nunc minùs cerebrum perturbauit, atque ob eandem causam cor nunc plus nunc minùs in compassionem trahebatur, & angebatur, ac proinde homo nunc febricitabat, nunc non. Sputum nullum excreauit quia scilicet nihil coctum est in pulmone, neque habuit stertorem: vocat stertorem sonitum illum qui fit cum feruet succus aliquis in gutture. Nam addit, quia nullum aderat sputum, hoc est non erat succus in aspera arteria, qui eum sonitum faceret, vt in aspera arteria, qui eum sonitum faceret, vt in multis moribundis solet. Verùm hæc historia nos monet, ne casus aut ictus fortes contemnamus, sed vt cum diligentia administremus ea quę nuper huic fuisse facienda diximus, & multos dies in bono victu homines contineamus.

A

B

C

D

E

F

Lariſſæ Scamander coxæ ſphacelum habuit, & os diu luxatum. Huic magna inciſio facta eſt etiam ad os vſque, & poſteà vſtus eſt. Tunc die duodecimâ poſt inciſionem incepit conuulſio, quæ multùm detinuit. Conuellebatur autem crus hoc vſque ad latera, tranſiliebat etiam in alteram partem conuulſio; contrahebatur autem crus & extendebatur, & alia membra mouebat, & maxillæ adducebantur. Hic mortuus eſt conuulſus octaua poſt inuaſionem conuulſionis. Curabatur verò totum corpus tepefactis vtriculis, & fomentis ex eruo, & infuſus eſt clyſter, & nonnihil veteris ſtercoris deiecit. Medicamentum meram bilem purgans hauſit, aliúdque iterùm abſorpſit, & deiecit quidem, ſed nihil ab epoto medicamento iuuatus eſt. Et venit exiguus ſomnus, cumque rurſus ſub veſperam bibiſſet medicamentum ſinceram bilem vehementer purgans, circa Solis ortum mortuus eſt. Videbatur autem diutius morbum ſuſtinere potuiſſe niſi vis medicamenti obſtitiſſet.

Exemplum est hoc eorum qui non curati diutiùs vixissent, & curati citiùs moriuntur. Mortuum enim esse hunc non ex veteri morbo, sed ex curatione constat, quia vigesima die à sectione est mortuus. Patet etiam ex modo moriendi, mortuus enim est conuulsus, vt solent scilicet qui moriuntur ex vulneribus circa articulos. Certè hic non poterat alia ratione curari quàm sectione & vstione, cùm corruptionem iam ossis pateretur, satiùs tamen fuisset omnino non curare. Nihil enim refert curare vt morbus poscit, nisi eam ipsam curationem homo possit sustinere. Cœpit conuelli die duodecima post sectionem & vstionem non leuiter, sed conuulsione magna quæ illum multùm tenuit, hoc est, continenter afflixit. Contrahebatur enim crus vsque ad costas, per musculos scilicet mouentes femora, qui veniunt à lumbis iuxta finem costarum. Non mirum autem, inde etiam ad ipsas costas dolorem effundi per communes surculos neruulorum. Et aliquando etiam in alteram partem conuulsio velut transiliebat, itaque alterum crus præcipuè ac maximè conuellebatur, sed nonnunquam etiam vtrumque, atque alternatè hoc & illud. Non erat autem conuulsio facta iam, per quam contractum crus esset citra distentionem vllam, sed conuulsiuus motus per quem contrahebatur, & extendebatur. Et alia etiam membra mouebat homo conuulsiuo modo, brachia videlicet & caput, ac denique partes alias quæ liberum motum habent. Laborabant præcipuè maxillæ, quæ per conuulsionem musculorum claudentium os adducebantur, vt non possent separari. Cùm adeò obtineret conuulsio, non mirum mortuum esse hunc octaua die post conuulsionem, quæ erat vigesima à sectione. Terminatus enim est morbus intra fines acutorum, & mouebatur per partes. Sed cur hic qui mu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 243 sur 489

©BIUM

tationem in deterius accepit duodecimâ, mortuus eſt octauâ ab ea mutatione, ac non potiùs vigeſimam quartam ſaltem expectauit, cùm iuxta legem conſtitutionis legitimæ tantum temporis oporteat ſupereſſe ab exacto principio quantum anteceſſerit? Ob id fortaſſe, ac etiam ob vires quas ſatis conſtare animaduertit, dicit Hippocrates videri ſibi hunc potuiſſe diutiùs morbum ſuſtinere, ſi nihil in curatione eſſet peccatum. Verùm proteruè admodum expurgatus, adeò vt ſolis octo diebus bis aut aut ter pharmacum καταχορὲς ἰσχυρὸν acceperit, vi pharmaci extinctus eſt. Qua in re multis nominibus peccauit medicus, primùm quòd conuulſionem ex vulnere pharmaco vehementi curare tentauerit, deinde quòd cùm tentaſſet, & nihil proficeret, neſciuerit à purgatione deſiſtere, quin potiùs lædi ægrotum non intelligens bis aut etiam ter dederit. Certè conuulſiones, quæ citra phlegmonem vllum internum aut vlcus ex redundantia ſuccorum fiunt, pharmacis ſolui poſſunt, verùm quæ poſt ardentem febrem, aut phrenitidem, aut euacuationem vllam copioſam, aut inflammationem internam, aut ex vlceribus fiunt, nulla re magis læduntur: nam euacuatione ſiccat neruos, & mala qualitate irritat pharmacum. Ex febre autem ardente aut euacuatione ſunt ſicci nerui, à vulneribus qui conuelluntur ſunt velut phlegmone tumentes. Phlegmones autem crudæ læduntur ea agitatione, quam pharmaca cient, & euacuationibus non cedunt. Memini certè cuiuſdam, qui cùm â phrenitide cõuulſiuis, iam motibus tentaretur, me inuito, ſuaſu alterius pharmacum accepit, & paulò poſt nulla ſubſecuta vacuatione mortuus eſt. Sed multò grauiùs peccauit hic, quòd iam vidiſſet ægrotum pharmaco non iuuari. Neceſſe eſt autem vt magna ſi non iuuent, lædant. Bibit autem ægrotus pharmacum καταχορὲς ἰσχυρὸν, hoc eſt, admodum ſinceram bilem extrahens, & ſuperbibit. Quod duobus modis videtur poſſe intelligi, aut ſuperbibit pharmacum idem, aut ſimpliciter ſuperbibit. Eſt autem ſuperbibere pharmacum, antequam motus quem ciuit ſedatus ſit, rurſum idem pharmacum bibere. Superbibere autem ſimpliciter eſt quiduis poſt pharmacum bibere. Solebant autem antiqui, vt ex Hippocrate 2. de rat. vict. in acut. accepimus, mox ab accepto pharmaco ptiſanam dare ſorbendam, aut forte aliud quippiam huiuſmodi. Aut ergo huic ægroto datum eſt pharmacum valdè bilioſum eadem die bis, aut datum quidem ſemel legitimè, & iuxta conſuetudinem accepta à pharmaco potione. Quum propinantur pharmaca leuia aut etiam mediocria, nonnunquam vtiliter ſuperbibitur pharmacum, gratia acuendi ſegnem motum: verùm quum valdè bilioſa, nunquam licet id facere. Sed vtcumque huic actum ſit, conſtare facilè poterat pharmacis hominem lædi, quare abſtinendum fuiſſet ab alterius exhibitione, nam deiecit quidem, nihil autem iuuatus eſt à potione, & ſomnus exiguus venit. Euacuationes verò quæ conferentia & tolerantia carent malæ ſunt. Non mirum ergo iterùm accepti valdè bilioſi pharmaci potione mortuum hominem eſſe.

L*Ariſſæ Equiſo Palamedis vndecim annos natus, percuſſus eſt in fronte ſupra*

A *oculum dextrum ab equo, nec videbatur os noxâ carere & paucus ſanguis ex ipſo exiliebat. Hic multum ſectus eſt vſque ad diploëm, & curabatur os in eo ſtatu, quod etiã ſtatim os anterius peperit. Circa vigeſimam diem tumor iuxta aurem incepit, & febris & rigor, & interdiu magis creſcebat & dolebat tumor. Et febricitare incepit à rigore, & oculi tumebant & frons & tota facies.*

B *Patiebatur autem hæc in dextris præcipuè capitis partibus, ad ſiniſtras verò perueniebat tumor, nihil tamen hic læſit. Tandem febris continua corripuit, hæc minora erant vſque ad diem octauam. Vixit autem poſt vſtionem & purgationem per catapotium, & medicamentum tumori illitum: vlcus autem nullo modo malorum cauſa erat.*

Quandoquidem percuſſus eſt hic ab equo, videtur conſentaneum fuiſſe verè ἱππικώτερον, id eſt, equorum cultorem. Hi enim ab equis frequenter ſolent percuti, ſed quia vndecim annorum erat, vix poſſum adduci vt credam, curam equi eſſe ei demandatam, ſed fuiſſe hunc Palamedis filium aut ſeruum fortè vocatum hippocomum, & ab equo percuſſum eſſe, vt narratur. Hoc habeat vtcumque nihil refert, modò eorum quæ ad rem faciunt nihil omittatur. Hæc ſunt, fuiſſe vndecim annorum, & ab equo percuſſum fuiſſe, & in fronte, & reliqua quæ narrantur, partim pertinentia ad vlceris magnitudinem, partim ad ea quæ euenerunt. Quòd enim conferat ſcire an puer ſit qui vulneratus eſt, conſtat ex eodem Hippocrate libro de vulneribus capitis vbi dicit. At verò puerorum oſſa & tenuiora & molliora ſunt ea de cauſa, quòd & plus ſanguinis illis eſt, & caua ſunt, & neque pumicoſa, neque denſa, neque ſolida. Quin ſi ab æqualibus telis & debilioribus ſimiliter & minùs fuerint vulnerati, iunioris pueri quàm ſenioris vulnus & magis & citiùs ſuppurat, & minori ſpatio, & ſi alioqui ex vulnere moriendum ſit, iunior ſeniore citiùs perit. Porrò à quo percuſſus quis ſit, & quo telo interrogare iubet Hippocrates in initio eiuſdem libri dicens. Primùm igitur capite vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum ſit. Itaque & ab equo vulneratum fuiſſe, dicere conferebat. Sed & in fronte fuiſſe, nam dictis mox addit. Poſteà qua parte vulnus inflictum ſit. Et non multò poſt addit. Cerebrum enim citiſſimè & maximè iuxta ſinciput ſentit mala, quæ in carne & in oſſe fiunt, ſub tenuiſſimo enim oſſe ac modicâ carne cerebrum eſt hac parte. Cæterùm ex reliquis oſſibus, id quod circa tempora eſt, debiliſſimum eſt. Omni verò capitis oſſe robuſtius eſt os verticis, & quod eſt poſt aures robuſtius eſt quàm totum quod in anteriori parte eſt, & ſanè his ita ſe habentibus, ſiquis & vulneribus & telis, omnibus æqualibus ac ſimilibus, & maioribus, ac minoribus ſimiliter ſit vulneratus & magis: hac capitis parte os minùs rumpitur, & contunditur, & ſi homo aliàs moriturus eſt ex vulnere, ſi in poſteriori capitis parte vulnus habeat, ſeriùs morietur. Itaque graue fuit vulnerari ab equo, fortiter enim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 244 sur 489

©BIUM

contundit equus calcitrans. Graue etiam vulnerari in fronte, quamquam grauius fuisset in temporibus aut sincipite. Fuisse verò puerum qui vulneraretur periculum minuebat, faciliùs enim sanescunt eorum vlcera. Sed veniamus ad ipsum vulnus. Rupta est cutis frontis, & carnosa membrana quæ illi substernitur, & detectum os. Quinetiam os ipsum videbatur non esse sanum. Nam exiliebat ex ipso osse exiguum sanguinis, quod sanè non fieret, nisi fissuram haberet. Quid ergo actum est illi? Certè quod Hippocrates ipse consulit libro citato his verbis, verùm vbi os carne nudatum fuerit, animi intentione adhibitâ conandum est vt dignoscas, si minùs id licet oculis videre & cognoscere, num os fissum sit & collisum, an collisum tantùm, vel num ad teli vestigiũ collisio vel rima, vel vtrunque accesserit. Ac si quid horum senserit, per exiguam terebram perforato osse sanguis est detrahendus. Et paulò post dicit, mori ægrotos quibus os fractum, ruptum, aut contusum, nisi quis raserit aut perforauerit. Ita factum est huic, quia habebat fracturam in prima lamina, sectus est multùm vsque ad diploem, seu secundam laminam, terebro scilicet, aut cycliſco. Et curabatur os in eo statu, detectum scilicet, & derasum satis, ac læuigatum. Et benè sanè res processit. Nam os statim peperit os anterius in viginti, hoc est, intra viginti dies producta est anterior ossis pars, & quæ cycliſco aut terebra excisa erat. Ad hanc rem plurimùm contulit ætas. In pueris enim adeò viget naturalis facultas, vt ossium etiam partes facilè pullulent. Quamquam ne in hoc quidem autumo mox fuisse verum os quod producebatur, sed callum ab osse quàm minimùm diuersum, ob facultatis commutatricis robur. Itaque hactenus bene actum est cum puero. Nihilominus vigesima tumor iuxta aurem incepit, & febris, & rigor, & oculi tumebant, & frons & tota facies, etiamsi non æqualiter secundùm totam faciem, sed in dextris præcipuè capitis partibus hæc pateretur, quamquam perueniebat etiam ad sinistra tumor. Hoc sanè factum est ex fluxione, quæ vndique in exulceratam partem perueniebat, quæque proinde, cùm supra oculum dextrum vulnus esset, dextras partes capitis secundum rectitudinem scilicet lateris occupauit. Et sanè multò minùs periculosum fuit hoc, quàm si occupasset sinistras. Nam vt ab Hippocr. lib. citato dicitur bis, Notam esse morituri, si ex vulnere in dextra capitis parte, sinistra: & ex vulnere in sinistra, dextra conuellantur. Eadem ratione & tumore & dolore corripi in contraria parte periculosius est, quàm eadem, vel hac solùm causa, quod magis præter rationem est. Nam quamquam Vidouidius putat hoc falsum esse, & omni ratione carere (quòd ipse nullam assequatur) tamen reuera non caret, sed eadem ratione quâ dicitur in aphorismo 66. sectionis quintæ, si in vulneribus magnis ac prauis tumor non appareat, magnum malum: eâdem prorsus si non appareat tumor in eo latere in quo est vlcus, sed contrario, magnum malum est. Nam illud quidem fit fluxione ad vlcus concitatâ, retrocedente verò aliorsum, eò quòd à vulnerata non recipiatur. Est verò magnum periculum in hoc erratico motu retrocedendi, & ipsa causa ob quã non recipitur grauis est. Nam etsi Gal. id dicat fieri, quòd medici repercutientibus nimis vtantur, ego & citra hanc occasionem fieri puto, cum partis facultas emoritur, & alimentum non recipit. Contrahitur enim, ac proinde redundantem succum non potest recipere. Itaque contraria parte conuelli, ac tumore & dolore affici graue erat, eadem verò parte non admodum. Nam vt alio aphorismo dicto proximo dicitur. Quibus tumores in vlceribus apparent, ij non admodum conuelluntur, neque insaniunt. Proinde factum est, vt nihil hoc læderet, idest, nihil homo ab hoc periclitaretur. Sed resumentes sermones dicamus, qualia fuerint hæc mala. Tumor post aurem incepit, & febris & rigor. Febricitare scilicet incepit à rigore. Constat itaque eum febre laborasse intermittente, nam quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. Tumebant etiam oculi, & frons, & tota facies. Ambo hæc & tumor & febris fiebant à fluxione, quæ versus vlceratam partem mouebatur. Constat verò hanc moueri non continenter & toto tempore æqualiter, sed per partes ex quibusdam interuallis. Nam & febris fiebat intermittens, & tumor & dolor quotidie, interdiu magis crescebat, & noctu hæc remittebantur. Nimirum pars recipiens erat pars ea capitis & faciei: recipiebat verò quotidiè denuò, & quotidie in ea resoluebatur quod veniebat. Quare constare poterat, febrem etiam interdiu quotidie crescere. Itaque tota fluxio erat quotidiana, ac proinde & intumescentia, & febris. Sed si quotidiana accessio, & pituitosa etiam esset fluxionis materia, quo pacto ergo à rigore incipiebat, bilioſarum enim est hoc? Præterea quî fieri poterat, vt febris intermitteret, cùm tumor, etsi incrementa alternatè reciperet, nunquam soluererur? Certè fluxionem illam sanguineam bilis & pituitæ participem fuisse non mirum, imo verò consentaneum, cùm non ob succi alicuius redundantiam, sed ob vlcus excitata sit. Habuit ergo pituitæ quædam, vt motum: quædam etiam bilis, vt rigorem. Febris verò intermisit, quòd non posset à tumore foueri, nisi cum esset tantus, is tamen etsi perpetuò esset, non perpetuò tantus. Neque sanè febris intermittens ad extremum vsque fuit, sed tandem continua febris tenuit. Quo die ab accepto vulnere hæc fieri cœperint non dicit exactè, sed minora, inquit, erant hæc vsque ad octauam diem, scilicet septimo ceperunt dolor & tumor, & octauo iam fuerunt conspicua. Non dicit quandiu durauerint, fortasse quia medicamentorum magis quàm naturæ vi extirpata sunt. Vixit enim vstus, & purgatus per catapotium, & cataplasmate idoneo tumori impositò. Quanti vsus fuerit Hippocra. vstio, sæpe iam animaduertimus. Ego quoque in parotidibus quæ ex morbis alijs non leuibus fiunt; citò vel nulla expectatâ suppuratione, vstione vtor in ipso tumore. Nulla enim ratione meliùs prouidetur ne tumor recurrat, quàm si materia per ipsum vlcus quod infligitur expurgetur. Sed quo pacto concludit narrationem dicens, vlcus autem malorum causa nullo modo erat? Nunquid si hic vulneratus non esset, tumorem eum contraxisset? Non arbitror, neque febrem. Nam vel rectitudo quam tumor cum vlcere seruauit, & dies quo contigit, qui erat septimus ab vlcere, id indicant. Sed dicitur nullo modo malorum causam fuisse vlcus, idest, nullam malignam causam: seu vlcus ea mala non attulisse, quòd malignum esset (non enim erat) sed

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 245 sur 489

©BIUM

ob corporis apparatum. Velut ſæpe mortuo iam homine iurant chirurgi, non interiiſſe eum ex vlcere, qui tamen ſi non fuiſſet vlceratus non interiiſſet Id verò dicunt ſignificantes, vlcus per ſe non fuiſſe lethale. Ita quidē huic vlcus nullo modo cauſa malorum fuit, id enim ſalutaris ſpeciem præ ſe ferebat & quoad carnem non ita malè, & quoad os bene ſe habebat: tumores verò hi ſuperueñerunt ob redundantiam ſuccorum in corpore, aut fortaſſe, quòd recenter vulneratus non ſatis vacuatus fuerit. Meritò ergo huic vtiliſſimum fuit medicamentum expurgans deorſum, iuxta id quod lib. ſæpe iam citato ſcriptū eſt his verbis. Cùm verò in vulnere in capite homine terebello perforato, aut nō perforato oſſe autē denudato, tumor rubicundus erysipelatoſus acceſſerit in facie, & in oculis vtriſq; aut altero, & ſiquis tumorem contingat, doleat: & febris corripiat ac rigor, & vlcus ipſum tum quod ad carnem attinet, tum quod ad os bene habeat ad aſpectum, & ambientes vlcus partes bene habeant, excepto tumore, qui in facie exiſtit: & aliud peccatum nullum tumor habeat, quod ad reliquam victus rationem attinet, huius infernam aluum deorſum purgare oportet, medicamento quod bilem ducit, & vbi ſic purgatus fuerit, & febris dimittit, & tumor ſedatur & ſanus euadit. Conſtat hunc locum maximè congruere cum iis quæ facta ſunt Hippocomo.

LAriſſæ Theophorbi filio veſica fœda ſcabie laborabat, & viſcoſam mingebat vrinam, & in initio & fine mictionis dolore afficiebatur, & partem anteriorem confricabat. Hic cùm vehemens diureticum hauſiſſet, in veſicam quidem nihil proceſſit, ſed puri ſimile quid & bilem confertim vomuit, & per aluum alia huiuſmodi deyciebat, & ventris dolore torquebatur & interiores partes vrebātur, reliquo verò corpore refrigerabatur, & totus exoluebatur, nec quicquam aſſumere volebat. Huic vehementer exulcerata eſt aluus à nimia medicamenti violentia, tertiâ autem die poſt illud epotum mortuus eſt.

Nunquam eſt agendum diureticis, præcipuè vehementibus, in paſſionibus renum aut veſicæ ex multo ſucco pendentibus, antequàm purgatum totum corpus ſit, reuulſúmque vomitu quoad poſſit, & ad inteſtina deriuatum, idque faciēdum pharmacis mitibus, & malignæ qualitatis expertibus (non eatenus vt tractoriæ nihil habeant) quia quæ vehementer expurgantia ſunt, vrinam etiam mouent, & menſtruas purgationes, & vel hac ratione abortus faciunt, vt meritò videbatur Auerroi. Nam ſi pleno adhuc corpore malis ſuccis diureticum detur, idque debile, aut moderatum ſit, certè confluere faciet in affectas vias excrementa, & congeri oppilarique, ac proinde minùs exire. Sin autem detur vehemens, vt hanc etiam oppilationem poſſit diſrumpere, habebit etiam hoc facultatem exulcerandi, quâ ventriculum & inteſtina exulcerabit, antequàm affectum locum attingat, irritabitque ita ſupernum infernumque ventrem pariter, & dolore excrementa ad ventrem conuocabit, accidétque vt quod tanquam diureticum dabatur, per accidens vomitorij & deiectorij vices gerat: ſed cum magno hominis malo, cùm non facultate tractoriâ purget, ſed exulceratoriâ corrumpat. Quid ergo agendum? Certè vacuandum totum corpus priùs, reuellendúmque & deriuandum, mediocribus & vomitoriis & deiectoriis ꝓtendum, deinde medicamentis quæ peculiariter reſpiciant veſicam. Hæc verò erunt qualia paſſio deſiderabit. Si enim affectus ſit ardor aut vlcus, nunquam diureticis eſt opus, niſi exiguis, quæ cum aliis medicamentis deducendi ea ſolum causâ admiſceantur. Vlcera enim petunt ſiccantia; ardor, temperantia; vtraque verò horum deducuntur à quibuſdam diureticis. Si verò morbus ſit cacochymia earum partium citra dicta duo mala, aut inflammationem nondum inclinantem, diureticis eſt agendum. Præferenda verò ſunt mitiora exulcerantibus, vacuato iam expurgatóque corpore. Huic igitur veſicam laborare ſcabie ob cacochymiam partim pituitoſam & ſalſam, partim bilioſam & acrem, indicant ſymptomata, & excreta. Scabiem enim indicabant, pruritus qui ad pudendum quoque pertingebat, & dolor quem ſentiebat cùm inciperet & cùm deſineret mingere: fuiſſe verò cauſam pituitam ſalſam, quòd viſcoſam vrinam mingeret, & puri ſimile quid euomuerit. Quod ſanè pus non fuiſſe conſtat (quæ enim ſuppuratio in ventre rumperetur?) ſed crudum ſuccum candore & craſſitie puri ſimilem. Itaque pituita erat, hanc ſalſam eſſe ipſa vrinæ computreſcentia fecit, indicauit verò mordicatio quæ etiam bilem referebat, præterquàm quòd copioſo etiam vomitu eſt reiecta. Dolore verò incipiente & deſinente mictu, omni exulcerationi aut corroſioni viarum vrinæ commune eſt. Dolores enim non cientur, cùm ſentientes partes ſucco mordente plenæ ſunt, ſed cum primum perfunduntur, vt incipiente mictu, neque quum quietæ ſunt, ſed quū mouentur, vt deſinente mictu, quia ſeſe exprimunt. Vtrunque enim dolendi occaſio eſt, primus occurſus incipiente, & expreſſio deſinente mictione. Huic, cùm quiduis agendum eſſet potiùs, datum eſt diureticum vehemens [cantharides arbitror, aut aliud quippiam tale) vnde euenit ob medicamenti malignam vim, & corporis magnam cacochymiam vt exulceraretur (venter maligno vlcere & vreretur, ac proinde viribus diſſolutis, & toto corpore refrigerato, & cùm nullum cibum neque potum (hoc enim euenit ita affectis, etiamſi vrantur) aſſumere vellet, moreretur.

VXor Antimachi Lariſſæ vterum geſtabat quinquaginta circiter diebus, & reliquo tempore præ faſtidio à cibo abſtinebat, & ſeptem diebus vteri & oris ventriculi dolore afficiebatur, & febris eam corripuit, ex quo tempore nihil deyciebat. Huic propinatum eſt medicamentum purgans vehementius quàm oportuit, & euomuit bilem aduſtam propter cibi abſtinentiam & febrem, neque enim vllo vtebatur potu, paucam autem & violenter

vomuit

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 246 sur 489

©BIUM

vomuit & grumoſam. Ac poſtquam commota eſt, eam deijciebat, & debilitata videbatur, nec epotâ aquâ voluit euomere. Poſteà autem ventrem inferiorem vehemens dolor corripiebat, exulceratus enim fuerat à medicamento, & ſtatim poſt ſtercus ſubcruentum quid ramẽto ſimile deiecit. Semper autem augebatur & debilitas & anxietas, & vſque ad quinque cotylas expurgata erat. Subſtitit autem aluus multâ aquâ ventri affuſa, nihil quippe aliud poterat admittere. Mortua eſt circa mediam noctem. Viuere autem poſſe videbatur, ſi potuiſſet aquam bibere, & ſtatim ante medicamentum epotum vomere,

Mulier hæc cùm vtero gereret ferè iam dies quinquaginta, correpta eſt dolore vteri & oris ventriculi (nam hanc partem vocabant veteres cor, & hæc plurimùm ad compaſſionem cum vtero trahitur) & febre, quæ ſeptem diebus ipſam tenuerunt. Erant verò illi hæc ſymptomata, præ faſtidio vix quicquam capere poterat (quod non illis ſolùm ſeptem diebus, ſed reliquo etiam prægnationis tempore contigit) & eo tempore (quo febricitabat ſcilicet) non deijciebat. Huic datum eſt pharmacũ expurgans vehementiùs quam oportebat. Octauâ arbitror die. Nam mortua eſt mulier eadem die qua accepit pharmacum, ægrotauit autem ſeptem diebus. Aut ergo ſeptima ipſa accepto pharmaco mortua eſt, aut quod eſt magis conſentaneum, exactis ſeptem diebus febris, datum eſt pharmacum octauâ. Nam non erat rationi conſonum, ipsâ ſeptimâ, non expectata mutatione, ſi quam dies afferret, pharmacum dare. Datum ergo eſt die octauâ, & euenit, vt euomeret bilem combuſtam. Combuſta enim fuerat & præ cibi abſtinentia, & à febre. Non mirum autem adeò exuſtam eſſe. Nam non ſolùm abſtinebat à cibo, ſed neq; potu vtebatur vllo. Quoniam autem cibus & potꝰ bilis feruorem temperant, conſtat eorum abſtinentiâ exuri acrioremq; fieri, præcipuè accedente febre. Vt hinc cõſtet, non admodum arcendos ab aqua eſſe, eos qui ex ſincera bile febricitant. Eius enim ſucci, vt alio loco monſtrauimus, alteratio, vſtio eſt potiùs quàm putreſcentia. Quare cùm concoctio cõtraria non ſit vſtioni, vt putreſcentiæ, in talibus ab attemperatione expectandum auxilium eſt potiùs quàm à cõcoctione: quare aqua largiùs vtendum. Hæc ergo mulier cùm neque potu vteretur vllo, non mirum exuſtam illi fuiſſe bilem. Euomuit ergo violẽter paucam bilem, & in grumos coactam (craſſeſcit enim vſtione etiam bilis, ſitque vitellis quorũ ſimilis) deinde verò (hoc eſt, poſt difficilem illam paucæ bilis vomitionem) commota eſt iterum, & conturbata, & emiſit ipſam copioſiùs. Non tamen ſubleuata eſt, neque meliùs habere cœpit, ſed videbatur debilitata. Et cùm daretur ei aqua tepida, vt facilius euomeret, & ſi quid malignum aut medicamenti, aut humoris ventriculo hæreret, reijceret, nolebat accipere, quia arbitror non poterat ob magnam ventriculi & gulæ corruptionem. Deinde deſcendente pharmaco corripuit illam dolor alui vehemens, exulcerata enim eſt à pharmaco, vt par erat: exulceratis inteſtinis, deiecit poſt ſtercus (hoc.n. omnium primum exit in purgationibꝰ) ſubcruẽtum, & ramentoſum, ex fruſtulis ſcilicet inteſtinorum, quæ excidebantur. Creſcebat verò malum, & ſemper augebatur, dolor ſcilicet maior & debilitas, & anxietas. Non quidem hæc ob magnitudinem vacuationis, erant enim expurgationis præter ſtercus quinque cotylæ, ſed ob ingentem vſtionem, & magnam malignamque exulcerationem. Quod quidem à iuuantibus & nocentibus cognoſci poterat, nam ſiſtebatur aluus, & miteſcebant dolores aquâ multâ affuſâ ventri, & nihil aliud poterat admittere. Nimirum conquieſcebat feruor occurſu aquæ frigidæ, non potuit tamen affectionem ipſam curare, neq; mortiferam pharmaci vim extinguere, ſed mortua eſt circa mediam noctem. Mirum ſane eſt hanc non abortiſſe dato pharmaco vehementi, cùm ne expurgans quidem vllum, niſi in maximo diſcrimine dari debeat ſecundo prægnationis menſe. Sed id fortaſſe factum eſt, quia præuenit mors, alioqui non potuiſſet non corrumpere fœtum. Videbatur (inquit) poſſe viuere, ſi potuiſſet bibere aquam & vomere, antequàm deglutiſſet, non quidem antequàm vllo modo deglutiſſet. Nam quî poſſet vomi, quod non eſſet deglutitum? Sed antequàm aqua in fundo ventriculi reſediſſet. Maximũ profectò remedium vbi, vehementius quàm oporteat medicamentũ datum eſſe ſentitur. Id non fieri deberet in hac atq; adeò in alijs omnibus, antequàm pharmacum ad inteſtina deſcenderet, poſtea enim clyſteribus attemperantibus & extergentibus inſtandum fuiſſet potiùs, vt in dyſenteria, atq; interim affuſione aquæ frigidæ. Sed conſidera Hippoc. non dicere videri poſſe viuere, ſi bibiſſet aquam & vomuiſſet, ſed ſi potuiſſet bibere. Nam etiamſi coacta arte quapiam aquam in ventrem recepiſſet, atque ita vomiuiſſet, non potuiſſet, quantum ſuſpicor, tantopere iam læſo ventriculo, liberari. Verum ſi potuiſſet bibere, ventriculus multò minùs læſus eſſet, atque ita potuiſſet viuere. Itaque aquam bibere, & vomere remedio fuiſſet, poſſe bibere fuiſſet minoris noxæ ſignum, vt non poſſe fuit pernicioſum.

Lariſſæ Oneſidemi famulæ exulceratus eſt venter & inteſtinum à bile ſponte commota, & bilis ſanguiſque ſurſum & deorſum prodibat, febriſque detinebat. Huic debili datum eſt in potu medicamentum deorſum purgans, debile, aquoſum, & paucum, ex quo multùm vomuit, & plura prodierunt per inferna, & veſperi redierunt. Poſtridiè verò febris aderat, ſed debilis. Venter autem exulcerabatur, eademque adhuc egerebat. Tertiâ autem die mortua eſt ſub veſperam, febre admodum vehementi correpta. Hæc autem videbatur omnino moritura, minimè verò quandiu epotâ aquâ frigidâ vomitus detinuit. Poſtquàm autem refrigeratus eſt venter ſuperior, & aquâ perpurgatus, ſuccus frigidus propinatus eſt, idemque per clyſterem infuſus.

Mira morbi celeritas, & mira etiam diligentia medicorũ, qui tribus diebꝰ tam multa circa ægrotãtem fecêre. Qui etſi morbum ſuperare non potuerint, quòd is eſſet omnino inſuperabilis, tamẽ hac cauſa

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 247 sur 489

commendandi ſunt, quòd morbi impetum agnoſcentes, pari celeritate properarunt auxiliis inſtare. Paſſa eſt hæc citra vllam externam occaſionẽ, quod poſtremis diebus vxor Antimachi à pharmaco. Nimirum bile pernitioſa commota ſpontè, & influente in ventriculum & inteſtina, ea omnia exulcerata ſunt adeò, vt ſurſum ac deorſum prodirent bilis & ſanguis. Fuit itaque hic cholera morbus, verùm cum febre, eáque tertiana continua. Solis enim tribus diebus licet eam figuram animaduertere, cùm primâ die febris ipſam tenuerit, quæ poſtridie debilis facta eſt, tertiâ autem rurſum corripuit admodum vehemens. Figura febris ſequuta eſt communem conditionem bilis, ſed exulceratio tanta repentè facta eſt ob illius qualitatem deleteriam. Eſtque hoc magnum quoddam exemplum venenorum, quæ in noſtris corporibus ſpontè gigni ſolent. Sed quæ acta ſunt conſideremus, vt enim raræ vehementiæ fuit morbꝰ, ita raro quodam medelæ genere eſt curatus. Huic mox in ipſa prima die datum eſt pharmacum deorſum purgans, non ſanè vehemens, vt vxori Antimachi, ſed debile, quia & ipſa erat debilis, Datum verò non ſolidum, ne fortè partibus hæreret, ſed potabile & aquoſum; hoc eſt, in aqua diſſolutum, vt facilè elaberetur. Paucum autem, quòd multum non videretur poſſe ſuſtinere. Vomuit ab eo multùm, & plura prodierunt per inferna, proindéque, vt fieri ſolet, ceſſauit prior aliquantiſper vacuatio. Quoniam verò exulceratæ fuerant internæ partes, non potuit ceſſare fluxio, atque ob id veſperi eadem die redijt vomitus, & deiectio. Poſtridie febris aderat, ſed debilis, venter autem adhuc vlcerabatur, & egerebat eadem, putà bilem & ſanguinem. Tertia die febris ipſam corripuit valdè fortis, à qua ea die mortua eſt. Hæc (inquit) videbatur omnino moritura. Hoc eſt nulla ratione videtur ſeruari potuiſſe, ſed fuiſſe morbum omnino inſuperabilem. Minimè verò quòd aquam frigidam bibiſſet, hoc eſt, minimè verò videbatur moritura, quòd aquam frigidam bibiſſet; atque omnino refrigerantibus vſa eſſet. Imò verò ſi ſeruari potuiſſet, hac maximè ratione eſſet ſeruata, quia fuit curatio accommodatiſſima in tanto bilis feruore, curatione adeò refrigerante vti. Continet igitur hic modus dicendi commendationem curationis, & hanc argumentationem. Morbus hic erat inſuperabilis, quia non eſt mortua ægra ob curationem quæ adhibita eſt, imò verò hâc fuiſſet ſeruata, ſi ſeruari potuiſſet. Sed quæ fuerit hæc curationis ratio explicemus, Datus eſt illi potus copioſiſſimus aquæ frigidæ, adeo vt non bene ventriculo caperetur, & ob id euomeretur, & poſtquàm ita eſt refrigeratus ſuperior venter, & per aquam purgatus, rurſum quantitate minori datus eſt, vt retineretur ſuccus frigidus, vt gelida aqua, aut ſuccus aliquis refrigerans, vt plantaginis, aut roſarum, aut vuæ acerbæ. Et idem ſuccus per clyſterem infuſus eſt. Hæc omnia meritò fiebant, vt, ſi fieri poſſet, tam ardenti bili æquali refrigeratione occurreretur. Acta verò fuerunt hæc ſecundâ & tertiâ die, prima enim non potuerunt ſimul cum expurgatione. Curatum ergo imprimis eſt ſucci copiam minuere, mox occurrere eius qualitati. Verùm fecit humor morbum incurabilem, antequàm poſſent medici arte repugnare. Vide quàm diuerſa fuerit ratio curandi hanc famulam Oneſidemi, & virum illum quem Athenis cholera corripuit, cùm eodem laborarent morbo. Vt intelligas quantò meliùs doceatur medica praxis per exempla, quàm per capita morborum.

Lariſſæ Eudemus hæmorrhoidibus torquebatur admodum vehementibus & diuturnis, cùm exanguis eſſet, bilis commota eſt, ex corpore tamen mitiùs ſe habebat, & aluus deorsũ turbata excernebat biliosa, & hæmorrhoides intumeſcebant. Cùm medicamentum deorſum purgans hauſiſſet, purgatus eſt egregiè, ſtatimque ptiſanæ ſuccum ſuperbibit, & adhuc conturbabatur, dolórque circa hypochondria conſiſtebat. Illius hæmorrhoidibus manus admota eſt, cùm aluus quodammodo male afficeretur, ſed curatione indigeret, quin etiam vomuit: deinde verò accedente cancro febris corripuit nec dimiſit donec moreretur. Quandoque etiam cùm rigor ſubripiens dimiſiſſet, febris acceſſit, & bilem deiecit, & flatus partim prodibat, partim intus remanebat, & venter dolebat. Hæmorrhoides verò extra anum prominebant, quæ alio tempore à purgationibus inceperant, & flatus per ipſas prodibat, cuius principium à ſternatamento oriebatur.

Hic mortuus eſt ab hæmorrhoidibus intempeſtiuè curatis per chirurgiam. Quia cùm bilis in corpore alioqui cacochymo agitata eſſet, primùm ſpontè ac per ſe, deinde etiam pharmaco deorſum expurgante, & non eſſet perfecta purgatio, ſed adhuc aluus curatione indigeret, tentata eſt curatio chirurgica hæmorrhoidum, cùm oporteret priùs perpurgare corpus, & bilis motum ſedare, & aluũ liberare à noxa, ſi quam bilis intulerat. Euenit ergo, vt exciſæ hæmorrhoides, aut vſtæ cancro tentarentur. Cùm illæ non eſſent intra ipſum inteſtinum, ſed in podice exterius, vt quædam etiam ſolent, tamen fiſtulis perexiguis cùm inteſtino communicabant. Quo factum eſt, vt flatus per ipſas hæmorrhoidas exiret. Quod quidem primùm ſentiebatur ſternutando (quia commouentur concutiunturque ſternutatione omnia) deinde verò etiam citra hunc motum. Ex cancro eius partis excitata eſt febris, ac febre & corruptione procedentibus, mortuus homo eſt. Hippocrates libello de hæmorrhoidibus docuit duas rationes chirurgicas curandi hæmorrhoidas, alteram quidem vſtione non violenta, ſed ita vt ſuſtineri poſſit ſiccante, ferro candente non tangente hæmorrhoidas, ſed propè poſito: alteram exciſione. Hic non dicit quâ harum vſus Eudemus ſit, neutra ſanè vti debuit, antequam reliqua ventris mala, & bilis purgatio conquieſcerent, veriſimiliùs autem eſt, ſectione eſſe curatum, quia vſta quam ſciſſa minùs tentantur cancro. Accedit quòd erant hæmorrhoides externæ, & quæ facilè poterant curari ferro, vt non eſſet igne opus. Verùm præſenti hiſtoria admonemur, ne temerè permittamus hæmorrhoidas curari (periculosè enim tractantur ferro aut

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 248 sur 489

igne) ac nunquam prorsus non perpurgato corpore. Sed enarremus literam. Eudemus Lariſſæ hæmorrhoidas patiebatur admodum vehementes & diuturnas (non ſanè cæcas ſed fluentes multùm, ſiquidem exanguem ipſum fecerant) cùm exanguis eſſet, bilis commota eſt. Hęc verba plurimum videtur ſpectare ad illud quod Auicenna dicit, ſanguinem eſſe frænum bilis, ſiquidem velut cauſam reddens dicit, cùm exanguis eſſet bilis commota eſt. Quod certè hactenus verum eſt, quòd cùm ſanguis ſit ſuccorũ moderatiſſimus, alios omnes temperet, atque in illius penuria, alij omnes ſinceri fiant, & ob exorbitantes qualitates naturæ magis moleſti. Velut in hoc, quia erat hæmorrhoidibus factus exanguis, bilis moleſta eſſe cœpit naturæ partium, ac proinde commota eſt. Sed ex corpore tamen mitiùs ſe habebat, hoc eſt, reliquum corpus parùm læſit, ſed in aluum decubuit, atque ita aluus inferior turbata eſt, & excreuit biliosa, & hæmorrhoides qualitate bilis exeuntis exacerbatæ ſunt, & naturæ nixu intumeſcebant. Cùm hauſiſſet φάρμακον καθαρτικὸν, id eſt, expurgans per inferna (ponitur enim comparatiuum pro poſitiuo) purgatus eſt egregiè. Et mox ſuperbibit ſuccum. Non dicit quę ſuccum. Suſpicor huic datum eſſe, cùm putaretur iam bene expurgatus, ſuccum aliquem frigidum, vt fieri ſolet, atque vt famulæ Oneſidemi factum eſt, attemperandi gratiâ (is fuerit cremor ptiſſanæ) & magis perturbatus eſt, vt pote non perpurgatus. Et dolor conſiſtebat circa hypochondria, quod multos ſuccos in medio fluxu conſtitiſſe, atque hæſiſſe circa hypochondria ſignificabat. Huic manus admota eſt hæmorrhoidibus, hoc eſt, chirurgica curatio hæmorrhoidum adhibita eſt, cùm nondum aluus bene ſe haberet, ſed adhuc indigeret curatione corporis totius & alui. Et vomuit, in ipſa arbitror chirurgica curatione, præ anxietate & perturbatione. Quod iam hinc ſignificabat difficultatem eius curationis, & malam tolerantiam, atque adeò inteſtina læſa eſſe per conſenſum cum podice, & ventriculum per conſenſum cum illis. Quæ ſanè omnia inde nata ſunt, quòd aluo adhuc malè habente, curatio illa laborioſa tentata ſit. Sed quod omnium fuit grauiſſimum, deinde accedente cancro in parte qua exciſæ ſunt hæmorrhoides, febris hominem corripuit, & non dimiſit donec occideret. Quod factum eſt bile atra & maligna, quę in corpore adhuc cacochymo abundabat, ob dolorem & exulcerationem, eo accurrente, & faciẽte vlcus cancroſum, & proximas partes exedente. Sunt verò ibi partes, quarum exeſione citò quis mori poſſit. Nam inteſtinum, & veſicæ ceruix. Non tamen hæc tam citò exeſa ſunt, neque homo tam breui mortuus, quin aliquot dies durarit cum febre & cancro. Quibus diebus etiam tenebatur dolore ventris, ex bile & flatu, quæ partim exibant, partim intus manebant, vtraque ratione cruciantia. Bilis verò ob cacochymiam corporis influebat in inteſtina, flatus ob debilitatem naturalis caloris gignebatur, quandoque verò, hoc eſt, aliquibus diebus inordinatè intercurrebat rigor, & eo ceſſante febris veniebat: velut paroxyſmi febrium erraticarum per febrem continuam intercurrentes. Cuius cauſa, & in bile eſſe poterat, & in cancro: in bile quidem, cùm inordinatè aliqua eius portio maior ſolitò & acrior moueretur, quæ mordicatione primùm fecit rigorem, putreſcentia deinde febrem. In cancro verò, cùm contingeret particulam aliquam acrioris ſenſus exedi. Dicit deinde quales eſſent hæmorrhoides, & qua ex cauſa fieri illi homini incepiſſent, & quouſque eſſent progreſſæ. Accidit hæmorrhoidibus eſſe magnis, aut paruis, multis, aut paucis, recentibus, aut inueteratis, internis aut externis, cæcis aut fluentibus. Tot cùm ſint hæmorrhoidum differentiæ, has dixit iam fuiſſe magnas, & diuturnas, & fluentes, nunc dicit fuiſſe extra inteſtinum rectum. Quot fuerint non dicit, non tamen adeò refert ſcire. Conſtat fuiſſe plures vna. Alioqui dixiſſet hæmorrhoidem. Dicit has alio tempore à purgationibus incepiſſe, hoc eſt, cauſam procatarcticam à qua ceperunt fuiſſe, quòd quondam ob alias affectiones purgationibus aſſiduis, aut clyſteribus, aut glandibus vteretur. Vt ſcias meritò multos horum vſum refugere, metu hæmorrhoidum. Primùm quidem igitur ex hac occaſione inceperunt, deinde verò vetuſtis factis euenit, quod multis ſolet, ex hæmorrhoidibus ad inteſtinum fiſtulas fieri, quod inde conſtare poterat, quòd flatus per ipſas prodiret. Conſtat verò fuiſſe fiſtulas tenuiſſimas, & vt euenire ſolet, inuiſibiles, quia flatus tantùm prodibat (alioquin exiuiſſent etiam fæces) ac multò magis in principio, hoc eſt cùm primùm fiſtulæ fieri cæperunt. Tunc enim non niſi per ſternutamentum prodibat, iuuante flatus impulſum illa concuſſione. Poſtea verò etiam ſine ſternutamento; fiſtulis ſcilicet factis aliquantulùm maioribus.

Lariſſæ vir quidam cominùs haſta lata vulneratus eſt à tergo, & mucro infra vmbilicum penetrauit, & cum liuore & tumore multum percurrit ſpatium. Poſtquàm autem vulneratus eſt, dolor vehemens primarias partes occupauit, & venter intumuit. Cùm huic propinatum eſſet medicamentum deorſum purgans ſubcruentum quid paucum egeſſit, & mortuus eſt. Huius inteſtina non eſſe ſana, & venter ſanguine repleri videbatur.

Certè luce clarius erat, huic homini tranfixa eſſe inteſtina, ac venas multas diſruptas, effuſumque interiùs ſanguinem, & ex loco quo tranfixus eſt, & ex teli magnitudine, & ex liuore & tumore qui ſub vmbilico per bonam partem hypogaſtrij decurrens conſpiciebatur, & ex dolore ingenti, & ventris tumore. Qua propter ille meritò mortuus eſt poſtridiè, & expurgatio temerè tentata eſt, cùm fuiſſet potiùs nihil agendum, vt in manifeſtè morituro homine. Ego verò, vt in initio huius libri quinti dixi, nihilominùs puto, non omnia quæ hic narrantur facta, Hip. feciſſe, ſed quædam ipſum, quædam alios, eum verò omnia, quæ in eius notitiam peruenerint, experimenti cauſâ notaſſe, & rerum euentus.

Apelleus Lariſſæus annos natus ferè triginta aut paulò minus morbo detinebatur, quo noctu magis per ſomnum quàm in-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 249 sur 489

©BIUM

terdiu corripiebatur & annos ferè duos ante mortem ægrotabat. Vomebat autem bilem rufam aliquando quum exitabatur, vomebat etiam nigram. Hic cùm purgatione capitis admodum vehementi vſus & permultam tempus purgatus eſſet, & medicamentum bis bibiſſet, ſex menſes tranſegit. Erat autem edax, & corpus habebat biliоſum, poſtquàm nultùm luctaſſet, magnopere riguit, & febris corripuit, morbuſque noctu inuaſit. Poſterâ rurſuſque alterâ die ſanus eſſe videbatur: ſequenti verò nocte cùm cænaſſet à primo ſomno morbus inuaſit, tenuitque per noctem & diem vſque ad horam cænæ. Mortuus eſt antequàm mentis compos eſſet. Primò conuellebantur dextræ partes & facies & reliquum corpus, deinde ſiniſtræ; & cũ quiet⁹ eſſe videretur, comate & ſtertore detinebatur, rurſuſq; morbus ſuccedebat.

Hic iuuenilem ætatem agens, morbo comitiali ex bile & melancholia, per conſenſum arbitror cum ventriculo, correptus eſt, quo per duos annos ægrotauit, donec mortuus ſit. Nimirum morbus comitialis inter alios familiaris eſt iuuenili ætati, vt in aphoriſmo tertiæ particulæ dicitur, præcipuè verò qui ex bile vſta eſt. Non enim quia non conuellebatur mox totum corpus, ſed dextræ partes primùm, & facies & reliquum corpus (ſecundum idem ſcilicet latus) deinde etiam ſiniſtræ, putandum eſt non fuiſſe morbum comitialem. Qui enim alius eſſet, cùm eſſet paſſio apoplectica cum tanta partium conuulſione? Certè ſæpe occurrunt multi tum pueruli, tum grandiores, quos epilepſia laborare medici omnes dicunt, quòd ſecundùm alterum latus, aut ſecundùm partes quaſdam, non autem toto corpore conuellantur. Neque immeritò, vt enim febris quodcunque genus, & alius quicunque morbus poteſt eſſe exquiſitus, aut non exquiſitus, ita paſſio quæcunque apoplectica, tunc dicitur eſſe exquiſita, quum eius definitio exactè ei congruit: cum verò aliquid deficit, non exquiſita: ea tamen eſſe dicetur, cuius rationem maximè aſſequitur. Velut ſiquis ſine ſenſu & motu libero cadit, toto corpore concutitur, exquiſita epilepſia laborat: ſi verò altero tantum latere conuellitur, epilepſia etiam laborat, non tamen exquiſita. Dicitur tamẽ meritò epilepſia, quòd ſit apoplectica paſſio cum conuulſione. Atqui fortaſſe, vt omni epilepſiæ congrueret, eſſet potior definitio hæc, paſſio apoplectica cum conuulſione, quàm conuulſio vniuerſalis. Eueniebat huic quod in multis epilepticis fieri vidimus, conuulſiuum motum non eſſe perpetuum toto paroxyſmo, ſed interrumpi quadam quiete, nihilo meliori ipſo concuſſionis motu. Iacent enim plurimi illorum vt mortui ſine ſenſu & motu, & ex quibuſdam interuallis concutiuntur, vt quodammodò vnus paroxyſmus ſit, quodammodò multi & repetentes. Nam obſtructio ita iacentibus ſoluta non eſt, alioqui redirent ad ſenſum, conuelluntur autem ex interuallis. Huic ita eueniebat. Corripiebatur autem magis in ſomno noctu, quàm diu & vigilans. Quod ſanè leuioris paſſionis erat, quàm ſi contrà fieret. Nam cùm ſomnus fiat obſtructione quadam cerebri, & apoplecticæ omnes paſſiones maiores obſtructiones illius ſint, certè ipſe ſomnus, alioqui paratos, ad ipſas paſſiones poteſt trahere, vſque adeò. n. cum illis habet analogam naturam, vt ipſe ſomnus factus profundior, & ſolutu difficilior, in apoplecticam paſſionem degeneret, & incubus à catocho hoc ſolùm diſcrepet, quod dormientiũ ſolùm ſit. Quæcunque ergo apoplectica paſſio inuadit vigilantes, vehementior ob hanc cauſam eſt, quã quæ dormientes. Hic igitur cũ ad cerebri obſtructiones paratus eſſet, ſomno profundo capiebatur, & ob hanc cauſam conuulſione, quæ cum interquieſcebat, ſomnus profundus cum ſtertore ſupererat, qui & ipſe erat apoplectica paſſio, ab exquiſita apoplexia quam minimùm diſtans, & rurſum redibat conuulſio. Fuiſſe hunc morbum per conſenſum cùm ore ventriculi, & ex bile vſta, illud declarat, quòd cum excitaretur, ſimulque liberaretur à morbo, vomebat, aliquando bilem rufam, aliquando etiam nigram. Hic purgatione capitis admodum vehementi vſus eſt & per multum tẽpus, & medicamentum bis accepit. Hoc eſt, purgatus eſt bis medicamento admodum vehementi, & ex capite peculiariter educente, & purgatio durauit per aliquot dies, vt fieri ſolet cum vehementius pharmacum eſt acceptum, & his actis, ἐξ μῆνας ἀνω̃ν διέσχεν, hoc eſt, ſex menſibus non eſt correptus à morbo, cùm ſuperioribus decẽ & octo menſib⁹ crebrò corriperetur. Dices, quorſum datũ eſt pharmacum cephalicum homini per conſenſum cum ventriculo laboranti? Aut rurſum dices, non laboraſſe per cõſenſum cum ventriculo, quando quidẽ pharmaco cephalico adeò adiutus eſt. Sed ſcire oportet, partes quæ grauiter per conſenſum cum aliis laborant ob ſuccum aliquem aut vaporem qui tranſmittitur, per ſeſe non eſſe ſanas [nam alioqui non comparerentur] ſed habere in ſeſe morboſum apparatũ ob quem facilè in compaſſionẽ trahuntur: præcipuè autem quum morbus iam eſt inueteratus. Omnis. n. ſympathia diuturnitate tranſit in idiopathiam. Ob hanc ergo cauſam capitis expurgatio huic profuit. Verùm cum prima morbi radix non eſſet extirpata, recurrit maligniùs. Fuiſſe verò morbum hunc in cerebro per conſenſum cum ventriculo, & in hoc per conſenſum cũ toto corpore, conſtat ex ils quæ ſubdit, narrans cauſas quibus morbus lethaliter rediit dicens, erat autem edax, & habebat corpus biliоſum, poſtquã multùm luctaſſet magnopere riguit. Itaq; quia erat edax ventriculus afficiebatur, & quia erat corpus valdè biliоſum, confluebat in illum bilis, & cùm ob voracitatem, & ob malam corporis naturam multa excrementa collegiſſet, poſt luctam vehementem, rigore & poſt eum febre correptus eſt, agitatione & putreſcentia excremẽtorũ, & morbus comitialis rediit in noctem. Sequenti autem die & rurſum altera die, videbatur ſanus eſſe & ſine febre, ſequenti verò nocte cœnauit lautè, & inuaſit eum poſt cœnam morbus, tertia. ſ. nocte (vt erat biliоſus) poſt primum ſomnum, & tenuit eum viginti quatuor horas, noctem & diem, vſq; ad horã cœnæ, & mortuus eſt antequàm ad ſe rediret, hoc eſt. cum expectaretur fore vt tunc mentis compos fieret, vt ſolent qui ab apoplecticis paſſionibus euadunt, mortuus eſt. Hic certè ab exercitatione, & ab intempeſtiuis cœnis, læſus magnopere eſt.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 250 sur 489

A

EVmelo Lariſſæo riguerunt crura, & manus & maxillæ nec poterat extendere aut flectere, niſi alius flecteret aut extenderet, neque maxillas diducere, niſi alius diduceret. Nec quicquam aliud dolebat, neque comedebat niſi mazam, & mulſam bibebat. Vigeſima die ſedens cecidit ſupinus, & caput vehementer ad lapidem alliſit. Et ipſi caligo B *offuſa eſt. Et paulò poſt reſurgens ſanus erat, & ſoluta ſunt omnia, præterquam quòd poſt ſomnum, quum excitabatur, aliquantùm colligati erant articuli. Annos autem natus erat duodecim aut tredecim, ægrotauit autem tres aut quatuor menſes.*

Sæpiſſimè euenit vt paſſiones quædam tardæ, & ſolutu difficiles, ſuperueniente aliqua alia acuta & graui ſoluantur, ſitque acuta paſſio tardarum iudicatio, citò ſcilicet inſumpta materia, quæ antea lentè moleſta erat, & noxia. Velut huic puero euenit, qui cùm tres iam aut quatuor menſes malè haberet ſecundùm articulos, & difficilè moueretur, poſtremò cœpit malum ingraueſcere, adeò vt haberet crura rigida, & manus, & maxillas, ita ſcilicet vt non poſſet extendere aut contrahere, niſi alius contraheret, aut extenderet, neque poſſet os aperire aut manducare diducens maxillas, niſi alius diduceret, ac proinde vteretur ſolùm maza, pulticula ſcilicet ex polenta & aqua, & mulſam biberet. D Vigeſima die ex quo cœpit rigidas habere partes, cùm ſederet, caligo ipſi offuſa eſt, vaporibus craſſis qui diſtentos tendones muſculorum in artibus & maxillis tenebant, caput occupantibus, & cecidit in occiput, & caput vehementes ad lapidem alliſit. Et ſine ſenſu ac motu, vertigine propè accedente ad apoplecticas paſſiones, tantillum fuit, ſed mox cerebro, vt eſt membrum nobile & proinde forte, diſcutiente flatus, ſurrexit, & ſanus erat, hoc eſt mox ſanum ſe ſenſit, non ſolùm ab hoc paroxyſmo, ſed & à priori malo. Soluta enim ſunt E omnia, præterquam quòd deinceps recens excitatus à ſomno, aliquantulum videbantur eſſe articuli ligati. Nimirum contraxerant huius articuli debilitatem, ſomnus verò vaporum effluuia cohibet, quos imbibentia ligamenta faciebant vt articuli viderẽtur colligati, donec vigilia vapores abſumeret, & articulos laxaret. Triſtis ſanè abſceſſus eſt, qui in membrum adeò princeps fit, fit tamen etiam hic ſæpe vtiliter. Atque adeò in omnium morborum paroxyſmis, eorum materia copioſiùs abſumitur. Nam & in febribus nox quæ paroxyſmum antecedit grauis eſt, quæ verò ſubſequitur magna ex parte leuior exiſtit, & epilepticos etiam vidi ſæpè, aliquot diebus antequàm paroxyſmo corriperentur, ex grauitate quadam corporis, & diſplicentia ſuum malum præſentire, ſequentibus verò hilariores eſſe, ac velut ab incumbente pondere liberatos. Hoc idem euenit huic ægroto, qui cùm duodecim annorum eſſet, puerilibus adhuc morbis erat opportunus, in quibus ſunt omnes qui ad cerebrum ſpectãt, qui in adoleſcentia ſolui ſolent ætatis mutatione.

LAriſſæ virgo cùm paucum ſanguinem euomuiſſet, purulenta facta eſt, à febribus ſuperuenientibus non eſt liberata, donec deſierit, mortua eſt tertio menſe. Ante mortem autem obſurduerunt aures, nec audiebat, niſi quis valdè exclamaſſet. Verùm ante ſanguinis vomitum debilis erat.

Aphoriſmo. 37. ſectionis ſeptimæ ita eſt ſcriptum. Quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. Galen. in commentatione dicit, febres cum ſanguinis vomitu ſignificare inflammationem ventriculi, non qualemcunque, ſed magnam & ſemper augeſcentem: ſcimus verò inflammationes maximas ſuppurari ſolere, maximè quæ in ſuprema parte ventris conſiſtunt. Nam vt in prognoſtico dicitur. Tumores qui in hypochondrio ſunt magis faciunt abſceſſum, quàm qui in ventre, minimè verò qui infra C vmbilicum. Quia vt ſexto hui⁹ operis dicetur. Suppurationum vmbilicus eſt terminus. Hęc ſanè virgo ſine febre cœpit ſanguinem vomere, & vomuit non multùm, ac febris ſuperuenit continua, quod apertè indicat, etſi inflammatus ventriculus non eſſet, cum incepit vomitus, tamen mox accurrente pluri quàm euacuaretur ſanguine, ſuperueniſſe inflammationem magnam vẽtriculi, ex quâ dictas ob cauſas facta eſt purulenta. Meritò ergo non liberabatur à febre, neque ſanè liberata eſt donec tertio menſe obierit, hectica arbitror facta, vt ſolent qui purulenti moriuntur. Nam primum quod ſuppuratis accidit, vt in prognoſtico dicitur, eſt, febrem non dimittere. Ante mortem obſurduerunt huic aures, quod humoris in caput raptum ſignificat, eſtque lethale, quum non indicat inſtantem fluxum ſanguinis ex naribus, aut parotydes. Hęc verò fiunt cum facultas eſt robuſta, qualis ſanè huic non fuit, quia etiam longè ante ſanguinis vomitum erat debilis. Atqui fortaſſe ob hanc ipſam cauſam ex ſuppuratione in ventriculo mortua eſt, cùm alioqui ſoleant qui bona ætate ſunt, vomitione puris & ſubductione liberari.

LAriſſæ famula Dyſeridis adhuc iuuencula, cùm venere vteretur, vehementi circumcirca dolore afficiebatur, aliàs verò indolens erat, nec vnquam concepit. Sexaginta autem annos nata poſt meridiem dolebat vehementer velut paritura. Cùm autem ante meridiem multum comediſſet porrum, & dolor omnium præteritorum vehementiſſimus ipſam corripuiſſet, exurgens aſperum quiddam in vteri ore contrectauit. Deinde cùm iam animo linqueretur, alia mulier immitens manum extraxit lapidem aſperum, fuſi verticulum æquantem, & ſtatim ſana facta eſt, poſteaque permanſit.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 251 sur 489

Optimum exemplum eorum quæ in noſtris corporibus generantur præter naturam, miraculis ſimilia. Gigni enim in renibus, aut veſica, lapidem non eſt rarum, vt pote morbus eorum naturæ congruens, adeò vt Gal. primo de locis affectis dicat ab iis quæ præter naturam in partibus generantur argumentum ſumens, ſi lapis eſt, affectionem pertinere ad renes aut veſicam, quaſi in nulla alia parte poſſit generari: verùm generari in vtero rarum eſt, non tamen impoſſibile, ſiquidem & in colo gigni alij affirmant, & ex recto inteſtino magnum lapidem ſe extraxiſſe, mihi quidam narrauit. Atqui profectò in ſolis vrinę viis gigni poſſe nulla euidenti ratione monſtrari poteſt. Quare huic mulieri in vtero gigni potuiſſe non negauerim. Miror multò magis pondus hoc alienum tandiu eius partis naturam ſuſtinuiſſe, ac poſt modum mulierem iam ſeneſcentem potuiſſe pellere. Verùm quæ rara ſunt non admodùm communes rationes ſequi poſſunt. Huic vt aliis ſolet in veſica, ſic in vtero congeſtione craſſorum ſuccorum genitus lapis eſt. Qui, cùm iuuenculæ adhuc venere vteretur, motu impulſúque vteri in ceruicem trudebatur, & magnum dolorem circumcirca os vteri faciebat, vterò enim turgeſcente, & lapide duritie & aſperitate partes internas ceruicis collidente, neceſſe erat in ambitu, & partibus cum quibus alligatur, dolores ſentiri. Alioqui verò lapide in interno laxoque vteri ſpatio exiſtente, ſine dolore erat mulier. Nam & iis qui in veſica habent lapidem perinde euenit: Dolore cruciantur inter mingendum, alioqui ſine dolore ſunt, niſi lapis ſit magnus, atque tunc quoque ponderis ſolum habent ſenſum. Huic verò iuuenculæ adhuc non fuit lapis magnus, poſteà enim tam multis annis magna ei accretio fuit facta. Hæc nunquam concepit, neque immeritò. Nam ille lapis incidens in os, ſemen in vterum recipi prohibebet, & ſi quid receptum eſſet pellebat, velut ſi quid præter naturã in ventriculo eſt, cibos potuſque naturales vomitu pellit. Cùm itaq; adhuc eſſet iuuencula, ſine dolore erat, niſi cũ venere vteretur, facta autem ſexaginta annorum dolebat quotidie poſt meridiem ὡς ἀδίνουσα ἰσχυρῶς, quaſi ſcilicet paritura. Neque certè abſimile erat. Fiebant enim illi dolores haud dubiè, vt in parientibus, nixu facultatis expultricis vteri, ad extrudendum lapidem. Cauſa verò huius noui nixus fuit magnitudo, & duritiẽs lapidis noua, & debilitas maior retentricis, & vteri ariditas ac contractio, quæ ſenectutem conſequitur. Nam vterus corrugatus minùs iam capere, & debilis minùs retinere poteſt. Conſtat verò debilitatem retentricis, & maiorem quàm anteà moleſtiam, maioris motus expultricis eſſe cauſam. Fieri autem poteſt, vt facultas debilior (debilior enim etiam erat expultrix) cum maiori conatu plus efficiat, quàm fortior cum minori. Acceſſit medicamentoſa porri vis. Cùm enim quadam die ante meridiem multum porrum comediſſet, poſt meridiem cum ingenti dolore, omnibuſque qui anteceſſerant maiori, excreuit lapidem, ſiue caſu, ſiue medico quopiam ita conſulente porrum comedit, certè non præter porri facultatem fuit, quod ſubſecutum eſt. Nam Dioſcorides, de porro hæc dicit, vrinam ciet, menſes pellit, venerem ſtimulat. Ob hæc omnia, vim iuuandi facultatem vteri habet. Cùm igitur (inquit) dolor omnium præteritorum vehementiſſimus ipſam corripuiſſet, qualis ſcilicet eſſe ſolet quum iam fœtus erumpit, exurgens præ dolore aſperum quoddam reperit, id eſt, tunc primùm ſenſit in ore vterj, & cùm animo linqueretur præ dolore, & ipſa iaceret, alia mulier manu extraxit lapidem aſperum, magnitudinis verticuli eius quem extremo fuſi quo nent mulieres affigunt ad firmandum motum fuſi, & vt quietiùs circumuoluatur. Res eſt nota. Magnitudo eius quanta nucis, figura rotunda & plana. Mihi quidem hoc non contigit videre, certior tamen factus ſum, non multis antè annis, idem duabus mulieribus accidiſſe, altera erat virgo monachalis: altera, vt accepi vidua, quæ quia venere non vtebantur, habebant anteà ſolum dolorem grauantem vt ex lapide in renibus. Excreuerunt verò poſteà haud dubiè ex vtero, ſi vera narrata ſunt, vt famulæ Dyſeridis.

Malienſem currus onuſtus protriuit circa coſtas, & confregit coſtas, & aliquandiu infra coſtas pus ipſi ſubſtitit, ſub ſplenem vſtus eſt & penicillis adhibitis ad decem menſes peruenit. Reſecta verò cute foramen apparuit ad omentum vtrinque penetrans, & ad renem vſque & oſſa perueniebat putredo. Hũc corporis habitu bilioſum eſſe latuit, & multam in corpore eſſe ſiccam omenti & aliarum carnium putredinem, quas ſtatim oportebat proÿcere, ſi fieri poſſet medicamento ſicco, dum rubor aliquod homo habebat. Nam ab humidis non iuuabatur ſed putreſcebat, à linamentis autem inditis repreſſo humore rigor corripiebat & febris, magiſque putreſcebat. Affluebat autem iſtuc putridum quiddã ſubnigrum, graueolens. Priuſquàm autem curationem aggrederemur ſingulis ferè diebus multum foras pertranſibat, quod facilè non fluebat. Cognitum eſt morbi naturam procul à cute remotam eſſe. Quòd ſi omnia rectè adminiſtrata fuiſſent, tamen liberari poſſe non videbatur, etiamſi ipſum ventris profluuium corripuiſſet.

Multa huiuſmodi conſentaneum eſt accidere iis, qui cùm ex alto ceciderint, aut re aliqua dura aut graui incidente colliſi fuerint, primùm quidem pus colligunt, deinde exactis multis diebus tabeſcunt, aut etiam ſine tabe inopinatò moriuntur. Nimirum ſæpe rupturæ aut colliſiones manent interiùs ſub ſana cute, latentérque ſuppurationes, aut etiam malignæ partium putreſcentiæ fiunt, vnde multis poſt diebus euenit mori. Velut huic Malienſi, in quem cùm onuſtus currus incidiſſet ſupra coſtas, neque omnino contriuiſſet, & exanimaſſet (mirum profectò hoc eſt, euenit autem nonnunquam ob rapidam celeremque currus tranſgreſſionem) ſed coſtas confregiſſet, & mox (vt eſt veriſimile) fracturâ curatâ, factáque repoſitione, & agglutinatione, vt ſolet, ad decem peruenit menſes ab eo tempore quo colliſus eſt, & iis exactis obiit. Quid tamen interim actum ſit, & vt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 252 sur 489

malum processerit est notatu dignum. Post aliquot dies ex quo læsus homo est, pus sentiebatur ipsi subsistere, & interiùs latere, non intra thoracem, sed infra costas, ad lienis scilicet regionem, inter septum transuersum & coxam in sinistro latete. Non est autem mirum alia in parte ictum esse receptum, & alia esse pus collectum, cùm præcipuè ea quæ pus recipit, cum ea quæ læsa est, habeat rectitudinem, & accommodatum positum ad recipiendum inde. Quare consentaneum est huic in sinistro latere fractas esse costas, inde enim succus qui ad dolentem partem confluebat, non magnâ naturæ operâ, detrudebatur in inferiorem & debiliorem & secundùm rectitudinem positam partem. Cùm hanc ob causam puris collectio ea regione sentiretur, sub splenem vstus est, non quidem altè imprimis, quantum intelligo, sed inustus, vt ex pustulis paulatim expurgaretur pus. Et conseruabat vulnus quod inustionibus fecerat, linteis & ligaturis. Atque cùm diu ita permansisset, & res procedere in deterius videretur, tandem seriùs quàm oportuit, ad resectionem altam cutis chirurgi peruenerunt. Quâ resectâ cauernosum & putridum vlcus; exesis iam putrefactisque interiùs multis partibus, apparuit. Præcipuè verò apparuit ab vlceris ore duplex cauerna, per vtranque partem penetrans musculos abdominis, & peritonæum, & pertingens omentum. Neque certè in omento consistebat cauerna, sed demisso per eam specillo perueniebatur vsque ad renem, & vsque ad ossa coxæ aut etiam spinæ. Peruenit hic homo ad tantam corruptionem, quia latuit eius corporis habitum esse biliosum, & cum id medici non intellexissent, neglexerunt primis diebus expurgatione vti. Cacochymia ergo effecit tantam putrescentiam, vt esset intra corpus multa putredo sicca omenti, & aliarum carnium, musculorum scilicet abdominis. Putredinem siccam diximus iam anteà vocari ab Hippo. putrescentiam partium ipsarum, non resolutarum in saniem, sed liuescentium, & fœtentium. Eas ergo partes oportebat, si fieri potuisset statim medicamento siccò proijcere, antequam scilicet tantopere processisset malum, & dum adhuc homo robur aliquod habebat, nam quum sectus homo est, nullus curationi locus iam fuit, & ob morbi magnitudinè, & ob debilitatem virium. Nam ab humidis nihil remittebat malum, sed putrescebant magis partes. Hic ergo intelligo vocari siccum pharmacum ferrum aut ignem, aut causticum. Quibus enim aliis fit partium proiectio? Humida verò vocari non oleum solum aut pinguedinem (quis enim his in tanta putredine vteretur?) sed pulticulas omnes, & cataplasmata, & cerata, quæ etsi sicca facultate essent, vehementissimè id facere non possent. Nullo autem ita siccò vsi sunt, neque putrescentium partium proiectione, sed ceratis, aut pulticulis humidis, & linamentis ad siccandam partem, extergendumque pus. Ab humidis verò magis putrescebant. A linamentis verò inditis represso humore, hoc est, cum vtebantur linamentis ad siccandam saniem rigor corripiebat, & febris, & putrescebant magis partes. Rigor sanè quia particulæ aliquæ sentientes irritabantur: febris, quia calidum rigore in cor fugatum, emergere volens, corpus totum inflammabat (ita enim fit sæpe vt febris succedat rigori, etsi rigor non à succis putrescentibus, sed quacunque occasione cœperit) calor verò præter naturam auctus putrescentiæ maioris causa fiebat. Itaque omnibus quæ fiebant videbatur malum ingrauescere. Affluebat autem circa ora vulneris putridus quidam succus, subniger, graueolens, significans scilicet malignam putrescentiam. Dices fortasse, quomodo ergo erat sicca putrescentia, si sanies affluebat? Certè in alto erat omenti sicca putrescentia, circa ora erat sanies ex carnium alimento genita. Et ob id ante curationis aggressionem, hoc est, antequàm inciperet chirurgus curare, quotidie exibat multùm eius saniei, quia scilicet vlcus valdè humidum erat, & longè aberat à sano, ἴν' δ' ἐκ ἔυροον, hoc est, non habebat figuram idoneam neque accomodatam ad saniei expurgationem. Et cognitum (inquit) est, naturam morbi procul esse à cute remotam. Naturam morbi non video quid aliud significare possit, quàm ipsum vlceris principium & causam, ac velut fundamentum, quo morbus ipse nascitur & fulcitur. Velut si quis ob cruris imbecillitatem, aut vehementem motum, aut calorem in eo exulceretur aut phlegmonem contrahat, eius certè vlceris aut phlegmonis natura, seu ortus principium in ipsomet crure est: si verò crure nihil dictorum habente insigniter in sese, ob hepatis vitium id malum fiat, dicetur meritò habere alibi quàm in crure naturam. Itaque quod nunc dicitur est, id vlcus altiùs habere causam & principium quo fieret, & seruaretur, quàm in ipsa cute discissa: nimirum in toto corporis habitu qui erat biliosus. Ac proinde nulla cura, quæ circa solum ipsum vulnus adhiberetur curari poterat, sed opus fuisset ab initio corpus expurgare satis, ac deinceps partes quæ putrescere cœpissent, tempestiuè abscere. Verùm (inquit) πάντα ἂν ὀρθῶς πίοχων, hoc est, etiamsi omnia rectè ac secundùm artem circa ægrotum essent acta, tamen non videbatur liberari posse, etiam si ipsum diarrhœa corripuisset. His verbis insinuat, visum sibi esse morbum adeò insuperabilem, & ob vitiosum corporis habitum, & ob vlceris malignitatem, vt etsi omnia rectè essent acta à medico, atque etiam diarrhœa, quæ maximè videbatur posse cacochymiam tollere, superuenisset, superari non posset. Nimirum quidem morbi sunt per se insuperabiles; quantumuis medicus arte repugnet.

Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est decimâ sextâ die, cùm æstate media cominus lapide fuisset percussus secundùm suturas in medio sincipite: Hoc me latuit eum sectione indigere, deceperunt autem me futuræ in seipsis iaculi læsionem continentes, posteà enim manifestum fuit. Primùm quidem ad clauiculam, posteà autem ad latus dolor admodum vehemens exortus est, & conuulsio vtramque manum occupauit. In medio enim capitis & sincipitis habebat vlcus. Sectus autem est decima quintâ die, nec multum pus prodiit, Menynx autem sine putredine apparebat.

Recte quidem Hippocrates animaduertit qua parte, & quo telo percussus homo sit. Nam secun-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 253 sur 489

dum commiſſuras in medio ſincipite, loco omnium quæ in capite ſunt periculoſiſſimo, & λίθῳ ἐκ χειρὸς. Conſideranda enim eſſe hæc, monet lib. de vulneribus capitis quo etiam libro docet, vbi percuſſo capite, os fractum eſſe ſuſpitio eſt, ſecandam eſſe cutem, dilatandumque vlcus, & nudandum os, vt quo modo id habeat ſe, liquidò conſtet. Suſpicamur verò fractum os eſſe, præter alia multa ſigna, quum demiſſo per vlcus ſpecillo vſque ad illud, aſperum eſſe ſentimus. Hinc fit, vt aliquando nos commiſſuræ decipiant, vt nunc Hippocratem. Cùm enim Autonomus haberet ſecundùm commiſſuras læſionem à iaculo, id eſt à iacto lapide, putauit Hippocrates aſperitatem quam fractum os faciebat, naturalem eſſe commiſſuram. Qui quidem dolus poſteà patuit, cum Hippocrates ſymptomatum ſæuitie compulſus, ſerò iam ſecuit. Nam quintâ decimâ ſecuit eum, qui decimâ ſextâ mortuus eſt. Satius arbitror, iam fuiſſet inſectum relinquere, ne ſectionis labore citiùs moreretur. Hic magnitudine inflammationis cerebri & membranarum potiùs quàm putreſcentia mortuus eſt. Nam mortuus eſt conuulſus; conuulſione ex repletione neruorum. Membrana verò quæ decimaquinta, vlcere ſecto, & exemptis comminutis oſſiculis comparuit, imputrida eſſe videbatur, & pus prodiit exiguum, velut ex inflammatis partibus redundans, non tamen vt ex putrefactis affluenter exiens. Conuulſio verò venit in ambas manus æquè, quia in medio capitis & ſincipitis habebat vlcus homo. Alioqui ſi in altero latere haberet, in contrario paſſus fuiſſet conuulſionem, vt fieri ſolere anteà dictum eſt quarto libro in hiſtoria pueri Metrophanti. Anteceſſerunt conuulſionem vt par erat, notæ repletionis, dolor ſcilicet fortis primùm ad clauiculam, poſteà ad latus vtrunque, aut alterum, quodcunque contigit eſſe debilius. Non enim explicat. Hi dolores haud dubie, multo ſucco ſurſum è viſceribus ad caput aſcendente, facti ſunt, qui caput iam occupans conuulſionem attulit, & conuulſione ac inflammationis magnitudine febrem quoque. Commendat Celſus c. 4. lib. 8. candorem & ſimplicitatem Hippocr. qui ſuum errorem tam apertè confitetur, contrà ac imperiti, qui nihil ſe fatentur ignorare. Sunt verò eius hæc verba. A futuris ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarũ rerum habentium. Nam leui ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahũt. Magno ingenio, multáque hihilominùs habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuéque in eo miniſterio, quod vtilitatis causâ poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, quâ quis antè deceptus eſt. Sed hæc quidem alioquin memoria magni profeſſoris, vti interponeremus, effecit. Dictis his explicat Celſus qua ratione ſoleat futura fallere, & qua ratione cauere oporteat ne fallamur, dicens. Poteſt autem futura eo nomine fallere, quæ æquè aſpera eſt, vt aliquis hanc eſſe, etiamſi rima eſt, exiſtimet eo loco, quo ſubeſſe hanc veriſimile eſt. Ergo eo nomine decipi non oportet, ſed os aperire tutiſſimum eſt. Nam neque vtique certa ſedes, vt ſuprà poſui, futurarum eſt, & poteſt idem & naturaliter commiſſum, & ictu fiſſum eſſe, iuxtáve aliquid fiſſum habere. Quin aliquid etiam, vbi ictus fuerit vehementior, quamuis ſpecillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius eſt. Hæc Celſus, & multò plura ad hanc rem pertinentia eo capite docet, quæ licet cuiuis inde petere. Interim tamẽ animaduerte Celſum non dubitaſſe, librum hunc quintum Hippocrat. eſſe. Quod ſi illo ſeculo ipſius eſſe putabatur, cur nunc tantò poſteriùs vertatur in dubium? Quin & Galen. ipſe, qui neſcio quo conſilio alicubi negat, ſæpe alibi ſub Hippoc. nomine multa ex his libris citat.

Famula in Omilo duodecim circiter annos nata ex capitis vulnere moritur æſtate media decima quarta die. Ianuam quidam ipſi impegerat, & os contuderat ac ruperat, futuræ verò in vulnere erant. Iſtud equidem imotuit eam ſectione indigere, ſecta eſt autem non vt oportuit, ſed quantum in ipſo relictum eſt, in pus conuerſum eſt. Octauâ rigor, febris inuaſit, habebat autem ſe non vt oportebat ſed quantum etiam prioribus diebus, quando febris non tenebat. Nonâ verò die reliquum exectum eſt, & pus admodùm paucum cum ſanguine ſubtus apparuit, & membrana cerebri pura erat: & ſomnus quidem eam corripuit, febris autem deinceps non dimiſit. Conuulſio autem manum ſiniſtram corripiebat, nam in dextra magis parte habebat vlcus.

Hic caſus proximo ferè ſimilis eſt, præterquam quòd muliercula erat duodecim annorum (quod vt in liberandis facit ad citiorem ſalutem, ita & in morituris ad citiorem mortem, præcipuè in æſtate media) quodque huic in dextram capitis partem vulnus magis inclinabat, proinde ſiniſtra ſolùm manu conuulſa eſt, & quòd hæc tempeſtiuè eſt ſecta. Tametſi enim ad futuras etiam hęc fuerit vulnerata, rectè tamen cognitum eſt ſectione opus habere. Curauerant fortaſſe Chirurgi prius Autonomum, & ſucceſſu admoniti intellexerunt. Sed neque in hac bene actum eſt quod oportuit, ſecta enim eſt tempeſtiuè, non tamen velut oportebat, anguſtiùs enim eſt aperta cutis, quàm vt quicquid læſum erat in conſpectum veniret, vt fieri oportere Celſus citato capite docet. Fortè enim, cùm ianuæ impulſu percuſſa ſit, læſio latè patuit. Quantum ergo relictum ſub cute eſt, computruit, & pus contraxit, generatio verò puris (ita vt ſolet) octaua rigorem fecit & febrem. Habebat autem ea die non minus quidem puris, vt oportebat, cum pus febre abſumeretur, ſed quantum prioribus diebus, cùm non febriret. Calore ſcilicet præter naturam tantùm putrefaciente, quantum abſumebat, proinde nona die, quod ex prima ſectione fuerat reliquum, ſectum eſt. Bene ſanè fecerunt, quod primo deliquerant, emendantes, feciſſent tamen multò meliùs, quantum oporteret, prima ſectione detegentes. Valdè paucum pus cum ſanguine ſubtus apparuit, & membrana cerebri pura erat, internis, vt in Autonomo, affectis, præterquàm quod ſom-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 254 sur 489

©BIUM

nus eam ſemper occupabat (febrem enim continuam Autonomum etiam poſtremis diebus habuiſſe certò certius eſt) quod duplicem cauſam habere poterat, aut pituitæ cum ſanguine mixtionem aut cari aliquid cum conuulſione, ob concuſſionem quam cerebrum receperat ab impulſa ianua primùm, deinde etiam fortaſſe à chirurgicis inſtrumentis. Videndum .n. chirurgis etiam eſt, ne duriùs ferramentis tractantes cerebrum, aut multùm concutiant, aut comprimant, carum alioqui ſola hac cauſa facturis.

Crenius in Omilo cùm ſuppuratus eſſet factus, in inferiori ventre vſtus eſt triginta diebus tardiùs quàm oportuit, & moderatè ſe habebat & reſiccatum fuit pus in ventre. Verùm in calidiſſimo tempore cùm ediſſet fructus Autumnales, & alios cibos non conferentes, à febre & diarrhœa correptus & mortuus eſt.

Ad omnes ſuppuratos, ſiue in thorace, ſiue in alui regione pus colligiſſent, vtebatur Hipp. vſtione. Atque cum inuſtiones non erant ſatis, ad ſectionem penetrantem veniebat. Et ſanè mihi perſuadeo, hanc curationem futuram multis vtiliſſimam, ſi tempeſtiuè adminiſtraretur: nunc verò paucis, aut vix vllis eſt auxilio, quia aut non fit, aut omnino tardiùs multò quàm oportet, partim quia ipſi medici quaſi magna hæc ſint reformidant, partim quia ægroti nolunt obedire, niſi cum ſe mori apertè iam vident, tunc verò ſerò obediunt. Tempeſtiuus verò vſus horum eſt, cum adhuc ſunt ægroto vires, quæ ferant. Inuſtiones ergo fieri debent mox ac fientis ſuppurationis ſe exhibent ſigna: ſectio autem mox ac effuſum pus ſentitur inundare. Quid enim iam expectes, vbi hæc adſunt? An vt debilitentur vires? Huic ægroto vſtio facta eſt triginta diebus, poſteà quam medici ſuppurationem fieri ex ſignis agnouerunt. Non quidem fortaſſe triginta, ab eo die quo fieri cæpit, non enim tam exactè agnoſceretur, ſed ab eo quo peritus medicus cœpit agnoſcere. Proinde, etſi iuuatus, non perſanatus eſt, quamquam fuiſſet hic quoque fortaſſe, ſi multo tempore (ita ſcilicet vt oportet eos qui ex longo & difficili morbo euadunt) ſe in bono victu continuiſſet. At verò non fecit, ſed fructibus horariis aut Autumnalibus, intemperanter vſus, & cibis aliis prauis, vt fortaſſe oleribus, & leguminibus, correptus febre & diarrhœâ mortuus eſt. Dicit verò ἐν τῇ θερμοτάτῃ ὥρῃ ἐσθίων ὀπώρην: quaſi grauius ſit in calidiſſimo tempore quàm in alio edere. Quod rectè dici non videtur. Nam horarij fructus ſunt, fugaces illi fructus qui in æſtate proueniunt vt ceraſa, pruna, mora, duracini, ficus, vuæ, & eiuſmodi qui aſſeruari citra corruptionem non poſſunt, aut paſſi (quo ſanè modo nihil minùs ſunt quàm horarij) quare neque in alio edi tempore, quàm quo proueniunt, putà in æſtate. Prætereà cùm hi fructus crudos & aquoſos gignant ſuccos, & facilè corrumpantur, hácque cauſa noxius eorum vſus, niſi ſatis moderatus, eſſe cenſeatur, ſi tamen vtiles eſſe poſſint, certè ad ſedandam ſitim & appetentiam ciborum concitandam, & laxandam aluum, atque ita bilem per ſedem deponendam: qui ſanè vſus nullo magis tempore concedi poteſt, quàm calidiſſimo, quo faſtidio, ſiti, & ardore, ac bile laboratur. Atqui profectò nihil probabilius quàm eo tempore eſſe vtiles quo matureſcunt, cùm præcipuè in aliud tales ſeruari non poſſint, ſiquidem natura eſt in cauſis quæ alicuius gratiâ operantur, & finis in bono ſemper eſt. Igitur multos fructus horarios in calidiſſimo tempore edere, nihilo deterius erat. At qui profectò ego ita cenſeo. Innui verò quiddam aliud illis verbis, vſum ſcilicet eſſe illum multis fructibus horariis, vt intemperanter ita negligenter in calidiſſimo tempore, hoc eſt, in æſtate media, atque in meridie, atque quoniam negligenter eo tempore ſe gerebat, vſum eſſe fructibus calidiſſimis, quales ſcilicet domum è foro illis horis deportantur, quo nihil eſt in victu nocentius. Nam cùm fructus vtiles ſint ad attemperandum æſtiuum feruorem, vt dictum eſt, noxij verò & periculoſi ob facilem corruptionem, accipi debent refrigerati, quantum fieri poteſt, quia cum corruptio agatur ab externo calore; refrigerati citra putreſcentiam perſiſtent donec commutentur, & attemperabunt multò magis; calidi contra attemperationem nullam præſtabunt & in pituitam ſalſam, aut ſeroſam quandam bilem facilè abibunt. Quo fit, vt qui calidis vtuntur fructibus, omnes ferè in tertianas aut graviores alias febres incidant, ac non pauci in choleras morbos, multi verò ob refrigeratos fructus à febribus liberentur, etſi alioqui negotiis & exercitationibus ſint implicati. Omnes igitur, vt arbitror, poterũt magnopere commendare conſuetudinem refrigerandi fructus horarios admotâ niue, nam ſiquis ex fructuum frigore noxam ſentit in ventriculo, is certò ſciat ſe illis non indigere, neque conſulendum illi eſt vt vtatur calidis, ſed vt pauciſſimis, aut nullis. Potus alia ratio eſt, multi enim læduntur frigido, qui nihilominus vti debent gelido. Vnde conſtat, multò magis eſſe neceſſariam niuem ob horarios fructus, quàm ob potum, tametſi ob hunc quoque per æſtatem & bonam autumni partem pleriſque vtilis ſit, aliis temporibus nulli niſi iucunda, multis verò noxia. Quapropter ego vellem, niuis vſum cum horariis fructibus incipere ac deſinere: atque interim fructus refrigerari quam plurimùm, & accipere quemcunque quantum indigeat iuxta naturam tum totius hominis, tum ſolius ventris, quæ vel calida, frigida, ſicca, humida eſt vel aliqua inter has media, & iuxta conſuetudinem, & experientiam quam quiſque habeat proprij corporis. Potus verò non omnibus æquè conuenit, ſed ſuo cuique modo ſecundùm eoſdem ſcopos facta conſideratione, ſic enim multa eſſent vtilia, quæ nunc plurimi vituperant. Hic verò cuius narratur hiſtoria, cùm debilis ex ſuppuratione nondum ſanata eſſet, comedit multos fructus horarios negligenter, atque adeò actu calidos, quales in calidiſſimo tempore ſunt, & inſuper alios cibos mali ſucci, vnde euenit vt febre & diarrhœa correptus moreretur. Neque mirum, quid enim periculoſius alui profluuio in ſuppurato.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 255 sur 489

HEcason in Omilo velut ille etiam alter seriùs vstus est, huic autem pariter exiccatus est venter pauco excepto. Dysenteria autem correptus est, ex qua cùm euasisset, quidquis comedebat, donec totus intumuit, ipsique pus per inferiores partes effluxit, & diarrhœâ sublatus est. Hecasoni in Omilo ex corporis impuritate & laboriosa purgatione acutus in coxam decubuit dolor, quo quidem summoto febres cum corripuerunt, & diu in lecto decubuit, neque bibens quicquam, neque sitiens, debilis autem erat, & horrores patiebatur. Huic quidem commodè, vt conueniebat, morbus sublatus est. Iuuabatur autem corpus ab iis quæ offerebantur. Tandem morbus erupit per inferiora, & totus secessit cum multâ bile, & mente motus, & mortuus est: videbatur autem morbum euasisse.

Dubitari hoc loco potest, an duo hi ægroti, casu eodem fuerint nomine, & in eodem oppido, an errore librariorum factum sit, vt alterius in alterum nomen transferretur, an idem ægrotus sit, atque in Hippocra. chartis duplex narratio eiusdem morbi inueniretur, & qui compilauerunt ne quid detraherent, ambas simul scripserint. Atqui ego in hanc vltimam suspitionem feror, quia germana esse quæ narrantur vtrobique, & in eundem hominem rectè incidere posse videntur. Est tamen secunda narratio amplior, & magis ab initio rem attingens, quamquam non omninò ab initio; non enim à primo morbo, sed ab abscessu. Nimirum hic ægrotauit morbo putri, quicunque is fuerit, & cùm neque natura neque arte rectè expurgaretur, abscessum habuit ad coxam, dolorem scilicet acutum. Hic dolor euanuit, neque dissipata, neque euacuata materia: atque proinde febres ipsum corripuerunt: ob quas diu in lecto decubuit, laborans abundantia pituitæ. Nam siti omninò carebat, & debilis erat, & rigoribus inordinatis tentabatur: quæ quidem euenerunt ipso suppurationem contrahente in aluo. Nam in febribus quæ prorogantur languescente homine, & quosdam tales habente rigores, internam puris generationem fieri, suspicari oportet: quæ quidem ex interna aliqua inflammatione procedat, aliquando autem & ex aliis tuberculis non adeò calidis: quin & citra tumores præter naturam fieri potest, ex succis crassis parti alicui hærentibus, ibique putrefactis. Ita cognitum est hunc pus collegisse: sed fortasse cognitum est seriùs, quòd inflammationis notæ non antecessissent, atque ob id vstus etiam seriùs est, quam oportuit, vt Cyrenius. Similiter etiam vt illi exiccatus est venter, vt totum pus præter exiguum quiddam consumptum fuerit: & corripuit ipsum dysenteria, & liberatus ab ea est: & morbus commodè sublatus, vt oportebat, videbaturque iam sanus. Nam iuuabatur corpus ab iis quæ offerebantur, & reficiebatur. Quo factum est, vt ille negligentius viueret, & nondum satis roboratus comedit quiduis, & denuo ægrotare cœpit, grauiusque quàm prius, intumuitque totus, debilitato certè hepate à prauis, multisque cibis, & potibus. Τελευτῶντα (inquit) διεφόγη τὸ νόυσημα πάπω, erupitque illi pus & multa bilis deorsum καὶ ἐχώρεε πάν ὑπὸ πολλῆ χολῆ: hoc est, adeò multum bilis cum pure secessit, vt tota morbi materia secessisse rectè putaretur: tamen sustinere homo iam debilissimus non potuit, & mente motus mortuus est præ diarrhœæ magnitudine. Mente sanè moueri hos qui moriuntur exhausti euenit paulò ante mortem, vacillante mente ob debilitatem. Vides hæc omnia eidem ægroto rectè congruere, eiusdemque morbi historiam referri. Cætera sanè narrationis huius, in aliis ante hanc explicuimus. Illud vnum velim modo consideres, quantopere sibi cauere debeant conualescentes, etiamsi rectè soluti esse morbi videantur, quia debiles cùm sint, à leuibus erroribus grauissimè nonnunquam offenduntur. Id verò præcipuè timeri debet in iis, qui ob internas aliquas affectiones periclitati sunt habitualibus intemperiebus corripi. Quo in genere sunt omnes qui internam habent puris collectionem, & qui ob inflammationes, aut erysipelata interna cœperunt marcescere. Cùm enim horum debilitas esset in essentia, non potest eorum facultas nisi diuturno tempore reparari. Sæpe ergo, quibusdam quæ vrgebant mitescentibus, incipiunt velut reuiescere. Cùm verò eorum virtus non potuerit confirmari breui, ob erratum aliquod, etsi non grauissimum, denuò præcipitantur. Itaque hi lentè reficiantur, & diu sibi caueant, atque adeò omnes quibus ob malignitatem morbi, aut affectæ partis naturam, facultas videtur esse corrupta magis quàm pro morbi longitudine, pluri tempore reficiantur, quàm extenuati sint. Respiciendum enim est non quanto tempore, sed quantum sint debilitati quaque in essentia.

QVi Salamine in anchoram delapsus, in ventre vulneratus est, & circumdolebat. Hausturn autem medicamentum neque per aluum deiecit, neque euomuit.

Totum hoc opus obseruationis gratiâ, & captandi experimenta potius quàm docendi, scriptum esse, dictum à me iam sæpe est. Atqui quoniam non vnum, sed plurima sunt, quæ à medicis debent obseruari [nam & signa varia quæ superuenire solent in morbis: & varii exitus: & vires dierum decretoriorum: & auxiliorum medicinalium vtilitates aut noxæ, ac denique vires ægrotantium] cumque pharmaci, expurgantis vsus tam sit insignis in hac arte, ac peculiariter ei fuerit tam familiaris: meritò illius vires peculiariter obseruauit Hippoc. Quãdoquidem idem pharmacum quosdam à morbo liberat, quosdam euacuatione lædit, quosdam ne mouet quidem: idque ob diuersum cuiusque apparatum, vel naturale vel præter naturam. Id ipsum voluit Hipp. obseruare, atque quasdam historias videtur scripsisse, vt animaduerteret ægrotos læsos esse expurgatione, alios verò adiutos: quasdam etiam in hoc solùm, vt animaduerteret dato pharmaco, nullam esse subsecutam purgatio-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 256 sur 489

nem: atque id quidem aliquando narrat ſimpliciter: aliquando inſinuans cauſam, ob quam quis purgari non potuerit: aliquando narrans exitum, quem ea res habuit. Nimirum eorum, qui à pharmaco non purgantur, quidam non læduntur multùm, quibus ſcilicet nihil aliud actum eſt, quam quod pharmacum, aut multùm confectum cum alimentis eſt diſtributum, & in nutrimentum ceſſit: aut non ſatis ad actum deductum, deorſum exijt: quidam læduntur valdè, vt quibus excrementa ad partem aliquam interius affectam tracta ſint, aut toto corpore commota, conturbatáque. Hic non narrat qui fuerit morbi exitus, quá ex cauſâ autem non fuerit expurgatus homo, probabiliter potes ex his quæ narrantur coniectare. Nam cùm in ventre percuſſus circumcirca partem percuſſam doleret, conſentaneum eſt conuocatum eò eſſe ſanguinem, & factam inflammationem: cum verò inflammatio partem aliquam ventris tenet, nihil eſt magis pernitioſum quàm pharmacum, quia nihil ſinit inflammatio euacuari, ſed quicquid à pharmaco mouetur, ad ſeſe alliciens, mirum in modum augetur. Nihil ergo deiicere hunc à pharmaco, neque reuomere, lethalis affectionis timorem perito medico faceret.

MVlier quæ ſe ipſam iugulauit, ſuffocabatur, & data eſt ipſi multò poſt potio deorſum purgans, exijt ipſi.

Obſcura ſanè narratio eſt. Vix enim intelligas, an ſe, poſtquam hæc omnia acta ſint, mulier iugulauerit, anteà autem quàm daretur pharmacum, ſuffocatione ſolum laboraret, an malum cœperit à iugulatione, dicaturque ſe iugulaſſe, non quod ſe repentè iuguli ſectione interfecerit, ſed quod ſibi vulnus inflixerit, quod deinde medici curare tentauerint, & vulneri ſucceſſerit ſuffocatio, ob eámque pharmacum datum ſit. Porrò illud iugulari græcè σφάζωσι, quamuis præcipuè dicatur de colli ſciſſione, atque ea pars dicatur iugulum, transfertur tamen & ad omne genus necis, & ſe iugulaſſe dici poſſit, etiam ſi in ventre ſibi vulnus inflixerit, quin etiam ſi citra vulnus ſibi alia ratione mortem conſciuerit. Porrò vbi nos vertimus exiit ipſi, Hippocrates dicit, ἐξεχώρησεν αὐτῇ. Ianus Cornarius vertit, per ſeceſſum ipſi exiit. Aliis videtur, ſi id Hippocrates vellet, dicturus ὑποχώρησεν, vt ſolet, aut vt in proxima hiſtoria dixerat διεχώρησε κάτω, ac proinde intelligunt illud ἐξεχώρησεν energiam quandam aliam habere, ac ſignificare, inde exire, ex vulnere, ſcilicet atque ita vertunt, exiit ipſi ex vulnere, quaſi ſcilicet ille dicat ἐξεχώρησεν ὀκ τῆ ἕλκεος, ἤ ὀκ τῆ τρώματος. Certè primo modo leue quiddam eſt quod narratur. Nimirum huic non eſſe fruſtra datum pharmacum, vt mulieri Salamine, ſed ſubſequutam eſſe expurgationem: ſecundo verò maius quiddam, & admiratione dignius narratur, ſcilicet pharmacum, multò poſt quàm mulier vulnerata eſt, datum erupiſſe per ipſum vulnus. Niſi enim deciſa erant, gula, ventriculus, aut inteſtinum, quomodo poterat per vulnus exire, quod per os erat ingeſtum? Sin autem erant, quomodo factum eſt, vt anteà, neque cibus, neque potus exiret? Certè deciſam fuiſſe dictarum partium aliquam, atque adeò gulam, ſi modo ſecundum ceruicem ſe vulnerauerat, conſtat: latuiſſe autem anteà, quòd exigua ſciſſio eam attigiſſet, & tunc demũ vi pharmaci irritata vehementiùs expultrice, exiguam alioqui ſciſſionem eſſe proditam, ac fortaſſe etiam vehementi motu partem laceratam ampliùs. Hæc mulier mortua eſt ſanè. Nam hæ partes deciſæ, vt in aphoriſmo dicitur, non coaleſcunt, & quia niſi fuiſſet mortua, iugulatam fuiſſe non diceret.

ADoleſcens ex Eubœa aduenies cùm poſt multas infernas purgationes intermiſſet, & quieuiſſet, febricitauit. Deinde cùm videretur purgatione per ſuperna indigere, bibit debilem radicem deorſum purgantem & quartá poſt potionem die mortuus eſt, cùm nihil purgatus fuiſſet, ſed ſomno correptus eſt, nec poterat ſitis ſedari.

Huic poſt purgationem primam, quam præcautionis gratiâ, antequam apertè febricitaret, ſuſceptam eſſe coniecto, contigit febricitare, quia arbitror, etſi multum expurgatus eſt per inferna, non tamen ſatis perpurgatus. Proinde intermiſſa purgatione, πεπαυμένος, id eſt, non deijciens iam febricitauit. Deinde viſus eſt per ſuperna indigere purgatione, & res peſſimè ſucceſſit. Quid medicos deceperit iudicantes eum tali purgatione indigere, non poſſumus diuinare, cùm Hippocrates non narret quâ cauſâ viſum eis ita ſit, tamen non rectè eſſe tentatam eam expurgationem, euentus ipſe indicauit: nam mortuus eſt ex morbo, qui non videbatur alioqui lethalis. Mortuum verò eſſe ob pharmacum conſtat, quia mortuus eſt quarto die à pharmaco, & ab eo ſuſcepto ſomnus grauis ipſum tenuit, & ſitis non poterat extingui, quaſi ab eo cœperit homo laborare acutiſſimè, & lethaliter. Meritò autem duo hæc ſymptomata conſequuta ſunt pharmaci potionem, à qua nihil eſt expurgatum. Nam nihil experimento magis cognitum, quã ſolere à pharmaco homines ſomno premi, donec euacuatio incipiat procedere, agitatorum excrementorum vaporibus vndique in caput aſcendentibus, donec cum ipſis excrementis per aluum detrudantur. Cùm ergo agitata quidem, euacuata autem nunquam ſint, meritò id ſymptoma perſeuerauit. Sitis verò maxima excitatur, quando medicamentum non tempeſtiuè deſcendit cum excrementis quæ traxit, & ab iis gula & os ventriculi exuruntur. Vnde conſtat, etſi nullus poſſit eſſe ſatis purgatus, donec ſitiat, ſæpe tamen à pharmaco ſitim peſſimam eſſe. Vbi Hippocrates dicit radicem, quidam volunt intelligi veratri, quod eius radicis eſſet ei crebrior vſus, neſcio tamen qua ratione veratri radix poſſit eſſe debilis. Fortaſſe debilem dicens, innuit aliam quam veratri: niſi forte radicem debilem vocauit, quaſi debilem potionem ex radice, fueritque ex radice non debili parata potio debilis, ob exiguam quantitatem, & multarum rerum, à quibus eius vis deprimeretur, mixturam. Vtcumque hoc habeat, eſt conſideratione dignum, an fieri potuiſſet, vt hic qui à potione debili extin-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 257 sur 489

ctus est, potionem vehementiorem hauriens liberaretur. Fortasse enim si ea quæ commota sunt excrementa, fuissent etiam euacuata, euasisset. Neque à pharmaci vehementia adeo periclitatus esset, quàm ab agitatis retentisque excrementis, vnà cum ipso pharmaco non exeunte.

A

Serua cui à medicamento hausto per superiora quidem prodibant pauca, & suffocabant, per inferiora autem multa demittebantur, nocte mortua est. Erat autem barbara.

Catapotia vocari ab Hipocrate, quæ accipiuntur deglutiendo citra masticationem, antea dictum est. Vnde datum est id nomen pilulis, quia deglutiuntur, vt quæ potantur non commansa. Exemplum quoddam aliud sibi ipsi scripserat Hippoc. hæc mandans memoriæ, praui exitus expurgationis. Quoniam verò neque affectionis speciem, nec dandi occasionem narrat, nihil hic possumus accipere aliud, quod nobis ex vsu sit, quam non esse nobis temerè purgationes tentandas, quasi non sint periculosissimæ, sed potiùs circumspiciendum esse, cui homini, quo morbo affecto, & qua occasione detur. Rectè enim Plato dixisse videtur, medicam purgationem, quæ pharmacis agitur, tunc solum esse vtilem, quum summa vrget necessitas: aliter autem nullo modo sanæ mentis homini suscipiendam. Sed illud, Erat autem barbara, nunquid memoriæ gratia solum adiectum est? An illis etiam verbis aliquid quod sit vtile indicatur? Mihi sanè videtur. Scimus enim barbaros, & eos qui longè aliunde, siue in Græciam, siue in Italiam, siue etiam Hispaniam translati sunt, ob magnam soli & patriæ temperiei mutationem, debiles fieri, & curationes vehementes minùs sustinere posse. Quod ego in Æthiopibus expertus sum. Fortasse ergo ea serua ex expurgatione, per superna quidem difficili, quia exibant pauca, & suffocabatur: per inferna copiosa, mortua est, quia barbara, alioqui meliùs toleratura. Quare nos oportet Æthiopes, & Indos, ac denique Barbaros omnes, qui longissimè asportantur, curare cautiùs, & magnis euacuationibus nunquam vti, mediocribus rariùs, plerumque inediâ pro euacuationibus esse contentos, quia hanc meliùs sustinent, quàm nostrates.

Homo Eubœus, cùm bibisset pharmacum expurgans, tribus diebus purgatus, & mortuus est. Habebat verò manum suppuratam vsque ad cubitum.

Hic euacuationis magnitudine mortuus est. Oportet ergo virium rationem habere, cùm datur pharmacum, & si quid ea in re peccatum sit, tempestiuè occurrere. Occurretur verò cibo, quiete, clysteribus, & somniferis medicamentis: atque omnium optimè, theriacâ recenti. Ea si desit, antiqua cum tertia parte Philonij. Plerisque do theriacæ scrupulum vnum, Philonii scrupulum semis.

Symmachi filius à bile suffocabatur noctu quum dormiebat, & febris ipsum tenebat. Pharmacum autem haustum non continuit, neque purgatus est diebus sex, neque antequam moreretur.

Hic mihi videtur ob nimiam bilis redundantiam, & in superiora lationem purgari non potuisse, & hanc ipsam fuisse mortis causam, quòd scilicet caput, & cor bilis affatim occupauerit, & locus remedio non fuerit. Sed quî fieri possit, vt redundantia expurgationem impediat: nimias enim euacuationes videtur nata facere? Certè prohibens pharmacum retineri. Cùm hic igitur multitudine bilis dormiens suffocaretur (quod multam in caput ferri indicabat, & in supernis partibus quæ circa thoracem caputque sunt redundare) & pharmacum haustum non retinuerit, ac ne purgatus quidem sit, consentaneum est putare, bilis redundantiam in superna ventriculi parte, quæ supra septum transuersum est, medicamentum retineri prohibuisse: sublatâ verò retentione & tractione, expurgationem sublatam esse. Quid ergo hoc casu agendum fuerit medico? Non certè fidendum vni forti pharmaco, sed paulatim vacuandum, crebrò repetita vomitione.

B

C

Qvi apud Dromum habitabat, cùm nocte sanguinem vomuisset, postridie mortuus est, sanguinem vomens multum & suffocatus. Circa splenem verò & infra cruentum quid multum prodijt.

Hic ex vomitu sanguinis nimio mortuus est, postridie ac vomere cœpit. Suffocauit autem illum ipsa concreti iam in ventriculo sanguinis copia. Incepit illi malum à lienis redundantia. Vt enim splenis eleuatio eruptiones è naribus solet facere (dictum est hoc libro 2. huius operis pluries) ita huic fecit sanguinis eruptionem per ventriculum, dirrupta aliqua in eo vena earum quæ ex liene procedunt. Hanc autem fuisse partem quæ miserit, indicat illud aliud quod euenit: quod scilicet cruentum illi exiit multum circa splenem, & infra. Nam hic illud verbum ἐχώρει non significat, vt in historia mulieris, quæ se iugulauerat, è corpore euacuari (nam quî posset per splenem? aut quæ ibi via est?) Sed ad cutem exire, atque apparere, seu efflorescere, & cruentum multum significat cruenta exanthemata. Quare hoc, cruentum exire, est quod alijs locis vocat τὸ αἷμα εἰλικρινῆς, seu sanguinem manifestum. Exierunt itaque illi exanthemata perrubra multa, aut vibices, aut denique maculæ ad lienem & infra, in inani parte eiusdem lateris secundùm rectitudinem, quæ haud dubiè redundantiam sanguinis in subiecto viscere significabant. Cùm igitur ibi sanguinis redundantiam esse eo signo agnosceretur, consentaneum est inde in ventriculum regurgitasse. Nulla enim potior esse potest causa sanguinis mittendi in aliam partem

D

E

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 258 sur 489

partem, quàm redundantia. Oportuit ergo huius curationem aggredi sectâ venâ lienis, aut internâ in cubito sinistro, & refrigerantibus, & adstringentibus potionibus vti; vt in aphorismo dicitur.

PVer cùm in ventrem & hepar à mulo percussus esset, mortuus est die quartâ: spirationem autem densam habebat, nec mente constabat, ipsúmque febris detinebat.

Periculosissimus sanè locus est inter hepar & ventriculum, vt vehementer percutiatur. Ibi enim si vena caua disrumpatur, effuso toto sanguine, siue extrorsum, si vulnus homo acceperit, siue introrsum sub peritonæo, si contusa pars citra cutis vulnus sit, velut iugulatus mox moritur homo: sin minus, ob sanguinis abundantiam, quæ eo loco est maxima, inflammatio magna mox oritur, & in hepate, & in ventriculo, atque mirum est, nisi etiam in tanta vicinia occupet septum transuersum. Quod malum, quamcumque earum partium seorsum teneat, erit acutissimum, nedum omnes afficiens. Tale quiddam huic factum est: qui quarto die est mortuus, vt ab acutissimo exactè morbo, ingenti scilicet inflammatione partium internarum. Habuit verò πνεῦμα πυκνὸν, quia habebat affectionem dolorificam partium, quæ cum thorace mouentur. Spiritus enim densus, vt dicitur in prognostico, significat dolorem. Tenebat etiam ipsum febris, quæ ab interna inflammatione non poterat abesse. Non intelligebat, quia erat, arbitror, mente alienatus (non enim tenebatur apoplectica passione) quod septi transuersi simul cum alijs inflammati significationem præbebat. Quamquam & per se, ventriculi & hepatis inflammatio, si maxima est, aut maligna, desipientiam solet facere: multò ergo magis, si omnia tenebantur. Atque ita etiam magis spiritus esset densus, quia septum transuersum præcipuum respirationis instrumentum est. Curari ergo oportebat, vt inflammatione earum partium occupatum. Alioqui nullus erat remedio locus.

HErmophili filius ægrotauit vndecim diebus, febris autem tenebat ipsum, & non descendebant tibi; & primùm quidem delirauit, nocte verò cessauit: sequenti autem die sine voce iacebat stertens, distortos habens oculos, febricitans. Pennâ verò immissâ vomuit bilem atram, & clysteres immisso, stercus multum subijt.

Puerilis morbus est hic, creberrimúsque eorum qui pueros solent affligere: quamquam aliquando etiam natu grandiores fatiget: nimirum est ventris satietas, & à qua febricitare eos euenit acutè, ob cibos computrescentes in aluo, & putridas fuligines copiosè in cor delatas. Eueniunt etiam deliria, & conuulsiones, & apoplecticæ passiones, per compassionem cerebri cum ventriculo, à quibus aliquando intereunt: nonnunquam verò cum magna expectantium admiratione liberantur, euacuatis copiosè ex ventre fæcibus crassis, aut lentis, & ex superiori ventriculo, succis corruptis. Iuuantur itaque plurimum vomitibus & deiectionibus, & dum hæc non fiunt, ingraueſcunt eis mala. Quòd verò immissa penna bilem atram vomuerit, ne mireris, corruptione enim prauâ ciborum in ventre multi pessimique colores fiunt, ac nonnunquam, quum multitudine corrupti cibi laborare incipit ventriculus, irruunt in illum succi praui, in quacunque parte corporis sint, & inde ob partis naturam grauissima cient mala, & cor & cerebrum in magnas compassiones trahunt. Ad hanc curationem accurrunt gregatim medicæ, atque vt sunt officiosæ sæpe conferunt, manibus oleo intinctis ventrem subigentes, admouentes cataplasmata laxantia, & vtentes crebrò clysteribus, & grandulis, deglutire cogentes semen hormini, aut psyllij, quæ curatio non est noxia, nisi procedatur (quòd illæ nonnunquam faciunt) ad venenosa, vt hausta ceruſam, aut argentum viuum. Hæc vitet medicus, simulque capiti & neruis moderatis inunctionibus, & idoneis suffitibus prospiciat.

ARistionis seruæ pes sponte sphacelatus est secundum medium pedis interius ex obliquo, & ossa putrida abscesserunt, & paulatim exibant fistulosa, & diarrhœa successit, mortua est.

Sphacelus est ossium corruptio, ἀνθρακὼσις, hoc est, sine occasione aliqua externa significat in corpore pessimum apparatum. Talem ergo cùm hæc mulier haberet, mortua est: non sanè ob pedis corruptionem (facilis enim est, vel totius pedis iactura) sed diarrhœa facta est, malignis succis ad interna conuersis: ac fortassis etiam huic diarrhœæ ex malignis succis dysenteria successit, quæ ab atrâ bile lethalis est.

MVlier sana & crassa, cùm medicamentum concipiendi gratiâ hausisset, ventris dolore & intestinorum torminibus afficiebatur, & intumuit. Spirandi difficultas aderat & perplexitas cum dolore, & sanguinem non multum vomuit; & exanimata est quinquies, vt mortua esse videretur; nec vomitu ex aquâ frigidâ facto dolor præsens aut spirandi difficultas remittebat. Aquæ verò frigidæ amphoræ circiter triginta corpori affusæ sunt, & hoc solum conferre sanè videbatur, & postea bilis copiosa deorsum prodijt: vrgente autem dolore nihil poterat secedere, & vixit.

Quæ crassæ sunt nimis, esset solent ad conceptum ineptæ, vt dicitur aphorismo 46. quintæ, quia omentum illis os vteri comprimit. Mulier ergo hæc, de qua historia narratur, talis cùm esset, cu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 259 sur 489

©BIUM

rationem ſuæ ſterilitatis requirebat, atque cum extenuante victus ratione vti deberet, vt gracileſceret, medicamentum expurgans accepit, quaſi ob cacochymiam concipere non poſſet, atque ita non potuit res bene cedere. Tamē nō mortua eſt. Cùm enim ſana ſimul eſſet & craſſa, difficulter tulit purgationem, quia ſana quidem, iuxta aphoriſm. 36. & 37. ſecundæ ſectionis: quia craſſa, multo magis. Craſſa enim admodum corpora non poſſunt eſſe fluida. Vtraque ergo cauſa euenit difficilis expurgatio. Solent verò vt dictis aphoriſmis dicitur, talia corpora colliqueſcere, & ob id extenuari, angi, ac debilitari, & tormina inteſtinorum pati, ipſis medicamentis, & praua bile, quæ colliqueſcentia gignitur, mordentibus inteſtina. Hæc euenerunt huic; ac præterea ob anguſtiam viarum circa vterum, & compreſſionem oris eius, maxima ſtrangulatio ex vtero, accurrentibus ſuccis ad partes circa vterum, & tumefacientibus ibi conſiſtentia vaſa. Vnde accidit tumor & ſpirandi difficultas, tùm ab ipſis ſuccis liquatis neque facilè exeuntibus, tum vel maximè à flatibus, qui vterinam affectionem mox ſequuntur. Et perplexitas cum dolore (hanc enim perplexitatem parit anxietas, & anxietatem debilitas) & exanimata eſt quinquies, vt mortua eſſe videretur, vt ſcilicet ſolent ſæpe mulieres ex vtero. Accidit etiam ſanguinem vomere: quod ſanè corpori ſano pharmacum expurgans accipienti non ſine cauſa euenit. Nam, vt Galenus dicit in commentario eius aphoriſmi, cuius bis facta iam mentio eſt, medicamentum proprium ſuccum trahere appetens, bilem nempe flauam, vel atram, vel pituitam, vel aquoſam ſuperfluitatem, quia iſti non adſunt, ſanguinem colliquat, colliquare verò non poteſt quin calfaciat, commoueat, & exagitet. Hinc ergo eueniet euomi, aut per aluum reijci: nam & in ſuperpurgationibus ſolet poſt alios ſuccos excerni. Purgatio verò in corpore ſano à principio eſt quaſi ſuperpurgatio, cùm inutiles ſucci non adſint. Paſſio ergo hæc difficillima has habebat cauſas. Curatio verò etiam fuit notatu digniſſima. Data eſt ei aqua (ita vt fit cum deuorato pharmaco timemus) ad vomendum. Hippocrates ſane dabat in hunc vſum frigidam, ſed plurimam vt vix toto ventre capi poſſet: nos tutiùs putamus dare pauciorem, ſed tepidam. Vomebat ergo ab aqua, ſed neque remittebat dolor præſens, id eſt qui inſtanter vrgebat, neque ſpiratio, hoc eſt, difficultas reſpirationis. Non (arbitror) quòd vomitus non eſſet vtilis (nam quidni?) ſed quòd eſſet minus debiliuſque auxilium quàm pro tanto malo. Corpori autem affuſæ ſunt aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta. Res mirabilis, & quæ niſi à generoſiſſimo medico tentata nunquam fuiſſet, capit enim amphora congios octo, & congius ſextarios ſex, ſextarius vncias viginti. Tantam ergo aquæ copiam in præfocatam ex vtero, quis niſi Hippocrates, aut alius nobiliſſimus medicus, affudiſſet? Iuuit, arbitror, medici auſus, quòd hoc ſolum prodeſſe videretur. Sed dices, quo pacto prodeſſe poterat, cùm vterina præfocatio paſſio frigida ſit, Galeno authore nono de compoſitione ſecundum genera? Certè eandem ob cauſam, ob quam febris nonnunquam calidis auxilijs cauſam tollentibus curatur. Quamquam ergo vteri præfocatio calorem naturalem extinguat, aliquando tamen à nimio æſtu ſuccos colliquante incipit, fluxione ſcilicet ita in vterum, vt in partes alias ſolet, concitatâ. Ita vidimus plurimas in æſtate media vi æſtus præfocationem vteri pati ex colliquatione ſuccorum, vt coniectauimus. Ita huic ex colliquatione, caloris vi factum eſt malum. Talibus verò conſtat refrigeratione ſuccurrendum eſſe. Calfactio enim colliqueſcentiam augeret, atque ita & præfocationem, vnde conſtat non vnicam eſſe rationem ſuccurrendi hyſtericis, neque indiſtinctè calorificis eſſe ſuccurrendum eis, vt vulgaris praxis fert, ſed adhiberi debere in conſiderationem cauſæ ſpeciem, vt in alijs omnibus affectionibus, quæ ex ſuccis pendent. Huic itaque commodè affundebatur frigida, & ad prohibendam colliqueſcentiam & ad reuocandum animum (vt ſolet ijs qui animo linquuntur) & ad ſiſtendum ſanguinis motum. Ita enim iuuare ſoler eos qui fluxu ſanguinis vndecumque laborant. Res ergo optimè ſucceſſit, refrigeratione eſt recreata facultas, & aluus ſoluta, & bilis quæ vagabatur in aluum collecta, & inde excreta facilè (nam vrgente dolore nihil poterat ſecedere, & quia dolor trahens ad ſeſe detinebat, & quia partes refugientes dolorem non ſeſe conſtringebant ſatis, vt expellerent) ſedatus ergo dolor, & expulſa bilis eſt & vixit. Quàm periculoſa fuerit expurgatio hæc, ſatis indicat dicens, ζέβίω, 1. vixit, dicit enim velut inſperatum quiddam. Quapropter admonendæ acriter mulieres ſunt, ne deſiderio prolis quiduis facientes ſe ipſas perdant, aut morientes citò, quæ fortaſſe poſteà peperiſſent, aut accitis plurimis morbis miſerè viuant. Eſt enim hæc plurimarum pernities. Neque tamen proinde nego, eſſe talium idoneam aliquam curationem (dicauit enim ei Hippocrates opus proprium, cui de ſterilibus titulus eſt) ſed ne quidpiam faciant ſine conſilio docti cuiuſpiam medici & viri boni conſulo. Quæ res profectò ab animi moderatione debet incipere, vt ſcilicet illæ ita ſe comparent, vt parere non plus ſatis exoptent, ſed intra rectæ rationis fines. Medicus cauſarum, quæ multæ ac variæ ſunt, facta diligenti dignotione, nihil conſulat, niſi quod magnoperè non poſſit obeſſe. Hæc verò requirat ab Hippocrat. Sed & ego alibi in hocipſo opere, de cauſis & curatione ſterilitatis egi compendiariè.

ANtander ex medicamento deglutito in ceteris ſanus erat, verùm circa veſicam dolore quodam affici videbatur, quæ celeriter multo recremento expurgata eſt, & à meridie dolor admodum vehemens tenebat, & in poſteram diem ſtrangulatio, & perplexitas, & iactatio & vomebat & nihil egerebat & noctu malè ſe habebat nec ſomnus accedebat. Poſtridie verò multùm egerebat, poſtremò ſanguinem, & mortuus eſt.

Ecce aliud exemplum purgationis difficilis, non parum priori ſimile. Verùm hic mortuus eſt, quia colliquatio ad ipſas vſque partes citiſſimè proceſſit, & ita inemendabiliter læſæ ſunt plurimæ par-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 260 sur 489

tium internarum, primum quidem veſica, deinde ventriculus, tandem totus venter, quin etiam fortaſſe hepar. Euenit verò illud peſſimum in hac expurgatione, quod nihil fecit tardiùs, quam illud cuius gratiâ ſuſcepta eſt. Nimirum primò mouit vrinam, deinde vomitum, poſtremò deiectionem, cùm contrà oportuiſſet. Fiunt verò huiuſmodi præpoſtera opera, cùm natura non vtitur medicamentis, ſed ipſa, quia corrumpuntur, contra naturam operantur. Antander ergo ab accepta potione purgatoria, cætera nihil mali ſentiebat, circa veſicam verò videbatur habere dolorem. Purgata mox illi eſt veſica ἐξέως magna purgatione: hoc eſt, excreuit inde multum quiddam & craſſum, quod haud dubiè erat ramentum veſicæ, quod apertè indicabat in partes ipſas procedere colliqueſcentiam, & à meridie dolor magnus ipſum tenebat, ſecundùm exulceratam ſcilicet veſicam, & in poſteram diem ſtrangulatio, & perplexitas, & iactatio ob anxietatem, & vomebat, & nihil egerebat. Quoniam verò vomebat, & nihil egerebat, conſtat ſtrangulationem, & anxietatem ex ventriculo eſſe. Et nocte malè ſe habebat, & ſomnus non accedebat. Nam quomodo potuiſſet dormire cum tanto dolore, debilitate, & anxietate? Poſtridie iam egerebat multùm, procedente malo in inteſtina, & poſteà ſanguinem etiam, hepate arbitror iam debilitato, & deponente ſanguinem. Vitiatis ergo iam tam multis internarum partium, mortuus eſt.

Athenadæ puero maſculo phagædena laboranti, doluit à ſiniſtris dens infernus, à dextris ſupernus: huius auris dextera ſuppurata eſt, cùm iam non doloret:

Non narrat qua parte haberet puer hic phagedænam, hoc eſt, vlcus exedens: quacunque autem parte haberet, prauo ſucco vti inde ſignificabatur. Qui verò ita affecti ſunt, facilè multis fluxionibus laborant, & multis partibus dolent. Hic doluit dentibus, ſuperno à dextra parte, & inferno à ſiniſtra, liberatus eſt deinde à dolore, permutatione facta humoris in aurem dextram, qua ſuppurauit, cùm iam ceſſaſſet dolor dentium. Certè à dentibus ad aurem, & ab aure ad dentes crebram permutationem, & facilem compaſſionem eſſe experimento quotidiano conſtat: cauſam eſſe ſuſpicor in communibus neruis. Portio enim quintæ coniugationis, eorum qui ex cerebro oriuntur, quæ in porum auditorium ſe inſerit, miſcetur quà maxilla dearticulatur cum portione tertiæ coniugationis, quæ inſeritur in radices dentium & gingiuas. Fiunt autem abſceſſus, vt dicebatur libro ſecundo, ſectione prima, per venas, aut oſſa, aut neruos. Quod autem in ſola dextra aure facta ſit ſuppuratio, ſignificat dolorem dentis dextri & ſuperni ex maiori fluxione pependiſſe, quàm ſiniſtri & inferni: & hunc diſcuſſione, illum non ſine abſceſſu ſolui potuiſſe.

Sutor in Pytio ſoleas veteramentarias ſuens pupugit ſeipſum ſupra gens in femur, & ſubulam ferme ad vigiti longitudinem immerſit. Huic nullus quidem ſanguis effluxit, verùm vulnus citò coiuit: femur autem totum in tumorem eleuabatur, & tumor extendebatur vſque ad inguen & inanem partem. Hic tertiâ die mortuus eſt.

Vlcera omnia iuxta articulos præcipuè grandiores, vt genu, & cubitum ſunt periculoſa, & vlcerum omnium punctura maximè, & ex quibus recentibus ſanguis non effluit. Quæ omnia miſero huic homini accidêre. Afferunt verò hæc omnia idem periculum, conuulſionis ſcilicet, quia ad articulos multi nerui & tendines ſunt, qui vulnerantur. Et punctura icti facilùs inflammantur, & minùs expurgantur, quàm icti aliter. Et quum ſanguis non effluit ex vlcere, cùm neceſſariò ad vlceratam partem conuocetur, neceſſe eſt phlegmonem fieri. Hæc verò neruum occupantia mox afferunt conuulſionem: præcipuè cum neruus aliquis inſignis magnitudinis pungitur altiùs. Tunc enim per continuatas fibras neceſſe eſt, inflammationem, & tentionem produci vſque ad nerui exortum, indéque & vſque ad cerebrum: vnde communis corporis totius conuulſio, & per conuulſionem citò mors venit. Velut huic, cui neruus altiùs fuit punctus, cùm fermè ad digiti longitudinem immerſerit in crus acum. Sunt verò illic plurimi nerui, inſignis magitudinis omnes, præcipuè is qui ab anatomicis dicitur quartus mouentium crura, qui maximus eſt omnium noſtri corporis, & conflatus ex quatuor ſerie procedentibus, vigeſimoquinto, ſexto, & ſeptimo, & octauo eorum qui ex medulla ſpinæ naſcuntur. Hic decurrit iuxta genu, inclinans ad partem poſteriorem. Hic potuit pungi, & ſanè altè ſatis. Quod factum eſſe, & ob dolorem phlegmonoſum eſſe affectum neruum vſque ad eius radicem, dolor ille declarauit, qui totum femur, & inguen, & inanem partem attigit vſque ad ſpinalem medullam: vnde malo tranſlato ad cerebrum, contigit conuulſum mori tertia die: miraberis, quod tam citò, tamen & tetanum eſſe morbum quatuor dierum Hippocrates docet. Hic habuit magnum apparatum morboſum, quem maximam mali cauſam fuiſſe ſuſpicor. Videns nullo ſanguine exeunte punctura oſculum mox obturari, vulgaris homo contempſit, neque venam mox ſecuit, neque vlcus dilatari ſibi popoſcit, vt oportuiſſet.

Quidam iuxta inguen ſagittâ percuſſus, quem nos vidimus, maximè præter opinionem ſeruatus eſt. Neque enim cuſpis exepta eſt (erat enim admodum in profundo) neq; hæmorrhagia vlla fiebat mentione digna: neque phlegmone aderat, neq; claudicauit. Nos

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 261 sur 489

autem cuſpidem inuenientes exemimus, cùm ſex iam eſſent anni, ex quo percuſſus erat. Suſpitio autem erat hæc, inter neruos occultatam fuiſſe cuſpidem, nullamque venam aut arteriam diſſectam eſſe.

Res eſt certè hæc admiratione digna, & in qua naturæ vim maximè poſſis laudare, quæ cuſpide ſagittæ, aut ſpherula plumbea in alto manente, vlcus obducit cicatrice ad cutem, & circum circa ipſam cuſpidem, aut ſpherulam facit etiam carnem ſaneſcere, vt ſine corroſione, aut putreſcentia, aut plegmone, multis etiam annis, ac totam vitam perriſtat. Tamen non eſt tam ratum ac mirabile, ſæpè enim euenit. Cauſam verò quo admirationem deponas, Hippocrat. reddit dicens, fieri id, quum euenit inter neruos, & venas, & arterias delitescere, vt nihil illorum diſrumpat. Caro enim ſola deciſſa facilè ſaneſcit. Profectò multò minùs inopinabile eſt, telo aliquo tali interiùs concluſo, ſaneſcere vlcus, quàm ſi quid olei aut pinguedinis, aut quæ ſordities maneret. Illa enim ficta ſunt, & putreſcere inepta, ac proinde neque curationem admodum impediunt, neque computreſcunt. Neque tamen ſolet natura alienum illud pondus contemnere, ſed ſemper pellens extrorſum, ad cutim facit paulatim abſcedere, hancque procedente tempore tantopere extenuat, vt minimo negotio excidatur, extrahaturque ita cuſpis, aut ſpherula. Quin etiam fortaſſe ſi dimittatur, ipſa ſibi cutem exulcerabit, ac exibit: vt factum ſæpe videmus, quum quid deciſſi oſſis ſub ſana cute relictum eſt. Habuit hic euentus peculiarem admirationem, quòd altius iuxta inguen percuſſus ſit homo. Eſt enim proximus articulus maximus, & magnus congreſſus venarum, atteriarum, & neruorum in crus ſubeuntium, vt ſatis peritus videatur futurus diſſector, qui manu, illis omnibus illæſis, cuſpidem in alto collocauerit. Verùm nonnunquam affert caſus, quæ vix afferre poſſet prouidentia. In ſpatula ſanè aut medio femore, aut clune, aut etiam medio brachio ſupra cubitum expectare quis poſſet hanc fœlicitatem, verùm in ceruice aut inguine rariſſimè, ac proinde maximè præter opinionem non ſolùm vulgarium, ſed & medicorum. An Hippoc. hunc viderit recens percuſſum, ipſúmque etiam vt alios chirurgos latuerit cuſpis, quam ipſemet poſt ſex onnos exemerit, an ſolùm cum multo iam tempore cuſpidem interiùs continuiſſet, ipſe acceſſerit, non ſatis conſtat ex narratione. Suſpicor eum dixiſſe, quem nos vidimus, vt inſinuaret ſe plurima huiuſmodi audiſſe, vidiſſe hoc ſolum. Omnibus enim nobis ita euenit, atque ita eſt naturâ comparatum, vt harum rerum, quæ admirationis gratiâ narrantur, audiantur plurimæ, videantur paucæ.

Qvi iaculo acuto percuſſus eſt in poſteriorem partem paulò infra ceruicem, vulnus quidem accepit aſpectu nulla mentione dignum, non enim in profundum penetrabat, paulò autem poſt extracto telo diſtendebatur in poſteriora tractus, velut ij qui poſteriore corporis parte conuelluntur, & maxillæ conſtrictæ erant, atque ſi quid humidi ore reciperet, idque deglutire conaretur, rurſus relidebatur in nares: ſtatimque reliqua exacerbabantur & ſecunda die mortuus eſt.

Hic percuſſus eſt inter ſpatulas, paulò infra ceruicem, iuxta ipſam ſpinam. Conſtat ergo transfixos eſſe in ſuo exortu duos, eoſque maximos muſculos, mouentes caput retrorſum. Oriuntur enim illi à quinque primis vertebris dorſi, & duabus vltimis ceruicis, & implantantur in occiput. Meritò ergo illi telo acuto transfixi, conuulſi ſunt, ſi, vt eſt veriſimile, corpus erat plenum, & immundum: atque illis conuulſis, neceſſe fuit caput & ceruicem retrorſum trahi, fierique hominem opiſthotonicum ſecundùm eas partes: conuulſione verò ſerpente in partes proximas, conſtrictæ ſunt maxillæ, vt non poſſent aperiri, conuulſis muſculis claudentibus maxillam inferiorem (ſuperior enim immobilis eſt per ſe) reflexa verò retrorſum ceruice cum capite, neceſſe erat impediri deglutionem. Comprimitur enim eo modo gula. Vnde fiebat (velut quibuſcunque impedita eſt deglutio) vt ſiquid conaretur bibere, relideretur in nares, & ob eum laborem, reliqua omnia exacerbarentur: homine ſcilicet hinc ſtrangulationis periculum ſubeunte, & ſanguine in caput magis occurrente. Hic vetò die ſecunda ab vlcere mortuus eſt. Neque immeritò, cùm valdè lethalia ſigna prima die acciderint. Velut enim ſi quarta fierent, ſeptima timeremus ægroto: ita cùm prima fiunt, altera, aut etiam eadem die meritò timemus. Nam ſuperuenientia ſigna, ſiue ſalutaria ſiue lethalia, ſi citò apparent, morbum contrahunt: ſi tardiùs, producunt. Itaque dicens non multo tempore poſt extracto telo diſtendebatur, eadem die intelligit. Neque verò quia extractum eſt telum, conuulſus eſt homo, ſed quia percuſſus. Neque enim vulnus erat, ex quo ſanguinis, aut ſpiritus copioſum aliquod profluuium fieri poſſet, & ipſomet telo, quod infixum eſſet, cohiberetur. Non enim vulnus in profundum, & in ventrem aliquem penetrabat, ſed exiguum erat, & externum. Factum eſt autem adeò lethale ob locum, & apparatum, quem in corpore eſſe contigit.

Adoleſcens qui pro viam aſperam properauerat, caloris dolore affectus eſt, maximè parte inferiore. Abſceſſum autem nullum recepit pars affecta, velut humorem conuocans, ſed quartâ die tota denigrata eſt, vſque ad tali os quod Aſtragalus dicitur; & cauitatem quæ eſt ſub planta pedis, nec quod denigratum erat diruptum eſt, ſed prius interiit. Poſt curſum autem vixit diebus omnino viginti.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 262 sur 489

Quàm periculoſus ſit malus corporis apparatus, & cacochymia in corpore latitans, hinc diſces apertiſſimè. Vnde enim, qui mediocritatem bonorum ſuccorum haberet, nihil contraxiſſet mali, præter exiguum fortaſſe dolorem ſola quiete ſoluendum, qui verò multitudinem bonorum, aut etiam non omninò malorum, podagricum aliquem dolorem, aut tumorem non malignum: hic quòd malignos ſuccos congeſſiſſet (neque enim poterat aliter fieri) contraxit mortificationem, die quarta à curſu (quod magis mirere) nullo prægreſſo tumore, vt videretur ſuccus ad partem conuocatus: Vnde quid coniectes aliud, quàm hominem non tam multitudine, quàm maligna qualitate laboraſſe? Habuiſſeque interius intra viſcera latitans virus aliquod veneno proximum, quod in eam particulam (dolore præſtante motus initium) depoſitum eſt? Non expulſum autem inde, veneficam vim in cor reffudit intra viginti dies. Hoc quoque eſt euidenti argumento (quod Galenus vltimo de locis affectis multis confirmat) poſſe, atque adeò ſolere, intra noſtra corpora gigni veneno ſimilia excrementa, atque poſſe alicubi multo tempore latere, donec aliqua occaſione commota, repentinos afferant caſus. Vnde qui ſapit maximè cauebit praui ſucci cibis vti, neque confidet, quòd nihil mox ſibi ſentiat mali accidere. Si enim venenum latere poteſt, quantò magis ſuccus aliquis prauus? Quin potius à talibus ſolent homines occultiùs lædi. Quæ enim ſunt coctu difficilia, aut tardè deſcendentia, aut flatuoſa, aut impenſè calida aut frigida, hæc ſtatim lædunt, quæ verò citra hæc omnia ſunt mali ſucci, ſtatim nihil videntur facere, paulatim verò malis replent, & in periculoſo ſtatu corpora conſtituunt. Dierum decretoriorum vires etiam in hoc ægroto obſeruari poſſunt, ſiquidem quarto cœpit denigratio, & mors vigeſimo. Verùm perpende vigeſimum notaſſe Hippocratem à curſu, quia quodcunque malum ab externa aliqua, & vehementi cauſa incipit, inde accipere principium motus eſt conſentaneum, & inde computatio debet incipere, vt à partu, ab vlcere, à caſu, à dolore. Quod ſi vtriuſque computationis rationem haberi vis, mortuus eſt vigeſima à curſu, decima ſeptima à denigratione.

QVi circa oculum percuſſus eſt, in palpebra quidem vulneratus eſt, cuſpis autem altè penetrauerat: Gena verò tumebat: ſectâ palpebrâ ſublatâ ſunt omnia, nihil vitiatum eſt oculus enim permanſit & celeriter conualuit: ſanguis autem ſecundùm plenitudinem copioſè profluxit.

Puncturæ profundæ nulla ratione melius curari poſſunt, quam diſciſſa parte, vt pro punctura vlcus longum, patensque fiat. Porrò in vlceribus recentibus nihil magis eſt ex vſu, quàm vt ſanguis effluat: ſanguine enim fluente, vt lib. de vlceribus dicitur, gracileſcentia fiunt, ac minora, hoc eſt, minùs inflammantur, & citiùs ſaneſcunt. Hæc punctura fuit haud dubiè in palpebra inferiori deorſum, cuius cauſâ gena è regione puncturæ intumuit. Verùm oculus ipſe nulla parte ictus eſt, ſed extrorſum, ac deorſum punctura decurrit, & curatus eſt, vt oportuit, ſectâ ſecundùm longitudinem puncturæ palpebrâ, & ex ſectione, ac fortaſſe ex recens acceptâ punctura ſanguis exiit largiter, ac multum. quantum verò momentum habeat hoc ad ſalutem, inde intelliges, quod hic oculo altè punctus facilè ſanitati reſtitutus eſt. Sutor verò ſoleas veteramentarias ſuens, qui ſe ipſum pupugerat ſupra genu, cui nullus ſanguis effluxit, mortuus eſt die tertia. Cæterùm variant interpretes in explicatione horum verborum ὁ δὲ αἰθὴρ παρουπερῖγε. Quidam enim pro αἰθὴρ legunt ἄθηρ quod ſignificat extremam ſagittæ cuſpidem, quæ altè ſubintrauerat. Qui αἰθὴρ legunt authore Heſychio vertunt ignem & inflammationem, vt ſenſus ſit partem inflammatam adeò intumuiſſe, vt ſuperemineret. Quo ſenſu Valleſius de genæ tumore interpretatur, rem potiùs quàm exactam verborum ſignificationem ſectatus.

VIrgo illa pulchra Nerei filia, annos quidem viginti nata, à muliercula amica ludente latâ manu percuſſa eſt ſecundum ſinciput, & tunc quidem vertigine tenebricoſa correpta eſt, & reſpiratione priuata, & cùm in domum veniſſet, ſtatim febris eam vehemès corripuit cum capitis dolore & faciei rubore. Septimâ autem die per dextram autem pus prodiit fœtidum, ſubrubrum, cyatho amplius: & melius ſe habere videbatur & ſubleuata eſt. Rurſus intendebatur febris, & in ſomnum deferebatur, nec loqui poterat, & faciei pars dextra trahebatur, difficulter ſpirabat, & cum tremore conuellebatur, & lingua cohibebatur, & oculus ſtupidus erat. Nona mortua eſt.

Debiliſſimam partem capitis eſſe ſinciput, Hippocrates dicit libello de vulneribus capitis, cerebrum inquit & citiſſimè, & maximè iuxta ſinciput ſentit mala, quæ & in carne & in oſſe fiunt, ſub tenuiſſimo enim oſſe, ac modica carne cerebrum eſt hac parte, & plurimum cerebrum ſub ſincipite iacet. Exemplo certè euidenti eſt hæc virgo, quæ nonâ die obiit ex ictu quem lata manu accepit ſecundum ſinciput. Porrò euenit quibuſdam plus, quibuſdam minùs eſſe hanc partem debilem. Huic certè putandum eſt fuiſſe naturâ debiliſſimum. Concuſſum enim & compreſſum eſt cerebrum. Vnde compreſſione attingente neruos opticos, qui ſub lobis anterioribus cerebri perreptant, & concuſſione ventriculos cerebri, repentè priuata eſt viſu cum cerebri perturbatione (quam vertiginem tenebroſam appellant) & ob ſpirituum in cerebri ventriculis interceptionem, reſpiratione priuata eſt, velut carocho correpta, non tamen ea paſſio diu duranit, ſed (vt fieri ſolet) ad ſe reuerſa, domum iuit. Quo cùm veniſſet, ſtatim febre correpta eſt cum capitis dolore, & faciei rubore, quæ ſigna erant inflammationis in capite. Quam ſuſpicionem euentus veram eſſe indicauit. Siquidem ſuppuratio tanta

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 263 sur 489

©BIUM

ſubſequuta eſt, vt ſeptima die exierit per auré dextram puris plus cyatho (hoc eſt, ſeſquuntia) nam dolorem, quem ictus fecit, conuocaſſe multum ſanguinis rubor faciei declarabat: ſubſequuta verò eſt ſuppuratio, neque ea quidem bona, ſed maligna, ſi quidem exiit fœtidum, & ſubrubrum, quale eſt quod aphoriſmo 44 ſectionis ſeptimæ vituperatur, & fieri ſolet partibus, quæ contuſæ aut inflammatæ ſunt, ſimul cum humore malignè putreſcentibus. Exeunte verò pure, viſa ſibi eſt virgo melius ſe habere, depoſita ſcilicet ea materie malignè putreſcentis portione. Verùm partes non manebant integræ, neque naturaliter diſpoſitæ, ſed putreſcentes, & dolentes, & conuocantes fluxionem nouam. Vnde meritò euenit, vt citò febris intenderetur denuo, & longè grauiora ſymptomata quàm priùs, vt morti iam proximæ ſuperuenirent, nimirum delatio in ſomnum, & conuulſio dextræ partis faciei, & tremores (hoc eſt, motus conuulſiui) & aphonia, & diſpnœa, & oculi etiam dextri ſtupor, ſeu immobilitas, ſeu rigor, vtcumque lubet dicere. Certè hoc etiam erat eius oculi conuulſio. Hæc omnia peſſimè iam affectum cerebrum, & ægrotam eſſe moribundam indicabant ei, qui vel tantillum prognoſticam artem calluerit. Conuulſionem ſuperueniſſe morienti ex ea cerebri affectione, admodũ erat conſentaneum, cùm cerebrum radix ſit neruorum. Delationem illam in ſomnum ego quidem in tam extremo conſtitutis, per facultatis impotentiam fieri iam ſuſpicor. Quem enim pituitæ motum prętexere poterimus, cùm ſomnus remiſſio quædam ſit actionum cerebri, cuius virtus iam labaſcit? Linguam quoque cohiberi indicabat conuulſionem: dypnœa hanc etiam & debilitatem. Facultate enim debili, & inſtrumentis veluti alligatis, aut reuulſis, neceſſe erat difficultatem magnam oriri, ac neceſſitate cogente vix vi reſpirare. Quod conuulſio retinuerit dextram partem, ex affecta parte ortum eſt. Nam dextram partem capitis huic præcipuè affectam eſſe, & doluiſſe, exiens etiam indicauit è dextra aure pus. Id accidit, quòd caſu percutientis manus in dextram partem grauiùs incubuerit, vel quòd eam partem mulier habuerit paratiorem. Sed mirabitur quiſpiam meritò quo pacto fieri potuerit, vt hæc non deliraret: aut ſi delirauit, cur id Hippocrates tacuerit. Ego ſanè non poſſum mihi perſuadere, cùm iam in extremis conſtituta eſſet, eam virginem mente conſtitiſſe: Verùm fortaſſe id latuit per delationem in ſomnum, & aphoniam. Primis verò diebus etſi teneretur inflammatione cerebri, & partium circum circa conſiſtentium, exiſtimo fieri poſſe, vt non deliraret. Nam quamquam phrenitidis eſſentia à Galeno in cerebri & membranarum eius inflammatione ponatur, atque adeo plurimi phrenitidem in membranas reijciant magis, ſcimus tamen non ſemper delirari his inflammatis. Vidimus enim in capitis fracturis membranas, præcipuè duram inflammari conſpicuè, atque adeò ſuppurari, poſteà & fruſtratim extrahi, homine non delirante. Vnde mihi perſuaſi, non quamcunque cerebri, aut membranarum inflammationem eſſe phrenitidem, ſed eam per quam penitiſſimè partes cerebri in quibus mentis ſedes eſt, ſunt malo ſucco imbutæ. Vt liceat nobis hic, Hippocraticam phraſim vſurpantes dicere, ſuccos etiam facientes phlegmonas in cerebro, vergere nunc ad corpus, nunc ad animam: ad corpus quidem, quum exteriores potiùs tumẽt partes: ad animam, quum interiores ſunt imbutæ. Hucreſpiciens Paulus ſeorſum ſcribit de phrenitide, & de cerebri inflammatione. Quaſi hæc ſine phrenitide fieri poſſit tanta, vt cerebri tumor faciat dehiſcere commiſſuras. Hæc itaque virgo vna earum erit, quibus ad corpus vergit malum, ac proinde conuulſiones, quæ cõporalia sũt ſymptomata, habuit potiùs quàm deliria, quæ animalia ſunt, vtita dicatur. Quid fuerit huic factum, non narrat. Timeo ne non fuerit miſſus ſanguis quantum oportuit.

Leomenis puer hyeme cibos faſtidire cepit, ſine febre emaciabatur, & vomebat cibos & pituitam: duobus menſibus faſtidium perſeuerauit.

Non videtur hæc narratio perfecta, ſed lacera, & mutila. Neque vllo modo ſuppleri poteſt quod deeſt. Proinde id ſolum ſupereſt vt videamus quam habuerit cauſam. Certè & à pueri, & ab hyemis naturâ ſatis alienum eſt faſtidium, quin & à pituitoſa diſpoſitione. Hæc enim cibi capiendi neceſſitatem, cupiditatem verò non ſolet tollere. Quin potius ſolent pituitoſæ diſpoſitiones facere, vt appetatur pluſquàm coqui poſſit. Et fames quædam canina ita fieri conſueuit, refrigerato ventriculo. Cæterùm etſi horum ſingula, puerilis ſcilicet natura, quæ vorax eſt, & hyems per quam plurimùm ſolet capi alimenti, & morbus pituitoſus ventriculi, augere ſoleant appetitum, omnia ſimul eandem augentia intemperiem, meritò ipſum etiam appetitum corruperunt. Omnis enim immoderantia nimia tollere poteſt actionem quamcumque. Nam ex ipſa nimia fame, creſcente eadem affectione, fit bulimia, per quam iam ne appetitur quidem. Pueri etſi naturâ calidi ſint, tamen ob humiditatem naturalem, & ob voracitatem, ſunt paſſionibus pituitoſis opportuni. Hyems augere ſolet calorem ventris, frigidis verò valdè, ſiue naturaliter, ſiue præter naturam, auget frigus. Veriſimile eſt ergo, hunc natura non admodum calidum, victu prauo factum eſſe frigidum & ab hyeme auctam eatenus eſſe paſſionem frigidam, vt non ſolùm retinere, ſed neque appetere poſſet. Fuit verò puero ipſummet ſymptoma morbi curatio. Nimirum euacuata per vomitum multa pituita, moderatior eſt facta intemperies, & cœpit appetere.

Coco in ſpina gibboſitas ex phrenitide facta eſt. Huic nulla potio pharmaci conferebat. Vinum autem nigrum profuit, & eſus panis, à balneis abſtinere, & fricari leniter, fouerique non cum multo fomento, ſed manſuetè.

Gibboſitates fiunt ex quibuſuis morbis acutis, abſceſſu facto in ligamenta vertebrarum ſpinæ, vt ſcilicet in alios articulos fieri ſolent: ex phrenitide autem fieri, peculiarem habet quandam cauſam: quia ſpina rectitudinem habet cum capite, cuius

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 264 sur 489

phrenitis eſt morbus. Itaque ex phrenitide gibboſitatem ſuperfuiſſe non habet magnam admirationem: aliquantò autem maiorem habere videtur ratio curandi, quam Hippoc. docet. Si enim verum eſt, vt Galen. docet c. 5. 4. de locis affectis, gibboſitates laxatione vertebrarum fieri: luxationis verò earum tantùm duas eſſe cauſas, ictum, caſumve (denique cauſam externam) aut tubercula in earum ligamentis orta: cum huic citra cauſam externam ſit facta gibboſitas, erit ſanè ex tuberculis. Hæc verò cur iuuarentur vino nigro, & eſu panis, cibis ſanè craſſi ſucci? cur recuſarent balnea, & copioſa fomenta? Certè mihi videntur gibboſitates non eas ſolùm cauſas habere poſſe, quas Gal. dixit, ſed omnes quas luxationes. Conſtat verò aliorum oſſium luxationes fieri, non ſolùm euulſis è ſuis locis oſſibus ob contractionem ligamentorum, ſed etiam ipſis articulis factis laxioribus, ligamentorum emollitione. Velut enim ſuccus, qui in neruos incidit, nùc conuulſionem facit, nunc paralyſim, ira qui in ligamenta, nunc contrahit, nunc laxat. Alterum quidem auellit, alterũ facit loco excidere oſſa. Vtrumuis horum fiat in ligamentis vertebrarum, neceſſe eſt gibboſitates ſuperuenire. Hunc curatio indicat laboraſſe mollitie, & laxitate ligamentorum, adiutus enim eſt victu ſolidiori[pane ſcilicet & vino nigro moderatè ſumptis) & curatione ſicciori, frictione ſcilicet ſine balneo, & fomento non copioſo: ne copia molliret, ſed qualitate reſolueret, ac ſiccaret. Panis certè eſt cibus qualitate omnium moderatiſſimus, ſi ex optimo ſit tritico, tamen firmus & ſolidus, ac proinde non reſoluens. Vinum quoque nigrum nutrit ſolidiùs, & neruos tentat minùs, vt pote minùs penetrans, & fluxiones minùs ciet, vt minùs tenue. Quod verò dicunt vulgò, eſſe humidius, falſum eſt, ſi cum albo tenui oligophoroque conferatur, ac niſi cum acri: verum eſt, ſolere eſſe minùs ſiticuloſum quod nigrum, quàm quod album: Id verò fit, quia eſt craſſius, & eius humor magis manet. Velut ptiſana ſitim magis ſedat, etſi humidior quàm aqua non ſit. Itaque vbi partes adſtringere, & formare opus eſt, nigrum quàm album eſt commodius. Nam & laxatam aluum firmari ab eo ſentimus. Frictio reſoluit, ſiccat etiam partes: balneum reſoluit ſuccos non minùs, ipſas tamen interim partes emollit. Proinde huic optimè conſultum eſt frictione ſine balneo. Fomentum quoque, quod reſoluendi ſuccos gratia, & laxandi partes admouetur, copioſum ſit: tamen quod gratiâ ſiccandi, facultate poſſit plus quàm copia. Sed dices præter rationem eſſe, vt pharmaci nulla potio conferret, cùm id vitium ex prauo ſucco ligamenta occupante penderet. Non quia Hipp. dicit hunc nulla pharmaci potione adiutum eſſe, oportet intelligere, ad has paſſiones inutilia eſſe pharmaca: non enim hoc dicit Hippoc. ſed narrat hunc non eſſe adiutum, quamquam iuuari alij quamplurimi ita affecti ſoleant. Conſiderari ergo oportet, cur quidam non iuuentur, cùm ſoleat pharmacum in ea affectione eſſe vtile. Qui morbis quarundam partium ex materia vitioſa pendentibus laborant, iuuantur pharmacis, tunc maximè quum cacochymia totius corporis fouet affectiones, quæ ſunt in parte: cùm verò iam ſucci in parte firmati ſunt, & reliquum corpus purum, particularibus auxilijs, & bono victu, & temporis beneficio fidendum potius eſt. Corpora enim talium, vtpote ſana, malè ferunt purgationes. Quod impactum in parte eſt, non cedit: quo fit, vt multi horum lædantur pharmacis, quòd facultas debilitetur, & morbus non remittat. Tale quiddam eſt conſentaneum huic Coco accidiſſe: cùm laboraſſet phrenitide, & vt in ea diſpoſitione ſolet, corpus miſſione ſanguinis, & expurgatione, aut iudicatorijs excretionibus vacuatum eſſet, & ita redditum purum; reliquias vitioſi ſucci ſola ligamenta vertebrarum occupaſſe, & factum eſſe gibboſum, ac proinde tuliſſe malè expurgationes tutum verò fuiſſe corpus nutrire pane & vino, quòd corpus non ſimul ægrotaret, ſed, vt eſt veriſimile excretiones fierent ſimiles ſanis. Hæc eadem hiſtoria repetitur lib. 7. & vbi hic dicitur fricari leniter, dicitur illic, inungi, & inunctum fricari. Ego eandem rem cenſeo vtrobique dici. Quia inunctio facit frictionem lenem: ſicca enim aſpera etiam eſt. Ne igitur aſperitas frictionis fluxiones vllas commoueret, ſatius fuit fieri lenem, atque vt lenis fieret, præire inunctionem.

Vidam quæ vigeſimum ætatis annum agebat, & pharmacum corruptorium biberat, contigit dolor, & vomitus bilioſorum multorum, pallidorum, & porraceorum. Quum bibiſſet, conuulſio corripiebat, linguam mandebat. Cùm circa quartam aduenissem, ipſi lingua erat magna & nigra, oculorum verò album rubeſcebat, inſomnis erat. Quarta die mortua eſt ſub noctem.

Iureiurando adſtringebat Hippoc. ſuos diſcipulos, ne cui darent medicamentum ſubditicium ad perdendum fœtum. Longè cum maiori periculo dabitur pharmacum. Proinde quæ qualiave ſint hæc, dicere non licet, ſi quidem neque eis vnquam vti. Illud vnum dicam, (quod deterrere potiùs quàm allicere poteſt) omnia quæ verè ac propriè ſunt corruptiua, venenoſa eſſe, vtcumque autem fœtum eijciant, eſſe vehementiſſima & periculoſiſſima: quo potiùs corporis apparatu, non dicam, ne incautè modum vtendi talibus doceam. Quantum periculi in eis ſit, vel hæc puella indicat, quæ cùm viginti eſſe annorum, ſuſtinere non potuit, ſed quartâ die cum ſymptomatis quaſi accepti veneni periit. Libro ſeptimo narratur rurſum hæc eadem hiſtoria, & eſt illic aliquantò copioſior narratio, quia narratur vomuiſſe cum potaret, non ſolùm porracea, ſed etiam nigra. Narratur etiam conuulſionem die tertia accidiſſe. Sed variat in eo quod hic legitur κατὰ τὸ ἑπτακαιδέκατον τῆς ἡλικίης ἀπόφθαρμα, illic verò τὸ τριηκοστὸν ἀπόφθαρμα, vt ſignificet vel trigeſimo ætatis anno hauſtum fuiſſe medicamentum fœtum corrumpens, vel trigeſimo conceptionis die. In quibuſdam codicibus poſt hanc hiſtoriam ſcripta occurrunt hæc verba: origanum potum oculis malum, & dentibus: in quibuſdam verò nihil eſt tale. Quare conſtat, aut ab aliquo eſſe prærer rem interiectum, aut ab alijs quaſi huius loci non ſit, expunctum. Vtcumque hoc habeat, ſi quis expunxerit, rectè mihi videtur feciſſe. Nam neque verum eſt quod dicitur, neque ſi eſſet, haberet hic locum. Repetitum occurret libro ſeptimo.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 265 sur 489

PVella quæ à rupe ceciderat voce eſt priuata, iactabat ſeſe; & vomuit ſub noctem multum ſanguinis, qui copioſor effuxit è parte ſiniſtra in quam ceciderat. Melicratum difficulter bibebat. Stertor, ſpiratio frequens erat veluti moribundis. Venæ circa faciem diſtentæ erant, Supina decumbebat, pedes tepeſcebant. Febris aderat remiſſa, & vocis interceptio. Septimâ vox erupit, leuiter incaleſcebat, ſuperſtes fuit.

Rarum quiddam & miraculo ſimile eſt, hanc euaſiſſe puellam. Quia ſymptomata, quæ ſubſecuta ſunt caſum, læſa eſſe membra, partim præcipua, partim ad vitam neceſſaria, videbantur indicare. Siquidem vocis interceptio repentina poſt caſum, & à caſu & vocis interceptione vomitus, læſionem inſignem cerebri videbantur indicare. Copioſus ſanguinis ex naribus, & ex ea parte in quam ceciderat copioſior fluxus, rupturam aliquam venarum: difficilis deglutitio & ſtertor, tuberculum aliquod obortum ad gulam, & laryngem, quod ſtrangularet. Venæ circa faciem diſtentæ, inflammationem firmatam in capite: ſpiratio velut moribundis, decubitus ſupinus, pedes tepidi, & febris debilis, quid aliud quàm debilitatem extremam, aut maximam viſcerum inflammationem ſignificare poterant? Si quidem igitur mortuam dixiſſet, neque miraremur, neque cauſam inueſtigantes laboraremus, ſed cum dicat fuiſſe ſuperſtitem, cur fieri potuerit, oportet dicamus. Si hæc ſymptomata citra vllam cauſam manifeſtam apparuiſſent, meritò medicus de ſalute deſperaret, quamquam ne ſic quidem valdè confidere poterat, in tanto grauiſſimorum ſymptomatum concurſu, niſi forte quia non eſt conuulſionem paſſa. Hoc enim ſolum videtur mihi defuiſſe ad certiſſimam mortis præſenſionem. Verùm ſi ob ſolam internam cauſam, vt ſanguinis raptum in caput ſpõtè factum voce priuaretur, & ſterteret, neque poſſet deglutire, & venas circa faciem haberet diſtentas, quis non aliquam apoplecticarum paſſionum tenere mulierem iudicaret? Atqui apoplexiam fortem, quæ citrà cauſam externam accidat, curari non poſſe inter medicos omnes conuenit. Galenus verò in fortibus ponit eam, quæ aphoniam habet cum ſtertore. Apoplexiam verò, quæ fit ob externam cauſam, etiamſi in cæteris videatur eſſe fortis, ſolui aliquando poſſe indicat aphonia ex ebrietate, quæ ſi ſymptomata ſpectes, grauiſſima videatur apoplexia, ſoluitur tamen nonnunquam, qua hora ſolent ſolui crapulæ. Nimirum quod pendet ex cauſa externa, ſoluitur cum ipſius externæ cauſæ motus ſolui ſolet. Vt quæ ex ebrietate pendent, quũ ſolent ſolui crapulæ, ſic hæc quæ ex caſu, quũ ſolent ſolui, aut remittere labores ex plagis, aut contuſionibus: plerunque, vnâ ſeptimanâ. Itaque conſentaneum eſt cenſere, huic nullam partium præcipuarum neque neceſſariarum diſruptam, aut laceratam, concuſſas plurimas, & ſanguinem ictu & dolore exagitatum, magis verò ſecundùm ſiniſtram partem, ſecundùm quam magis icta eſt, affatim ſeſe ſurſum collegiſſe: quiob multitudinem exiit è naribus copioſè, & ex ſiniſtra magis. Solutis verò doloribus & tentionibus partium ita laborantium, ſeptimâ die loqui cœpiſſe, & meliùs ſpirare, ac cætera meliùs exequi. Vt ſi ob pedis contuſionem inceſſu priuata, tunc remittente labore incedere inciperet, miraremur quidem minùs affectionem, vt pote externam intuiti, eſſet ramẽ ratio eadem. Verùm ſatius erit ſingulorum cauſas coniectando percurrere. Repentè quidem priuata fuit voce ex caſu, ob concuſſionem cerebri interceptis animalibus ſpiritibus, & ob contuſionem vocalium inſtrumentorum, vt muſculorum linguæ, aut neruorum recurrentium, aut vtrorumque: & hæc omnia fouit, auxitque redundantia ſanguinis in partibus, tumidas eas & malè flexiles faciens: vomitus concuſſo & contuſo ventriculo: ſtertor & difficilis deglutitio, ob anguſtiam œſophagi, & viarum ſpiritus (quæ ob tumidas etiam venas accidunt) & motum difficilem muſculorum gulę, & eorum, qui deſcendunt in thoracem: decubitus ſupinus ob debilitatem, non in facultatis eſſentia, ſed quod facultatis animalis eſſet exigua diſtributio in partes. Ita & frigus pedum, & febris debilis, quòd ſanguis non æquè effuſus in partes, ſed ſurſum collectus eſſet affatim. Laxatis intra ſeptem dies partibus & laſſitudine, vt ita dicam, remittente, ſeptimâ (inquit) vox erupit, quod non ſine magnâ dictionis energiâ dicit: quaſi enim modo aliquo conſtringerentur inſtrumenta, aut vinculis quibuſdam nixu facultatis ruptis loqui cœperit, dicit vocem erupiſſe. Αἱ θέρμαι (inquit) λεπτότερον ἔσχον, ne intellige leuiores quàm prius (erant enim anteà pedes tepidi, & febris remiſſa) ſed calores leuiores, id eſt, leues, quaſi diceret, iam inde febribus laborabat manifeſtis, nondum tamen magnis. Et ſuperſtes euaſit. Nimirum ſolutis laboribus ſupernarum partium, & calore ac ſanguine æquè effuſis, calere cœpit corpus, & ob obſtructiones non potuerunt integri perdurare ſucci, quare putruerunt, & febres acciderunt, ac febris quidem non omninò magna (maxima enim per ſeſe fuiſſet periculoſa) iuuit quia ipſa ſuam cauſam confecit, ac ita ſuperſtes fuit. Puto autem quòd nunquam ſuperſtes euaſiſſet, niſi fluxiſſet ei ſanguis tam copioſè, & ſolum melicratum deglutiſſet: atque (vt fieri ſæpè ſolet) ea fuit mulieri ſalutis cauſa, ex quâ vulgares quia derant maximè timuiſſent.

PYthocles ægrotantibus lac multâ quâ permixtum concedebat. Vt perniones diſſoluas, tepefacere oportet pedes hoc modo, præcipuè calefacere igne & aqua. Oculis admodum noxia ſunt, lens, fructus Autumnales, dulcia, & olera. Dolores lumborum, crurum, & coxæ ex laboribus obortos, aquâ marinâ & aceto calidis aſpergere oportet, & ſpongiam imbutam admouere: lanis verò ſuccidis & agninis pellibus deligare.

Hæc quoque videntur interiecta, & nullo ordine poſita: tamen non prætereunda cenſui, quia in omnibus codicibus ſcripta reperi. Neque ſanè eſt quod admodum requiras ordinem in hoc libro, quo

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 266 sur 489

perpaucæ præceptiones, ſed obſeruationes vt occurrebant Hippoc. ſcriptæ ſunt. Quanquam videtur ex loquendi modo, illud ſolum quod de diluto lacte dicitur eſſe Pythoclis, cætera dici ex Hippoc. ſententia, ego quidem ſuſpicor, omnes has curationes eſſe Pythoclis. Ferè enim pleraque conſueuerunt græci, præcipuè qui breuiloquio ſtudent, verbis infinitiui narrare. Itaque perinde intelligo ac ſi diceret, diſſoluebat, tepefaciebat, calfaciebat, aſpergebat, admouebat, deligabat. Non dicit quibus ægrotantibus dabat Pythocles lac multâ aquâ dilutum, inſinuare videtur crebrum eius vſum homini fuiſſe in pleriſque morbis. Fortaſſe vtebatur hoc pro victu. Nam libro ſeptimo repetuntur hæ curationes Pythoclis, ibique ita legitur lac multa aqua mixtum dabat, & renuntiabat. Quibus verbis inſinuatur, pro alimento dari: tamen ſi ab Hippoc. didiceris noxas lactis, quas ferè vno aphoriſmo collegit ſexageſimo quarto quintæ ſectionis, videbis perpaucis morbis congruere poſſe. Nam vel tabeſcentibus, ad quos maximè commendatur, non conuenit valdè dilutum, ſed aliter præparatum, vt minùs alvum moueat, & minùs aceſcat. Ego de lacte diluto non habeo aliud quod dicam, quàm me eo vti ſolere ad gargariſmata, & oris colluliones in febribus, ijs præcipuè quæ fauces ſiccant, & exaſperant. Perniones cutis refrigeratione & denſatione fiunt, proinde calfactione & laxatione curantur. Nulla re faciliùs calefieri poſſunt manus aut pedes, quam igne. Verum ignis calor non adeò laxat, quin potiùs, ſi plurimùm quis ignem ſuſtineat, vt exuri incipiat cutis, etiam corrugatur & adſtringitur. Proinde meritò Pythocles calfaciebat alternatè igne & aquâ calidâ. Calida enim aqua laxat ſimul & humectat. Quare igne calefaciente, & aquâ laxante ac vſtionem prohibente, diſſoluetur materia, laxabitur cutis, & temperabitur pars. Nec ſanè ſola aqua tepida agetur commodiùs (quamquam ea videatur vtrumque præſtare poſſe) quia cum ea valdè molliat, niſi emollitio ignis ſiccitate corrigatur, manebit pars noxæ ab ambiente aëre peropportuna, & occurſu illius mox findetur, & afficietur grauiùs: quin & vtenti alternatè aqua & igne, etſi minùs, non nihil periculi inde eſt, ac propterea qui curatur nunquam debet pannis duplicibus & mollibus pedes exuere. Itaque pernionum curatio hæc mihi valdè probatur. Oculis noxia eſſe lentem, fructus Autumnales vel horarios, dulcia, olera, conſonum etiam eſt rationi: ſiquidem omnium horum ſunt vapores craſſi, & ſolutu difficiles. Dulcia enim craſſarum partium ſunt: olera verò ex aquæ & terræ leui permiſtione conſiſtentiam habent. Lenticulam aciem viſus obtundere Dioſcorides affirmat proprio capite, craſſam enim & flatuoſam ſubſtantiam habet, vt alia ferè omnia legumina, & plus etiam quàm illorum plurima. Curare verò dolorem lumborum, crurum, & coxæ ἐκ πόνων, hoc eſt, quum dolor ex labore ac defatigatione ortus eſt, aſperſione aquæ marinæ & aceti, & admotâ ſpongiâ illis imbuta, ac deligatis lanis ſuccidis & agninis pellibus, non ſemper probo, ſed tunc ſolùm, quum frigida humidáque intemperies cum ſucco eſt: aut, etſi ea intemperies in parte non ſit, talis humor in partem influxit. Nam marina calefacit & ſiccat, lanæ etiam ſuccidæ, & pelles agninæ calfaciunt & digerunt, acetum ſiccat, & facit marinam penetrare. Qua facultate ad coxam præcipuè, maximè eſt opus. Itaque eſt hoc vnum quoddam eorum auxiliorum, quæ ad dolorem coxæ, lumborum, ac crurum commendari meritò poſſunt, nullum tamen eſt omninò, quod ei curando vnicum poſſit eſſe ſatis, nam neque cuilibet niſi adhibeatur diſtinctio cauſæ, & naturæ hominis.

Vlloni inguinum tumores exorti ſunt duri & ſine dolore, & circa pubem & in collo magnitudine ſimiles. Febris quidem præceſſerat lenta per tres menſes, quarto venter diſtentus eſt. Calores ſuperuenerunt. Lingua ſicca erat, ſitis, deiectiones alui moleſtæ. Mortuus eſt.

Hic ob prauum fortaſſe victum congeſſit multos ſuccos frigidos, quorum redundantia debilitato naturali calore factus eſt hydropicus, & ex hydrope interijt. Frigidorum redundantiam facilè indicabant multi ſcirrhi, & magni in partibus adenoſis totius corporis, vt in inguinibus, in pube, in cervice exorti: fiunt enim aut à melancholia, aut à craſſa pituita: quod eſt duplex genus frigidorum & craſſorum. His putreſcentibus, primùm quidem tertio menſe facta eſt febris lenta, quales ſcilicet ex craſſis & frigidis fieri ſolent: menſe quarto venter iam diſtentus eſt, & lingua reddita ſicca, & facta magna ſitis, vt ſcilicet in hydropicis fieri conſueuit. Calores etiam ſuperueniebant, id eſt, præter eam febriculam, quæ hydropicos comitatur cum ſiccitate linguæ & ſiti, ſuperueniebant aliquando erratico modo febres, aut ob erratum in victu, aut ob fortuitò exagitatas aliquas craſſorum ſuccorũ partes. Accedit difficultas egerendi, quæ hydropicis quidem ſuperueniens, malum ſignum eſt: ſignificat enim humidas omnes potus cibique partes, in ventris illam cauitatem aut in venas arteriaſque tranſumi, & ob id fæces areſcere. Quod cum fit, neceſſe eſt hydropem augeri, donec ſepti tranſuerſi prohibeat motum, aut calorem in toto corpore extinguat: velut contrà, cum hydropicis ſuperuenit alui profluuium, aqua à venis in ventrem confluente, ſolutio fit, vt dicitur 14. aphoriſ. ſectionis 6. Ob id igitur hic mortuus eſt. Quæ hiſtoria nos admonet, vt cum multa ſparſim per corpus tubercula (magna præcipuè) videmus oriri, cacochymiam citò conemur emendare. Nam hæc quæ ita pullulant, in internis latere humorum magnum vitium ſignificant. Quæ cacochymia niſi maturè euacuetur, maioris alicuius morbi cauſa erit.

Vi caput lapide percuſſum eſt à Macedone, cecidit. Tertiâ die vox defecit, anxietas aderat, febris parua, non admodum pulſabant tempora, nihil omnino audiebat nec ſapiebat, nec ſine tremore erat, ſed quartâ mouebatur. Circa frontem, ſub naſo, & vſque ad mentum madidus erat, & mortuus eſt.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 267 sur 489

Non dicit qua parte capitis percuſſus fuerit. Quod (vt in hiſtoria virginis Nerei diximus) non parum refert ad magnitudinem periculi. Verùm nulla parte capitis contemnendum vulnus eſt, niſi ſola cutis ſit cultello inciſa, nedum cum lapide eſt contuſa, & diſſecta. Mox ac accepit vulnus, cepit lethalia ſigna habere hic, nam cecidit: hoc verò ponit Hippoc. lib. de vulnerib. capitis in ſignis fracti cranii, & læſionis quæ interna capitis attigerit. Itaque haud dubiè huic contuſum cranium eſt ad interna vſque. Vnde inflammatio in internis cerebri contracta eſt. Manifeſtè autem non ſtatim, ſed tertiâ die, aut quartâ, vt dicitur lib. de fracturis, vulnera pleraque ingraueſcunt, vt quæ ad inflammationem procedunt, & quæ ad febres. Tunc ergo cœpit hic eſſe ſine voce, & nihil audiebat omninò, nec ſapiebat: ſcilicet, etſi loqui non poſſet, ex nutibus conſtabat nihil audire, neque intelligere: nec ſine tremore erat, ſed quartâ (quâ etiam mortuus eſt) mouebatur, conuulſiuè ſcilicet. Dictum enim ſæpe à me iam eſt, apud Hippo. nomen tremoris ſignificare omnem motum tremori ſimilem: quare & conuulſiuum. Hæc inflammationem magnam in alto cerebro ortam indicabant: per tantam verò affectionem tam principis membri, neceſſe erat anxietatem fieri: nam & cor ad magnam compaſſionem trahebatur: atq; (etſi id non dicat) difficilis fiebat reſpiratio. Febris verò apparebat leuis, & pulſus in temporibus non valdè inerat, quòd affectio interna eſſet, & per internas arterias & venas potiùs quàm per externas fluxio reciperetur, contrà ac in virgine Nerei factum eſſe dicebamus. Quòd huic iam exhalanti animam ſudor exiguus, ac guttatim, quem humiditatem vocat, factus ſit per faciem, à fronte ad mentum, conſonum eſt eis, quæ de ſudore in prognoſtico dixit Hippocrat. quorum cauſas ego in eius loci commentarijs reddidi.

A aortam arteriam: quare repentè cecidiſſet mortuus: ſupereſt fuiſſe vulnus poſtremâ & imâ parte thoracis, iuxta ſeptum tranſuerſum, inferiùs tamen. Inde verò iaculum deorſum verſus inteſtina, non ſurſum verſus thoracem conſediſſe, eadem ratio declarat. Cæterùm quia primùm quidem non excernebat, deinde verò tertiâ die ablutus clyſtere, merum ſtercus ſine cruore aut ſanguine eiecit, conſtat non penetraſſe vulnus in interna inteſtina, eorum tunicis laceratis, ſed conſtitiſſe inter ea & peritonæum: præcipuè cum labor, ſeu grauis dolor, ſeu velut ponderis ſenſus (nam hæc ſignificat κόπος) ad ſcrotum deſcenderit, quod quidem fit ex ipſiuſmet peritonæi productione quadam. His ita ſtatutis, quo pacto accidiſſe hæc omnia ſit conſentaneum, enarremus. Iaculo quomodo, & qua parte traiectus fuerit diximus, vulnus quidem non dolebat, quia inflammationem non valdè contraxerat, ob magnam fortaſſe ſanguinis effuſionem, quam, quia factam non narrat, ſuſpicor factam introrſum, ſanguine in ventrem effuſo: quem cùm neceſſe eſſet corrumpi, & malignas qualitates contrahere, factum eſt, vt tertiâ die dolor grauis ventris fieret, copiâ grumorum ſanguinis grauante, & premente, & qualitate malignâ mordente extrinſecùs inteſtina. Tamen non excernebat, quia mordentis & maligni nihil erat intra inteſtina. Et cùm ob hanc moleſtiam, & excernendi difficultatem clyſtere eſſet ablutus, excreuit exiguum ſtercoris, ob cuius excretionem labor non intermittebat (neque enim inde naſcebatur) ſed cùm non intermitteret, ſedes ad teſtes eminebat, grumis ſanguinis eò iam pondere delapſis. Quartâ iam die aucta copiâ & malignitate, morſum patientibus teſticulorum ligamentis, & cernice veſicæ, & quæcunque eo loco ſita ſunt, & totis inteſtinis, pubem & aluum dolor tenebat: donec mortuus ſit, ſine tremore eſſe non poterat: quem tremorem conſentaneum eſt fuiſſe rigorem ob mordicationem inteſtinorum, & ventriculi. Tametſi enim telum ventriculum non attigerit, venenoſa tamen qualitas grumorum putreſcentium eò vſque tranſmiſſa eſt. Acceſſerunt etiam rigori conuulſiui motus, per conſenſum neruoſi generis cum ore ventriculi, & ob vtrumque non potuit eſſe ſine tremore, hoc eſt, ſine vitioſo partium motu, & præter naturam. Vomitus ſinceræ bilis ob compaſſionem ventriculi cum ventre inferno accidebat. Oculi erant poſtremis iam diebus, veluti eorum qui animo linquuntur, excauati ſcilicet, triſtes, ac velut marcidi, & ſine fulgore. Tales enim fiunt ijs quos iam deficit virtus vitalis. Poſt quinque dies, extrema ſcilicet quintæ parte, aut ſextâ die finiuit vitam. Θέρμη (inquit) λεπτὴ παρῆν, id eſt febrem habebat exiguam. Quales ſcilicet apparere ſolent quæ ſunt malignæ, velut hæc malignæ putreſcentiæ grumorum ſuccedebat.

Enitates quidam proprio iaculo percuſſus à tergo ſecundùm ſiniſtram lateris partem, vulnus quidem non dolebat. Tertiâ verò die grauis dolor ventris exortus eſt, non excernebat. Iniecto autem clyſtere ſub noctem ſtercus prodyt, non intermiſit dolor, ſedes ad teſtes eminebat. Quartâ verò pubem & ventrem dolor detinebat. Viuens ſine tremore eſſe non poterat. Bilioſa vomebat ſincera, oculi ijs qui animo linquuntur ſimiles: poſt quinque dies mortuus eſt. Calor quidem tenuis inerat.

Siue hic ſe ſuo iaculo ſponte traiecit, ſiue caſu in illud incidit, ſiue ab alio quopiam ſuo ipſius iaculo percuſſus eſt, nihil refert. Qua parte, & quouſque videatur fuiſſe læſus, oportet dicamus. Latere ſiniſtro à tergo eſt percuſſus. Non narrat an ad coſtas ſupernas, quas & legitimas vocant, an ad infernas, quas nothas: verùm quoniam læſio præcipuè videtur pertinuiſſe ad ventrem infernum, vel vſque ad pubem & ſcrotum, conſtat non eſſe illatum vulnus ſuperna thoracis parte. Si enim inde deſcendiſſet iaculum in imum, diſrupiſſet pulmonem & ſeptum tranſuerſum, ac mirum ni attigiſſet cor, aut

---

Illi cui hepar percuſſum eſt iaculo, ſtatim color mortuis ſimilis affuſus eſt, oculi concaui, anxietas, & difficilis tolerantia: mortuus eſt antequàm concio ſolueretur, cùm ipſe diluculo ſauciatus fuiſſet.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 268 sur 489

Quanto cum periculo hepar vulneretur, Gal. docet comm. 18. ſextæ particulæ aphoriſmorum, quia funditur inde multus ſanguis, & hominem exanimat, & curationem prohibet. Quam ob cauſam nugari cenſet eos qui affirmant, vel abalto hepatis vlcere, vel abſciſſo hepatis lobo ſanatum eſſe quemquam. Quia ſcilicet niſi ad extremitatem vulnus conſtiterit, non poſſunt non dirumpi venæ, è quibus ſanguis effundatur. Vnde manifeſtum fit, ſi exulceratio venam cauam lacer et in exortu, neceſſe eſſe vt homo moriatur repentè, vtpote iugulatus: vt huic euenit, qui cùm iaculo eſſet vulneratus, meritò, ab ipſo telo coniectura accepta, putatur accepiſſe altum vulnus. Vnde ſanguine effuſo repentè mortuus eſt. Repentè enim mori dices eum, qui quatuor aut quinque horis exhalauit animam. Conſtat verò in moriente homine colorem mortuis ſimilem, excauationem oculorum, anxietatem indicibilem, & difficilem tolerantiam meritò accidere. Hic mihi videtur iaculi extractione citiùs moriturus, vtpote cui iaculum ipſum poſſet vlcus obturare, & ſanguinis fluxum cohibere. An extractum mox fuerit, non narrat.

Vxori Polemarchi hyeme angina laboranti tumor ſub gutture exortus eſt cum magna febri: ſecta eſt ei vena, ceſſauit faucium ſuffocatio, febris perſeuerabat. Circa quintam diem ſiniſtri genu dolor & tumor exortus eſt, & ipſi circa cor aliquid colligi videbatur, & reſpirabat velut ij qui ex ſubmerſione reſpirant, & ex pectore ſubſtrepebat, ſicut mulieres ventriloquæ dictæ, huic ſimile quid accidebat. Circa ſeptimam autem aut nonam ſub noctem venter affatim demiſit humida multa, quæ mala exiſtimabantur. Ea verò voce deſtituta mortua eſt.

Βρόγχον vocat laryngem, ſeu caput aſperæ arteriæ, quia conſtat cartilaginibus, quæ in tota aſpera arteria appellantur bronchia. Ortus itaque eſt huic laboranti anginâ tumor infra laryngem, externus quidem (conſpicua enim narrat) qui quidem per ſe malum ſignum non erat (nam vt in aphoriſmo dicitur, in angina tumorem apparere bonum eſt) verùm quia pendebat malum ex multis & craſſis, qualia hyeme colliguntur, non fuit id ſatis ad ſalutem. Nimirum tumor externus non tam factus eſt humore extra conuerſo, quam interiùs & exteriùs redundante. Accidit igitur ijs, qui ab angina liberati nihilominùs moriuntur, id quod in aphoriſ. 10. ſect. 5. dicitur his verbis, qui anginam effugiunt his ad pulmonem vertitur, & ſeptem diebus moriuntur, ſi verò hos effugerint, fiunt ſuppurati. Hæc manifeſta ſigna habuit delapſus ſuccorum in pulmonem, cuius affectionibus, vt & totius thoracis, alui deiectiones inutiliter, ac nonnumquam exitialiter ſuccedunt. Mortua itaque eſt hæc breui, quia poſt decubitum in pulmonem alui fluxio ſucceſſit: quæ ſi non ſucceſſiſſet, incidiſſet in ſuppurationem. Cùm itaque anginâ & ſimul tumore ſub laryngе ſuffocaretur, & eſſet multa febris, vt plerumque in angina ſolet, vena ei ſecta eſt, & ceſſauit ſuffocatio ex faucibus (addidit ex faucibus, quia ex pulmone & aſperæ arteriæ inferna parte parum abeſt quin fuerit ſuffocata (febris tamen non eſt ſoluta, quòd ſcilicet non tam ſoluto, quàm permutato morbo fuerit ſolutio ſuffocationis. Περὶ πέμπην γούνατος ἄλγημα, ὄιδημα τῆ ἀριστερῆ. Videtur his verbis ſignificari, dextri genu fuiſſe dolorem, & ſiniſtri tumorem, vt alterum genu dolore ſine tumore, alterum tumore ſine dolore laborauerit. Poteſt autem etiam intelligi vtrumque doluiſſe, alterum ſolùm intumuiſſe. Vtcumque hoc habuerit, ſignificatur humores deorſum deſcendiſſe, & quidem hic abſceſſus bonus fuiſſet (nam deorſum in ignobiles partes, & longè à primario affecta) verùm non fuit ſatis pro tanto morbo, neque adeò multùm ſucci eò derivatum eſt, ſed maxima pars conſtitit in thorace. Nam circa cor videbatur ipſi aliquid colligi: nimirum pulmo repletus comprimebat pericardium. Et reſpirabat vt qui ex ſubmerſione reſpirant, vt ſcilicet qui periclitatur ſuffocari ex longa ſpiritus cohibitione, & ex pectore ſubſtrepebat, vt qui vocantur ἐγγαστρίμυθοι. Gale. lib. de obſoletis Hippocrat. vocibus dicit ita vocari eos, qui clauſo ore loquuntur διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγειν, quod ex ventre loqui videantur. Hoc ſignificato oportet nos nunc hoc nomẽ accipere: quamquam alij aliter eo vtantur. In decretis canonicis dicuntur hoc nomine quidam, qui ex pelui vel alio vaſis genere vaticinantur, à nomine γάστρη quod eſt vaſis quoddam genus. Sed qui loquerentur ex ventre non ſatis ſcio, qui eſſent. Cælius Rodiginus dicit ita apellatos quoſdam, quibus in ventre dæmon eſſet aliquis, interrogantibus reſponſa tribuẽs, qui dicebantur Pythonem habere in ventre. Fortaſſe ſine dæmone ope fit vt quidam mugitu quem clauſo ore reddunt, voces quaſdam non ſanè diſtinctas imitentur: vtcumque hoc habeat, quod hic dicitur eſt, ſtrepitum quendam in huius mulieris ventre ſentiri, quod quidem fecit aër, qui intra aſperas artèrias ab humore coercebatur. Hæc cùm ita haberet, circa ſeptimam aut nonam ſub noctem aluus affatim excreuit multa humida, qualia quæ putantur eſſe mala: vt hac ratione viderentur exire qualia oportebat: mulier verò tam longè abeſt vt habuerit ſe meliùs, vt etiam priuata voce mortua ſit. Nimirum euenit, quod in pectoris & pulmonis morbis plerumque ſolet, vt tenuia tranſcolentur in ventrem, craſſa intra thoracem hæreant, & facultate ſoluta, morbo non ſoluto, mors accidat. Quia à thorace in ventrem expedita via non eſt, & ea pars debilitatem omnium minimè poteſt ſuſtinere, quia indiget motu vehementi: & ob alterum non purgatur, ob alterum facultate citò deſtituitur. Dicit circa ſeptimam aut nonam, vt qui non ſatis recordaretur quâ die. Septima ſolere fieri dicitur in aphoriſmo, non mirum tamen quod ſeptimâ fieri ſolet, vſque ad nonam produci. Non enim ſunt hi fines adeò ineuitabiles.

Ventres in morbis oportet per inferiora purgare, inferiores quidem, quum concocti ſunt, humoreſque conſidentes videbis. Signum eſt, ſi ægri neque anxietate neque capitis gra-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 269 sur 489

uitate laborent, & quum calores fuerint mitiſsimi, aut quum poſt paroxyſmos deſierint. Superiores autem in paroxyſmis, tunc enim humores ſua ſponte eleuantur, quum ægri anxietate, capitis grauitate, & corporis iactatione conflictantur.

ὑποκαθαίρειν, id eſt ſubpurgare videtur ſignificare purgationem exiguam, aut deorſum factam. Hæc enim ſignificat ὑπό in compoſitione. Hic vero neutrum horum ſignificat, ſed idem quod καθάιρειν, purgare ſcilicet vtcumque: addit enim, ὡς μὲν κάτω, ὡς δὲ ἄνω. Docet itaque hæc ſententia, qui ſint purgandi, & quâ viâ. Purgare, inquit, oportet in morbis cum concocti fuerint: nimirum, vt in aphoriſmo dicitur, non ſunt mouenda cruda, niſi turgeant, qualia ſanè ſunt perpauca. Qui verò expurgandi, alios quidem deorſum expurgare oportet deiectione, alios ſurſum vomitu, vt ſcilicet humores ipſi ſua ſponte ſurſum aut deorſum vergunt, quia quò vergit natura per loca conferentia, eò oportet ducere. Signa verò quæ indicant conſediſſe humores, quòd anxietas & capitis grauitas ceſſauerit, & calores mitiſſimi ſint, aut ceſſauerint poſt paroxyſmos, hoc eſt cùm ſint febres mites, & paroxyſmis carentes, niſi fortè exiguis: aut ſi habuerint paroxyſmos minimè mites, tamen ceſſauerint iam. Alios autem oportet purgare ſurſum, quum ſunt in paroxyſmis, quî ægri ſunt anxij, capite grauati, & loco conſiſtere non poſſunt. Reddit horum cauſam dicens, tunc enim ſua ſponte eleuantur humores. Hoc eſt, quum morbus fertur difficillimè, & anxij, inquieti, ac grauati capite ſunt, ſignificatur ſuccorum ſurſum latio: quum nihil tale eſt, aut ceſſarunt hæc omnia, ſignificatur ſuccos non eſſe elatos, aut ſubſediſſe. Sed videri poſſunt hæc ἀμεθόδως dicta, & hæ definitiones incertæ. Nam dicere grauatos capite non eſſe expurgandos per inferna, videtur falſum, cùm in vertigine, cephalæa, cephalalgia, epilepſia, & aliis omnibus morbis captis, nullus ſit qui non conſulat pharmaco deiectorio vti. Galenus certè hieram ex colochyntide mox exhibet. Quin potius in capitis grauitate, videtur meritò vitanda vomitio, ne laborare cogatur pars affecta, & ſurſum verſus commotio fiat. Præterea præter artem videtur, in ipſis paroxyſmis vlla purgatione vti. Quia, vt in aphoriſmis dicitur, cùm morbi vigent, & ea quæ ſunt præter naturam ſunt fortiora, melius eſt quietem agere. Accedit quòd anxietas, inquietudo, & capitis grauitas, ſæpe ſunt decretoria prænunciantia vomitum, aut fluxum ſanguinis ex naribus præcipuè, ſed & alias euacuationes aliquando: imminente autem criſi, nulla vacuatio tentanda eſt, quia quæ iudicantur aut iudicata ſunt, neque mouere, neque nouare oportet, ſed ſinere. Certè Hippocrat. non has, quaſi exactas, & quæ ſolæ ſufficiant, definitiones expurgationum ſuperiorum & inferiorum, ſcribit, ſed vt vtiles quaſdam conſiderationes, quibus aliæ omnes artes ſunt adiungendæ. Nec dicit, nullos qui ſunt capite grauati, expurgandos eſſe deorſum: ſed eos quibus ſucci ſunt cocti, & alioqui nihil obſtet expurgari, ſi neque anxii fuerint, nec capite grauati, neque febres in exacerbatione, expurgandos eſſe per inferna: quia ſignificatur ſuccos deorſum conſediſſe: cum enim ſurſum ferantur, ventriculum ſuperiorem, thoracem, & caput moleſtia afficientes augent febres, pariúnt anxietates, inquietudines, & grauitates capitis. Hæc ergo ſi adſunt omnia, tamen expurgandum ſit, expurgandum erit per ſuperna, quia ſucci non conſidunt. Tamen, etſi hæc adſint, ſi aliud aliquid ſit quod purgare corpus probibeat, vt ſi iudicatio imminet, aut ſit, aut febris eſt vehementiſſima, purgandum omnino non eſt, neque id Hippocrates dicit. Sed ſi purgandum, ſurſum faciendum. Capitis verò grauitatem ſolam non dicit prohibere expurgationem per inferna, ſed cum reliquis. Quapropter in cephalæa, & alijs capitis morbis, non prohibet dare deiectorium: ſed in his ipſis vtimur vomitione, quum ventriculus ſentitur malè habere, aut quòd caput laboret ex ventriculo, aut ventriculus ex capite: vtcunque ſcilicet circa ventriculum redundent excrementa, quod cognoſcimus anxietate, qualem parit ventriculi morſus, aut nauſeabunda laxitas. In paroxyſmis, hoc eſt, febrium exacerbationibus, quarum expectatur citò futura inclinatio, expurgatio totius corporis non tentatur tutò. Satius eſt enim expectare remiſſionem, ne duobus modis laborans facultas ſuccumbat: verùm ſi exacerbatio ipſa vrgeat, neque alia ratione remiſſio expectetur, & nihil maioris momenti prohibeat, vomitione eſt expurgandum: quia expurgandum eſt omnino, & indicatur talibus, ſuccos non ſubſediſſe. Qua eadem ratione in paroxyſmis intermittentium febrium ſolent vomitus eſſe vtiliſſimi, adeò vt ſolis his ſoleant tertianæ curari, & quartanæ febres miteſcere.

Vidam ex caſu in cubitum vulnerato, poſt ſpacelum cubitus ſuppuratur, pure iam matureſcente viſcoſa ſanies exprimitur; qualis etiam Cleogeniſco & Demarcho Aglaotelis filio: ſimiliter autem & valdè ex eiſdem pus nullum effluxit, velut Æſchili filio contigit.

Sphacelus eſt corruptio & mortificatio partium ſolidarum, occupans etiam ipſa oſſa. Hæ corruptiones aliquando ſunt humidæ, aliquando ſiccæ. Siccas putreſcentias vocari ab Hippoc. eas, quæ morientibus ipſis particulis, citra ſucci collectionem, aut redundantiam fiunt, non ſemel iam anteà diximus: humidæ ergo ſunt, cum partes putreſcentes in ſaniem aliquam reſoluuntur. Súntq; quædam ſuppurationes tãtùm deficiẽtes à bonis, quantùm à benigna inflammatione, aut contuſione differt ipſa mortificatio. Nihilò benignior eſt mortificatio ſicca quàm humida, ſed, vt ego exiſtimo, etiam malignior, quia extinctio mera videtur eſſe hæc innati calidi: illa velut colliqueſcentia à febrili, quamquam in tam malignis, non eſt quod eligas. Illud certum eſt, in corruptionibus humidis non poſſe eſſe pus bonum, vt in bonis ſuppurationibus: quia hæ calorem à naturali non valdè deficientem indicant, illæ corruptiuum. Proinde vt in his fit pus craſſum ſine lentore, ita in illis contrarium, tenue ſcilicet vt ichor, & cum lentore. Quamquam ne hoc quidem talibus multum durat, ſed citò ſupprimitur,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 270 sur 489

mitur, ſitque poſtremò vlcus ſiccum, vt repetens hanc ipſam ſententiam dicit Hipp. in ſeptimo libro. Itaque dicit, quibuſdam, qui cubito percuſſi cùm eſſent, ex caſu corruptionem cubiti incurrerunt, duobus quidem exiiſſe ichores lentos, alteri nullum pus, atque vtrumque fieri ſolere. Neque ſanè in cubito ſolo, ſed & in tibiâ, & brachio & quauis alia parte ſimili perinde accidet. Verùm hæc fortè occurrerant, quæ memoriæ & obſeruationis gratia notauit. Conſtat verò vetuſtiſſimam phraſim ſapere, quòd corruptum iam & reſolutum in pus cubitum, maturatum vocat. Nam & in libro de alimento vocauit cibos coctu faciles, facilè putreſcentes.

SVppuratis autem plurimis horror & febris ſuperueniebat.

Hæc eadem verba (vt etiam ſuperiora) occurrent iterum in libro ſeptimo. Illic verò dicetur, febres ſuperueniebant. Non multùm intereſt. Sed ſi verbo præteriti imperfecti vtitur, de aliquâ tempeſtate, quâ multi fuerunt ſuppurati, loqui videtur: forte de ea ipſa tempeſtate, qua contigit ex caſu vulnerari cubito Cleogeniſcum, & Demarchum, & Æſchili filium: ſin autem verbo præſentis, docet rigores incertos, & noua febrium incrementa, fientis ſuppurationis eſſe ſigna: quod in prognoſtico etiam dicitur ab eodem Hip. his verbis. Conſiderare ſuppurationis principium oportet, ſuppuratione facta ab ea die, qua primum homo febricitauit, aut ſi fortè primùm ipſum rigor apprehenderit. Cauſam in commentatione eius loci reddidimus.

PArmeniſci puero ſurditas accidit, contulit non abluere, lana autem ſolùm expurgare, & infundere oleum aut nepotum, iubere vt ambularet, mane ſurgeret, & vinum album biberet.

Nepoti nomen occurrit apud Hippocratem ſcriptum ſæpe, præcipuè in libris de morbis mulierum. Quid poſſit ſignificare, etſi de ea re lexica multa, & viros doctos, & græcæ linguæ peritiſſimos conſuluerim, reperire non potui. Quod me cogit ſuſpicari, vitiatum eſſe codicem, legendumque eſſe μετώπου. Eſt enim facilis lapſus, cùm ſint voces adeò ſimiles, aut Hippocratis ſæculo vocatum eſſe νέπωπον, quod poſteà νετώπιον. Nam μετώπου legi congruit plurimum cum inſtituto. Significatur enim ea voce quod dicimus alio nomine galbanum, & vnguentum quoddam in Ægypto parari ſolitum, quod deſcribit Dioſcorides libro primo, recipiens galbanum, à quo & nomen accepit. Accedit ad coniecturam, quòd vbi meminit Hippocrates nepotij, recenſet illud inter reſinas, & pinguedines, & olei genera, denique inter res emollientes cum quadam reſolutione, cuiuſmodi eſt galbanum, & vnguentum illud. Vnde ego citra dubium colligo, aut eſſe id quod dixi: aut aliquid ei facultate ſimile, quale ſtyrax, bdellium, myrrha, aut thus, aut ſuccus ſilphij. Quanquam nihil horum, quæ modò nominaui eſſe conſtat, quia locis citatis inter ea refertur ab Hippocrate, quaſi diuerſum quiddam. Dico autem eſſe facultate eiuſmodi aliquid, magis autem adducor vt ſuſpicer eſſe quod dixi. Nam præter dicta, eſt illud vnguentum, atque adeò ipſum galbanum cum aceto & melle feruefactum, vtile ad grauem auditum, & ſurditatem, vt licet videre apud Galenum lib. 3. de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos cap. 1. quo etiam in loco Galenus commendat ad eam paſſionem, deambulationem, & frictionem capitis, & corporis, ac denique totum victum ſiccum & attenuantem. Quia ea paſſio à ſuccis multis & craſſis in capite redundantibus fit. Quare & ambulare, erit etiam vtile, mane ſurgere, ne ſomnus multus afferat capitis grauitatem, & vt exercitatio tempeſtiuè agatur (non enim à cibo erit vtilis) & vinum bibere album, quia tenuius & minùs replens quàm nigrum, & purgare aures lana (ipſa enim expurgatio diſcutit) & infùdere oleum, aut, quod eſt multò efficaciùs (oleum enim niſi ſit vetus, aut feruefactum, aut quod vocatur elychniorum, leue auxilium eſt) galbanum ex aceto & melle: itaque lauare erit noxium, quia humectabit, niſi tamen laues balneo aliquo medicamentoſo, vt vino in quo amaracus, aut ſtœchas, aut alia eiuſmodi incocta ſint, tunc enim iuuare poteris: ſi tamen prius, & corpus totum, & caput vacuaueris per hieram diacolocyntidos, aut tale aliquod medicamentum, præmiſſa (ſi eâ etiam ſit opus (miſſione ſanguinis ex venâ cephalicâ. Expurgationem verò in hac paſſione princeps eſſe auxilium, conſentaneum eſt, ſiquidem Hippocrates ipſe dicit, ſurditatem fluente aluo ſolgere ceſſare. Poſt maiores autem euacuationes, errhinis, & gargarizatu, ſeu etiam maſticatorijs, ad extrahendam pituitam vti confert. Cibi autem ſint ſicci & pauci, & concoctionis facilis & caput minimè replentes. Ob id Hippocrates libro 7. huius operis, vbi hiſtoriam hanc repetit, & quædam præterea addit pertinentia ad victum, iuſſit abſtinere ab oleribus, vt humidis, vaporoſis, & grauantibus caput (nam & lactuca, quæ inter olera tenet primas, hæc habet vitia) & veſci pane, & piſcibus ſaxatilibus. Tales enim concoctu faciles, neque mali ſuccí ſunt, eorum verò humiditas pane emendatur. Piſces ſaxatiles dicit Galenus eſſe ſcarum, merulam, turdum, iuliam, fucam, percam, quòd in petroſis promontorijs, & vbi ſunt ſaxa deliteſcant. Ego verò his addam multos alios piſciculos, qui in cœnoſis & lacuſtribus gignuntur nunquam, ſed limpidis aquis, & per petras decurrentibus, veluti ſalaras, ſi forte ita vocatę ſunt quæ nobis *truchas*, & vtcunque veteribus appellarentur, quæ nobis vocantur *vermeiuelas*. Omnibus enim eiuſmodi piſcibus eſt ea laus, quam Hippocrates tribuit ſaxatilibus, non ſolùm illis marinis. Dabuntur verò in hac affectione piſces frixi potiùs quã elixati. De vino dubitabit aliquis, an vtile ſit. Videtur enim tentare caput & fluxiones in illud commouere. Ego quidem non intelligo præferri hoc loco vinum album aquæ, aut alij potioni aquoſæ, ſed vino nigro. Satius autem fuerit ob partis indicationem vti aqua, niſi tamen inueterata iam paſſio ſit, & hominis conſuetudo, aut etiam natura plurimùm repugnet. Tunc

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 271 sur 489

enim, vt & in alio quouis morbo, faciendum erit satis indicationi maiori.

Vxori Aspasij dentis dolor accidit vehemens & maxillæ (suppleri debet tumor) cùm castoreo & pipere collueretur & ore contineret, iuuabatur, & stillicidium vrinæ ipsi sedatum est calido farinæ cum oleo rosaceo fotu.

Dentes parati sunt dolore, quia fluxionibus valdè opportuni. Quiuis enim eorum cum maxillæ osse facit velut quendam articulum, quo, non, vt in reliquis articulis, alligantur ossa ligamentis durioribus, & sensus expertibus: sed neruulis quos per radices accipiunt, pendent, & velut claui infixi sunt, comprimentes & compressi. Accipiunt præterea & venulas & arteriolas, quia ob attritionem necessariam, indiguerunt alimento copioso, & assiduo: quod etiam ipsos facit fluxionibus opportunos. Eisdem enim vijs recipiunt partes succos redundantes, quibus & nutriuntur. Itaque ob hæc solent dolere dentes, non tamen semper dolent ab eadem causa, sed nunc ab intemperie calida aut frigida dolor incipiens conuocat fluxionem, à qua deinde seruatur & augetur, nunc fluxio prima dolendi causa est. Atqui ipsa fluxio, siue dolorem antecedat siue sequatur, nunc est calida & acris, nunc frigida, nunc etiam flatuosa. Atqui nonnunquam dolor incipit à gingiuis, & coafficit dentes, nonnunquam à dentibus & reffunditur in gingiuas. Et tumor gingiuarum aliquando crescit cum ipso dolore, quòd vtrumque simul fluxio faciat, aliquando tumescentibus gingiuis dolor sedatur, quòd fluxio conuertatur ad externa. Nimirum, vt & in alijs omnibus articulorum doloribus solet accidere: qui enim sine tumore ceperunt, superueniente tumore solent mitescere. Ex his quiuis intelliget, nullum esse medicamentum, quo omni dentium dolori æquè occurratur, sed pro dolendi causa, alijs aut alijs esse opus. Horum triplex genus esse video. Quædam enim adstringentia parantur, ad arcendas fluxiones, & firmandos dentes: quædam resoluentia, ad absumendum fluxiones & flatus: quædam stupefacientia, ad tollendum dolorem cum sensu. Componuntur hæc multis modis, cùm ab eodem medicamento volumus multa præstari. Est verò commune omnibus quæ pro dentibus parantur, indigere aliquo quod in altum deducat, alioqui nihil præstabunt neruorum radicibus, quæ intra ipsa ossicula sunt. Proinde vino generoso, aut aceto acerrimo plerumque incoquuntur. Atqui profectò efficaciora sunt in aceto incocta, quia vinum elixatione deponit vires. Cùm igitur hæc castoreo & pipere, medicamentis calidis & siccis, & tenuium partium iuuaretur, consentaneum est, ex fluxione frigida, aut flatu crasso dolere cœpisse. Collutio verò facta est ex aceto. Hæc eadem historia repetitur libro 7. etsi non omnino eisdem verbis, & quiddam aliud additur, ad eandem pertinens ægrotantem. Ita enim ibi legitur. Vxori Aspasij dentis dolor accidit vehemens, & maxillæ (suppleri debet tumor) cùm castoreo & pipere collueretur, & ore contineret, iuuabatur, & stillicidium vrinæ ipsi sedatum est calido farinæ cum oleo rosaceo fotu. His verbis intelligi potest stranguriosam passionem mulieris huius solutam esse castoreo & pipere potis ex aqua, & cataplasmate ex farinâ & rosaceo calido: aut hanc curationem solo cataplasmate peractam esse. Vtrumuis intelligas, statuitur curationem stranguriæ calidorum vsu agi, quod quidem non de omni stranguria verum est, sed de quadam. Ea enim quæ ardore vrinæ aut obstructione fit, aut vleere, alia poscit auxilia. Quæ ex frigore pendet aut flatu, ea poscit calidas potiones & fomenta.

Callimedontis puero contulit ad tuberculum in ceruice obortum, durum, magnum, crudum, & dolore afficiens, venæ sectio in brachio, & lini semen cataplasmate imponere subactum vino albo, & oleo imbutum, deligare autem valdè coctum; aut cum melicrato farina fœnu græci aut hordei aut tritici coquatur.

Tuberculum durum, crudum, & dolens haud dubiè est inflammatio scirrhosa. Nam tumor durus & dolens est inflammatio. Dicens autem durum & crudum duritiem quandam solitò maiorem insinuat, quæ inflammationem indicat scirrhosam. Meritò ergo iuuabatur cataplasmatis emollientibus, & resoluentibus. Hæc enim vtraque desiderat talis affectio, aut simul, aut alternatè. Eruum & hordeum siccando resoluunt. Lini semen & oleum resoluunt minùs, molliunt tamen, vt & triticum, quod & suppurandi vim habet, si in suppurationem vergeret inflammatio. Vinum resoluentibus cataplasmatis est liquor idoneus. Vbi dicit ἀπόστασις βραχίονος videtur aliquibus significare recessum, decessumue sanguinis, hoc est, missionem sanguinis ex brachio. Videri tamen potest dura interpretatio: occurrit enim apud Hippoc. & Galenum ἀπόστασις significãs idem quod ἀπόστημα seu abscessum, & vbi significet sanguinis detractionem, non occurrit. Quamquam Galen. lib. antiquarum vocum dicit ἀποκένωσις significare apud Hippocratem ἀπόστασιν & ἀπόχωσις significatione communi est idem quod ἀπόστασις. Etsi, vt significetur abscessus, Hippocraticam phrasim non adeò sapiat ἀπόστασις βραχίονος, ac si diceret εἰς βραχίονα: videtur tamen non adeò esse durum interpretari, abscessum brachij, id est qui in brachium, atque in alienam significationem nomen transferre, si modò ea aliena est, etiam apud Hippocratem. Verum est si rem ipsam spectes optimum esse auxilium ad inflammationem in ceruice consistentem, sanguinem mittere ex brachij vena externa, è latere in quod malum inclinat. Cæterùm, siue id anteà factum fuerat, siue secùs, poterat etiam abscessus in brachium factus spontè liberare. Vt scilicet alia quamplurima ex succis pendentia abscessu soluuntur. Est autem abscessus, humorum in partem aliam ab ea quam primò afficiebant, inclinatio, quæ tumore, aut dolore, aut vtrisque significatur. Itaque vtrumuis hoc loco significet ἀπόστασις siue secundùm communem vsum abscessum siue missionem sanguinis, vt apud Hippocrat. ἀποκένωσις: secundùm rationem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 272 sur 489

cuenit, vt ægrotus ab inflammatione ceruicis ſubleuaretur, ac proinde, in vtram interpretationem potiùs inclinem, dubito.

MEliſsädro cùm gingiua creſceret, doleret, & multùm intumeſceret, venæ ſectio brachij profuit. Alumen in principio impetum humoris reprimebat.

Huic inceperunt proceſſeruntque ſimul dolor & tumor gingiuæ, vnde & dentes condolebant. Magnus tumor indicabat copioſam fluxionem. Quare nihil magis conferebat, quàm ſanguinem ex brachio detrahere, quâ eadem ratione, ſi quis in brachium ſecundùm rectitudinem abſceſſus exortus eſſet, contuliſſet neceſſariò. Vtrumuis ergo horum, huic quoque nomen ἀπόστασις ſignificet, non caret euentus ratione. Aluminis communis eſt vſus in his, ad oris partium fluxiones, & plurimis ſtomaticorum medicamentorum vtiliſſimè miſcetur. Nam adſtringens firmat dentes: ſiccans, reſoluit ſuccos: extergens, curat, ſi quæ ſunt vt ſolent, putria vlcuſcula. Verùm quia magnam facit adſtrictionem, vnde & græcum nomen accepit συπτηρία, poſtquam iam partes plurimùm intumuerunt, vtile non eſt. Quia adſtrictio reſolutioni obſtat: & magna adſtrictio partes humidas velut contundit, preſſiùs comprimendo. Meritò ergo huic alumen lingua in ore verſatum, aut ex alumine & vino aut aceto collutio conferebat in principio, antequàm vehementer intumuiſſet, poſteà enim ſatius eſſet cum laxantibus & reſoluentibus commutare.

HYdropicum oportet laboribus fatigari, ſudare, panem calidum oleo inbutum comedere, nec multùm bibere, lauari & caput tepidè: vinum autem album & tenue, & ſomnus auxiliatur.

Hydropicis omnibus commune eſt frigidis & crudis redundare, ſeu pituitâ, ſeu ſero, ſeu flatu, ſeu omnibus, aut horum quibuſdam, ob naturalis caloris debilitatẽ in hepate, quæ aut ab ipſo incepit, aut ab alia parte. Indigent ergo omnes curatione, & victu ſicco & calfaciente, plus aut minùs, vt febris adeſt, aut non. Ita enim & materia præter naturam collecta conſumitur, & intemperies, quæ eius cauſa eſt, tollitur. Meritò ergo iubet Hipp. vt hydropicus defatigetur, hoc eſt, exerceatur plurimùm, & laboret. Nihil enim ſtrenuiùs quàm exercitatio naturalem calorem excitat, & ſuccos abſumit. Verùm cum modo quodam accipi hoc oportet, vt ne magis quàm ferre poſſint, debilitẽtur: ſunt enim etiam valdè debiles, & animo linqui parati: exerceatur etiam horâ idoneâ, quæ præcipuè eſt mane ante cibum. Nam poſt cibum exercitatio contraria eſt prorſus: augẽt enim obſtructiones, & cruditates. Proinde Hipp. libro de internis affectionibus hydropico victum preſcribens, iubet, vt quotidie deãbulet, & mane exurgat, poſt cœnàm verò & ſerotino tempore dormiat. Nam etiam hic dicit ſomnum auxiliari. Nam etſi ſomnus in cauſis humidis ſit, atque ſiccandi gratiâ vigilandum quàm plurimùm foret, verùm, vt diximus, mouendum non eſt ſemper, ne ægrotus deficiat, ſed quieſcendum etiam virtutis gratiâ, itaque vigilandum, ſed dormiendum etiam, non ſolùm ob virtutem, ſed & ob concoctionem, nam laborat tumore ob incoctionem. Procuranda eſt ergo concoctio & ſiccatio, hæc motu, illa ſomno: agendum ergo vtrumq; ſuo tempore. Somno hora idonea eſt poſt cibum, motui ante eum. Sudare etiam dicit vtile eſſe. His erit ſanè vtiliſſimum, ſi robore facultatis, ac non potiùs diſſolutione accidat. Nam per ſudorem ichores ſeroſi, qualibus præcipuè abundat hydropicus, euacuãtur, & vrinæ defectum optimè ſupplet exſudatio. Verùm per ſudorem ſyncopis, diſſipatur facultas. Sudores igitur tolerantiâ diſcernes, ac niſi ſyncopales ſint, vtiles eſſe certò ſcias. Panem conſulit comedere calidum inbutum oleo, non quidem calidum & recentem (talis enim dolorem facit capitis, & eſt magis ſiticuloſus, & ventrem grauat, & tardiùs deſcendit, & alioqui corporis habitum minus ſiccat, vt 2. de ratione victus in acutis dictum eſt) ſed, vt ipſemet loco citato ex lib. de internis affectionib⁹ interpretatur, panem antiquum & calidum, quod eſt, qui iam vetuſtate duruerit, & toſtum. Hic enim calfaciet, & ſiccabit magis, & recentis noxas non habebit. Iubet vero etiam illo loco, vt ſit quem vocant ἀνὴπυρον, ex quo nihil furfurum deceſſerit. Nam talis, præter quam quod ſiccabit adhuc magis, etiam facilius deſcendet. Quo reſpiciens etiam hoc loco iubet dari panẽ in oleo, hoc eſt, oleo intinctum. Iuuabit etiam oleum panis deſcenſum. Bibere inquit non multum. Hoc ſanè videtur remiſsè dictum. Oportet enim accipere potus quàm minimum, & quantum poteſt ſitim tolerare, vt humores aquoſi cõſumantur. Potus autem ne ſit aqua, niſi fortè teneatur febre maiuſculâ atqui ne tunc quidem ſit cruda, ſed alterata medicatis. Vinum verò bibere iubet Hipp. & hic, & illo loco: non tamen vtrobique idem, ſed hic album & tenue cauſa mouendi vrinam, illic nigrum craſſiſſimum, reficiendi, arbitror, cauſâ, & replendi concocto ſanguine. Curationem illic ſuſcipit eius qui ex colliqueſcentia fuerit factus hydropicus, hic vero eius qui aliter, vt ex refrigeratione antecedente, atque ita vtrunque rectè dicitur. Si enim hominem cures, qui potu aut cibo frigidis, aut otio, aut obſtructionibus factus ſit hydropicus, dare debes vinum album & tenue, vt facilius in omnes corporis partes ſeſe inſinuet: ſi vero aliquem qui ex febre colliquante cum extrema extenuatione, melius preſcribes nigrum craſſiſſimum, & maximè auſterum. Craſſitiem enim debes huic corpori procurare, & euacuationes ex aluo maximè timere. Verùm hîc complicatio iam affectionum eſſe videtur. Secundum indicationes hydropis per ſe, rectius dicitur album & tenue deſiderari ad hydropas. Quod dicit, lauari & caput tepidè, non tam videtur mihi eſſe præcipientis vt lauet, quàm prohibentis ne multùm calidâ aut frigidâ lauet: ne caput quidem ſolum, nedum totum corpus. Nam balneum haud dubiè per ſe aduerſum eſt hydropi. Erat vero hominibus eius tempeſtatis conſuetiſſimum, cum ſecundum totum corpus, tum vel maximè ſecundum caput. Proindè occurrens conſuetudini hydropicis futuræ noxiæ, dicit, lauari etiam caput tepidè. Ego quidem, ſi liceret, vellem acci-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 273 sur 489

pi illud χλιηρῶς, id eſt, tepidè, metaphoricè, pro modicè ac parum. Sed proprietas non videtur id ferre, ſed ſignificari, vt neque calidum neque frigidum balneum ſit. Calidum enim diſſoluet vires, frigidum augebit cruditates, & frigidas fluxiones. Itaque ſi lauandum ſit, tepidum ſit balneum. Ego verò mallem eſſe nullum. Præter hæc enim, multa & magna auxilia ſcripta ſunt ad hydropicos, ab omnium ſectarum auctoribus.

Biantipugili, cùm naturâ eſſet vorax, euenit incidere in choleram morbum ex carnium eſu, maximè verò porcinarum cruentarum, & ebrietate vini odorati, & placentis, & dulciarijs, & cucumere, pepone, & lacte, & polentâ recenti. Æſtate autem cholera morbus, & febres intermittentes graſſantur.

Ex ebrietate vini odorati (quod & calidum eſt neceſſariò) & placentis & dulciarijs ex melle, conſentaneum eſt hominem calidum & exercitatum ἐς πάθεα χολερικὰ incidiſſe: verùm ex eſu carnium porcinarum fluentium ſanguine, quales ſcilicet ſunt quæ crudiores, & ex cucumere, & pepone, & lacte, & polentâ recenti, in morbos ex crudis ſuccis videbatur potiùs caſurus: proinde duorum alterum interpretor; Aut paſſiones cholericas vocari hic choleram morbum, aut morbos omnes ſeu febres putridas. Febres enim ex bile, aut bilioſas vocare ſolet Hippocrat. quæ ex quocunque ſucco putri generantur, interprete Galeno commentario aphoriſmi 42. ſeptimæ. Atqui fortaſſe vtrumque paſſum fuiſſe Biantem inſinuare voluit, verbis illis vltimis, æſtate autem χολερικὰ, & febres intermittentes graſſantur. Fortaſſe enim paſſus eſt bilioſas, & vomitiones, & deiectiones, & febres putridas intermittentes, multiformes. Nimirum voracitas adeò multorum & diuerſorum intempeſtiuè ac citra ordinem ingeſtorum, non poterat non, & ventriculum vitiare corruptione multâ chyli, & debilitare vim in eo concoquendi, & retinendi, atque totum corpus vitioſis ſuccis & longè diuerſis replere. Quorum illud, choleram morbum, hoc febres putridas inconſtantes, natum eſt facere.

Timochari hyeme catarrhus accidit maximè in nares. Vtenti venere ſiccata ſunt omnia, laßitudo, calor ſuperuenit: caput grauabatur, ſudor à capite multus manauit. Erat autem etiam per ſanitatem ſudare ſolitus. Tertiâ die conualuit.

Exemplum ſanè eſt Timochares eius quod ſexto epid. dicitur, vbi ita eſt ſcriptum, coitus morbis à pituita vtilis. Nam hic non habuiſſet meliùs à catarrho hyeme, tam breui, niſi Venere eſſet vſus. Quamquam profectò non euaſit facilè, ſed difficili & periculoſa curatione. Nam ſuperueniente febre cum grauitate capitis, & laſſitudine, à quibus multò magis periclitatus eſt, quàm à catarrho. Hic enim tardior, ſed minùs periculoſus eſt, ſi quis bono victu ſe continens, liberetur à permutationib⁹ in alios morbos: acutos, vt pleuritidem, aut peripneumoniam: aut longos, vt phthiſim. Atqui perfectò ipſa per ſe curatio pituitoſarum paſſionum per Venerem haud eſt tuta, vt proprio loco indicabimus. Nam debilitat facultatem, & exhaurit ſpiritus: vnde ex accidenti crudis ſuccis replere, & deliquia animi accerſere magis ſolet. Laborat etiam per venerem & cerebrum, & totum neruorum genus, vnde eneruationes, & paralyſes, & vertigines, & cephaleæ, & capitis grauitates fieri ſolent. Commouentur exagitanturque ſucci toto corpore, vnde laſſitudines, & variæ multas in partes fluxiones, & obſtructiones. Caleſcunt labore omnia: vnde putreſcentiæ, & febres fiunt. Hæc plus aut minùs, vt cuique eſt apparatus, hoc eſt, vt cuique eſt naturale robur, corpus laxum, aut obſtructionibus opportunum, bonus habitus, aut malus. Nam quibus firmum per ſeſe eſt totum corpus, & habitus alioqui non malus, ſi qua pituita nunc abundent, poſſunt Venere moderatâ liberari, ſiccatâ & diſſipatâ pituitâ. Quibus verò hæc bona non adeò inſunt, ſi Venere vtantur, grauiùs afficientur, atque diutiùs peritiſque ægrotabunt: aut ſi bonus ille quem deſcripſimus apparatus, neque valdè adſit, neque omninò deſit, permutatione in acutum aliquod & graue factâ, ſimul à recenti & veteri paſſione, breui liberabuntur. Poteſt enim eſſe hæc, etſi non tuta, compendiaria tamen & breuis curatio, vt Timochari accidit. Quem ſanè conſtat, neque infirmum admodum, neque admodum malè paratum fuiſſe, ſiquidem à laſſitudine & febre tribus diebus ſe media hyeme expediuit. Æſtate enim aut diariam habuiſſet ſolùm, aut fortaſſe nullam. Sed hęc præfati morbi decurſum explicemus. Hyeme habuit catarrhum, maximè in nares, qualem ſcilicet ſolet vocare coryzam, ſed quia addit, maximè, conſtat aliquid etiam fluxiſſe in palatum & fauces, vt plerumque in magnis catarrhis fieri ſolet. Morbus ſanè fuit tempori ſatis congruens, vſus eſt Venere ita ſe habens, & ſiccata ſunt omnia. Ne intellige ſiccatas eſſe partes, & conſumpta excrementa. Non enim febris accidiſſet cum grauitate capitis, quæ ſudore multo à capite ſoluta eſt. Nã vbi ſudor ibi morbus, in capite ergo manſit morbus. Sed cùm ob redundantiam aliquid prius incoctum ex ore & naribus euacuaretur, ſiccata ſunt emunctoria omnia, morbúſque factus denuò crudior. Nam labore caput repletum denuò eſt, & calida etiam allexit cum crudis quæ continebat. Vnde velut affectum quendam phlegmonoſum contraxit, atque ita ſiccatum denuo eſt cum capitis grauitate & febre: velut quum vlcus quod mediocriter expurgabatur ex occaſione aliqua inflammatur, expurgari deſinit, ac ſæpe febrem facit. Laſſitudines febrib⁹ ex catarrhis ſunt familiariſſimæ, quòd per neruos aliqua pituitæ defluxio fiat. Huic ſuperuenit copioſus ſudor à capite, & adeò contulit, vt febrem ſuſtulerit, & caput degrauauerit. Itaque liberatus eſt homo à febre, & à catarrho magnopere ſubleuatus, tertiâ die à qua cœpit febricitare, quâ eadem Venere eſt vſus. Non enim profectò tertiâ die à catarrho, quia eius conſtitutio non eſt adeò brevis. Sed ille quidem pro more producebatur, & intercurrente febre triduanâ contractus eſt.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 274 sur 489

Post Canem febres grassabantur, in quibus multi manabant sudores, post sudorem ægri nõ omnino refrigerabantur, sed rursus incalescebant, febres longæ erant & mediocriter sine iudicatione, nec valdè sitim adferebant, paucis septimâ & nonâ die cessabant, vndecimâ, decima quartâ, decima septimâ & vigesimâ iudicatione soluebantur.

Dies caniculares vocati finiuntur cum Arcturus oritur, cuius ortus inchoat autumnum vltimis diebus Augusti. Itaque μετὰ κῦνα autumnum significat incipientem, vt arbitror: alioqui dixisset vt solet, autumno, aut sub Arcturo. Huic tempori acuti & periculosi morbi sunt familiares, vt in hoc ipso opere non semel dictum iam antea est. Tale erat febrium quas describit genus, erant enim continuæ cum magnis exacerbationibus, & ἱδρώδεις hoc est, per quas toto paroxysmo sudabatur. Hoc genus febrium vocabant veteres, febres ἑλώδεις, id est humidas, & ponebant eas in pernitiosis, quia quum semper sudatur, non decretoriè id fit, sed ignei caloris vi, aut redundantiâ aut malignitate humoris. Harum itaque genus malignum erat. Hac verò tempestate contigit non esse admodum tales. Iudicabantur enim plurimi, vt dicit. Iudicari verò solui morbos significat apud Hippoc. Hinc licet coniectare, multitudine potiùs humoris quàm qualitate, aut colliquescentia factas esse hac tempestate febres: alioqui perijssent plures. Cùm enim tres dictæ sint humidarum febrium causæ, pessimæ otiuntur ex colliquescentia: secundo loco, quæ ex succi qualitate: minùs his malæ, quæ ex multitudine. Post canem itaque, dicit, accidebant ἱδρώδεις πυρετοὶ χωὶ πρεψύχοντο παντάπασι μετὰ τοὺς ἱδρῶτας, hoc est, non veniebant ad integram febris vacuitatem, seu, vt dicunt, infebricitationem. Rursus autem incalescebant, redeuntibus scilicet paroxysmis. Itaque erant continuæ cum exacerbationibus. Et febres (inquit) erant longæ. Paroxysmos intellige singulos esse longos. Ipsæ enim continuæ febres, cùm vigesimo aut citiùs iudicarentur, non poterant longarum appellationem accipere. Paroxysmos verò eadem ratione, quâ cum sudore fiebant, verisimile est esse longos, quia scilicet pendebant ex multâ materiâ. Quod dicit ἐπὶ πλεῖστον ἄκριτοι, idem est, ac quod prius dixerat, non refrigerabantur omnino post sudorem. Nam de paroxysmis hoc quoque dicit, de totis enim febribus postea dicit, paucis septimo aut nono, plerisque vndecimo, decimoquarto, decimo septimo, aut vigesimo iudicatas fuisse. Nullatenus autem est sine iudicatione morbus, qui intra fines acutorum iudicatur sine recidiua: sed iudicationis nomen solutionem significat, est verò solutio ac iudicatio, totius morbi, & cuiusque paroxysmi per se. Quod ergo prius dixerat, non refrigerabantur omnino post sudorem, dicit nunc mediocriter sine iudicatione, quod est non omnino, non soluebantur, neque omnino soluebantur. Non erant valdè siticulosæ. Hoc redundantiam humiditatis sequebatur. Siquidem Hip. narraret qualis esset eius tempestatis, & superiorum eiusdem anni temperies, agnoscerémus apertè causam, qua morbi facti sunt tales, nunc verò nihil aliud possumus quàm coniectare fuisse annum valdè humidum, certo scientes nihil sine causa fieri, & causas omnes, cum ijs quæ ab ipsis fiunt, habere analogiam. Perperam videtur Vallesius interpretari ista verba ἐπὶ πλεῖστον ἄκριτοι febres mediocriter sine iudicatione, cùm potiùs intelligenda essent de moderatâ humorum commixtione, nam legitur ἄκριτοι non ἄκρητοι. Verùm locus iste restituendus est ex 7. Epid. vbi legitur μακροὶ ἐπὶ πλεῖστον καὶ δύσκριτοι, quibus verbis innuit Hipp. febres viguisse mediocriter longas, sed iudicatu difficiles, qui sensus cum prioribus & posterioribus meliùs quadrat.

Polycrati febris superuenit, & quoad sudorem præscriptis similia acciderunt. Medicamento venter purgatus est, & febris mitior facta est. Rursum in temporibus & circa collum, deinde etiam per totum corpus sudores exigui sub vesperam aduenerunt, rursúsque incaluit. Circa duodecimam autem & decimamquartam diem febris intendebatur, & deiectiones erant exiguæ. Sorbitionibus post purgationem vsus est. Circa decimamquintam autem ventris dolor accidit secundùm splenem & sinistri lateris inanitatem. Calidorum quàm frigidorum admotiones minùs proficiebant. Cùm autem clystere emolliente vsus esset, dolor cessauit.

Hæc narratio est imperfecta, siquidem ad decimam quintam solùm diem ducta est, cùm tamen Polycratis febris non fuerit iudicata ante vigesimam secundam, vt constat ex libro septimo huius operis, in cuius initio narratur longiùs hæc eadem historia. Quam ob causam visum est, eius commentationem in eum locum differre, vt suo loco quiduis explicetur.

Magnæ nauis gubernatori anchora digitum indicem & manus dextræ os infernum confregit, inflammatio succesit, & sideratio & febris. Moderatè per aluum purgatus est, ex quo calores & dolores mites fuerunt: è digito quiddam decidit. Post septimam diem moderata sanies exibat. Postea dixit se omnia non posse lingua enunciare. Prædictum est fore opisthotonicum, ad id conferebant maxillæ impactæ, deinde ad ceruicem retractæ. Tertiâ verò in posteriora totus conuellebatur cum sudore. Sextâ die à prædictione mortuus est.

Infernum os digiti esse puto, quod manui ipsi proximum est, & velut radix digiti. Nam mediocriter eleuatis manibus, vt plerumque & depinguntur,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 275 sur 489

& operantur homines, illud eſt quod ſpectat ad inferna. Accedit, quòd illud eſt longius alijs, & fractioni magis opportunum, & ſitum inter duos articulos maiores, vt vel ea cauſa facilius inde homo conuelleretur. Itaque fractus eſt huic digitus index manus dextræ in ipſo digiti principio, iuxta metacarpium. Fortaſſe non eſt à principio rectè curatus, neque nudata ſunt oſſa quantum oportuit, neque oſſiculorum fragmenta coaleſcere inepta, extractæ ſunt. Fortaſſe etiam, citra chirurgorum erratum vllum, ob malum corporis apparatum inflammatio ſucceſſit, & ſphacelus, hoc eſt, oſſium corruptio, & febris. Per aluum purgatus eſt moderatè: non explicat ſatis, pharmaco, an ſponte: ſuſpicor tamen pharmaco, quia alioqui diceret, vt ſolet, aluus ſoluta eſt moderatè. Accedit quod ſecundùm artem fit, vt qui vulnera habent, quacunque ratione magna, aut maligna expurgentur. Erat verò hoc, ob partem articulis adeo proximam, magnum. Non occurrit hic ſcriptum quâ die, tamen in libro ſeptimo repetitur hæc eadem hiſtoria; ibique explicatur, quinto die à læſione factam expurgationem eſſe. Neque mirum: inſumerentur enim quatuor primi in miſſionem ſanguinis, & ſedandam inflammationem. Calores, hoc eſt, febres mites facti ſunt, & dolores, putreſcentia tamen non ceſſarit, ſed particulæ quædam digiti decidebant. Poſt ſeptimum & exibat ſanies moderata, non ſanè qualitate, ſed quantitate. Poſt hæc cœpit non poſſe mouere linguam: prædictum eſt à medico fore ægrotum opiſthotonicum. Iuuabant hanc coniecturam buccæ quæ inter ſe erant conſertæ, & ad ceruicem retractæ, vt non poſſet homo os aperire. Nam linguæ difficilis motus exiguum inditium erat opiſthotoni. Conuulſionis quidem inditium erat mediocre, opiſthotoni tamen perexiguum, niſi accederet menti & buccarum in ceruicē adductio. Illud enim nihil erat aliud quam in poſteriorem partem trahi. Tertiâ die à qua linguam malè mouere cœpit, conuellebatur iam totus in poſteriora cum ſudore. Sudor quidem fit his qui conuelluntur, ob anxietatem quam difficilis motus muſculorum facit. Sextâ die à prædictione, hoc eſt, ab eâ die quâ cœpit lingua malè moueri, mortuus eſt conuulſus. Coniecto, quamquam Hippoc. non dicit apertè, fuiſſe decimam quartam ab ea quâ eſt percuſſus: Nam poſt ſeptimam, hoc eſt octauâ, decidit quiddam è digito, & exiuit ſanies; poſt ea, hoc eſt nonâ, cœpit linguam malè mouere; tertiâ ab hac, hoc eſt vndecimâ conuellebatur, & additis alijs tribus, facta eſt ſexta à nona, & decima quarta à prima, quâ mortuus eſt.

HArpali filius ex Telephane liberta luxationem infra magnum digitum accepit. Inflammatus eſt cum vehementi dolore, quæ cùm eſſent remiſſa, in agrum profectus eſt, redeunti lumbi doluerunt, lauit, maxillæ ſub noctem cohærebant, & opiſthotonus aderat. Spumoſa ſaliua vix per dentes foras prodibat. Tertia die mortuus eſt.

Quum dixit κάτω μεγάλου δακτύλου pollicem pedis intelligit. Hic eodem mortis genere obijt quo proximus ægrotº, cum opiſthotono ſcilicet, qui à conſertione ſeu alligatione maxillarum incepit, ex occaſione non omnino eadem ſed ſimili. Sunt ambo accommodatiſſima exempla, periculorum quæ ex articulis naſcuntur. Alter enim ex fracturâ digiti manus, alter ex luxatione pedis, in opiſthotonum inciderunt. Quem morbum tertiâ die interimere ſcriptum eſt lib. 3. de morbis. Quod his duabus hiſtorijs rectè confirmatur. Ambo enim ſunt mortui die tertia ab ea qua opiſthotonici ſunt facti. Hic haud dubiè læſus eſt quam plurimùm, quòd recens repoſito digito, cùm deberet quieſcere, & ſi quid inflammationis ſupereſſet ex repoſitione, ſoluere, profectus eſt in agrum. Ex labore enim excitato nouo dolore in pede, conuocata eſt fluxio noua, quę, rectitudinis gratia, læſit primùm neruorum radices in lumbis: ſed ſecundùm medullæ ſpinalis rectitudinem procedente compaſſione, conuulſio cepit à neruorum origine, & factus eſt opiſthotonicus, maxillis adeò conſtrictis (conſtringuntur enim muſculis temporarijs qui neruos accipiunt à tertio & quinto pari neruorum cerebri) vt vix exiret ſaliua per dentes. Neceſſe autem erat exire ſpumoſam ob æſtum thoracis, quem difficilis reſpiratio faciebat, vt ſcilicet adeſt ſpuma circa os ijs qui ſtrangulantur.

THrinon Damonis filius vlcus circa tibiæ malleolum habebat. Cùm iuxta neruum iam denudatum medicamento morderetur, opiſthotono mori contigit.

Neruum iam putum nudatúmque medicamento mordaci tangere, non caret periculo conuulſionis, ob acrem enim ſenſum ſuſtinere non poteſt, & trahit in compaſſionem neruorum originem, vt huic euenit. Innuit ſatis locus. Nam iuxta malleolum prætereunt nerui ſatis multi, vnus præcipuè inſignis magnitudinis, qui ex neruis vltimarum vertebarum lumborum, & ex primis ſacri oſſis conflatus eſt, ex quo etiam alij, qui iuxta tibiam decurrunt, deciſi ſunt. Verùm etſi occaſionem præſtitit locus, & nerui nuditas, & medicamenti mordacitas, ſuſpicor temporis conſtitutionem vehementer iuuiſſe, fiebant enim eo tempore multi opiſthotonici, Vt hinc intelligamus cauenda nobis ſemper eſſe ea, in quæ tempeſtatis conditio videatur inclinare. Leui enim cauſa in ea incidetur, & quæ ſalubribus tempeſtatibus nihil, aut leuiter læſiſſent, inſalubribus facilè eas quæ ſponte graſſantur, inducunt paſſiones. Velut hac tempeſtate, prior quòd in agrum exijſſet, alter vſu medicamenti acrioris (quæ cauſæ inſalubres quidem ſunt, non tamen perniciosæ) opiſthotonici ſunt facti, & interierunt.

CErtè in omnibus ſuppurationibus, & oculorum affectibus, ſub noctem labores contingunt.

In prognoſtico ita ſcriptum eſt, omnes ſuppuratos ex ijs ſignis cognoſcere oportet, primùm quidem ſi febris non dimittit, ſed per diem quidem te-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 276 sur 489

nuis eſt, noctu verò amplior. Hoc eſt quod nunc dicit, in omnibus ſuppurationibus ſub noctem labores contingunt. Huius cauſam in commentario prognoſtici reddimus. Quod de oculi affectionibus nunc addit, oportet exploremus. Oculus plerumque patitur recipiens ex cerebro: cerebrum verò malè affectum, & excrementis redundans, conſentaneum eſt lædi ſomno. Siquidem ſomnus cauſa eſt ſimilis cerebro, nam frigida & humida. Eſt etiam cerebri paſſio, fitque eo obſtructo. Obſtructio verò, quòd in illud per ſomnum humores accurrant. Cacochymiæ ergo cerebri confluxu nouo accedente, neceſſe eſt illud lædi. Quod ſi ſomno læditur, & nocte neceſſe eſt lædatur. Nam præter quàm quod noctu ſomni fiunt, ipſa per ſe nox eſt analoga cauſa ſomno, humida enim eſt & frigida: & vt luce ac calore ſucci euocantur & diſſipantur, ita tenebris reconduntur, & denſantur. Itaque nocte etiam lædi cerebrum, alioqui malè affectum, & excrementis redundans, eſt conſentaneum. Atque ita fit, vt capitis grauitas, & catarrhi, & conuulſi motus, quin & deliria nocte potiùs creſcant. In quam ſententiam 4. de ratione victus, ita habetur. Noctes autem pluſquàm dies delirij ſignificationem præbent. Læſo verò nocte cerebro, neceſſe eſt lædi quæ per compaſſionem cum eo laborant. Nam, vt apertiùs in re propoſita dicatur, cùm cerebrum mittat in oculos ob redundantiam, & nocte plus redundet, factâ humorum acceſſione, tunc quoque plus mittet.

Tvſſes hyeme graſſantur, præcipuè flante Auſtro. Cùm craſſa & multa alba excreaſſent, febres ſuperueniebant & quinta die ceſſabant, tuſſes autem circa quadrageſimam, velut Egeſipoli contigit.

Non dicit tuſſes flante Auſtro vigere, docens eo tempore ſæpius accidere, & magis flante Auſtro quàm Aquilone, (contrà enim ſe res habet) ſed narrat quod alicubi per hyemalem quandam conſtitutionem accidit. Nimirum hyems auſtrina, & corripiebantur multi tuſſi, quæ pleriſque durabat quadraginta dies, vt morbus neque omnino diuturnus, neque acutus. Poſſunt enim homines tuſſire ob Aquilonem & ob Auſtrum: ob illum quidem, quia penetrat, mordet, & refrigerat ſpirituales partes, & ſi quid ſucci redundat in capite, velut exprimit: ob hunc verò, quia caput humectat & replet, vnde fluere etiam euenit ob redundantiam. Hinc fit, vt tuſſes ex aquilone ſicciores ſint, ex auſtro humidiores, ac per quas plura excreentur & craſſiora, quia ſcilicet flante Auſtro copioſior fit effluxus. Febres etiam natæ ſunt magis fieri ex auſtrina tuſſi, vel ob hoc ipſum, quòd ex maiori pendeant excrementorum copiâ, vel quòd ea ipſa quæ redundant calida & humida ſint, vel quòd ipſe aër valdè ſit putrefaciens. Sequebantur ergo dictæ tuſſes conditionem temporis, febres verò erant tuſſis ſympromata (tuſſim voco eam affectionem capitis & pectoris, quæ tuſſim facit) quæ ſuperueniebant redundantiæ: durabant verò minùs quàm tuſſes, quia ipſæ ſuam cauſam conficiebant. Tuſſes verò cum minore humorum copiâ perſeuerare poterant quàm febres.

Evtychidem ex cholera morbo diſtentio neruorum in cruribus corripuit cum inferna alui deiectione. Bilem impensè coloratam, multam, & valdè rubram per tres dies noctéſque euomuit, & impotens erat & anxius. Nec quicquam ex potu aut cibo continere poterat, & vrinæ multa aderat ſuppreſsio & meatus inferioris. Per vomitum fax mollis prodyt, & deorſum erupit.

Χολερικὰ ſeu choleram morbum vocant medici malum quoddam acutum, in quo ſimul vomitione & deiectione laborant ægroti cum retinendi impotentia. Cur ergo vocat hæc cholerica, ſi deiectionis per inferna erat ſuppreſsio? Porrò ſi hæc ſuppreſsio aderat, quo pacto dicit deſijſſe malum in neruorum diſtentionem in cruribus cum infernâ alui deiectione, & rurſum mollem fæcem ſimul reiectam eſſe vomitu, & deorſum erupiſſe? Hæc ſolutio ex figurata loquutione pendet, quam cum explicuero, narratio euadet apertiſsima. Imprimis nomen choleræ ei præcipuè tribuitur morbo, per quem euomunt ſimul & deijciunt deorſum ægroti, ſed etiam cum ſine his euacuationibus, à fluxu prauorum humorum, ſolis irritationibus cruciatur venter ſupernus, vocabatur cholera antiquiſsimis. Nam 4. de ratione victus in acutis dicitur Cholera ſicca, per quam nihil euomitur, ſed nauſeatur tantùm. Potiori ergo ratione hic affectus dicetur Cholera morbus, tametſi à ſolâ vomitione inceperit, qui in vtraſque ſimul euacuationes proceſsit? Sed narrationem iam exponamus. Eutychidem (inquit) ex cholerâ morbo diſtentio neruorum in cruribus corripuit cum alui deiectione, hoc eſt, cùm Eutychides cholera morbo laboraret, deſijt malum in tetanos crurum, & in deiectiones. Hoc dicit per præoccupationem, narrans primùm morbi exitum. Nimirum huic morbus in deiectiones & tetanos finitus eſt. Poſt hæc redit ad morbi initium, narratque totius figuram & decurſum, dicens, per tres dies & noctes multam bilem impensè flauam & valdè rubram euomuit, & impotens erat & anxius. Nec quicquam ex potu aut cibo continere poterat, & interim multa aderat vrinæ ſuppreſsio, & meatus inferioris. Poſthæc, quartâ ſcilicet die, ſucceſsit vomitio liquidæ fæcis, ſimulque cœpit eadem fex deorſum deijci, atque cum hac deiectione finitum eſt malum in crurum tetanos. Hæc eſt narratio. Poteſt autem dubitari, quo pacto vomeret bilem impensè flauam & impensè rubram. Si enim ambas ſimul, commixtáſque, neutrum poterat eſſe ſummè. Quo pacto enim inſint eidem rei duo colores impensè ambo? Si verò ſeorſum vtramque, aut ſecundùm diuerſas partes variegatas, quî poſsit bilis vlla impensè rubra eſſe? Rubrum enim eſt ſanguinis ſolius, ne dum impensè rubrum. Si his omnibus καθαρὸς & λίην ἐρυθρὴ diuerſi colores ſignificentur, haud dubiè exibat ſeorſum rubrum & flauum, vel ſecundùm diuerſas partes malè permiſtum. At illi quibus placet

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 277 sur 489

ſententia Auicennæ, ſpeciem quandam bilis rubræ eſſe dicentis, interpretabuntur hanc eſſe quam homo hic euomuerit, vocati verò impensè rubram non ſimpliciter, neque ad rubrum ſanguinem, ſed ad bilem, vt quidem fuerit hæc, quam maximè bilis eſſe poteſt rubra, fuerit verò omnino ſubrubra. Sin autem nulla talis eſt bilis ſpecies, ſed omnis color ruber ad ſanguinem pertinet, fortaſſe nomen ἐρυθρὸν capitur impropriè pro flauo, aut bilis rubra dicitur quæ cum ſanguine mixta ſit: atqui fortaſſe huic, ventriculi vellicatione, venulæ aliquæ ruptæ ſunt, & inter alias ſummè flauas, quædam etiam bilis partes, rubore ſanguinis tinctæ exierunt. Primis igitur tribus diebus tantus factus eſt, bilis toto corpore redundantis impetus in ſuperiorem ventriculum, vt ob eam cauſam ventriculus nihil poſſet continere, & vrina ac reliquæ infernæ euacuationes eſſent ſuppreſſæ, nimirum ſuccis ſurſum latis. Hæc autem cùm fierent, neceſſe erat hominem eſſe inpotentem & anxium, hoc eſt, debilem, nec potentem ſe vllo loco continere, ſed iactare hac & illac. Nihil eſt enim quod adeò affligat, atque oris ventriculi lancinatio. Bilis autem quæ in ventriculum effluxerat, maxima parte iam euacuata, cœpit pro bile fæx mollis euomi: remittente verò iam hac euacuatione, & naturæ vi in contraria per lumbos verſus crura nitente, neruos qui maximi & ex multis conflati, à lumborum vertebris & oſſe ſacro orti, illac feruntur, occupauit humor, atque ita ſimul & aluus fæcem mollem copiosè deiecit, & crura tetano ſunt correpta. Nimirum, vt libro 2. ſectione prima dicebatur. Abſceſſus aut per venas, aut tonos, aut per oſſa, aut neruos, aut cutem, aut alias conuerſiones. Hæc eadem hiſtoria repetitur, vt multæ aliæ, libro ſeptimo eiſdem prorſus verbis, præter quàm quòd illic poſt illa verba, & valdè rubram, interiecta ſunt hæc (poſt vomitum bibit) quæ nihil adeò notatu dignum addunt, aut detrahunt ſenſui. Ego conjecto ob vomitum cruentum datam eſſe ei potionem aliquam refrigerantem & adſtringentem, iuxta aphoriſm. trigeſimum ſeptimum ſectionis quintæ.

ANdrophani vocis interceptio & delirium aderat, quibus ſolutis diu adhuc ſuperſtes fuit, & recidiuæ contingebant. Lingua autem toto tempore ſicca permanebat, ac niſi collueretur loqui non poterat, & plerumque erat admodum amara; aderat autem aliquando cordis dolor, quem venæ ſectio ſoluebat. Huic aquæ aut mulſæ potio contulit. Helleborum nigrum bibit, nec quicquam biliosum præter paucum prodijt. Tandem cùm per hyemem decumberet, mentis compos non erat, & ſimilibus linguæ affectibus afficiebatur, calor aderat tenuis ſine dolore, lingua decolor, vox qualis eſt Peripneumonicis, è pectore veſtes reijciebat, & educi ſe iubebat, nihil autem poterat apertè. Sub noctem vitam finiuit.

Huius ægroti morbus narratur aliquanto diſtinctiùs in ſeptimo libro, additis non paucis verbis, quæ hic deſunt, quapropter lubet eius narrationem in eum locum differre. Occurret illic ſub nomine. Androthali, ſtatim poſt hiſtoriam Pherecydæ.

NIcanoris affectus talis erat, quum in conuiuium progrediebatur, tibicina timorem incutiebat, adeò vt ſtatim ac inciperet tibiæ ſonus, eumque in conuiuio audiret, præ timore turbaretur, vixque ſe ſuſtinere poſſe affirmaret, quum nox eſſet; cùm verò interdiu audiret, nihil commoueretur. Talia illum diu comitabantur.

Melancholia morbo tenebatur hic. Eſt enim eius paſſionis proprium ſine cauſa timere, & mœrere. Vix autè recenſeri poſſunt differentiæ timoris, quibus tales corripiuntur. Quæ ſanè ex differentia inſaniæ (ſemper enim inſania quædam hos comitatur, tametſi ſimpliciter inſanire non dicantur, donec omnibus iam videantur apertè dementes) ſeu læſionis imaginationis naſcuntur: non tamen poteris ſingularum proprias cauſas reddere. Velut nunc, cur timebat ſonitum tibiæ potiùs quàm quippiam aliud? Porrò quid habebat is ſonitus cum potu commune, vt tunc timeret maximè & conturbaretur, cùm eo potante tibia inciperet ſonare? Certè ita erat vitiata imaginatio, vt occurrerent illi hæc vt terribilia quædam ſpectra. Quòd hæc eadem terrerent potiùs noctu quàm interdiu, facilè intelligi poteſt cauſa. Ipſa enim nox terribilis eſt omnibus, qui non longè abſunt à timore. Quæcunque igitur timendi cauſa interna illis adſit, noctu maximè id efficiet, præcipuè ſi timoris eiuſmodi cauſa in nigritiem ſucci, & velut internam ſpirituum animalium noctem reijciatur. Itaque melancholicus erat hic, nam talia diu comitabantur illum. Metus verò & mœſtitia ſine cauſa, longo tempore perſeuerantes, melancholiam indicant. Horum ſumma curatio eſt, per inferna vehementiùs purgare, vt in aphoriſmo dicitur, idque medicamento nigra extrahente.

DAmocles qui apud illum erat, cæcutire ac exoluto corpore eſſe videbatur, nec ad præruptum locum accedere, nec ſuper pontem aut minimam foſſæ altitudinem tranſilire, ſed per ipſam foſſam tranſgredi poterat. Hoc aliquandiu illum detinuit.

Hic melancholicus ſimul erat & vertiginoſus, eâ vertiginis ſpecie, quam quidam appellant tenebroſam, ſeu tenebricoſam. Huius enim ſymptoma eſt, non tam videri omnia circumagi, quàm cœcutire. Hi etiam, & omnes vertiginoſi, ſentiunt quandam velut corporis diſſolutionem, & præcipuè timent cadere, ſi in loco aliquo ſublimi ſint, aut rem fluentem deſpectent. Proinde cauent accedere ad præcipitia, & aquam è pontibus ſpectare, & foueas tranſilire. Cum ſpecies nigri humoris accedit, quod in his tenebroſis vertiginibus euenit, accedit timor melancholicus, venitque res iam ad aliquam ſpe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 278 sur 489

ciem insaniæ, vt non solùm sublimes pontes præterire, sed neque exiguos omnino scrobes, aut aquæ lutiue riuulos transire audeant, sed per ipsos scrobes, & medium lutum procedant. Hos quoque oportet purgare vt priores, medicamento verò, quod præterquàm quòd sit melancholagogum, & vehemens, respiciat caput, veluti fortasse hiera diacolocynthidos Galeni, aut Archigenis, quibus ego vtor secundùm syngraphas Ætij. Doque ȝ. iiij. Interim continendi sunt in loco obscuro quieti, in victu vitanda cacochymia, flatuosa, & caput replentia. Mittitur etiam his aliquando sanguis vtiliter, vt & melancholicis, & eisdem distinctionibus adhibitis.

Talis erat Phœnicis affectus, ex oculo dextro plerunque velut fulgur elucere videbatur, cùm autem aliquandiu continuisset, dolor in tempore dextro insistebat, & posteriorum vertebrarum contentio aderat, & circa dentes durities, quos distentus deducere tentabat. Vomitus si aliquando contigissent, prædictos dolores auertebant, aut mitiores faciebant. Verùm venæ sectio etiam conferebat, & hellebori potus eduxit omnis generis humores, maxima autem ex parte porraceos.

Hic laborabat hemicrania, ex bile vsta in atræ bilis naturam incipiente degenerare. Nam dolor oculi dextri, & temporis etiam dextri, & posteriorum ceruicis vertebrarum contentio, & durities circa dentes (quod etsi non dicat, eiusdem lateris intelligi debere, rationi esse consentaneum intelliges, mox ac causas singulorum apposuerimus) hemicraniæ sunt euidentia indicia. Causæ verò speciem indicabant exeuntia, nam exibant porracea, quæ, nisi in ventriculo ipso ob speciem eduliorum genita sint, ingentem vstionem significant: exibant verò etiam omnis generis humores. Quòd arbitror in aliquam nigritiem etiam vrendo processissent, aliqui etiam fortasse incocti simul cum acribus euacuarentur, quamquam propriè materiæ morbificæ partem non componerent. Quoniam verò calidorum succorum redundantia ad hepar plerunque pertinet, vt frigidorum ad ventriculum, aut lienem; meritò in hoc quoque mittens pars, ac velut fons, origôque morbi putatur fuisse hepar calidum, cùm præcipuè dolentis lateris rectitudo in illud nos ferat. Itaque ferebantur biliosa affatim ab hepate sursum secundùm dextrum latus, per venas, à quibus refundebantur etiam in arterias. Priùs verò replebantur arteriæ (ita vt fit ob assiduam dilatationem, quam faciunt more follium) fumis biliosis, quos ob calidam naturam fumos potiùs, quàm flatus vocamus. Fumi igitur illi flaui, obuersantes cum spiritibus visorijs, speciem faciebant fulgoris. Cùm autem homo oculum continuisset aliquantulum, ac concluſisset vitandi fulgoris gratiâ, accidebat vt fumi resilirent in venas & arterias proximi temporis (quæ pars ab huiusmodi causis crebrò dolet, ob vasorum, quæ ibi sunt, magnitudinem) aut in eas quæ maximæ ac copiosissimæ sunt in cerebri basi, quâ exoritur spinalis medulla, & ita dolor insistebat, aut in tempore, aut iuxta spondylum, primum scilicet quo caput spinæ coarticulatur, mouetúrque antrorsum & retrorsum, aut etiam iuxta secundum, quod etiam dici solet ab Hippocrate dentiforme ob figuram, quo caput circum ducitur. Accidebat etiam huic (dicit) ξύντασις, & durities circa dentes. Explicat verò mox, quid vocet contentionem & duritiem circa dentes, dicens, diducere tentabat distentus. Itaque ille diducere non facile poterat, sed hærebant inferiores superioribus, velut cum quadam partium tentione, & immobilitate, atque si vi diduceret dentes, velut distendi partes sentiebat. Hoc sanè videbatur necessariò affuturũ ob affectionem temporis. Cum enim musculꝰ temporis sit primus maximúsque masticatoriorum, & qui maxillam inferiorem adducit ad superiorem, plenis vasis temporis, musculum eum necesse erat tumere, ac inflammari, & ita contrahi, & inferiores dentes adduci, abduci autem violenter. Sed & sanatio indicat, rectè de affectione & eius causis coniectatum esse. Nam conferebat venæ sectio, temperando (arbitror) hepar, & laxando vasa, & expurgatio per helleborum, quia euacuabantur qualia euacuari oportebat, omnis enim generis humores, & præcipuè porracei. Interim si aliquando vomitis contingebat, dolores tollebantur: aut minores euadebant. Quia etsi is dolor non accideret per consensum cum ventriculo, tamẽ quæcunque excrementorum copia in ventriculo collecta esset, non poterat non adaugeri capitis affectus crebrâ euaporatione. Verùm considerata non dicere Hippocr. sanatum fuisse hunc venæ sectione, & potu hellebori, sed missionem sanguinis & potum hellebori contulisse: significat scilicet ipsa phrasis, hæc non semel esse acta, sed pluries, ex quibusdam interuallis longis; ita vt fit, repetita.

Parmeniſco etiam prius desperatio accidebat, & migrandi è vita cupiditas, interdum autem animi tranquillitate rursus fruebatur.

Post hæc verba, quę in septimo libro, & alia quàm plurima repetuntur, adiecta est quędam historia morbi, quem in Olintho passus est hic idem Parmeniscus, quam postquam hæc enarrauero, ego hoc loco adscribam, & enarrabo, ne quis cogatur, eiusdem ægroti historiam in duobus locis quærere. Mœstitia & desperatio melancholicis est familiaris, sed his ipsis accedit aliquando sine vlla occasione lętitia suffundi & ridere. Nimirum cùmmente non satis constent; solent ad insaniam vtrumque facere, nunc nulla de causa mœrere plurimùm, nunc plurimùm lętari. Frustra verò videtur peti ratio insaniendi, cùm non contigat, vt ille dicit, cum ratione insanire. Sed in ipsa corporis affectione causam ego dixerim esse hãc, quòd sicut nullum est sterquilinium quod pari semper modo exhalet fœtorem, sed maiorem quum agitatur commoueturque: sic etiam & multò magis omnes morborum causę, quibusdam temporibus, aut certo quodam ordine, aut erratico modo agitentur necesse est, vt melancholici nigris vaporibus mentis sedem occupantibus

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 279 sur 489

©BIUM

mœreant, & aliquando copiosa effumatione cessante, & succi nigri motu sedato à mœstitia liberentur. Atque cùm nulla lætitiæ maior causa sit, quàm fugata mæstitia: vt & voluptatis fugatus dolor: necesse est aliquando lætentur sine vlla externa causa plurimùm, soluti à plurima mæstitia, quæ sine externa causa inerat, iuxta id quod Socrates dicit in Phædone, cuius hæc sunt verba. Quam mira videtur, ò viri, hęc res esse, quam nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui ei contrarius esse videtur. Quippe cùm simul homini adesse nolint, tamen si quis prosequitur capitque alterum, semper fermè alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Post hęc in septimo libro ita scriptum occurret. *In Olyntho autem aliquando Autumni tempore priuatus voce & quietus decubuit, vt vix paucum quiddam proloqui aggrederetur. Quin etiam si quid locutus esset, rursus voce priuabatur. Somni aderant, aliquando verò vigiliæ, & iactatio corporis cum silentio, atque anxietas, & manum hypocondrijs quasi dolorem patiens admouebat; aliquando verò auersus & quietus decumbebat. Febris verò semper manebat, & facilè spirabat. Tandem se ingredientes cognoscere dixit: aliquando verò per totam quidem diem & noctem potum etiam oblatum respuebat, aliquando verò vrnâ derepente arreptâ totam ebibebat aquam. Vrina crassa qualis est iumentorum, circa diem verò decimamquartam remisit.*

Hic fuit morbus acutus. Febris enim perpetua constitutionis dierum quatuordecim, superueniens melancholiæ diuturnæ. Quo factum est, vt præter febrem, & eius accidentia propria, adessent multa accidentia melancholiæ. Cuiusmodi illa. Nunc nimia quies & taciturnitas, nunc nimia iactatio & inquietudo. Nimia etiam & rapida potatio, & nimia potus auersatio. Et alia omnia, quæ insaniæ quandam speciem præ se ferebant, melancholiæ familiarem. Sed satius fuerit singula percurrere, & quas coniectari possumus causas, adijcere. In Olintho (inquit) aliquando autumni tempore (quo scilicet maximè vrgere melancholici morbi solent) decubuit ἄφωνος, ἡσυχίην ἔχων, hoc est taciturnus neque se mouens in lecto. Explicat mox quàm esset taciturnus, dicens ita vt paucum quidam vix proloqui conaretur: iam verò si quid esset locutus rursus priuabatur voce. His verbis significatur, illum ita iacuisse taciturnum, vt parum quiddam loqueretur, atque id quantulumcumque, vix vt videretur posse loqui, aut loqui molestissimè ferret, & mox rursum conticesceret. Quod quidem non est referendum ad aliquod instrumenti vitium, sed ad animi affectum. Non enim quod loqui non posset, sed quod ob mœrorem nollet, tacebat. Neque dicitur ἐπιχείειν προσπίπτειν, quod linguæ corporale aliquod esset impedimentum, sed quia malè obsequuntur instrumenta omnia, quum appetit° renuit. Itaque taciturnitas illa, & requies nimia mœstitiam indicabat. Mœrorem verò esse melancholicum accidens, satis constat. Somni (inquit) aderant, aliquando vero vigiliæ & iactatio cum silentio. Melancholiæ familiares sunt vigiliæ ob siccam intemperiem, tamen alia ratione etiam hi sunt aliquando veluti comatosi, ob mœstitiam scilicet. Videmus enim eos qui tristi & demisso animo sunt, in somnum inuitos ferri, qui quidem non tam est somnus, quàm vigilandi impotentia. Hic igitur, nunc ob succi naturam vigilabat, nunc concidente animo dormiebat: & nunc vigilabat quiescens, quum succus minùs mouebatur: nunc iactabatur, cum succus agitatus instigabat. Semper autem silebat, quod ea incidisset insaniæ species. Addit, χαλυπώδης καὶ χεῖρ φρὸς ὑποχονδριακὸς ὁ δυνάμενος, hoc quidem melancholicum etiam est. Plurimi enim melancholicorum sunt hypochondriaci. Alijs non raro consentit ventriculus cùm cerebro. Quapropter perpauci eorum sunt, quibus non accedat ex hypochondrijs anxietas, alijs quidem maior, alijs quidem minor. Id verò quum fit, naturaliter videntur manus in eam partem ferri. Aliquando verò auersus iacebat quietem agens. Dictum est eum aliquando iacuisse sine motu: nunc dicit aliquando immobilitati & silentio adiecisse auersionem, vt non tantùm alloqui nollet, sed & videre recusaret, quod maius adhuc indicabat tædium. Febris verò (inquit) semper manebat & bene spirabat, melius scilicet quàm alij febricitantes solent. Cuius causa est, quod mala melancholicorum in cerebrum & hypochondria incumbunt magis, quàm in thoracis partes. Postea, inquit, dixit, cognoscere se eos qui ingrediebantur. Postquam scilicet conuersus à pariete est, interrogatus an agnosceret, dixit se agnoscere, ac fortasse nominauit singulos. Quod sanè non est tantâ dignum admiratione, sæpe enim euenit, & ad tempus mente constât huiusmodi homines. Atque poterat etiam agnoscens omnes delirare, læsa ratione sine imaginatione: bibere verò (inquit) quandoque tota die & nocte nolebat, etiamsi tribuerent qui aderant, quandoque verò vrnam repentè arripiens, aquam bibebat totam. Hoc quoque accidens vidimus sæpe in insanientibus ex melancholia: vt quidem potum non petant, etsi vrantur febre, sola mentis alienatio solet facere, quia ij quibus mens ægrotat dolores non sentiunt. Tamen vt ne admoniti quidem vltrò oblatum velint accipere potum, semper ex insano aliquo timore procedit, velut plerunque imaginantur offerri sibi in potu mortiferum aliquid, parariique sibi ab offerentibus insidias. Tali aliquâ suspicor de causâ, hunc per diem & noctem potum recusare. Quandoque verò euanescente ea imaginatione, & vrgente siti, repentè arripere vrnam, & tunc quoque sine modo bibere totam aquam. Cùm morbus intra suam constitutionem consequutus esset concoctionem, iudicatus est homo per vrinam. Nam processit vrina crassa qualis est iumentorum, & circa decimam quartam remisit febris. Morbis melancholicis accommodatissimæ euacuationes sunt, deiectio & mictio: illa quidem hypochondriacis magis, hæc reliquis; quia crassa & fœculenta multò meliùs euacuantur per has vias: quæ circa hypochondria hęrent, per ventrem: quæ in venis totius corporis, per vesicam. Nam sudoribus euacuantur serosa: fluxu sanguinis, sanguis totus: vomitus non semper est euacuatio vniuersi corporis.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 280 sur 489

A

Cononis ſerua ex incipiente capitis dolore fuit mente alienata, vociferatio aderat, eiulatio multa, rara quies, circa quadrageſimam diem mortua eſt. Decem autem diebus antequam moreretur, voce deſtituta & conuulſa fuit.

Ratio quidem adſtipulatur, ſed & experimento cognoui, in ijs qui à dolore capitis delirare cœperint, vociferationem, clamores, & inquietudinem, imminentem conuulſionem ſignificare. Eueniunt enim ea ob neruorum paſſionem, in quorum radices imbibuntur excrementa. Quum ergo caput ea recipit, eius dolor accidit: quum iam repletur, & putreſcentia vitiat cerebri temperiem (vt in phreniticis) aut nigrities obtenebrat ſenſuum internorum fulgorem (vt maniacis) læditur mens. Poſteà quũ non continent ſe humores in mẽtis cellulis, ſed occupant neruorum radices, fit corporalis paſſio, quæ vocatur conuulſio. In ea ſucci in corpus (vt dicit Hipp.) conuerſione, neceſſe eſt excitari dolores grauiſſimos, ob acrem ſenſum neruorum, atque ob id vociferari, & clamare, etſi ob inſaniam, qua parte doleant narrare neſciant. Itaque malum à magno capitis dolore incepit, proceſſit vſque ad delirium, dũmque in conuulſionem abibat, vociferabatur, clamabat, & inquieta erat. Factâ iam conuulſione, voce deſtituta eſt, quòd vocales muſculi tenerentur: donec occupante iam (arbitror) omnia reſpirationis inſtrumenta conuulſione, circa quadrageſimam, quæ morborum non planè chronicorum finis eſt, mortua ſit. Simile quiddam euenit infantibus epilepticis. Cum enim eos iamiam inuadunt paroxyſmi, clamant miſerè, ſed conuulſione iam occupati ne vocem quidẽ poſſunt emittere.

B

C

D

Adoleſcens quidam poſt multum meri potum in tentorio quodam ſupinus dormiebat. Huius in os ſerpens Arges irrepſit, & cùm ſenſiſſet nec poſſet loqui, ſtridit dentibus, & ſerpentem deuorauit, & vehementi dolore afficiebatur, & manus efferebat, vt qui ſtrangularetur, & iactabat ſeipſum, & conuulſus mortuus eſt.

E

Hæc hiſtoria mirabilis, admonet non eſſe rutum hianti ore ſopitum iacere, ſupinúmque in ſolo reptilibus pleno, vt ſolent ruſtici: idem enim accidere quod huic, qui vino mero plenus iacebat, quid prohibet? Quamquam qui lacte pleni (vt etiam fit) dormiunt, periculo ſunt magis opportuni, quòd lactis & odor & ſapor reptilibus omnibus ſit iucundiſſimus. Vini etiam æſtu, præcipuè ſi cum alijs ingeſtum ſit, fugantur potius. Atque hanc reor eſſe cauſam, quâ non adeò multi ruſticorum hoc modò periclitantur: conuulſionem huic duplex cauſa afferre potuit, veneni vis, & quod vipera os ventriculi morderet.

F

Timocharis etiam ſeruus, qui inter melancholicos eſſe putabatur, & talibus tantiſque affectus, eodem modo mortuus eſt circa eaſdem dies.

Prope hiſtoriam ſeruæ Cononis eſſe hanc ſcriptam ab autore, & eam quæ intereſt huic proxima, eſſe ab aliquo malè interiectam, ipſa verba indicant. Quid enim refert illud ὁμοίως, & illud περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας aliud quàm mortuum etiam eſſe hunc voce priuatum, & conuulſum circa diem quadrageſimam. Nimirum hac ratione periclitantur melancholici breui moti, ſi fiant apoplectici, aut conuellantur, humore eo, qui animam perturbat, conuerſo ad corpus. Fuiſſe verò hunc melancholicum confirmat multorum & talium virorum, qui illi aderant, autoritas. Quod ſcilicet illi ita putarent: fortaſſe quòd ipſe huic ægroto non adfuerit, ſed rem aliorum relatu agnouerit; aut etiam fortaſſe, vt obiter doceat à medico, vt ipſe alibi dicit, ſeu medici ſententia, probabiliter affectionum argumentum capi.

Nicolai puero circa Solſtitium ex potationibus horror accidit, circa noctem febris poſterâ die vomitus biliоſus, ſincerus, paucus. Tertia die cùm concio adhuc frequens eſſet, oborto totius corporis ſudore ceſſauit.

Hæc narratio mutila eſt, deſúntque plura verba, quàm hic ſcripta occurrunt, vt conſtare facilè poteſt ex libro ſeptimo circa medium, quo loco eadem ipſa repetitur. Primùm ergo oportet, vt lectio reſtituatur, deinde enarretur. Ea habet hoc modo.

Nicolai puero circa Solſtitium hyemale ex potationibus horror accidit, circa noctem febris, poſterâ die vomitus biliоſus, ſincerus, paucus. Tertia die cùm concio adhuc frequens eſſet, oborto totius corporis ſudore ceſſauit, Rurſúſque citò incaluit. Circa medias noctes rigor & febris acuta accidebat, interdiu verò eadem horâ ſudor, rurſus citò recaluit, vomitus ſimilis. Quarta ex decocto Mercurialis deiecit bene ſtercoroſa & liquida, ſubfœtida tamen & ſpongioſa, mercurialis decocto non diſſimilia, vrina non admodum multa erat, ſedimentum non habebat, ſed paruum quid ſuſpenſum. Doloribus hypocondrij ſiniſtri & lumborum afficiebatur, putabatur ex vomitu ſuperſpirare & ſuperſpirabat duplicata aliquando reſpi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 281 sur 489

©BIUM

ratione. Lingua alba erat, & habebat dextra ex parte concretionem lupino ſimilem: deinde parùm erat ſiticuloſus, inſomnis, mente conſtabat. Sextâ autem dexter oculus maior dum intueretur apparebat. Septimâ mortuus eſt. Attamen venter ante mortem in tumorem ſublatus eſt, & mortuo poſteriores partes rubore ſuffuſæ ſunt.

Narrat Hippocrat. ætatem ægroti, anni tempus, & ægrotandi occaſionem, quia hæc omnia faciunt quamplurimùm ad cognoſcendum morbi ſpeciem & periculum, atque ad rectè ſuſcipiendam curationem, oportetque ſingula conſiderare ſeorſum, atque etiam cum alijs conferre, velut nunc febrem hanc ardentem factam eſſe mediâ brumâ periculum auget, quia non congruit cum tempore. Periculoſum etiam fuit puero larga vini potione vti (has enim haud dubiè vocat potationes) plurimùm enim læduntur pueri à vino. Et ex potationibus & ingluuie (ſimul enim conſueuerunt hæc fieri) meritò nata eſt febris magna, & multiplex, magnam voco ob propriam eſſentiam, & ob malignitatem (fuit enim continua, & vehemens, & pernitioſa) multiplicem, ob complicationem. Habuit enim homo à principio tertianam intermittentem, coniunctam cum perpetua. Nam incepit à rigore, & habuit deinceps tertia quaque nocte rigorem, à quo increſcebant febres: & rurſum tertia quaque die, cum concio erat in foro frequens (ad meridiem ſcilicet) ſudorem totius corporis. Quæ figura eſt haud dubiè tertianæ intermittentis. Non tamen quum ceſſabat ſudor, ceſſabat etiam febris, ſed citò rurſum incaleſcebat, & manebat febris, donec circa mediam ſequentis noctis horam rigor iterùm rediret. Eam notam habuit hæc febris malignitatis à principio, quòd cùm ex bile ſatis ſincerâ ortum duceret, tamen multùm vltra tertianæ legitimam durationem produceretur. Nam quiuis paroxyſmus durabat circiter triginta horas. Nam rigor factus eſt circa mediam noctem, & poſtridie febris durauit vſque ad diem tertiam, & die tertia circa medium diei ſudor totius corporis eſt factus, qui ceſſauit (manente nihilominùs febre perpetua) vſque ad ſequentis noctis medium. Quâ hora rediit ſimilis omnino circuitus. Itaque paroxyſmus erat triginta ſex horarum, interuallum verò tertianæ intermittentis, quod continua occupabatur, ſolùm duodecim. Vomitus, quia bilioſus ſincerus talem ſignificabat cauſam: quia verò exiguus, malus erat, vt alia decretoria imperfecta. Significabat vomitus talis idem quod paroxyſmus productus, atque ambo ſimul, multò magis redundantiam humoris, & facultatis debilitatem. Nam niſi humor eſſet multus, neque paroxyſmus eſſet tantus, nec vomitus tentaretur. Si autem facultas fuiſſet fortis, & citiùs ſeſe à febre expediuiſſet, & abundantiùs vomuiſſet. Has ob cauſas medicis viſum eſt multum vrgere, neque expectari poſſe legitimum iudicationis, vel expurgationis tempus, atque ideo die quarta mercurialem herbam contulerunt, à qua deiecit ſtercoroſa, humida, fœtida, & ſpongioſa, hoc eſt, ſtercus molle fœtidum, & ſpumoſum. Vrina erat pauca, non diſſimilis decocto mercurialis, ſcilicet ſubuiridis, hypoſtaſi carens, habens verò ſuſpenſum quid paruum. Hoc loco Hippoc. quamquam indiſtinctè vti ſolet nominibus nubeculæ, enæorematis, & hypoſtaſis, diſtinctè eſt locutus, vocans hypoſtaſim quod ſubſtat, appendiculum quod in vrinæ medio vehitur. Has deiectionum, & vrinæ ſpecies prauas eſſe conſtat. Nam vtraque habet concoctioni contrarias notas. Nam in deiectione, quod fœtidum eſt, & ſpumoſum putreſcentiæ malignæ ſignum eſt, & colliqueſcentiæ, vt etiam viride in vrina, vſtionis. Ita factum eſt (vt ſcilicet talia poſcebant ſigna) vt expurgatio malè cederet, & morbus haberet peſſimum exitum. Nam cùm ſtercoroſa ſolùm exirent, à mercuriali bilis copia mota tantum eſt, & circa hypochõdrium ſiniſtrum, & renes collecta. Vnde euenit ſiniſtrum hypochondrium inflammatum dolere, & lumbos, ac cum vrina bilem exire. Non quidem affatim, vt iudicationi ſufficeret, ſed vt tantum bilis decubitum inutilem indicaret. Quapropter facta eſt vrina pauca, & viridis. Superuenerunt poſtremo ſigna peſſima, ſuperſpiratio duplex, hoc eſt, πνεῦμα quod vocatur πρόσαπτον. Et lingua alba habebat in dextrâ parte concretionem magnitudinis lupini, & erat parum ſiticuloſus, inſomnis, ſed mente conſtabat, & tandem oculus alter altero factus eſt maior. Spiritus offendens, & oculus alter altero maior, conuulſoria ſunt, & in prognoſtico, & aphoriſmis plurimùm vituperantur. Lingua potuit albeſcere, retracta deorſum bile. Concretio verò malignus erat abſceſſus. Sublata ſitis in ardente febre pluries vituperatur ab Hippocrate, neque quidem nunc plurimum leuat id ſignum linguæ candor, quia non poterat in tanta febre non eſſe ſalſa pituita, accedente præcipuè peruigilio. Si enim ſupernæ partes abundaſſent pituita dulci, dormiuiſſet homo. Id ſolum aderat boni, quod conſtabat mente. Verum ſignum ſimpliciter bonum, multis peſſimis opponi, leue eſt. Quare meritò euenit hominem ita affectum ſeptimâ mortuum eſſe, quia lethalia inceperunt à fine primi quaternarij apparere. Euenit huic paulò ante mortem aluum intumeſcere, bileiam per retentricis impotentiam effusâ, & in ſpatia ampliora regurgitante. Mortuo iam poſteriores partes corporis rubræ ſunt factæ; iam effluente ob facultatum mortificationem etiam ſanguine, & cum naturali calore expirante, ſanguine extrà vaſa effuſo. Hoc ſignum fieri ſolet in multis recens mortuis, ac nonnullis etiam moribundis, velut in ijs qui venenum acceperunt, aut internis, ijſque malignis inflammationibus erant affecti, aut malignos aliquos ſuccos collegerant. Ego (ſiquidem hoc quoque dici non eſt inutile) dicam malè actum eſſe cum hoc ægroto, quòd non ſit illi ante expurgationem miſſus ſanguis: erat ſanè mittendus die ſecunda veſperi, cùm iam ceſſante ſudore videretur febris manere. Nam eò vſque non mirum ſi medicus expectaret, an tempore quo ſolent diariæ, ſolueretur, cùm febris ex cauſa procatarctica initium cepiſſet. Nam etſi inceperit à rigore, quod quodammodo putridam indicat, tamen non omnino inde conſtare poterat, non eſſe diariam, quia quæ ex ſatietate autebrietate oritur diaria, maximè imitatur putridarum figuram, ob redundantis cibi ac potus alterationem.

Diopithis

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 282 sur 489

©BIUM

Diopithis ſorori in febre ſemitertianâ circa acceſsionem os ventriculi grauiter dolebat, & tota die perſeuerabat, taliſque oris ventriculi dolor aliis ſimiliter contingebat. Verùm ſub Pleiadum occaſum talia viris rariora euadebant.

Simul hac dictione comprehendit ſingularem hiſtoriam eius morbi, qui euenit ſorori Diopithis, & communē illius, qui quodam autumno graſſatus eſt: adeò breuiter vtramque, vt parùm vtilitatis videatur inde capi poſſe. Nam de ſorore Diopithis nihil dicit aliud, quàm laboraſſe ſemitertianâ cum cardialgiâ, quæ in ipſa febris inuaſione apprehendebat, & durabat per totum diem. De communi illa tempeſtate dicit, multis etiam aliis, viris ſcilicet & mulieribus, etiam aliis febribus correptis, accidiſſe cardialgiam, verùm ſub pleiadis occaſum, talia viris rariora euaſiſſe. Non narrat autem qualis fuerit eius anni temperies, neque quo tempore cardialgiæ ceperint, neque quouſque durauerint. Quare multa deſunt ex quibus poſſemus aliquid ad artem vtile aucuparī. Verùm dicemus, quæ ex eis quæ dicit, probabiliter poſſit quis coniectari. Semitertiana febris, quæ præcipuè ita appellatur, eſt continua, acuta, & periculoſa, & multiformis. Conſtat enim duplici typo, tertianæ & quotidianæ, & ex duplicis ſucci putreſcentia oritur, bilis & pituitæ. Proinde hic morbus congruens eſt conditioni autumni, temporis adeò varij & inconſtantis, & ad multa variaq; excrementa gignendum apti. Cardialgiam vocant veteres omnes medici dolorem oris ventriculi, qui fit ob humorem frigidum & flatuoſum, aut calidum & mordacem, qui ibi gignitur, aut in eam partem influit. Plerumque verò frigidus ibi gignitur, & bilioſus aliunde affluit. Quod euenit cum talis in corpore redundat ſuccus, & os ventriculi eſt ex quacunque cauſa debile. Ita fit, vt hoc quoque malum autumno ſæpe accidat per morbos, quia eo tempore, & languent ventres, & exuſti ſunt ſucci: vtrūque ob antegreſſum æſtum, qui naturalem calorem diſſipauit, ſuccos verò exuſſit. Accedit alia cauſa dolendi non exigua, ex repentina in frigus mutatione, quæ multis horis in ea anni parte fit. Accedit etiam multus eſus fructuum recentium, qui tunc abundant, & ventriculum laxant, & ſua facili putreſcentia vitiant. Iam verò in ſemitertiana peculiaris quidam apparatus eſſe videtur ad hoc ſymptoma. Nam quia quotidiana eſt, non rarò habet ſociam ventriculi debilitatem; quia etiam eſt tertiana, habet bilioſam cacochymiam. Itaque ob hæc, niſi quid aliud peculiare habuerit illius anni conſtitutio, facta eſt cardialgia. Diopithis ſorori in ſemitertiana, & aliis quamplurimis, in aliis quibuſuis morbis. Atqui quamquam ſemitertiana continua febris eſt, habet tamen inuaſiones (velut rediens ad initia) altera die vnam, altera die duas. Cum his inuaſionibus accidebat cardialgia grauiſſima, quę quū febris procedebat ad incrementum, remittebat: non ita tamen vt nō duraret totā die: hoc eſt quod quidem mulieri huic contigit. Tempeſtatem verò illam, quâ cardialgia in multos graſſata eſt, autumnum fuiſſe, inde nobis inſinuatur, quod addit ἐπὶ πλειάδος δύσιν viris talia rariora euaſiſſe: occaſus verò pleiadum finit autumnum, & inchoat hyemem, primis diebus Nouembris. Dicit igitur ad finem iam autumni euaſiſſe hæc rariora viris, quaſi ſuperiori tempore, hoc eſt, toto autumno, crebriora fuerint & fœminis & viris: Neque ſanè quicquam horum ratione caret. Nam autumno fuerunt hæc crebra omnibus dictis de cauſis; incipiente autem iam hyeme, fuit mutata conſtitutio, quia mutationes temporum mutationes afferunt morborum. Incepit verò eius mali remiſſio potiùs in viris, quòd minùs excrementoſi quàm fœminæ ſint.

Vxor Epicharmi antequàm pareret dyſenteria laborabat, vehemens dolor aderat, deiectiones ſubcruentæ, mucoſæ. Vbi peperiſſet confeſtim ſanata eſt.

Quæ vtero gerunt malis replentur ſuccis, quia retinentur iis menſtruæ euacuationes, fœtus verò allicit ad ſeſe ſanguinem bonum. Hinc accidunt illis multa mala, quæ copioſa illa euacuatione, quæ per partum fit, ſolui ſolent. Huic igitur regurgitante iam malo ſucco in inteſtina, facta eſt dyſenteria, & reuocato ad vterum per partum, eſt ſoluta. Hæc eadem hiſtoria occurret in lib. ſeptimo, nihil ab hac euarians, quod ſit momenti alicuius.

Polemachi vxori Arthritide laboranti dolor quidam coxæ vehemens ſuperuenit, cauſa erat quòd muliebria non fluerent. Tota nocte vſque ad meridiem vox ſuppreſſa eſt, audiebat tamen & mente conſtabat, & manu ſignificabat dolorem eſſe circa coxam.

Hæc quoque hiſtoria occurret in libro ſeptimo, & vbi hic legitur ἰσχίου ἄλγημα π δεινὸν, illic, ἰσχίου ἄλγημα ἐξαίσιον. Et præterea additur defeciſſe menſtrua, quòd betæ ſuccum bibiſſet. Itaque coniunctis ambobus locis conſtat, huic factum eſſe dolorem coxæ grauem, & repentè, quòd fluentibus menſtruis potaſſet ſuccum betæ, & ea repentè ſuppreſſa ſint. Nimirum betæ ſuccus tormina inteſtinorum facit. Quæcumque autem talia ſunt, ſupprimunt menſtrua, præcipuè ſi cum aceto bibantur, vt betæ ſuccus aut cremor ſolet. Menſtruarum euacuationum ſuppreſſio, haud ſcio an vllus morbus ſit, cuius non poſſit eſſe cauſa: quoſdam enim facit, quòd ſanguis ſtatis temporibus, vt conſueuit, in venas vteri influat, ob earum autem obſtructionem, aut eius craſſitiem non exeat, aut quòd errore expultricis in alias partes refundatur, aut quòd ne moueatur quidem. Primo modo facit vteri retractiones, aut in partem alteram diſtortionem, & hinc præfocationes, & coxarū dolores, & conuulſiones per conſenſum, aut totius corporis (vt epilepſias) aut quarundā

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 283 sur 489

partium, inter quas præcipuè solet lingua apprehendi, & aphonia fieri: secundo modo solet facere dolores articulorum, & asthmata, & dysenterias, & innumera alia huiusmodi mala. Tertio modo febres putridas sine parte vlla peculiariter affectâ, & multa cutis vitia, efflorescentibus in cute multis aut maculis, aut papulis, aut vlceribus, ob cacochymiam toto corpore dispersam. Huic igitur consentaneum est, primum quidem membris omnibus pellentibus, non quò oportuit factos esse dolores multorum articulorum, deinde decumbente multo sanguine in vterum, nec exeunte ob sorbitionem succi betæ, contractum & distortum vterum esse, & ob distortionem incidisse in coxam, excitasséque ibi grauè dolorem & ob contractionem fecisse præfocationem vocatam ex vtero, & per compassionem etiã aphoniam. Ob exortum verò neruorum, qui motum linguæ deferunt, à postrema cerebri parte, seorsum ab aliis neruis cerebri, fit sæpe, vt cerebro toto non læso, ea solùm particula impedita sit. Vidimúsque sæpe ita affectas (qualem hanc fuisse narrat Hippocrates) audire, & intelligere, & nutibus laborem suum significare, voce tamen destitui: huius curatio missione sanguinis ex malleolo, secundùm dolentis coxæ rectitudinem perficitur breui, & post missionem vsu diureticorum, quæ & ipsa mouent menstruas euacuationes.

A B C

Epicharmo circa pleiadum occasum humeri dolor, & in brachium grauitas contigit, stupor aderat, crebri vomitus, aquæ potus.

D

Hæc eadem historia narrabitur rursum libro septimo huius operis eisdem omnino verbis, præterquàm quòd pro νάρκη, ideſt, stupor, habetur illic ἄση, ideſt, fastidium, aut anxietas. Fortasse habuit vtrunque, stuporem brachij, & in ventriculo fastidium. Neque mihi id videtur parùm verisimile, quia humeri dolori, & brachij grauitati proximum satis accidens est eiusdem stupor, & crebris vomitibus fastidium. Dubium sanè est, quid sibi Hippocrates velit, quandoquidem non explicat, sitne hic homo læsus aquæ potu, an verò curatus. Videtur enim potuisse vtrunque contingere, quia illa symptomata potuerunt à calore & à frigore proficisci. Si vero affectio fuit frigida, consentaneum est potum aquæ causam fuisse putare: si vero calida, curationem. Narrantur vero hic symptomata quibus loca affecta poteris cognoscere potiùs quàm affectionis speciẽ. Ventriculi enim & brachij significatur passio: ventriculi quidem ob fastidium & vomitus crebros, quæ læsiones sunt actionum eius: brachij vero ob dolorem, quia vbi dolor ibi morbus. Atque cùm ita sit, consentaneum est primariam passionem esse in ventriculo, secundariam in humero & brachio: laborante ventriculo cruditate ob vitiosos humores in eo redundantes, atque ex corruptis cibis, ascendentibus vitiosis & crassis vaporibus ad neruos brachij, quà oriuntur, ex tribus vltimis vertebris ceruicis. Illis enim occupatis, necesse erat primùm quidem dolorem oriri, deinde & facultatem intercipi, ac propterea fieri grauitatem & stuporem. Dolorem quidem in humero iuxta neruorum principia, quod ibi à vaporibus impeterentur: grauitas & stupor in brachio, quod languida iam euaderet facultas. Ex his autem omnibus non constat, an esset frigida cruditas, vt quæ acida: an calida, vt quæ vocatur nidorosa. Nam quicunque vitiosi succi redundent, possunt oriri fastidium & crebri vomitus. Nam tametsi fastidium magis soleat calidam intemperiem sequi quàm frigidam, tamen nomen ἄση significat etiam anxietatem, quæ à frigidis etiam & acidis fieri solet. Quin & fastidium etiam fit aliquando à pituitosis putrescentibus, & anni tempus frigidę affectioni attestatur magis quàm calidę, nam occasus pleiadum est initium hyemis. Sed neque si ex aliis signis cognosceres esse frigidam cruditatem constare posset satis, an aquæ potus fuerit causa, an curatio, si verè testatur Trallianus, se aquę potu curasse acida cruditate laborantes, qui vini potione lederentur. Itaque constat ex hac narratione, fuisse hanc affectionem ventriculi intemperiem, atque compassionem brachij; quę autem intemperies fuerit, non satis constat, neque an aquæ potus causa, an curatio dicatur. Coniectura autem magis inclinat ob temporis conditionem, frigidam intemperiem ortam esse cum humore propter vomitus: potum vero aquæ fuisse causam, nec quicquam de curatione dixisse.

E F

Vphranoris filio pustulæ eruperunt morsibus culicum similes, verùm non diu apparuerunt, postridie febricitauit.

Huius quoque historiæ pars prima occurret scripta in septimo, desunt vero illic verba illa, ὀλίγον δὲ χρόνον τῇ ὀσφρήσει ἐπυρέττησεν. Quare melius est enarrare hic perfectius est scripta. Ne intelligas hunc, cum habuisset exanthemata, postridie febricitasse exiguum tempus, sed cum habuisset exanthemata exiguum tempus, postridiè febricitasse. Qua dictione apertè significatur, exanthemata eadem die esse oborta, & euanuisse, nam hęc morbis quidem succedentia significant malignitatem; ante morbos facta, magnos adesse ad morbos apparatus, atque adeo apparatus ad magnos morbos, & vtroque tempore deteriora sunt, quę breui atque insperatò euanescunt, quàm si per morbos durent, donec cum ipsis febribus cessent: ante morbos vero tandiu durent, donec quod in cutem emerserat, putetur merito per cutim ipsam esse paulatim resolutum. Cùm enim breui euanescunt, constat non resolutum sed reconditum potius in altum esse, atq; ita interna grauius affici. Vnde in ęgrotantibus mors, in nondum ęgrotantibus morbus timetur grauis. Quod huic euenit, qui hęc quadam die passus, postridie febricitauit, neque fortè leuiter. Huic bene consultũ fuisset, si febrẽ missione sanguinis anteuertisset. Aut enim fuisset ab ea præseruatus, aut ęgrotasset minus grauiter. Prohibet vero medicos, præcipuè minoris notę, vulgi leuitas, multa huiusmodi facere, & metus calumniæ. Quotus enim quisque, si ita esset factum non

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 284 sur 489

imputaret febrẽ miſſioni ſanguinis potiùs quàm morboſo apparatui? Hanc ob cauſam dicere ſoleo, autoritatem medico ad rectè curandum eſſe vtilem: quod etiam Hippocr. in initio prognoſtici dixit.

SIngultus multi contingebant poſt Fauonium vſque ad Æquinoctium Autumnale. Sub Canem æſtus magni, venti calidi, febres ſudorificæ, tubercula circa aures multis accidebant.

Conſtat hæc verba non continere narrationem integram, ſed deciſa eſſe ex aliqua alia, aut alia multa verba hinc eſſe vetuſtate ſublata. Reſtitui debet locus hic ex alio libri ſeptimi, vbi ita legitur. Siccitates accidebant vſque ad Æquinoctium autumnale, ſub Canem æſtus graues, & venti calidi, & febres ſudatoriæ, & rurſus ſtatim ſubcaleſcebãt. Tubercula verò iuxta aures multis accidebant. Itaque pro λυγμοὶ, ideſt, ſingultus, legi debet ἀνχμοὶ, ideſt, ſiccitates. Et vbi legitur vox θερμὰ, deeſt vox πνεύματα, & addi debent illa, καὶ πάλιν εὐθὺς ὑπεθέρμαινον, ideſt, & rurſus ſtatim ſubcaleſcebant. Sed quoniam illius loci lectio hac in parte probatur magis, in eũ quoq; reſeruetur enarratio, vt ibi potiꝰ enarretur, vbi melius ſcripta eſt.

TYchon in obſidione circa Datum, vulnus accepit in pectus catapultâ, & paulò poſt riſus aderat ipſi tumultuoſus; videbatur autem mihi medicus qui lignum extrahebat, reliquiſſe aliquam ſpiculi partem circa ſeptum tranſuerſum: cùm autem ipſi videretur, circa veſperam Clyſterem infudit, & medicamentum purgans deorſum exhibuit. Noctem primam difficulter tranſegit, verùm ortâ die & medico & aliis melius ſeſe habere videbatur. Prædictum eſt ſuperueniente conuulſione eum breui eſſe morituorum. Sequentem igitur noctem moleſtam habuit & inſomnem, in ventrem plerumque decumbens; Tertiâ exoriente die conuulſione correptus & tunc temporis mortuus eſt.

Datum nomen eſt oppidi, in cuius obſidione Tychon percuſſus eſt catapultâ. Erat verò catapulta bellicum tormentum, quo lapides aut ſagittæ iaciebantur. Hunc ſagitta traiectum eſſe declarant ſequentia illa verba, videbatur medicus extrahens lignum, reliquiſſe aliquid ſpiculi circa ſeptum tranſuerſum. Quæ etiam verba declarant, percuſſum eſſe pectus, & ſeptum tranſuerſum. Ex hoc loco videtur Ariſtoteles accepiſſe, quod tertio de partibus animalium cap. 10. dicit his verbis. Accidere etiam dicunt & in bellis per plagas circa ſeptum tranſuerſum riſum, ob calorem qui fit à plaga. Itaque Ariſtoteles putat traiecto, aut percuſſo ſepto tranſuerſo fieri riſum, ob calorem eius partis, velut à titilatione. Hanc enim etiam putat riſum mouere calore, quem ciet. Ego verò vt in controuerſiis etiam dixi, non arbitror hunc fuiſſe riſum, ſed conuulſiuum quendam motum ſepti tranſuerſi, riſui ſimilem, quem Hippocrates velut comparatione vſus, vocauit riſum tumultuoſum. Cum igitur hic percuſſus eſſet ſagittâ, paulò poſt ſuperuenit quædam circa pectus concuſſio, velut quidam κλωσθυρβώδης, concutiente arbitror ſe ſepto tranſuerſo, vt excuteret. Nam viſus eſt chirurgus, qui extraxit lignum, reliquiſſe aliquid ſpiculi interius circa ſeptum tranſuerſum. Fortaſſe hic ipſe riſui ſimilis motus, relictæ interiùs partis ſpiculi ſignificationem Hippocrati præſtitit. Quamquam etiam ex ipſo telo cognoſci poterat, ex quo particulam aliquam decidiſſe apparuiſſet. Et cum ipſi (inquit) videretur, ſcilicet ipſi medico, aliquid interius relictum eſſe, aut videretur ita expedire, eadem die qua percuſſus homo eſt, veſperi vſus eſt clyſtere, & pharmacum deorſum purgans dedit (tantoperè feſtinandum eſt vrgente malo) noctem eam, quæ prima etiam fuit, tranſegit difficulter. Nec ſanè mirum, nam ex recenti vulnere, & agitatione pharmaci id accidit. Verùm ortâ ſtatim die videbatur & medico, & aliis, melius ſeſe habere, ceſſante fortaſſe iam motu expurgationis, & partibus recenter degrauatis, & ob defatigationem antegreſſam requies aliqua ſubrepſit. Verùm cùm teli pars adhuc eſſet infixa, neque vlla eſſet ratio extrahendi, & pars læſa eſſet adeò opportuna inflammationi & conuulſioni, meritò prædictum eſt, fore, vt ex vulnere inflammaretur, atque conuelleretur, atque cum id fieri inciperet, moreretur breuiſſimè. Cùm enim cõuulſio ab aliis partibus incipit, non euenit mori, donec perueniat ad reſpirationis inſtrumenta, cum verò huic ab ipſo ſepto tranſuerſo inciperet, ſine quo nulla reſpiratio agi poteſt, neceſſe erat vt mox ab incipiente conuulſione interiret. Nam vt in libro de coacis prænotionibus dicitur, conuulſiones omnes moleſtæ ſunt, verùm difficillimæ circa thoracem, & maximè periculoſæ. Euenit igitur vt ſequenti nocte, incipiente iam inflammatione, eſſet homo cum difficili tolerantia, & inſomnis, & in ventrem decumbens. Quod, vt in prognoſtico dicitur, delirium ſignificat, aut dolorem in partibus circa ventrem. Tertiâ die ſummo mane conuellebatur, & tunc mortuus eſt in initio tertiæ diei, ex qua percuſſus eſt. Nulla ratione potuit hic à cõuulſione & morte liberari, nam ſepti tranſuerſi vulnera multis de cauſis atque adeò manifeſtis lethalia ſunt.

BIllo in dorſum vulnerato ſpiritus copioſus per vulnus cum ſtrepitu prodiit, & ſanguis effluxit: deligato autem medicamento quod cruentis vulneribus imponitur curatus eſt.

Hic accepit per dorſum inter coſtas vulnus, in Thoracem penetrans, atque ob id ſpiritus ſimul exibat cum ſanguine, atque ex ſpiritus cum ſanguine miſtione fiebat ſtrepitus, vt in anguſtæ longæq; ceruicis vaſis ex vitro cõflatis accidere con-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 285 sur 489

ſueuit. Hæc vulnera, cum neque ſeptum tranſuerſum, neque cor, neque pulmo vſque ad arterias læſa ſunt, curari plerumque ſolent, ſi recta curatio adhibita ſit. Quæ quidem poſt exterſos extractosque, ſi qui ſint, grumos ſanguinis, in vſu medicamentorum, quæ ad alia vlcera recentia & cruenta parantur, conſiſtit, & idonea alligatione. Mirantur atque adeò quidã dubitant, quomodo poſſint, qui hæc habent vulnera, per ea reſpirare. Nam is aër qui ore in pulmonem trahitur, per ipſummet os reiicitur. Quare non videtur poſſe reiici per vulnus. Quod ſi per vulnus reijcitur, alius eſt, quàm qui ore trahitur & reiicitur, quare non videtur Thoracis vulneratio poſſe vocis materiam exhaurire. Experimur autem vtrumque, & per penetrantia vulnera reſpirare homines, & cum id admodum fit, loqui non poſſe, quaſi vocis materia per vulnus euacuetur. Res autem hoc modo euenit. Quod per vulnus reijcitur, non per os, ſed per ipſummet vulnus trahitur, cùm verò pulmo proprium non habeat motum, ſed ſequatur Thoracem, fit vt cum Thorax, dum dilatatur, habeat qua repleri poſſit, pulmo minus poſſit ſequi, atque ita animalia reſpiratione naturali priuentur, quamquam illius & huius, quæ per vulnus fit, non eadem ſit materia.

PHiles filium ex denudatione oſſis in fronte, nonâ die febris corripuit, os liuorem contraxit, mortuus eſt.

Exemplum eſt hoc accommodatiſſimum eius, quod Hippocrates initio libelli de vulneribus capitis dicit, nullum vulnus capitis eſſe contemnendum, etiamſi ſola cutis videatur eſſe reciſa. Nam nudationem dicens inſinuat nullam fuiſſe oſſis fracturam, neque quicquam aliud, quàm quod reciſa ſit cutis vſque ad ipſum os, idque ita nudatum ſit. Quod ſanè eo præcipuè loco, per ſeſe minimè periculoſo, lethale non erat. Accidit autem nonâ die febris, & oſſis liuor, quod corruptionis ipſius & ſubiectarum partium erat inditium. Eueniunt quamplurima huiuſmodi, nunc ex medici errore, qui minùs idoneis medicamentis vtitur, aut etiam his vtens, minùs cautè vlcus tractat, ſed ab ambiente plus ſatis permittit alterari os, vel reliqua quæ ad totum corpus attinent, non rectè prouidet: nunc ob corporis apparatum peſſimum: nunc ob morboſæ tempeſtatis conditionem, quæ aut intemperie manifeſtâ, aut infelicitate cuiuſpiam aſtri talis ſit. Scilicet non ſunt omnium cauſæ conſpicuæ.

ET filio Phaniæ, & filio Euergetæ, liuore obſitis oſſibus, & obortis febribus, abſceſſit cutis ab oſſe, & pus non apparuit.

Hanc narrationem mutilam eſſe conſtat ex libro 7. huius operis circa medium, ibi enim aliter ac fuſiùs ſcripta eſt. Oportet ergo primum lectionem reſtituere, transferreque illinc quæ hîc deſunt. Vbi hic legitur πῦον δ' φάνεται. i. pus non apparuit, legitur illic πύου ὑπενέμετο. i. pus ſubtus depaſcebatur. Quod quidem, vt patebit conſulenti illum locum, multò magis congruit. Tota igitur oratio ita habet. *Et filio Phaniæ & filio Euergetæ ſeu Euergi, liuore obſitis oſſibus, & obortis febribus, abſceſſit cutis ab oſſe & pus ſubtus depaſcebatur. His terebro pertuſis, ex ipſo oſſe egreſſa eſt ſanies tenuis, ſeroſa, ſubpallida, graueolens, lethalis. Accidit autem his ipſis & vomitus ſuperuenire, & circa mortem conuulſiones, & quoſdam clangoſam vocem edere, & quoſdam impotentes fieri, & ſi in dextris vulnus fuiſſet inflictum, pars ſiniſtra afficiebatur: ſi verò in ſiniſtris, dextra.* Idem prorſus eſſe videtur quod pueris his accidit, & quod filio Philes. Nam quod in illius hiſtoria dicit, nudatione oſſis factâ his, inquit, abſceſſit cutis ab oſſe, vtriſque verò dicitur accidiſſe oſſium liuor. Quamquam enim hic tantum dicitur πλειστονομένων ὀστέων, καὶ πυρετμγόντων, nullâ partis factâ mentione: tamen conſtat ex his quæ adiicit, in capite fuiſſe vulneratos, ſiquidem de his omnibus pueris agens dicit, contingit talibus vomitus ſuperuenire, & in fine conuulſiones, & clangoſas voces, & impotentias, hoc eſt, reſolutiones, ſi in dextris fuerit vulnus in ſiniſtra parte, ſi in ſiniſtris in dextra. Hęc verò eſſe ſigna lethalia, peculiariter capitis vulneribus ſuperuenientia conſtare poteſt facilè ex libro de vulneribus capitis, in cuius calce, ita ſcriptum eſt. Quicunque verò ex vulneribus capitis moriturus eſt, & fieri non poteſt, vt ſanus fiat, & ſeruetur, ex his ſignis hunc moriturum dignoſcere oportet, & quod futurum eſt prædicere. Patitur enim hæc, cum quis os fractum, aut ruptum, aut contuſum, aut quocunque modo fractum eſſe intelligens, per errorẽ deliquerit, nec raſerit, nec perforauerit, tanquam os non opus habeat, & velut os ſanum exiſtat: ante decimumquartum diem febris corripiet vt plurimum in hyeme: in æſtate verò poſt ſeptimum diem febris corripiet, & poſtquam hoc factum fuerit, vlcus colorem amittit, & ex ipſo ſanies pauca fluit, & quod inflammatũ eſt ex ipſo emoritur, & viſcoſum fit, & apparet velut ſalſamentum, colore rufum, ſubliuidum, & os tunc corrumpi incipit, & fit valdè nigrum leue exiſtẽs, poſtremò pallidum euadit, aut valdè albũ: quũ verò iam ſuppuratũ fuerit, in lingua puſtulæ oboriuntur, & deſipiẽs æger morirur, & conuulſio pleroſque corripit in altera corporis parte: ſiquidem in ſiniſtra parte capitis vlcus fuerit, in dextra corporis parte conuulſio corripit, ſi verò in dextra capitis parte vlcus fuerit, in ſiniſtrâ corporis parte conuulſio corripit. Quidam etiam attoniti fiunt. Ecce ſigna, quæ pueris his ſuperuenerunt, eadem ſunt, quæ Hipp. lethalibus capitis vulneribus dicit ſuperuenire. Dicit etiam his ſuperuenire vocem clangoſam, quod quidem eadem prorſus fit ratione, quâ conuulſiones, & ſiderationes, nimirum conuulſis muſculis aperientibus, aut reſolutis claudentibus laryngem. Fit enim clangoſa vox per apertiores ſpiritus vias aut per aridiores. Cur in capitis vulneribus contraria pars reſoluatur, aut conuellatur potiùs quàm coniuncta, dictum eſt à me in hoc ipſo lib. 5. in hiſtoria Hippocomi Palamedis. Iam verò maximam eſſe ſympathiam cerebri & oris ventriculi, atque ob eam, cerebri læſionem vomitu prodi celebra-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 286 sur 489

tissimum est à medicis omnibus, necnon lethales esse puris differentias, saniem tenuem, serosam, subpallidam, graueolentem, qualem his exiisse dicit ex ipsis ossibus perforatis scilicet, malignè putrescentibus (quod & liuor indicabat) cum quibus & computruit cerebrum. Quare mortui sunt.

ARistippus sagittâ in superiorem ventrem violenter & grauiter vulneratus est, vehemens ventris dolor accidit, & celeriter ardebat, deorsum verò nihil deijciebat, anxius erat. Et cùm biliosa abundè colorata vomuisset, melius se habere videbatur. Paulò post autem dolores vehementes rursus aduenerunt, & venter velut in voluulo affectus erat, calor & sitis aderat, & septem diebus mortuus est.

Hic est transfixus sagittâ, circa fundum ventriculi, & exortum intestinorum gracilium, ac citò ex vulnere eo loco inflammationem contraxit, quæ anxietatem & vomitum biliosum faciebat, & febres, & sitim, & impediebat deiectionem, nihil à supernis permittens in inferna transmittere, & fæces exurens. Quòd mox à vomitu subleuari videretur, rationi etiam est consonum, degrauata interim non nihil parte. Inflammatione verò manente necesse erat nouam fluxionem mox conuocari, & denuo anxium fieri, & dolere grauiter. Quamuis autem dolorem grauem accidisse, & πάλιν ἀλγήματα δεινὰ dicat, ne intellige id dici, quòd dolores essent grauantes, quales quos prementia pondera faciunt, sed quòd essent magni, & toleratu difficiles. Nam dicitur illud non ob speciem doloris, sed ob magnitudinem. Dolor enim potius esset perforans, velut in voluulo. Quod mox explicuit Hipp. addens, ἐν κοιλίῃ ὡς ὂν ἑιλεοῖσι. Imo vero mihi videtur hæc ipsa affectio revera, ac maximè propriè fuisse voluulus ex inflammatione, quamquam inceperit à vulnere. Nam vna quidem, atq; ea præcipua voluuli causa statuitur, gracilium intestinorum inflammatio. Id igitur solum habuit peculiare voluulus hic, quod à vulnere velut à procatarcticâ causâ inceperit. Non igitur mirum mortuum esse hominem septem diebus, cùm alioqui soleat voluulus quatuor interimere. Fortasse miraberis magis, quod tandiu durare potuerit. Sed neque id mirum. Quia affectiones quæ causam habent euidentem, cæteris paribus, cum minùs malo fiunt corporis apparatu. Porro vulnus quo ventriculus aut intestina, præcipuè gracilia, dissecta sunt, in lethalibus ponunt Hippo. & Galeus.

NEapolis similiter percussus eadem passus est, cùm esset vsus clystere acri, aluus defluxit. Colore diffusus est tenui, pallido, nigro. Oculis erat squalidis, splendidis, intus conuersis, & defixis. In Cardia.

Hic similiter percussus, eadem est passus, & eodem tempore mortuus, nisi forte citiùs: non tamen adeo eadem passus est, vt non habuerit quædam symptomata diuersa, quæ hic narrat, in fluxione alui, & corporis mutato colore, & oculis, quin & doloris specie, quæ me adducunt vt suspicer, percussum esse in parte aliquanto superiori quàm priorem. Hic scilicet in ipso ventriculo, ille in gracilibus intestinis. Nam in illo cum intestina inflammatione tentarentur, nihil deorsum effluebat: in hoc cùm ipse ventriculus, patebant humorum confluxui magis intestina, atque ita deiecit, quamquam à clystere acri. Illi dixit fuisse dolores volutulorum, huic dicit fuisse ὀπ καρδίη, quod nihil aliud significat, quàm in cardialgia, hoc est, superioris ventriculi dolore. Sicut etiam illa duo symptomatum genera, coloris per totum corpus effusio, repentè homine correpto velut regio morbo, partim pallido, partim nigro: & oculorum squalor, distortio & immobilitas, inflammationis magnæ ventriculi signa sunt magis quã intestinorum. Ac mihi sanè effusio illa coloris suspitionem ingerit, infectam fuisse veneno sagittã. Scimus .n. ingesti veneni symptoma esse, repentinam illam coloris toto corpore infectionem. Sed & citra venenum fieri potest ob magnitudinem, & malignitatem inflammationis. Id vero hepatis aut ventriculi inflammatio quàm illius intestini tanto magis facit, quanto magis ab his infici totum corpus potest, ob commune ministeriũ quod inde accipit. Iam vero constat oculos faciliùs trahi in compassionem ob ventriculum, quam ob intestina, vt & totum cerebrum. Sed quædam verba huius dictionis consideratione indigent. Nam videtur tenuem colorem, quasi differentiam quãpiam coloris dicere. Quis autem color tenuis sit, non facilè dicere possis. Ego quum dicit χρῶμα καπεχόη λεπτὸν ὠχρὸν, μέλαν, ideſt, colore suffusus est tenui, pallido, nigro, perinde accipio, ac si diceret, λεπτῶς ὠχρὸν μέλαν, ideſt, tenuiter pallidus, niger, hoc est, subpallidus, aut subniger. Oculi squalidi ariditatem, & atrophiam emorientis iam partis indicant: peruersi & defixi conuulsionem, in quam ob vetriculum facilè trahi solent. Illud vero difficile esse videtur, quod dicit splendidis oculis hunc fuisse, quasi splendor vitium aliquod oculorum sit. Scire oportet multa esse, quæ per sese bona sunt, aliis autem accidentia augent mali significationem. Velut gracilem esse partem, & omni præter naturam tumore carere, bonum est per sese, cæterum in vlcere est malum. Talis est etiam oculorum splendor, per sese enim bona est, & significat eorum tunicas, & naturales humores nullis excrementis abundare. Verum si homo tenuiter, aut omnino non videat, deterius est splendidos esse oculos, quã nubem quampiam, aut suffusionem habere. Significat enim affectionem interiorem, quæ minus multo paret curationi. Ita etiam in eo cui sunt peruersi & defixi, deterius est vt signum splendidos esse, quàm si excrementis vllis abundarent, quia quo minus affectio vlla propria esse apparet, eo maior cerebri affectio significatur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 287 sur 489

©BIUM

A

METrodori filio ex dentis dolore ſphacellus maxillæ accidit, & gingiuarum hyperſarcoſis, Mediocriter ſuppuratus eſt, exciderunt dentes molares, & ipſa maxilla.

Sphacelus eſt corruptio oſſium. Hyperſarcoſis carnis ſupercreſcentia. Itaq; huic ex dolore dentis adeò maligna fluxio conuocata eſt, vt corruptionem fecerit oſſis genæ, & in gingiuis carnis ſupercreſcentiam. Non certè idem ſuccus, qui oſſa corrumpebat, natus erat carnem gingiuarum ita nutrire, vt ſupercreſceret, ſed ille quidem exulcerabat: exulcerata verò caro quæcunque, ſi alioqui malè temperata non eſt, ipſa ſibi facit ſupercreſcentiam. Finitum hoc malum eſt, ſphacelo non amplius procedente, in mediocrem ſuppurationem maxillæ (ſuperioris ſcilicet, cuius gena pars eſt) & cum ea dentium molarium caſum. Vſque adeò non debent contemni dolores dentium in cacochymis corporibus, ſed citò expurgandi tales ſunt, ſatis copiosè, mox ac ingruit dolor.

MVlieri cuidam Abderæ carcinoma aderat circa pectus 5. & per papillam effluebat ſanies ſubcruenta: interceptâ autem fluxione, mortua eſt.

Carcinoma ſeu cancer eſt tumor ex atra bile, qui quacunque corporis parte fieri poteſt, nunc cum vlcere, nunc ſine eo: maximè autem fieri cõſueuit mulieribus, quin & viris etiam aliquando in mammis, quia præterquàm quòd ibi eſt multa caro glandulosa, quæ ſolet excrementa excipere, emergunt etiam eam in partem ab interno corpore grandiores venæ & arteriæ, quàm in vllam aliam externarum. Accedit, mulieribus peculiaris cauſa, communio mammarum & vteri per venas, in quas menſtruus ſanguis è toto corpore colligitur. Quibus igitur ſanguis redundat atrabiliarius, neque ſatis copiosè vacuatur, aut mulieribus per vterum, aut viris per hæmorrhoidas, facilè colligitur in mammis, & facit cancrum. Quod ſanè malum malè vincitur medicamentis, quia initia minora ſunt quàm pro tanto malo, & vehementiùs irritatur. Suppuratio in tam maligno ſucco tentanda non eſt. Supereſt, quod & tutiſſimum reor, ſolùm bono victu, & repetitis crebrò vacuationibus, miſſione ſanguinis ſecundùm rectitudinem, & expurgatione accommodata vti, & dictas anteà euacuationes mouere. Huic mulieri natura proſpexerat ipſa ſibi quærens viam, & ſaniem emittens ſubcruentam per mammillam. Verùm cum poſteà ea effluxio ceſſaret, vel ſpontè per facultatis naturalis impotentiam, vel inſcitia medici ad id ſupprimendum aliquid machinantis, mortua eſt. Si autem ipſa mulier fortior, aut materia minùs maligna fuiſſet, hæc mulier, ea vacuatione ceſſante, facta fuiſſet maniaca. Nam vt in aphoriſmo dicitur, mulieribus quibuſcunque ſanguis ad mammas conuertitur, maniam ſignificat. Sed quia ea erat debilis, aut ſucc° veneno ſimilis, mortua eſt.

EX catarrho ſecundum capitis dimidium quidam dolebant, & per nares humore fluente febricitabant moderatè, & intra quintam diem refrigerabantur.

Catarrho laborantes magno, comitari ſolent febriculæ quædam non adeò magnæ, ſed quotidie veſperi ingraueſcentes, quòd ſomno & nocte creſcat capitis repletio, vt nuper diximus. Durare ſolent hæ diutiùs, quibus catarrhi lentè coquuntur, neque euacuantur. Quibus verò euacuationes idoneæ cito ſuperueniunt, morbum contrahunt, vt de ſputis in pleuritide Hipp. dicit. Eſt accommodatiſſima euacuatio catarrho incumbenti in pectus excreatio copioſa: huic verò qui intra ipſũ caput retinebatur, & proinde faciebat hemicraniam, effluxus humoris per nares. Nullum eſt enim tale emunctorium, & tantam cum cerebro habens rectitudinem. Aures enim non ſunt tanti vſus ad euacuandum. Ob id igitur fiebat meritò, vt tempeſtate febres cito ſoluerentur. Quintâ autem die ſolui ſolere febres ex catarrhis (quæ ſcilicet breues ſint, & celeres habent maturationes coniunctas) habes hoc teſtimonium, & aliud huic ſimile, quod non ita pridem in hoc ipſo libro ita dicebatur. Tuſſis hyeme maximè in auſtrinis, craſſa multa & alba cum excreaſſent, febres ſuperueniebant, & quinta die ceſſabant. Quod illic dixit febres quintâ die ceſſabant, dicit hic, intra quintam diem refrigerabantur. Conſtat ex ipſa phraſi narrationem hanc non eſſe integram, ſed deciſam eſſe ex hiſtoria tempeſtatis cuiuſpiam morboſæ, hæc verba, vt ſunt alia quã plurima in hoc opere, diuulſa ſunt. Enitendum tamen eſt, vt vndique quas poterimus fruges colligamus, vt nunc fecimus. In libro ſeptimo, hoc idem quod nunc narrando ſcripſit, occurret ſcriptum docendo.

EI quæ in partu concuſſa eſt, dolor circa pectus exortus eſt, & latus, excreationes purulentæ, tabes ſubſtitit, per ſex dies febricitauit, rurſus ventris profluuium accidit, ceſſatio, febricitauit, aluus aſtricta eſt, & circa ſeptimam diem mortua eſt.

Mulier hæc erat vxor cuiuſdam Simonis, & vbi dicitur ſex dies, legi oportet ſex menſes, quod facilè intelliges, ex alia eiuſdem hiſtoriæ narratione, quæ occurret in ſeptimo, vbi repetitur mutatis quibuſdam verbis, vt alia quamplurima huius quinti. Ibi verò ita legitur. *Vxori Simonis in partu concuſſæ dolor circa pectus & latus exortus eſt, tuſsis, febres & excreationes purulentæ aderant, phthiſis quæ etiam conſtitit, & per ſex menſes perſeuerauit febris & ventris profluuium ſemper, tandem ceſſauit febris, aluus reſtitit, ſeptimâ die poſt ceſſationem mortua eſt.* Hæc lectio multo magis probatur, debétque locus præſens ſecundùm illum emendari. Nam longè probabilius eſt, quæ ex pleuritide obijt per ſuppurationem, febricitaſſe ſex menſes, quàm ſex dies.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 288 sur 489

Quod vero ad morbi huius eſſentiã,& cauſas attinet, illud conſtat ex narratione(quod & noſſe oportet)hanc mulierem cùm difficili partu fortè laboraret,fortiter,vt fieri ſolet,nonnunquã concuſſam eſſe, vt fœtum excuteret,& ob id pleuriticam eſſe factam,compreſſione arbitror pectoris,quam concutientes faciunt, ſurſum retracto ſanguine, atque pleuritim fuiſſe adeo malam, vt breui per ſuppurationem abiret in tabẽ,quod multo & corroſiuo ſanguine redundaret. Talis enim eſt reuera ſanguis qui ob purgationes per nouem menſes retentas, redundat in iis quæ pariunt. Copia igitur ſanguinis in pleuriticis ſuppurationem facit, niſi ob debilitatem mors ægros præueniat. Maligna qualitas & corroſiua facit, vt facilè pulmonis caro computreſcat, & tabidi breui fiant. Conſtat etiam ſuperueniſſe huic diarrhœam, quâ in tabeſcentibus & ſuppuratis nihil eſſe poteſt periculoſius, vt ab Hipp. in aphoriſmo dicitur. Porro huic non ad extremũ vſq; durauit ſemel inchoata diarrhœa, ſed cùm ceſſaſſet febris, aut prorſus eſſet exigua,& inſenſilis,etiam aluus reſtitit,& tũc poſt dies ſeptem mortua eſt, retento iam(arbitror) intra Thoracem ſucco. In præſentis loci lectione inſinuatur, febres & diarrhœam inæqualiter ſuperueniſſe, ceſſaſſe enim, ac rurſus repetiſſe. Et ſanè vtrarumque, deiectionum copioſarum,dico, & febrium interrupti & inæquales impetus fieri conſueuerunt in ſuppuratis. Nam per retentricis debilitatem nunc excernunt, nunc valde vacuati ceſſant excernere, donec rurſus excernant ea, quæ præ debilitate concoctricis congeſſerunt. Ita fit, vt partibus exiguum alimenti accedat, & ſpiritus affatim cum deiectionibus exhauriantur. Febres autem eiſdem cauſis erratico modo ſuccreſcunt,nunc putreſcentiã retentorum exardentes,nunc putridorum euacuatione ſedantur. Præterquàm quod fiente pure increſcunt, facto rurſus ſubſident. Admonet nos hæc hiſtoria vt caueamus, ne mulieres quæ pariunt concuciantur incautè. Neque vero comprimantur ſecundum latera plus ſatis, ne in Thoracis regione vllus dolor excitetur. Cuius mali, ſi quæ vel exigua ſignificatio nobis præfertur, præproperè reuellendum deorſum, fortibus crurum frictionibus, & cucurbitis humilibus partibus affixis, & miſſione ſanguinis ex talis.

ANginoſa manus dextra & cruris dolore affecta eſt; febris eam detinebat debilis: ſtrangulatio autem tertia die remiſit; quartâ conuulſa eſt & voce priuata, ſtertor aderat, dentium contritio, maxillarum rubor, mortua eſt quintâ aut ſextâ die. Signum circa manum ſubliuidum apparuit.

Rara eſt hæc permutatio ab angina in conuulſionem. Verùm mali abſceſſus innumeris modis fiunt, pro diuerſa in ſingulis partibus debilitate. Dolor manus & cruris erat antecedens ſignum conuulſionis, accidebat ſcilicet abſcedente iam humore in neruorum radices. Strangulationis etiam remiſſio, quæ tertiâ die facta eſt, & febris moderatio, erant indicia imminentis permutationis. Ita enim fit, cum fit morbus ex morbo, vt remittente priori poſterior ſuccreſcat. Quapropter cautus medicus cum morbum aliquem plus ſolito videt remittere, velut in hac ſtrangulatio tertio die & febris remiſerunt, timere incipit permutationem. Quod ſi interim alterius cuiuſpiam partis ſuperueniat dolor, ei parti timet. Vbi dicit quarta conuulſa eſt, in quibuſdam codicibus habetur ἑβδόμῃ, hoc eſt, ſeptima. Conſtat vero eſſe manifeſtum erratum. Nam mortua eſt quinta, aut ſexta. Vocis priuatio & ſtertor redeuntis ſuffocationis ſigna ſunt: dentium contritio, hoc eſt, ſtridor, conuulſionis. Maxillarum rubor ſanguine in caput accurrente fiebat. Mortuam dicit quintâ aut ſextâ,quod horam fortaſſe mortis non exactè agnouerit. Signum dicit circa manum ſubliuidum apparuiſſe, hoc eſt colorem ſubliuidum manus dextræ prauam ſignificationem præſtitiſſe. Nimirum liuor partium vitalis facultatis interneciones ſignificat, vt in prognoſtico dicitur, magis quàm ſi omnino nigreſcant. Quod ſignum vbi conſpicue videris, certo ſcias in proximo iam eſſe mortem.

ET alia quædam ex palato ſtertebat, lingua exſiccabatur, Peripneumonia laborabat, mente capta mortua eſt.

Plerique legunt mente conſtans, quod fortaſſe habuerint in ſuis codicib⁹ μὴ ἔκφρων aut ἔμφρων: ego non ita habeo in meo codice, ſed ἔκφρων: vtrunq; perfecto fieri potuit,& vt moreretur ex peripneumonia mente conſtans,& vt mente capta. Sæpe.n. pulmo inflammatus in compaſſionem trahit cerebrum vſque ad inſaniam,ſæpe etiam non eatenus. Proinde ego legi, vt reperi in meo codice ſcriptum. Cùm præcipuè ex ſignis, quæ accedebant huic peripneumoniæ, coniectura aliquã poſſit accipi cerebrum in ſympathiam trahi. Nam erat lingua ſicca, quod bilioſæ peripneumoniæ ſignũ eſſe ſolet, ex qua, quam pituitoſã,faciliùs deliratur, quod acriores fumi caput conſcendant. Erat præterea ἐπὶ τῷ ὑπερῴῳ ῥεγχώδης, hoc eſt, ſtertens in ipſo ore & palato, vt multi dormientium ſolent, non in ipſo gutture, aut aſperâ arteria, vt aſthmatici, aut plurimi acutè febricitantium, cum ſunt morti proximi, quibus ſcilicet pulmo plenus feruet in gutture. Et hoc ſanè grauis ſtertoris genus eſt, quia ſignificat ſuffocari hominem, occupatis iam viis ſpiritus. Illud verò ſignificat angustiam viarum, vnde fit vt per nares trahatur ſpiritus. Vt illud igitur pertinet ad pulmonis & aſperarum arteriarum affectionem magis, ita hoc ad affectionem capitis. Quare hanc peripneumonicam eſſe mortuam cum deſipientia conſentaneum eſt.

ET Olynthi hydropicus quidam repente voce deſtitutus eſt, per diem noctémque mente alienatus interyit.

Hoc deſipientiæ genus fatuitatem potiùs fuiſſe arbitror (qualem afferre ſolet quædam cerebri

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 289 sur 489

reſolutio ex pituita) quàm delirium, quale ſolet afferre bilis in phreniticis. Nam illa permutatio hydropi congruens eſt. Redundat enim in hydropicis aqua & pituita. Hæc igitur aliquando in neruorum principium collecta, cerebrum & eius propagines emolliuit, & laxauit, atque reſolutione neruorum priuauit voce, & humida cerebri intemperie fecit fatuitatem, quę durauit per diem & noctem. Poſtremò reſolutione occupante totum corpus (quæ apoplexia eſt) mortuus eſt. Fatuitatem verò quandoquidem ſine voce erat homo, indicauerunt geſtus & motus inconcinni.

LIBER SEXTVS EPIDEMIORVM.

SECTIO PRIMA.

Quibuſcumque ex corruptione circa vterum, & tumoribus, in capitis grauitatem conuertitur affectus, circa ſinciput dolores præcipuè accidunt, & quicumque alij ab vteris oriuntur, ipſis in coxam octo aut decem menſibus deſinunt.

Sæpe iam ſum præfatus me nolle de ſingulis libris, aut ſententiis huius operis cenſere, ſint ne Hippocratis an alterius cuiuſpiam. Quia de ea re, etſi coniectura aliqua eſſe poſſit, & ex phraſi, quæ familiaris eſſe videtur Hippocrati, aut ſecus; & ex ipſa ſententia, quæ digna aut indigna videtur eſſe, & conſentanea aut diſſentanea aliis quæ illius certò eſſe creduntur, tamen adeò nihil certò conſtat, vt inter antiquiores etiam Gal. de ſingulis verbis eſſent innumeræ contrariæque cenſuræ, nedum nunc cùm tantò plura ſecula elapſa ſint. Satius ergo & vtilius eſt, omnia conſiderare nulla vel voculâ prætermiſſa, atque diſquirere quid veri, & quod ad artem conferat, in his contineri poſſit, atque ſi quid videatur omninò improbandum reijcere, ſiue Hippocratis fuerit, ſiue ſecus. Neque enim impium eſt putare, vel ab Hippocrate eſſe aliquid ſcriptum negligentiùs, præcipuè cùm ab antiquiſſimis illis ſæculis ad nos vſque fluxerit opinio, non eſſe omnia ſua opera ab Hippocrate perfectè elaborata. Itaque laborem hunc cenſendi de libris deponentes, res ipſas diſquiramus diligenter. Atqui hic ſextus liber à Galeno non habebatur in poſtremis, tametſi enim minùs genuinus putaretur quàm primus & tertius, magis tamen legitimus cenſebatur quàm quintus & ſeptimus, ſecundo dignitate æqualis. Cùm igitur quintum etiam ſim proſecutus commentarijs, & vt ego iudico, non inutilibus, & ſeptimum dante Deo non ſim omiſſurus, omninò æquum eſt, hunc quoque nunc interpretari, neque ſanè plura præfari opus eſt, ſed dictionem primam aggredi, qua de quibuſdam vteri paſſionibus agitur. Vterus pars eſt opportuna multis morbis, quia maximas plurimaſque habet venas & arterias, per quas totius corporis excrementa recipere ſolet. Quæ ſi vt influunt, non exeant expeditè, facilè fiunt morborum cauſæ. Lædunt verò hæc, aut putreſcentiâ circa ipſum vterum detentâ & inculcatâ, aut tumores præter naturam in ipſo pariunt, aut ipſas venas & arterias diſtendunt. Hinc naſcuntur febres maximæ è ſynocharum genere, aut putreſcente ſolum ſanguine in vaſis, aut ſimul oborto tumore phlegmonoſo: aut fit vteri contractio, quam ſequitur præfocatio, & non rarò conuulſio, ob diſtentionem contractis vaſis, ac cum eis vtero, atque ita compreſſis ſuperioribus partibus vſque ad ſeptum tranſuerſum, aut diſtentis cum vtero neruis. Hanc vteri præfocationem non ſolet comitari febris à principio, quin potius magnus frigoris ſenſus, refrigerato ſanguine ob venarum interceptionem, & inde flatu multo, frigidoque ſurſum lato, qui aliquando cordi occurrens, etiam interimit veneni frigidi ritu. Cauſa qua conuulſio ſuccedit ſæpe vteri affectibus, in ipſius vteri eſt natura. Nam etſi is exiguos accipiat neruos, eſt tamen natura durus, & neruo ſimilis: quæ verò talia ſunt, facilè tendunt fibras omnes, quibus partibus aliis alligantur, adeò vt arteriæ in carpo manus tentio, differentiam partis internæ, quæ plegmone obſeſſa ſit, indicet, an dura ſcilicet, an mollis ſit. Multò ergo magis diſtendentur nerui, qui ſolidiores ſunt, & nullo ſucco interiùs madent vt venæ & arteriæ, tracti in conſenſum ab vtero, parte durâ adeò, & vt dixi, neruo ſimili. Accedit vterum ipſum per ſe, nunc contrahi, nunc dilatari vehementer. Quare non mirum, ſi cum magna vi contrahitur, neruos quibus eorum principio alligatur, tendat vehementer. Ea verò eſt neruoſi generis conditio, vt facilè per totum corpus eius paſſio refundatur, & caput imprimis trahatur in eius compaſſionem, velut nunc dicit Hipp. ex corruptione, hoc eſt, ex abortu & ex tumoribus etiam circa vterum, ſolere fieri capitis grauitatem, & dolores circa ſinciput, hoc eſt dolorem grauantem circa ſinciput. Audias tamen quotidie mulieres omnes, quæcunque ſe ab vtero putant laborare, affirmantes dolere ſibi per id malum poſteriorem ceruicem, & occiput. quod

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 290 sur 489

Hippocraticæ huic aſſertioni videtur repugnare. Res verò ita habet. Quæcunq; morbis calidis ex vtero laborant, vt febribus & inflammationibus, & ob id dolore capitis tenentur, ſecundùm ſinciput potiùs dolent, ob fumos calidos, qui per copioſas magnaſq; arterias, quæ in vtero ſunt, aſcendunt, & per arterias carotidas tranſmittuntur in caput, quarum, vt etiam venarum iugularium, maiores portiones tendunt in ſinciput, quàm in poſteriorem partem. Sed quæ laborant morbis frigidis, vt præfocatione, hæ ob contractionem vteri, vehementer ſentiunt dolorem tenſiuum ad neruorum exortum, qui ad ſpinalem medullã, & poſterioré cerebri partem ſpectat potiùs quàm anterioré. Hipp. ergo non dicit omnem dolorem capitis, qui per cõſenſũ cum vtero fit eſſe grauantem, & pertinere ad ſinciput, ſed eum qui ſit ex abortu, aut ex tumoribus circa vterum, & inflammationibus ſcilicet, aut ſcirrhis phlegmonoſis. Alij enim non ſolent capitis dolorem inferre. Ex his verò cauſis ſolent febres magnæ fieri, ac denique ſunt hi calidi affectus. Sed videntur hũic enarrationi repugnare verba hæc quæ mox addit, & quicunque alij ab vtero. Videtur enim ſignificare quoſcunq; alios dolores, qui ab vtero ſint, eſſe huiuſmodi. Sed enarrandi hæc verba duplex ratio eſt, vtraque idonea: vel alios omnes dolores ab vteris calido morbo occupatis eſſe huiuſmodi, quia etiamſi non ob abortum aut phlegmonem, ſed ob monſtruas euacuationes quacunque ex cauſa malè fluentes obortæ ſint febres, dolores erunt grauãtes circa ſinciput. Vel (verbis his non ad priora, ſed ad poſteriora relatis) alios etiã omnes ab vtero morbos, ſolere octo aut decẽ menſibus finiri in dolores coxæ. Ex vteri morbis in coxã fieri abſceſſus, non quidem neceſſarium, conſentaneum tamen eſt, quia is eſt articulus maximus, & qui plurimarum partium ſolet excrementa recipere, & habet cum vtero maximam, & viciniam, & rectitudinem, adeò vt, quũ contorquetur, ſoleat in coxam incidere, vt in aphoriſmo dicitur. Cum igitur vteri morbus producitur, rationi conſonum eſt, in coxam facere abſceſſum: octo vero aut decem menſibus id fieri, plurimùm torſit veteres enarratores (vt Gal. narrat) cauſam inueſtigantes: atque adeò cùm nullæ earũ quas inuenerunt, Gal. placerent, coactus eſt ille ab autore recedere, atq; affirmare id dictum eſſe leuiter, quòd aliquando caſu euenerit. Nimirum hi omnes perinde intelligebant, ac ſi dixiſſet Hippo. hunc abſceſſum fieri octauo aut decimo, minimè verò nono, aut ſeptimo, vndecimove. Ego verò non ita intelligo, ſed (quia omnino ab his morbis qui prorogantur, expectare abſceſſus oportet, certum vero & ſtatum vllum tempus faciendi hunc abſceſſũ his morbis non eſt) voluiſſe eum incertum ad certum quodammodo redigere (ita vt fit) nominatis quibuſdam finibus, vt ex eis, & quæ interſunt, & quæ prope ſunt intelligerentur, atq; denique quædã temporis latitudo (vt aiunt) potiùs deſignaretur quàm certũ tempus. Dicit itaq; octo aut decem, quaſi diceret ab octo ad decem, paulo citiùs aut tardiùs. Hos vero fines ſtatuit ex iis quæ obſeruauit in ipſis rebus, computationem vero menſium conſentaneum eſt incipere ab eo tempore quo mulier ceperit ex vtero laborare, & inſigni ob vterum capitis dolore affici. Ab abortu quidem ſi indè videatur morbus ſumpſiſſe exordium, ſi vero anteà laborauerit vteri tumoribus, & capitis dolore, & hic ipſe morbus abortum feciſſe putetur, non ab abortu, ſed ab antecedente eum morbo.

Eorum qui acuminatum habent caput, qui quidem firmâ ſunt ceruice, & aliarum partium & oſſium robore præſtant: qui verò capitis doloribus & aurium fluxionibus afficiuntur, his palatum concauum eſt & dentes ſerratim committuntur.

Capita acuta dicuntur, quæ ſunt in ſinciput, aut occiput, aut vtrunque talia. Duplices autem ſunt, qui acuta habent capita, alij quidem fortes ſatis & robuſti, alij debiles & infirmi capite. Dignotio autem eſt ex adiunctis partibus, & ex turpi, aut concinna capitis formatione; tametſi enim magna acuties capitis, ſiue ſecundum alterã, ſiue ſecundùm vtramque partem, deficiat ab optima capitis formatione, quæ eſt veluti ſpheræ modicè ſecundum latera compreſſæ, poteſt tamen ea eſſe ſine teliquarum partium capitis vlla turpitudine, atque tum temporis cenſetur formatricis exiguus error, præcipuè ſi accedat ceruix firma, quæ robuſtam formatricem, & materiæ copiam indicabit. Si vero accedat deformitas aliarum capitis particularum, haud dubiè illud eſt ex debilitate capitis ab initio formationis profectum. Deformitas autem, quæ turpiter acutis capite ſolet accidere, eſt concauitas ſuperioris palati, & dentium ſuperiorum ab inferioribus diſtractio, maxilla ſuperiori antrorſum plus ſatis producta, quæ canina formatio eſſe videtur. Meritò igitur hi qui φοξοὶ καὶ καρπεσάγχεις ſunt, robuſti cenſentur: ἰσχυροὶ καὶ τἆλλα εὐσθενεῖς dicuntur, qui firmos habent motus voluntarios, quia vt firmamentis innituntur oſſibus muſculi. Aliis partibus robuſti dici poſſunt, vel ob reliquas cerebri vires, eas inquam quæ ad internos ſenſus ſpectant, vel etiam ob reliquas hominis virtutes, vt naturalem & vitalem. Atqui ſanè probabile eſt, omnes eas virtutes intelligi. Nam non turpiter formatum caput, ſignificat cerebrum non imbecille. Bene autem nutritum & formatum caput ſignificat naturalis & vitalis firmitudinem. Sunt itaq; tales robuſti oſſibus, & aliis, vnde conſtat fore etiam hos bene ſanos. Qui vero aliter ſe habebunt, infirmi erunt, & debiles capite: quod quidem crebro eius dolore, & multa excrementorum collectione agnoſcitur. Multa vero mali ſucci in capite redundantia, effluxionem ſaniei ex auribus ſolet facere. Qui igitur κεφαλάλγεις καὶ ὠτορρυεῖς erunt, hi non erunt decenter formati, ſed illis erunt ὑπερῳαὶ κοῖλαι καὶ ὀδόντες παρηλλαγμένοι. Fortaſſe enim inuabit dentiũ diſtractionem, crebra ex cacochymo cerebro effluxio. Porro ijs non erit ceruix craſſa & valida, ſed gracilis & languida, atque id etiam accedet turpitudini. Quod Galen. in commentatione huius loci dicit, in iis quibus caput plus ſatis depreſſum, & acuto contrarium eſt, longè deterius eſſe os-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 291 sur 489

ciput compreſſum eſſe quàm ſinciput, non poſſum probare. Nam, inquit, ideò eſſe deterius, quòd in occipite ſit nobiliſſimus cerebri ſinus, & medullæ ceruicis exortus. Id verò eſt adeò falſum, vt in occipite, quod à capite medio ſutura lambdoyde diſtinguitur, nihil ſit, niſi parencephalis, ex quâ nulla productio eſt, neque medullæ, neque nerui: neque ſinum vllum continet. Ego proinde deteriorem formationem, cùm ad ſenſus & ingenium, tum ad reliqua exiſtimo, ſinciput eſſe compreſſum quam occiput.

Qvibus os à palato diſcedit, his medius ſubſidet naſus: quibus autem pars ex quâ dentes prodeunt, extremus naſus ſit ſimus.

Hæc eadem ſententia eiſdem ferè verbis ſcripta occurrit, & enarrata eſt libro quarto. Quare haud erit nunc opus longa repetitione vti. Simitatis naturalis cauſa eſſe poteſt vel in errore formatricis, quæ eam partem, vt aliam quãcunque ſolet, vitiosè efformauit: vel in malo poſitu oſſiũ maxillæ ſuperioris, quibus innititur. Nimirum ſi ea oſſa demiſſiora ac profundiora ſint quàm deceat, demitti etiam ac ſubſidere neceſſe eſt naſum, & ſecundùm eam partem præcipuè qua innititur oſſiculo quod humiliùs ſitum eſt. Itaque ſi os quod ad medium palatum eſt introrſum ſit velut detractum, ſimitas erit ſecundùm medium naſum: ſi poſtremum ſuperioris maxillæ, ex quo dentes naſcuntur, erit ſimitas ſecundum naſum extremum. Nimirum hæ naſi partes, his maxillæ oſſibus innituntur. Simitas præter naturam fit, ex eiſdem cauſis præter naturam contingentibus. Figura enim vitiari poteſt à re aliqua contundente, vt pugno, aut palo, aut caſu. Oſſa etiam illa poſſunt præter naturam à proximis oſſibus decedere, quibus decedentibus, naſus ſubſidebit, fietque ſimus præter naturam. Hoc modo ſolent qui Elephante vocato morbo laborant, ob oſſium, aut eorum compaginum corruptionem ſimi euadere, vſque ad magnam deformitatem.

In fantium (fulgores ſiue defectus, ſiue comprehenſiones) ſimul cum pubertate in quibuſdam mutationes habent, etiam alias: & in renem dolor grauis, cum implentur cibo.

Scripſi per parentheſim, fulgores, ſiue defectus ſiue comprehenſiones, quia vt Gal. dicit varia admodum in diuerſis codicibus occurrit lectio, atq; varias admodũ lectiones veteres enarratores ſequebantur. Quidam legebant, ἐκλάμψεις, id eſt, fulgores, ſeu effulgeſcentiæ, alij ἐκλείψεις, id eſt, defectus, alij καθολήψεις, id eſt, comprehenſiones. Atqui plærique has voces eò deflectebant, vt illis omnibus epilepſiæ, ſeu comitiales morbi ſignificarentur. Atqui certè facillima ac veriſſima, ea ratione redditur ſententia. Nimirum epilepſiæ infantium, hoc eſt, quæ non procedente iam ætate ob victus vitia ſuccedunt, ſed ab ipſo ortu, ob naturale vitium ex primordiis contractum congignuntur, ſimul cũ pubertate in quibuſdam mutationes habent. Nimirum tales epilepſiæ, cùm vitia potiùs naturalia ſint, quàm morbi, curationem non admittunt, ſed vt aliæ naturales intemperies mutationem ex ætate. Non quidem ineunte pubertate ſed per totum pubertatis tempus, mutationem eam fieri intelligit, quod eſt à decimoquarto ad vigeſimum quintum. Nam ſeptimo aphoriſm. ſectionis quintæ dicitur. Quibus morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt, quibuſcunque autem vigeſimo quinto, commoriuntur. Hoc eſt, ante exactam pubertatem mutationem accipiunt, ſi verò vigeſimoquinto, quo ſcilicet finitur, adhuc durent, commoriuntur. Quoniam verò non in omnibus mutationem accipiunt: ſed in quibuſdam, vtpote quibus mutatio ætatis non eſt ſatis ad eius morbi curationem, commoriuntur, non dicit ſimpliciter cum pubertate mutationes habent, ſed in quibuſdam. Porrò eſt conſideratione dignum vtrobique, & hic inquam & in aphoriſmo, dici, non quidem ſolui, ſed mutationem accipere. Quaſi non ſoleant ſolui nullo ſui veſtigio derelicto, ſed cum alio morbo commutari. Atque hoc videtur præſenti loco multò apertiùs innuere, non ſolùm dicens mutationem habent, ſed explicans quas mutationes habere ſoleant. Et alias (inquit) & in renem dolor grauis cum implentur cibo. Quaſi dicat, mutari ſolere in renum dolorem, & in alios morbos, vt podagram, aut alium huiuſmodi morbum. Et videtur ſanè hoc rationi conſentaneum. Nam morbi diuturni rarò ſunt bonæ iudicationis, nec niſi permutationibus ſoluuntur, nedum qui congenerati: verùm quia mutationem accipere morbum, vtrumquè poteſt ſignificare, & ſolui, & permutari cum alio, vt teſtatur Galen. in commentario citati aphoriſmi, atque non rarò etiam euaneſcunt epilepſiæ paulatim ætate ſiccato cerebro, citra vllum alium morbum, poteris ita interpretari mutationem habent, & in renum dolorem, & alias mutationes, quales quidem ſunt paulatina ſolutio, aut in alium etiam morbum mutatio, ita denique, vt vna quædam mutatio earum quas poteſt recipere, ſit ſolutio integra. Quoniam autem dicit infantium epilepſiæ cum pubertate mutationes habent, ne intelligas infantiam vſque ad adoleſcentiam produci (intereſt enim pueritia) ſed in eius epilepſiis eſſe expectandum ætatis beneficium, quæ veniunt ab infantia. Nam quæ poſteà ſuperuenerunt, velut alij morbi, curandæ ſunt medicis auxiliis. Cur dolorem renum ſignificans, dicat & in renem dolor grauis cum implentur cibo, mox intelliges, ex iis quæ ſubiungit, eadem verba repetens.

In renem grauis dolor decumbit quum implentur cibo, vomúntque pituitam, cùm autem inualuerint dolores, eruginoſa, & leuius quidem ſe habent: ſoluuntur autem dolores, quum à cibis vacuati fuerunt, arenulæque rufæ ſubſident, & cruentam emittunt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 292 sur 489

vrinam, femoris eius quod est è directo stupor sentitur. Quiescere non confert, sed exerceri, non repleri, iuuenes hellebro purgare, poplitem incidere, vrinam mouentibus purgare, attenuare, ac emollire.

Cùm dixisset, vnum quiddam eorum in quæ mutari solet epilepsia, esse dolorem renum grauem, cum implentur cibo, explicat modò, qui morbus renum is sit. Et hinc arrepta occasione procedit ad syndromem omnium signorum quæ eum solent comitari, & ad curationem necessaria. Est verò hic morbus lithiasis, seu lapidum in renibus congestio, quæ quidem fit ex succis crassis, calore aut frigore intra renes duratis, & tophorum modo hærentibus, aut etiam ex sanguine ipso exusto, aut ex sordibus potus quotidiani. Dolent ergo renes, & cum tale quippiam in eis præter naturam colligitur, & multò grauius, cum geniti iam lapides deciduntur (decisio est enim revera, quia sæpe lapides ipsi carni renum affixi hærent, vt tophi aquæ ductibus) & cum per angustas vias permeant. Semper tamen dolor renis, vt ponderis sensum refert, ob exiguum eius partis sensum, nisi cum magnus aliquis lapis decidit, tunc enim velut infixæ hastæ referre sensum constat, quandoquidem difficilè distinguitur à dolore colico, hoc verò, velut paroxysmo quidè, elapso, & antequam tam acerbus dolor ingruat, velut incumbentis ponderis sensus est, qui dolor grauans appellatur, & crescit plurimùm cùm cibo impleri fuerint, quia cibus multus replet intestina, ea verò repleta comprimunt, grauántque renes, qui per peritonæum crasso intestino alligati sunt. Hinc fit, vt tanta sit sympathia intestinorum cum renibus, & renum cum intestinis, & vtrorúmque cum ventriculo, vt colicus dolor & nephriticus inter initia, communia videantur habere signa, & curationem. Nam vtrique accidit vomitus, & eo iuuatur vterque, vacuato scilicet ventre, & succorum reuulsione facta. Fit verò calculosis principiò quidem vomitus pituitosus, quia talis succus naturaliter abundat in ventriculo, procedente autem dolore etiam æruginosus, concurrente iam vndique bile, quæ doloribus & vigiliis exusta est. Solent verò solui ambo dicti morbi; cum à cibis vacuati sunt homines, hoc est quum intestina vacuata sunt facibus, & omnibus quæ continent: colicus quidem, quia ita tollitur eius causa: nephriticus, quia cessat compressio. Verùm reliqua solutio communis non est, quia colicus sola alui euacuatione est contentus: quum verò nephriticus iam soluendus est, arenulæ rufæ subsident, & cruentum mingunt. Nimirum in initio retentis aut arenis, aut crassis succis obstruuntur vrinæ viæ, & ob id exeunt tenues & puræ, rursum demissis iam quæ retinebantur, exire incipiunt arenæ rufæ, & vrina tingi, & quum morbus iam soluendus est, procedere mictio solet vsque ad cruentam vrinam, & plurimam arenarum subsidentiam. Velut autem quæ ex calculo vesicæ deciduntur, esse solent albæ, ita quæ ex renibus, rufæ, seu subrubræ. Habent præterea, quibus in aliquo renum talis affectio est, stuporem femoris è regione affecti renis, propter ma-

A gnæ venæ & arteriæ cum renibus & cruribus coniunctionem. Quo pacto autem venarum repletio stuporem inferat subiectarum partium, docet Hippocrates libello de morbis virginum. Nimirum tumidis venis & arteriis comprimentibus neruulos, qui iuxta deferuntur. His dictis de morbi notis apponit quæ ad curationem pertinent, dicens, quiescere non conducit, sed exerceri, non repleri, iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinam mouentibus purgare, attenuare, ac emollire. Non exigua autem interpretationis pars

B sit, hæc eadem, eo ordine quo agenda sunt, dicere, ita scilicet, non repleri sed victu tenui vti, poplitem incidere, cruris .s. è regione positi, deinde si iuuenis sit, veratro, aut alio medicamento expurgare vacuare: postea exerceri, & diureticis medicamentis vti, & exterius apponere incidentia, & laxantia, quæ nunc vocat emollentia. Nimirum à victus institutione oportet curationes omnes, si fieri possit, inchoare, tenuis autem esse debet, quandoquidem ingrauescit dolor cum cibo replentur. Poplitem verò incidere, aut si id chi-

C rurgus non possit, omnino in crure venam secare bonum est, ad soluendam eam venarum tentionem, quæ vt facit cruris stuporem, facit etiam repletionem renis. Expurgatio verò duobus modis proderit, & materiam detiuando, & laxando intestina, quandoquidem soluuntur cùm à cibis vacuati fuerint. Posthæc diuretica & exercitatio tutò detrudent à renibus quicquid hæserit, præcipuè si appositis, siue inunctionibus, siue irrigationibus, incidantur succi, & laxentur viæ.

D

Menstruæ purgationes mulieribus aquosis diu perseuerant, nisi autem celeriter prodeant, intumescunt.

Aquosæ mulieres sunt, quibus aquosus & tenuis est toto corpore sanguis. Talibus solent muliebres expurgationes diu perseuerare, hoc est multos dies durare ob tenuitatem scilicet sanguinis, atque quia indigent adeò ea euacuatione, vt

E nisi celeriter etiam prodeat, soleant intumescere, hoc est hydropicæ fieri ob aquæ redundantiam. Atque eadem erit ratio, siue celerius fieri intelligas, esse crebrò repetere, siue copiosè, dum durant, effluere. Quicquid sit eò res venit, indigere has multa euacuatione ex vtero, ac nisi multa fiat, solere in hydropem labi.

Cranone inueterati dolores frigidi, recentes verò calidi, ex sanguine autem plurimi fiebant, & qui à coxa frigidi.

F Nihil vniuersale continent hæc verba, sed solùm narrationem quorundam quæ in Cranone contigerunt, neque expositâ morborum specie neque temporis constitutione, quare exiguũ est quod hinc capere possumus vtilitatis. Fortasse decisa sunt hæc verba ex alia narratione longiori, aut scripserat hæc memoriæ gratiâ sibi ipsi, qui

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 293 sur 489

reliqua nouerat. Nobis verò nihil aliud narrat, quàm veteres dolores fuisse frigidos, recentes calidos. Dolores calidi aut frigidi dicit non posſunt nisi ob causam, ob hanc verò rectè dicuntur. Nam doloris nomine aliquando apud Hippocrat. ipsa dolorifica affectio solet intelligi, vel vt in aphorismo dicitur. Qui dolentes dolorem non sentiunt, hoc est qui dolorificam habentes affectionem, eam non sentiunt: Sic quidem posſunt esse dolores calidi & frigidi. Dicit igitur affectiones recentes fuisse calidas, & veteres frigidas. Quando autem veteres omnes, antequàm inueteraſcerent, fuerunt recentes, constat recentes hic vocari, eas quæ ad inueteratas nunquam peruenium. Tales autem sunt quæ acutæ, vt veteres quæ chronicæ. Secundùm rationem igitur factum est, vt acuti calidi essent, & ex calidis succis pendentes morbi, chronici vero frigidi, & ex frigidis. Cùm autem calidi succi sint bilis & sanguis, ex sanguine inquit accidisse vt morbi ea tempestate, maxima ex parte nascerentur. Et qui à coxa (hoc est dolores coxæ) frigidi. Exemplum est hoc priùs dictorum. Nam coxæ dolor vnus quidam est, eorum qui inueteraſcere solent.

QVi morbi in validos tendunt rigores, non admodum mitigantur nisi prope vigorem.

In rigores fortes procedere dicuntur febres quæ rigores fortes habent: non mitescere autem, de rigoribus ipsis dicitur aut de febribus secundùm rigores. Nam secundùm essentiam propriam, non solum quando prope statum sunt, sed neque donec status sit elapsus, mitescunt febres. Porrò status nomine intelligi potest qui totius morbi est, aut qui cuiusque paroxysmi: & vtroque modo redditur verus sensus. Nam in febribus quæ procedunt in rigores fortes, hoc est habent rigores solutu difficiles & longos (nam cum rigores fortes dici possint, aut quod vehementes, licèt breues, aut quod vehementes & producti, secundos hos videtur significare illud verbum (procedunt) non mitescunt cito rigores in ipso paroxysmi principio euanescentes, sed procedunt etiam per ipsum incrementum, neque mitescunt donec prope statum iam sint febres: atque ita etiam quum febres procedunt cum fortibus rigoribus, hoc est vehementibus (siue etiam longi sint, siue vehementes solùm) non solent febres mitescere, hoc est minores & mitiores habere rigores, donec prope statum iam sit morbus. Hoc in quartanis febribus maximè obseruari dicit Galen. in quibus prognosticum signum esse dicit appetentis iam status, cum à magnis rigoribus huc vsque febres inciperent, iam mitescere. Mitescent vero tunc, vt diximus, secundùm rigores, secundùm essentiam propriam potiùs auctæ, in inclinatione autem mitescent secundùm vtrumque.

ANte rigorem vrinarum suppreſsiones accidunt, si ex vtilibus proceſſerint, & aluus excreuerit, & somni adfuerint, Forsan autem & figura febris, forsan etiam quæ ex laſsitudinibus contingunt, consideranda sunt.

De rigore decretorio nunc loquitur, docetque rationem quandam satis artificiosam, talem rigorem præuidendi. Nimirum ex vrinæ suppreſsione, dicens ante rigorem suppreſsiones vrinarum fieri solere. Nimirum rigori decretorio solet succedere sudor, sudoris vero & vrinæ est eadem materia, atque ita merito altera euacuatio alterius succedit suppreſsioni. Verùm quia vrinæ suppreſsæ non vnica, sed multę possunt esse causæ, multis aliis considerationibus est opus, ne præsensio nos fallat. Proinde addit reliqua, velut ita dicens. Considerandum tamen vt firmius euadat prognosticum, an ex vtilibus proceſserint, & aluus excreuerit, & somni adfuerint. Fortè autem & febris figura erit consideranda, fortè autem & quæ ex laſsitudinibus. Nam si aluus plurimum proceſserit, eam ob causam poterit vrina suppriмi, nec rigor aut sudor instabit. Nimirum vt mictio plurima exiguam deiectionem facit, ita deiectio plurima exiguam mictionem. Si verò non proceſserit aluus, & anteceſserint signa optima, & quæ bonam iudicationem promittant, velut in primis concoctionis notæ in vrinis (hæ enim celeres iudicationes & securitatem significant) proinde dicit, ἢν ἐκ χρηστῶν ἴωσιν, hoc est si vrinæ, antequàm supprimerentur, præceſserint vtiles, & concoctæ, & aluus non excreuerit, constat causam esse quod euacuatio alia decretoria instet, ea erit rigor & sudor, qua ratione diximus. Quod verò addit, & somni adfuerint, Gale. intelligit dictum vt vnum quoddam exemplum vtilium signorum quasi dixerit, si ex vtilibus fuerint, hoc est si anteceſserint signa vtilia & bona, velut somni boni ac placidi. Mihi verò videtur dicturus si somni fuerint ex vtilibus, illud enim ἐνέσωσι, significare videtur adesse somnos tunc cum expectatur iudicatio, quo tempore constat nihil minus esse debere, vt iudicatio indicetur, quam somnos placidos, potius.n.debet antecedere anxietas, & inquietudo. Mihi proinde potius videntur significari somni difficiles, & cum inquietudine. Nimirum expectatur rigor & sudor vrinâ suppreſsâ, cum aluus non fluxerit, quod serum sursũ raptũ, & in totum corpus distributum sit. Id quod factum esse, accedens cataphora indicauit. Nam aqua sursum lata, & sanguine facto diluuiore, somnus ille vitiosus fit. Quod in aquosis & humescentibus experimur. Igitur somni proponuntur hîc potius tanquam vnum quoddam exemplum signorum instantis criſis, quæ in antecedente nocte contingunt quàm vtilium, quę preceſserint. Si verò vt vnũ ralium exemplũ ponitur, reliqua etiam debent intelligi. Itaque dicit, si aluus non proceſserit, & vrina suppriматur, & anteceſserint signa cõcoctionis, & adsint nunc signa laboris & instantis criſis, velut anxietas, & imprimis graues somni, rigor decretorius, vt cui sudor succedat,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 294 sur 489

ſuccedat, expectari debet. Fortè autem ſatius fuerit, & figuram febris adiungere. Si enim ea ſit è genere ardentium, firmius præſagium eſt. Quia vt in aphoriſmo dicitur. A febre ardente, rigore ſuperueniente, ſolutio. Quod ſi ex laſſitudine aut labore ceperit febricitare homo, maior coniectura eſt febrem eſſe ardentem, atque inde rigorem expectandum. Nam in initio quarti de ratione victus in acutis, agens de ardente febre ipſemet dicit, accidit autem magna ex parte ob longa itinera. Itaque ob febris ſpeciem conſiderari vult etiam externam cauſam an ob laſſitudines. Dicit verò fortaſſe bis repetens id aduerbium, quia ſatis multa videbantur dicta ad præſagij confirmationem, nec videbatur omnino neceſſarium, poſtrema hæc adiungere, vtile tamen etiam. Quaſi diceret, ſatis quidem eſt conſideraſſe quæ dicta ſunt ad huius præſagij firmitudinem, fortè autem vtile etiam eſt maioris claritatis gratiâ, adhibere etiam in conſiderationem, figuram febris, & eius cauſam externam. Oportet verò conſiderare tam multa, quia ſine his cenſebitur vrina ſymptomaticè potius ſuppreſſa, vel ob obſtructionem quampiam viæ, aut reſolutionem facultatis expultricis in veſica.

ABſceſſus non admodum contingunt iis quibus rigores fiunt.

Hæc quoque ſententiola pertinet ad prognoſticam partem. Quod dicitur eſt, febres quas comitantur rigores, vt tertianas exquiſitas, & quaſdam quartanas, non admodum ſolere habere abſceſſus. Quia ſcilicet expurgantur venæ ſingulis rigoribus, cùm fiant ſuccis extra vaſa miſſis. Quoniam verò hac ratione non monſtratur fieri non poſſe abſceſſus, ſed eſſe cur non crebrò fiant, dixit, non admodum. Illud tamen noſſe oportet, tantò minùs futuros abſceſſus, quantò rigores erunt acutiores, & in ſuo genere exactiores, & magis exquiſiti. Hoc eſt, quanto partes concutientur magis, quia eo longiùs pelluntur ſucci à vaſis, & eo magis diſcutiuntur.

CRurum effæminationes veluti aut ante morbum, aut ſtatim à morbo iter facienti contingunt: eadem forſan ratione quâ ex laſſitudinibus in articulos aliquid abſcedere ſolet, vnde etiam crurum effæminationes accidunt.

Debilitatem & effœminationem crurum, ſimilem ei quam ſentiunt, qui iam iam ſunt parati in morbum incidere, aut qui ſtatim à morbo, antequam corroborentur, deambulant, dicit quibuſdam manere ex morbis, vel multum tempus, vel totam etiam vitam. Cauſam verò eſſe, quod cum eſſent febres illæ laborioſæ, & cum laſſitudine coniunctæ, fecerint abſceſſus in articulos. Vnde accidit, vt illi laxi ſuperfuerint & ligamenta mollia: vnde crurum effæminationes accidunt hoc eſt langor qualis mulieribus adeſt. Quem conſtat non in gracilitate, & extenuatione, ſed in imbecillitate conſiſtere. Dicitur autem hoc iuxta illud quod in aphoriſmo eſt. Laſſitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt. Tamen hinc diſce, abſceſſus ad articulos factos eſſe aliquando citra articulares dolores, & tumores, qui ſolis his effœminationibus, ſeu laxitatibus agnoſcuntur.

TVbercula extrorſum intumeſcentia, & acuminata, & faſtigiata, & quæ æqualiter matureſcunt, nec in ambitu dura, & deorſum vergentia, nec bifida, meliora ſunt: contraria autem mala, & quæ plurimùm contraria, peſſima.

Hæc eadem ſententia ſcripta eſt primo prognoſtici eiſdem fere verbis; Illic enim. Suppuratio inde prouenies ita conſideranda eſt, quæ enim foras vertitur optima eſt, ſi parua eſt, maximèque egreditur, & in ſublime reſurgit: ſi vero magna eſt, & lata, minimèque in mucronem tendit peſſima eſt. Addit hic, καὶ ὅ ὁραλῶς ξυμπεπαιγόμενα, ἢ μὴ περιοκλινέα, ἢ καθ' ἑρροπα, ἢ μὴ δίκεχια, ἀμείνω. Scilicet quæ æqualiter ſecundum ſe tota tendunt in ſuppurationem, nec ſunt in ambitu dura, hoc eſt quadam parte incipientia ſuppurare, & circumcirca dura, ex materiâ pendent mitiori, & ſimpliciori: vt contrà quæ inæqualiter ſuppurantur, quum ſunt in ambitu dura, aut etiam bifida (hoc eſt extuberantia in duo cacumina) pendent ex materiâ diuersâ, & inæqualiter contumaci. Commendat etiam deorſum vergentia tubercula, id eſt, quæ in decliue ſuppurantur. Nam ſiue à chirurgo ſecentur, ſiue ſponte rumpantur, quum cutis gracilior facta eſt, vt ſolent, optimè expurgabuntur ſciſſura in decliue ſpectante, Hæc igitur bona, contraria autem mala. Nimirum tubercula introſum intumeſcentia, vt cum tumor non eminet acutè: & lata, & quæ inæqualiter ſuppurari incipiunt, in ambitu dura, aut bifida, aut etiam multifida, & quibus incipiens ſuppuratio in ſublime ſpectat. Quoniam vero poſſunt hæc magis aut minùs ineſſe, dicit, & quæ valdè contraria peſſima.

LVmbrici Autumno generantur & oris ventriculi dolores, & horrores & atra bilis.

PEr initia exacerbationes conſiderandæ ſunt, & in omni morbo veluti ſub veſperam exacerbationes contingunt, ſic etiam quando inclinat annus, & Aſcarides generantur.

Hæ duæ ſententiolæ enarratæ iam ſunt in ſecundo libro huius operis, prope libri initium. Ibi enim ſcriptæ ab eodem Hippocrate ſunt, atque adeo

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 295 sur 489

©BIUM

apertiùs. Nunc enim ænigmaticâ phrasi videtur vsus. Idem tamen est quod dicit & quod illic dixerat: θηριώδεις quid esse in morbis autumni, horroresque & cardialgias, & melancholicas passiones. Porrò considerandum inter morborum initia, hoc est, mox ab initio (addit nunc & in omni morbo) an statim vigeant ac efflorescant, ex circuitibus & paroxysmis. Porrò exacerbationes plurimorum morborum solere in vespertinum tempus incidere, & ita etiam autumno grauissimos morbos grassari & eos qui antea orti sunt exacerbari, quòd anni partes cum diei partibus analogiam quandam habeant & autumnº sit vt vespera anni. Porrò ascarides autumno magis quàm vllo alio tempore gigni, & vesperi vrgere, vt alia pleraque mala, omnia hæc explicata, redditæque omnium causæ sunt, loco citato. Porrò repetita sunt hæc eadem libro. 4. circa medium, præter id quod de ascaridibus dicitur.

INfantibus tussicula cum ventris turbatione, & febre continua, significat post crisim bimestri, etiam tumores prorsus vicesimo die ad articulos fore.

Singulare quiddam, & quod non ita necessario accidat, neque adeò sæpe, docere videtur: putà infantibus bimestribus, laborantibus tussicula, cum turbatione ventris, & febre continua, solere finiri malum in tumores articulorem, idque vigesimo die morbi post crisim, hoc est morbum hoc modo iudicari, putà per abscessum. Certè totam hanc syndromen, & hunc euentum statodie, per rarò offendes, licet tamen nobis, quæ ita dicuntur velut exempla accipere, & si quid vniuersalioris doctrinæ inde possit decerpi, procurare. Dictum est aphorismo 31. quartæ, lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fieri. Huius causa est, quia lassitudo indicat multitudinem. Quam causam continet aphorismus 45. eiusdem sectionis quo ita dicitur. Quibus tubercula, vel in artitulos labores fiunt, ij pluribus vruntur cibis. Pluribus cibus est multitudinis causa, lassitudo signum. Dicit igitur nunc Hippocr. non adultis solùm, sed infantibus etiam, solere terminari morbos tumoribus ad articulos, quum laborant cum multitudine. Velut autem in adultis qui fari id possunt, multitudinis signum accipitur ex lassitudine, ita in infantibus qui non possunt, ex tussicula cum ventris turbatione, & febre continuâ. Non mirum autem si vigesimo die id fiat, cum sit is dies adeò insignis. Itaque quod generatim in aphorismis dictum est, hic de solis infantibus dicitur. Illud verò est scitu dignissimum, quas notas multitudinis debeas obseruare, in ijs qui non possunt interrogationibus respondere, quæ eædem quum in adultis etiam occurrunt, sæpe significant multitudinem: tussicula scilicet per febres (cùm alioqui non tussiret homo, neque adsit pleuritis aut morbus alius cuius sit propria) & ventris turbatio inter morbi initia. Ex quibus proinde abscessus ad articulos expectare iussit sectione primalibri secundi, & rursus sectione secunda huius sexti iubebit.

SIquidem è superioribus partibus delapsi, infra vmbilicum in inferioribus articulis constiterint, bonum: si autem in superioribus, non æquè morbum soluunt, nisi ad suppurationem veniant.

Secundo libro Epidemiorum dixit, abscessus eò meliores esse, quò ad inferiores deuoluuntur sedes. Hoc etiam in prognostico docuit, iubens in ijs qui salubriter affecti sunt, cùm tamen febres prorogentur, expectare abscessus ad aliquem articulum, maximequè inferiorem. His consonum est quod nunc dicit, si morbi partium superiorum abscessus faciunt, ad articulos qui sunt infra vmbilicum bonum esse, sin autem abscessus in superioribus partibus constiterint, non adeo bonum esse, nec similiter soluere morbum. Addit nisi ad suppurationem veniant, nam partes infra vmbilicum minimè in suppurationem vertuntur, vt dicitur in prognostico, partes vero supernæ possunt suppuratione perfectiùs interiores partes expurgare: neutris vero suppurantibº, perfectius liberant inferiorum abscessus. Itaque vbi locis citatis præfert abscessus inferiores superioribus, intelligi debet nisi suppuratione finiantur. Tunc enim inferiores soluunt morbos tardiùs, quia aut omnino non suppurant, aut imperfectiùs & tardiùs.

QVæ in humeris suppurationem faciunt in tantulâ ætate, breuiora & graciliora brachia efficiunt.

Humerus vocatur os maximum brachij, quod altera ex parte coarticulatur cũ spatula, altera cum cubito in ea flexura quæ in medio totius brachij est, & cubiti articulus vocatur. Itaque vltra humerum cubitus est, & cum illo articulum facit. Didicimus vero ab Hippocr. tertio de articulis, vbi os aliquod vitium insigne passum est, vt luxationem aut torturam, ossa proxima læsæ parti non venire in iustum incrementum, si pusillis & nondum adultis ea vitia accidant. At (inquit) quibus dum adhuc pueri sunt, prius quam corpus integrè adoleuerit, spina in giberum incuruatur, ijs corpus ad spinam augeri non licet, sed cùm crura & brachia ad perfectam auctionem veniant, illa exiliora euadunt. Quibuscunque etiam supra septum gibber contigit, ijs costæ in latitudinem augeri non consueuerunt. Hæc Hippocrates quibus apertè innuit, ossa male affectis proxima, non augeri satis, si is qui laborat adhuc crescat, quia vt Galenus in commentatione dicit, euenit necessario vt quæ partibus prope positis alimentum deferunt, iuxta partem affectam aliquid patiantur, vt distorqueri, comprimi, aut debilitari, & languidior fiat partis motus, & dolore aut intemperie debilitentur naturales facultates partium patienti proximarum, vnde necesse est minorem fieri nutritionem, & ob id auctionem. Similem prorsus causam habet, quod & hoc loco dicitur, nimirum quibus tantulis, hoc est pusillis, & adhuc crescentibus in humero fit magna aliqua suppuratio, necesse est, dictam ob causam, partes vltra hume-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 296 sur 489

rum poſitas, breuiores in reliquum vitæ manere. Sequitur autem proximè humerum cubitus, per hunc manus, fient igitur hæc breuiora, non tamen manus adeò ac cubitus, quia ea longiùs iam poſita eſt. Velut quibus ſpina in giberum incuruatur, corpus ad ſpinam non augetur, crura tamen & brachia non fiunt ob id breuiora ſolùtò. Nimirum hæc etſi procedunt à parte læſa, non tamen proximè, ſed longiùs. Cubiti igitur ſoli fient manifeſtè breuiores, ijs quibus humeri in tenella ætate patiuntur ſuppurationes.

Soluet quoque morbum vlcuſculorum in inferiores partes eruptio, niſi rotunda ſint & profunda, talia namque pueris alioqui pernicioſa ſunt.

Soluere morbum aliquando dicit Hippocrates quicquid morbum tollit, etiamſi hominem non perſanet, ſed permutationem cum alio faciat, atque adeò, etiamſi deficiente morbo homo intereat, vt quum in aphoriſmo dicitur. Quibus in ardentibus febribus tremores fiunt, inſania ſoluitur. Conſtat tamen, vt in commentatione eius loci diximus, non ſatis propriè permutationem talem, vocari ſolutionem, ſed propriſſimè dici ſolui morbum, quum homo nullo alio manente liberatur, vt cum dicitur ab aqua inter cutem, aqua è venis in ventrem fluente ſoluitur morbus. Secundo loco ſolutio, dicitur etiam ea permutatio, per quam homo à ſecundo etiam morbo liberatur & ſuperuenit, vt quum dicitur. Quibus dolor circa hypochondrium ſine phlegmone fit, iis febris ſuccedens ſoluit dolorem. Hoc ſecundo ſignificato dicitur nunc vlcuſculorum in inferiora eruptio, ſoluere febrem continuam infantium, cum tuſſiculâ, & alui turbatione (de illa enim adhuc loquitur) niſi ea vlcuſcula ſint rotunda, & profunda, talia enim non ſoluunt hoc ſecundo ſignificato, quia ex ipſis intereunt pueruli. Pernicioſa enim ſunt eius figuræ vlcera, & curatu difficillima, vt libello de vlceribus ipſemet Hippocrates teſtatur, adeò vt curari non poſſint, niſi duplici aut quadruplici ſectione ex rotundis longa fiant. Maximè autem ſunt pernicioſa infantibus, quia dolores & difficultatem eius curationis ferre non poſſunt, nec curari, facile ob carnis mollitiem exeduntur, curati dolore exanimantur, aut conuelluntur. Tametſi teſtari poſſum, me vidiſſe infantulam, alioqui iam ex morbo languidiſſimam, cum neſcio quot vlcuſculis rotundis, & valde profundis in natibus, non ſine mea magna admiratione ſeruatam, erat verò annum iam nata integrum. Hippocrates nunc agit de bimeſtribus.

Soluet etiam ſanguis fluens, magis autem hoc apparet in ætate prouectioribus.

Fluxus ſanguinis maximè ſolet præſeruare ab abſceſſibus ad articulos, atque ita morbos, in quibus articulorum tumores expectantur, ſine eis ſoluere, vt dicitur in aphoriſmo ſeptuageſimo quarto quarte. Verùm is fluxus ætati perfectæ eſt familiaris, puſillis rarò accidit, vt in prognoſtico dicitur his verbis. Sanguinis fluxum in iunioribus potiùs trigeſimumquintum annum agentibus expectare oportet. Intelligi autem debet, vſque ad trigeſimumquintum, nam poſteà ſuppurationem expectabis, vt in prognoſtico etiam dicitur. Cauſam reddit Gal. dicens, etenim per hanc ætatem ſanguis plurimus eſt, & item facultas fortior, & calor exuperans. Sed ſi iudicatio hæc fieri non ſolet in puſillis, de quibus hucuſque Hipp. agebat, quorſum eius nunc meminit? Certè ſermonis communione digreſſus ad eam euacuationem eſt, ſermonem verò de illo puſillorum morbo, hic finit.

Lachrymæ in acutis quum malè ſe habent ægri, ſpontaneæ quidem bonæ ſunt, inuitæ autem malum portendunt. Quibus etiam palpebræ circumtenduntur, malum. Malum quoque quum aliquid in oculis inareſcit, vt ſpuma: eorum quoque obſcuratio & ſqualor, malum ſignificant, & qui intus corrugantur, quique concreti ſunt, & vix vertuntur & obtorquentur, & quæcunque alia omittuntur.

Hæc pertinent ad rationem prædicendi in morbis acutis ex oculis & facie. Scripta autem eadem ſunt in aphoriſmis & in prognoſtico, atque vtrobique à me enarrata. Lachrymas acutè ægrotantium, non ſponte fluentes malam ſignificationem prębere, locis citatis dixit, ſponte autem fluentes non eſſe malas: nunc adijcit etiam eſſe bonas. Atque id meritò, ſpem enim præſtant voluntariæ ægrotantium lachrymæ, non quidem vtcunque ægrotantium (quis enim conſideret an qui diuturno conficitur morbo ploret) ſed ægrotantium acutè. Neque horum quidem quocunque morbi tempore (nam primis diebus morbi quantumuis acuti lachrymari, nihil admirationis habet, neque vllam ſignificationem pręſtat boni aut mali) ſed in ſummo morbi vigore iam conſiſtentium, in quo, qui morituri ſunt, ne plorare quidem poſſunt ob oculorum ſqualorem, concretionem, & immobilitatem, quæ peſſima & lethalia eſſe mox dicit. Lachrymari igitur ſponte bonum eſt, quia nihil horum adeſſe ſignificat, ſed mediocrem partium humiditatem, & facultatis regentis conſtantiam, & abeſſe conuulſionem. Reliqua ex prognoſtico facilè intelligentur. Nam illic vituperantur cutis frontis circumtenta & arida, cum qua circuntenditur ſupercilium, & ſordes apparentes circa oculos, quas nunc vocat, inareſcens, vt ſpuma. Dicit enim ἐπιξηραινόμενον οἷον ἄχνη, ſignificat verò ἄχνη non qualemcunque ſpumam, ſed exiguam, & aſperginis concreſcentis modo factam: nimirum minutiſſimas guttulas ſpumæ aridæ. Eſt itaque ſordes apparens circa oculos ſqualidos. Squalorem etiam oculi, & obſcuritatem vituperauit in prognoſtico. Corrugatio interius facta in oculo,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 297 sur 489

areſcentiam ſignificat, vt in extremè ſenibus. Eſt igitur ſignum corruptionis facultatis, & atrophiæ. Partis concretio, & inflexilitas oculi, & diſtortio, quam in prognoſtico peruerſionem vocat, conuulſionem indicat. Hęc igitur omnia mala ſunt, & quęcunque alia omiſſa ſunt, quæ ſcilicet in prognoſtico recenſentur, vt alterum altero oculum apparere minorem, & candidum rubrum habere, aut liuidas aut nigras venas, & alia hùiuſmodi.

FEbrium quidem quædam manui mordaces ſunt, aliæ verò mites: quædam autem non mordaces quidem, ſed poſteà augeſcentes: quædam acutæ quidem, ſed quæ ad manum imminuuntur; quædam ſtatim exardeſcunt, aliæ autem ſemper debiles ſunt: ſiccæ aliæ quidem ſalſuginoſæ ſunt, aliæ verò ampulloſæ (vel flatulentæ) aſpectu horrendæ. Aliæ ad manum humidæ: aliæ etiam prærubræ, aliæ liuidæ: quædam valdè pallidæ, & alia id genus.

Febrium partitiones continet hæc dictio, quam ego in commentariis libri primi de differentiis febrium abunde explicui. Quoniam verò obſcuritas Hippocraticatum dictionum expoſita eſt quamplurimis enarrationibus, ſatius fuerit eam nunc proferre, quæ mihi videatur maximè conſentanea, & quæ plus frugis contineat, quàm plurimas recenſendo, aut etiam refutando, & de vocum ſignificatis contendendo, replere chartas, & otio abuti: quæ enim inde doctrinæ acceſſio fiet? Videtur igitur tota hæc dictio, quatuor partitiones ſeorſum continere poſſe, primam quadrimembrem: ſecundam bimembrem: tertiam trimembrem: quartam multimembrem: Tres quidam primas petitas ab ipſius caloris pręter naturam (in quo febris conſiſtit eſſentia) modo, aut materia (modum dico quo tangentem manum afficit mordendo aut non, & quo mouetur acutè aut tardiùs, materiam verò in qua factus firmatuſque conſiſtit) poſtremam ab externis, & per accidens contingentibus febri, vt à colore. Atqui mordere tactum aut non, ex ipſius materiæ natura naſcitur. Quo fit, vt non ſine magno artificio prima partitio & differentias febrium, & earum dignotionem contineat. Nimirum differentiæ contingunt ſecundùm differentiam cauſarum internarum, dignoſcuntur ſecundùm alium & alium modum afficiendi tactum. Ea verò eſt hæc, febres quidem aliæ mordaces manui, hoc eſt ſemper & à principio mordentes manum: aliæ autem mites, hoc eſt, gratum, mitem, minimèque mordentem calorem præferentes. Aliæ ſunt non mordaces quidem primâ manus admotione, ſed poſtea ἐπιμανιδόντες, hoc eſt paulatim mordacitatem conparantes: aliæ contra acutæ quidem primo occurſu, hoc eſt acutè occurrentes tactui, & mordentes, ſed paulò poſt imminutè, & paulatim vel vt à manu vincantur, mordacitatem deponentes. Conſtat his quatuor differentijs, quandoquidem ex modo afficiendi ſenſum accipiuntur, dignotionem etiam contineri. Continentur verò A his quatuor differentijs, omnium ex ſucco pendentium febrium ſpecies, quin etiam quodammodo etiam febres omnes. Nam cùm iuxta ſuccorum differentiam quatuor ſint, melancholica, ſanguinea, bilioſa, & pituitoſa, calor bilis & melancholię mordax eſt ob materiæ ariditatem, ſed bilis mordacitas vincitur à manu ob materiæ & vaporum tenuitatem: ſanguinis & pituitæ ob humiditatem materiæ non eſt calor mordax, tamen à pituita non abeſt mordacitas, ſiquidem putrida ſit, ſed adeſt quædam, quæ etſi primo occurſu non appareat, perſiſtente manu inſurgit. Itaque ſemper mordaces ſunt melancholicæ; ſemper mites ſanguineæ: non mordaces ſed poſteà augeſcentes pituitoſæ: acutæ ſed imminutæ bilioſæ. Quibus quatuor generibus continentur omnes, quæ ex ſuccis pendent. Poſſunt autem contineri etiam aliæ omnes, hecticæ quidem in mordacibus cum melancholicis: diariæ in mitibus cum ſanguineis, tales enim ſunt reuera. Hæc eſt partitio prima. Huic ſuccedit hæc altera, febrium aliæ ſtatim vrentes, aliæ ſemper debiles. Hæc partitio accipitur à motu morbi, quaſi diceret, quædam febres ſunt acutæ, quædam chronicæ. Nam acuti morbi ſunt qui ſtatim vigent. Itaque acutæ ſunt febres quæ ſtatim vrunt, & ſunt ſummę. Ita etiam in eſſentia propria magni morbi ſunt, qui acuti, quia magna adeò mala nullus poteſt diu ſuſtinere, ſed breui ſolùuntur aut interimunt. Qui ergo chronici, ſunt debiliores. Proinde febres non acutæ rectè vocantur ſemper debiles. Hæc itaque eſt ſecunda partitio. Tertia verò quæ mox ſequitur, ξηροί, οἱ δὲ ἁλμυρόδεες, οἱ δὲ πεμφιγόδεες, ἰδίην δεῦνοί, οἱ δὲ πρὸς τὴν χεῖρα νοσώδεες. His verbis videtur inſinuari ſolemnis illa partitio in hecticas, putridas, & diarias. Nam hecticæ ſunt ſiccæ. Calor verò ſiccus eſt mordax, diciturque proinde ſalſus per metaphoram. Nam ſalſum proinde ad guſtum, non ad tactam refertur, ſed qualis eſt guſtui mordacitas ex ſalſis, talis tactui ex aridis & exuſtis. Proinde ergo hecticæ febres dicuntur aridæ & ſalſæ. Ampulloſas febres dici non poſſe alias, quàm quas ampullæ quædam per corpus obortæ comitantur, ſatis conſtat ex ipſo nomine, & quod mox addit, id multò apertiùs indicat, aſpectu horrendæ. Nimirum morbi in quibus per cutem ampullæ, vt ex cutis combuſtione, diſperſæ ſunt, aſpectu graues & horrendi ſunt. Conſtat verò hæc in febribus malignam putreſcentiam, aut exuſtionem ſuccorum indicare. Quamquam ergo non omnibus putridis hoc accidit, ſed ſi febres quibus hoc accidit omnes ſunt putridæ, & triplex illud genus ad hanc partitionem reducendum eſt (vt eſt conſentaneum) rectiùs putridæ ad hanc partem referentur, quàm ad primam, aut poſtremam. Velut nomine ad tactum humidarum, rectè intelligentur diariæ, quia harum calor eſt vaporoſus, & tactui humorem quendam repræſentat. Tametſi ergo putridæ ex ſuccis pendeant, ad tactum non ſentiuntur adeò humidę. Quin potius, illę omnes ſunt mordaces & acres, aut mox, aut poſtquam manus aliquandiu adhæſerit, aut ſemper. Nam ſanguineæ, quę ſolæ earum quæ ex ſuccis pendent, ſunt ad tactum humidæ, inter diarias potiùs cenſeri debent. Quia quæ in illis putridæ ſunt, bilioſæ etiam ſunt, atque vt ad bilioſas plus aut minùs inclinant, ita à blando ſenſu, & humido tactu recedunt. Conſtat ex hac

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 298 sur 489

enarratione, illam voculam, ſiccæ, non referri ad antecedentia, vt quæ ſemper debiles, dicantur etiam ſiccæ (quamquam ita videtur) ſed potiùs ad ſequentia, vt eædem dicantur ſiccæ & ſaluginoſæ. Supereſt poſtrema partitio, quę quidem inartificioſa eſt, & ex ijs quę per accidens inſunt, deſumpta. Sed vt ſępe in his commentariis, & aliis in Hipp. ſcriptis diximus, antiquiſſimi medici multis morborum inartificioſis differentiis vſi ſunt, quia nondum erat ars exactè conſtituta. Siue igitur febres rubræ, pallidę, liuidæ, virides, albæ, aut alio quouis colore, ob cutem hominis, ſiue ob excrementa dicantur, externæ differentiæ ſunt, & nullas proprias ſpecies conſtituunt, ſed tantò quæuis febris eſſe agnoſcetur benignior aut malignior, quantò color ſiue faciei, ſiue exeuntium mitiorem aut maligniorem cauſam prę ſe fert, iuxta ea quæ in prognoſtico, & aliis operibus, de colorum ſignificatione ſcripta ſunt.

A

B

Diſtentiones corporis & articulorum duritiies malum denuntiant: & quum eger exoluitur, malum: & articulorum fractiones male ſunt.

C

Hæc ſententia, vt & quæ mox ſuccedit, ad partem prognoſticam pertinet. Diſtentiones corporis & durities articulorum fiunt ob artuum inflexibilitatem, ac veluti rigorem. Contrarium his eſt, diſſolutum eſſe corpus, & confractos habere articulos, vt quum exporrectis ac velut à facultate demiſſis artubus quis iacet, & articulis laxis, & velut fractis. Conſtat verò articuli propriè non eſſe fracturam, ſed potius luxationem. Dicuntur verò qui laxi, & firmitudine carent, fracti per metaphoram. Nimirum quia fracto oſſe perit firmitudo membri, quum articuli nihil flexuræ reſiſtunt, ob ſimilitudinem fracti eſſe dicuntur. Vtrumque autem horum in morbis acutis malum eſt. Illud enim ſignificat conuulſionem, hoc facultatis interitum. Vtrumque autem in prognoſtico ab eodem Hippocrat. ſcriptum eſt. Oportere enim ægrotum manus, collum, & crura habere modicè inflexa, & eorum corpus flexibile; malum verò eſſe ſi manus, collum, & crura diſtenta habeat.

D

E

Oculi audacia delirÿ ſignum eſt, & deiectio, & fractio malum portendunt.

F

Hic quoque deiectio & fractio oculi contrarium ſignificant, ei quod vocatur audacia oculi. Accipiuntur verò etiam hæc nomina metaphoricè. Nam audacia propriè ad hominem ſpectat, aut ad cor: fractio ad oſſa, & res huiuſmodi. Sed vocatur audacia oculi is oculi poſitus, qui audaciam indicat. Eſt vero is, oculi intentio firma, & rectus intuitus, oculis non nictantibus. Nam vt in 2. libro in calce ſectionis quintæ dictum eſt. Oculi non nictantes iracundi ſunt. Iracundia verò comes eſt audaciæ, quia timor iram cohibet. Igitur rectus intuitus oculis non nictantibus, audaciam indicat. Et hic ipſe per morbos acutos, eſt ſignum delirij. Quia ſine occaſione aut vlla procatarcticâ cauſâ tales animi motus ſunt inſaniæ ſoboles. Error enim imaginationis commouet animum, cum nihil ſeſe offert, quod ita mouere natum ſit. Quòd ſi recto illi & firmo intuitui, accedat palpebris non nictantibus oculorum crebra motitatio, indicatur etiam furor, vt in prognoſtico dicitur. Contrarium audaciæ vocatur deiectio, & fractio oculi. Nimirum quidam oculi languor, vt non videantur quicquam poſſe rectâ intueri, ac ne videre omnino, & quicquid ob oculos ponitur omninò non aſpiciunt, vt videantur his qui adſunt, non videre, id quidem in acutis morbis peſſimum ſignum, nam deficientis iam facultatis, ſolerque accidere moribundis, & vulgari phraſi, quę fortaſſis ab hac Hipp. dictione fluxit, dicuntur tales oculi fracti iam eſſe, quòd ſcilicet quaſi diſrupti eſſent, non videant, & langueant, penitúſque deiecti iam ſint.

SECTIO SECVNDA.

Dilatare, conſtringere alia quidem oportet, alia autem non.

Magna pars huius ſectionis ſecundæ pertinet ad partem curatiuam, velut hæc ſententiola, & quædam mox ſequentium. Qui vocati ſunt methodici, quorum princeps fuit Theſſalus hac vnica regula cenſebant contineri totam artem: omnes enim morbos aſtrictos eſſe, aut laxos, atque ita nihil agendum aliud, quàm laxandum, aut adſtringendum. Verum fallebantur. Multi enim ſunt morbi, qui neque in aſtrictione neque laxitate eſſentiam habent, & multæ curationes, quibus neque laxatur, neque aſtringitur, cuiuſmodi eſt vacuare, replere, extenuare, craſſitiem inferre, exaſperare, lænigare, & alia multa huiuſmodi. Nimirum affectiones omnes contrarijs alterationibus curantur. Sunt verò exceſſus præter naturam multis alijs in rebus, quàm in laxitate aut conſtipatione partium, nam in temperie, numero, magnitudine, poſitu, & alijs figuræ differentijs. Agenda igitur hæc ſunt, dilatandum, inquam, atque conſtringendum, quum res exigit, non tamen ea ſola ſunt agenda, ſed alia quidem conſtringendo aut dilatando curanda ſunt, alia autem non, ſed aliter. Quod inſinuans dicit, alia quidem, alia autem non. Quæ dilatando aut conſtringendo curantur, ſunt vitia, per quæ partes aut aſtrictę, aut laxæ ſunt nimis, vt cũ ob aſtrictam & ſiccã aluum, vtimur clyſteribꝰ humidis & laxantibꝰ, & ob denſam cutem, vtimur balneo aquę tepidę; aut mollibus frictionibus cum inunctionibus olei; aut ob laxam aluum vtimur aſtringentibus clyſteribus, aut cataplaſmatis: aut in ijs qui nimia euaporatione, aut profuſo ſudore exoluuntur, vtimur aliquando percutim totam aſtringentibus inunctionibus, & ad anaſtomoſes vaſorum, vt venularum in naribus, & aliquando in pulmone, atque omnino ad omnem laxatam partem, vt ad procidentem vterum aut anum. Hæ verò omnes indicationes à morbis ipſis accipiuntur. Nonnunquam verò & ipſa partis indicatio laxare iubet aut aſtringere: velut ob hypochondria aſtringendum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 299 sur 489

ſemper, aut omnino admiſcendum aſtringentium aliquid: ob pectus laxandum, aut omnino admiſcendum aliquid laxantium. Sed quia non hæc ſolùm curationum differentia eſt, ad alias tranſit.

SVccos hos quidem expellere, hos autem ſiccare, alios autem apponere oportet, idque interdum quidem, interdum verò minimè.

Vt in aphoriſmo dicitur, morbos ex repletione curat euacuatio, & ex inanitione repletio. Neque verò omnia mala curantur repletione aut inanitione, ſed alia etiam aliter ſecundum contrarietatem, vt calida refrigerando, & frigida calefaciendo. Hoc idem dicitur his verbis, aliquando euacuandum, aliquando replendum: euacuandum verò aliquando euacuatione manifeſta, vt per deiectionem, vrinam, aut ſudorem: aliquando euacuatione inſenſibili & reſolutione: illud vocat expellere, hoc ſiccare. Eodem modo vtitur verbo ſiccare, in initio libri de humoribus. Repletio verò fiat apponendo ſuccos, adiectione cibi & potus, bene, ac facile, & multum nutrientis. Sed quoniam non hæ ſolum ſunt curatoriæ indicationes, ſed aliæ multæ, non ſemper agendum hoc, ſed hac intentione agendum hoc, quum verò exſurgit alia intentio, non hoc agendum ſed aliud aliquid.

EXtenuare, incraſſare oportet, vas, cutem, carnes, & alia: & hæc quidem, hæc autem non.

Accidit vt extenuemus aut incraſſemus corpus, corporisve partes, aut ſuccum aliquem, & vtrunque ſæpe eſt ex vſu. Nam & nimia craſſities, & nimia tenuitas inutilis eſt, & noxia: in corporis partibus ſemper, in ſuccis aliquando. Hic autem Hippocrat. ſolum de corpore & eius partibus agere videtur. Niſi vis (licet enim etiam) vbi dicit & alia, intelligamus ſuccos. Nomine τεύχους quod vertimus vas, intelligi vult Galen. totum copus. Dicetur igitur extenuare, aut incraſſare oportet vas, hoc eſt totum ipſum corpus. Significat enim vas aliquod totum, ſeu volumen aliquod integrum: ita corpus etiam totum: ſicut ſolemus etiam vas vocare totam domum, aut nauim. Itaque dicit, oportet nunc extenuare, nunc incraſſare totum corpus. Deinde enumerationem facit partium, cutem, dicens, carnes, & alia, vt neruos, & membranas omnes. Craſſeſcunt enim craſſeſcente corpore hæc omnia, & gracileſcunt gracileſcente. Quamquam non ſemper æqualiter, ſed in ijs qui pingueſcunt, craſſeſcit cutis magis quàm partes aliæ: in ijs qui bene abundantérque nutriuntur, carnes & reliquæ partes magis quàm cutis. Omnem autem nimiam extenuationem oportet vitare, quia tales ab externis quibuſuis cauſis facilè lædüntur: & nimiam craſſitiem, quia ſi carnoſi ſunt, acutis morbis ſunt opportuni ob ſuccorum redundantiam & ventilationē difficilem: ſi pingues, ad frigidos morbos, & caloris extinctionē. Et omnis craſſities, ob difficilem ventilationem, eſt ad venarum interceptiones, & repentinos caſus opportuna. Hanc ob cauſam iuſſit Hippo. habitum athletarum, etſi alioqui videatur ad ſummum bonitatis attigiſſe, ſtatim ſoluere. Modum extenuandi craſſos, & reficiendi extenuatos, docet Gal. decimo quarto methodi, capitibus, ſecundum vulgatem partitionem 15. & 16. licet (vt dixi) cum dicit alia, intelligere alia omnia, quæ in vaſe, hoc eſt corpore continentur, atque ita cum partibus humores etiam. Ad hos enim etiam extenuantibus vtimur, cum corpora volumus extenuare, & incraſſantibus, cum reficere. Sed & ad morbos qui exſuccorum vitio, aut redundantia naſcuntur, vtimur extenuatione plerumque, ſed & contrario etiam aliquando, vt in tenuibus Thoracis diſtillationibus. Hæc igitur omnia, & quæcunque huiuſmodi inſinuat, dicens: λεπῦναι, παχῦναι. Addit hic quoque, & hæc quidem, hæc autem non; quaſi diceret, quædam, curantur hoc modo, quædam aliter.

LEnire, exaſperare, indurare, mollire oportet. Hæc quidem, hæc autem non.

Quandoquidem in læuitate & aſperitate partium, morbi quoddam genus ſecundum figuram conſiſtere, Gale. indicat, conſtat talium curationes in exaſperatione, & læuigatione conſiſtere. Porro indicatum etiam eſt à me in controuerſijs, eſſe quaſdam partes, quæ per ſe indigeant quadam duritie aut mollitie vt ſuas actiones exequantur, quibus proinde durities & mollities poterit per ſe eſſe morbus. Vnde fit, vt duritiem inferre aut mollitiem, propria ſit ratio qua tales morbi curantur. Lenimus quidem, vt in tuſſi, quam arteriæ aſperitas parit, eclegmatis, & in dyſenteria pinguibus clyſteribus, aut lenientibus cibis, & in aridâ ſcabie inunctionibus: exaſperamus in læuitate inteſtinorum, quæ ſucceſſit dyſenteriæ, emollimus duratos tendines, vt flecti poſſint, & duriores cicatrices eâdem cauſâ: vt contrà duriores facimus quæ ſunt molliores. Ac ſi quando molliora oſſa fieri contigerit, vt quidam narrat, hæc quoque duriora reddere, ſiccantium vſu, curabimus, vt firmentur. Itaque hæc quoque ſunt curationes quædam morborum, quibus quidam morbi curantur, quidam non.

EXcitare, ſtupefacere; & alia quæcunque eiuſmodi.

Hæc quoque fiunt in morbis, quamquam non morborum ſed ſymptomatum gratiâ, vt excitabimus eos qui ſoporoſa quapiam affectione tenentur, & ſtupefaciemus eos qui graui dolore torquentur. Sed quia longum eſſet curationis omnes modos percurrere, addit, & quæcunque alia huiuſmodi.

DEriuare, cedentem reuellere ſtatim, renitentem cedere.

Nunc agit de his quæ agēda ſunt ob ſuccos in par-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 300 sur 489

rem quampiam præter naturam influentes. Hæc autem ſunt deriuatio, & reuulſio, & ob ea quæ iam hæſerunt parti, vocata euacuatio. Eſt autem reuulſio, retractio ſuccorum in contrariam, vt deriuatio in vicinam: vacuatio verò propriè vocatur, quæ ex ipſamet parte affecta agitur, aut omnino proximâ cute. De his euacuationis generibus libro de ſuccis dicta ſunt ab eodem Hippocrate plura, & in ſequentibus dicentur à Galeno innumeris in locis, atque à me etiam in plurimis definita ſunt. Quod nunc monet eſt notatu digniſſimum, de quo à me ſemper in congreſſib⁹ apud ægrotos cum medicis, altercatum eſt. Conuenit inter omnes, reuulſionem debere ante alias euacuationes agi, deinde deriuationem, poſtremò euacuationem: atque adeò vacuandum eſſe corpus totum, antequàm ad euacuationem partis veniatur: atque adeò ad vllam aliam curationem, quæ localibus vocatis auxilijs peragatur. Hoc quia non obſeruant vulgares empirici, & circulatores, multorum malorum ſolent eſſe autores. Sed multi medici contrà, dum nimis methodici eſſe cupiunt, vix vllum inuenire poſſunt tempus euacuationi idoneum, & antequàm ad propriam morbi curationem accedant, mori ægrotos aut incurabiles fieri morbos ſinunt: ſibi perſuadentes nullam euacuationem licere facere, antequàm reuulſio omnis & deriuatio facta ſit. Atque ita ſunt qui in practicis tractationibus affirment, non eſſe in pleuritide vtendum cucurbitula, antequàm elapſus ſit dies ſeptimus, quid ſi ſit homo inflammationis magnitudine ſeptimo aut etiam quarto moriturus? Sanè præceptiones practicæ numquam vniuerſim accipiendæ ſunt, ſed temperandæ vrgentiæ indicatione. Nam & illud quoque affirmat Gal. vacuandum eſſe corpus antequàm ad auxilia topica accedamus. Nunquam tamen in pleuritide, aut inflammatione vlla alia periculoſa abſtinemus, donec omnes miſſiones ſanguinis ſint prægreſſæ, ſed vna aut altera miſſione prægreſſâ, admouere incipimus quæ videntur expedire. Et quamquam totius corporis vacuatio præeat, non ita tamen, vt admotio medicamentorum non ſubſequatur, antequàm illa perfecta omnino ſit. Ita etiam ſæpe in ijſdem inflammationibus internis, cùm reuulſioni non ſatis cederent, & timerem ne phlegmonis magnitudine anticiparent mori, alternatè vtens miſſione ſanguinis ſecundum rectitudinem, & ſcarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirificè morti eripuiſſe: cùm alij medici cunctari iuberent, & methodum non ſemper vtilem obſeruare. Hoc nunc Hippocrates præcipit, dicens, deriuandum quidem eſſe quando & quomodo expedit, reuellendumque: verùm eum qui reuellat, non id debere nimis facere, ſed ſtatim, ac præpropere (vt ſcilicet reliquæ curationi incumbat) reuellere humorem, qui reuulſioni cedit facilè, renitentem verò cedere, hoc eſt, ſi verò reniti admodum videatur malum, neque ſoli reuulſioni cedere, neque ita minui vt prębeat inducias expectandi, cedere te oportet, hoc eſt, à reuellendo deſiſtere tantiſper, & eius quod parti hæſit euacuationem interponere, rurſum poſteà ad reuulſionem redire, atque id alternatè facere, quoties videbitur, & res exiget. Cauſam reddit Galenus in huius loci commentatione optimam; nimirum etſi fluxio ab alijs cauſis inceperit, vt fortaſſe partis debilitate, & totius corporis plenitudine, cum verò iam aliquid quod hæſerit parti moleſtiam infert, ea ipſa moleſtia fluxionem ceſſare prohibet, atque ita niſi interpoſita euacuatione moleſtia illa mitigetur, nulla reuulſio erit ſatis vt fluxio ceſſet. Alternatè igitur reuellendum, & euacuandum, cum in loco magna moleſtia ſentitur, vt reuulſio faciat, quominùs aliæ partes mittant; & euacuatio, quominus pars affecta trahat.

Alium ſuccum exeuntem educere non oportet, exeuntem verò ſimul effundere: opus aliquod ſimile facere, vt quum dolor dolorem ſedat: diſſimilia verò, vt ſi ſublata ſurſum vergant, per inferiora ſoluere expedit, & contraria eodem modo, vt capitis purgatio, venæ ſectio, quando non temerè detrahitur.

Ἄλλον χυμὸν, inquit, μὴ τὸν ἑαυτῷ ἄγειν, hoc eſt, ſuccũ qui ſua ſponte ſatis exit, educere non oportet, ſed alium, qui ſcilicet noxius cùm ſit, non exit ſponte, aut non ſatis. Nam quæ iudicantur integrè, mouere non oportet. Verùm quia quædam iudicantur per conuenientem regionem ac vtiliter, ſed non integrè, quæ, eò quòd vergunt ducere oportet, addit nunc quoque τὸν δὲ ἑαυτῷ συνεκχυμοῦν, hoc eſt, ſuccus ſi excernitur vtiliter, tardiùs autem quàm velis, iuuare oportet eam quæ ſponte fit euacuationem. Velut horum reddens cauſam, dicit ἐργάζεσθαι τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἀνόμοια, quaſi diceret, aliquando enim ſimilia, aliquando diſſimilia debet medicus facere, ijs quæ ſponte fiunt. Nimirum quæ bene & vtiliter fiunt iuuare: quæ contrà, prohibere debet. Velut nunc diximus, humorem qui non exeat, inutiliter autem retineatur, euacuare debet, & eum qui vtiliter exeat, ſimul euacuare. Producit verò alia exempla ſimilium & diſſimilium rerum, quas medicus faciet. ὅμοιον, inquit, quum dolor dolorem ſedat: ἀνόμοια, vt quum vergunt ſucci ſurſum, per inferiora reuellere conuenit, & contraria eodem modo. Hoc eſt, ſi reputt deorſum, ſurſum reuellere. Vt capitis morbum tollet purgatio per aluum, & venę ſectio ex brachio, atque etiam aliquando ex talo, cum non temerè detrahitur, hoc eſt cum detrahere etiam ſanguinem oportet. Ex hoc loco dicit Galen. quoſdam collegiſſe, non sẽper curari contraria contrarijs, ſed aliquando contrarijs, aliquando ſimilibus: contrariis quidem vt febres victu humectãte, & morbos ex repletione, inanitione: ſimilibus, vt dolorem dolore, & vomitum vomitu, & dyſenteriam expurgatione. Et de hac re dicit fuiſſe controuerſiam. Ea verò facilè deciditur, nam omnis curatio per ſe agitur contrario: quædam verò ſimilia curant ex accidenti, vt aqua frigida teranum calidi repercuſſu: & vomitus vomitum cauſæ euacuatione: & dolor dolorem, ſenſus diſtractione, vt in commentatione illius aphoriſmi dictum eſt. Duobus doloribus eandem partem occupantibus maior obſcurat minorem. Itaque omnis curatio quę per ſe agitur, contrario agitur. Hippoc. verò hoc loco non ſtuduit diſtinguere, quæ per ſe, aut per accidens operantur, ſed vt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 301 sur 489

cunque hoc fiat, exempla producere similium & dissimilium, quæ medici faciant. Quamquam perfectè dolorem dolore curare rarò euenit, tutiùs enim curabitur anodynis, aut stupefacientibus, si causæ detractione curari non possit.

Abscessus velut glandularum tumores signum quidem exhibent earum partium, à quibus ortum ducunt, sed etiam aliarum, præcipuè verò viscerum. Illi autem maligni sunt.

Partes habentes βλαστήματα, seu productiones, seu exortus dicuntur, ex quibus aliæ producuntur, & quæ ad alias habent rationem principiorum. Productio ea fit secundùm neruos, venas, aut arterias, per quorum germinum rectitudinem abscessus fieri solere, lib. 2. sectione prima, dictum est. Itaque abscessus in quascunque corporis partes erumpentes, velut ad glandulas sæpe solent, esse σημεῖον τῶν τὰ βλαστήματα ἐχόντων, nihil aliud significat, quàm significare affectionem earum partium, cum quibus habent rectitudinem. Verum & aliarum, inquit, nam abscessus fiunt aliquando parte aliqua interna & nobili deponente sua excrementa in externam & ignobilem, aliquando etiam toto corpore in vnam quampiam mittente. Itaque aliquando abscessus est signum solum partis internæ, cum qua habet rectitudinem, aliquando etiam aliarum omnium totius corporis. Præcipuè autem viscerum affectus solent significare hi abscessus, quia in visceribus plerumque colliguntur excrementa, vt in hepate aut liene: & quum hæc expurgantur, solent bubones exoriri: vt quum expurgatur hepar, in dextro inguine: quum lien, in sinistro: & tales quidem abscessus, qui scilicet fiunt ob viscerum morbos, maligni sunt. Nam ob hanc causam dicitur 4. aphorismorum, febres omnes cum bubone esse malas præter diarias. Quia scilicet bubones febribus non diarijs accedentes, significant morbum aliquem viscerum. Maligni autem sunt tales, vt ego in commentarijs citati aphorismi indicaui.

Spiratio parua frequens, magna rara, parua rara, frequens magna, foras magna, intrò parua, intrò magna, foras parua: alia quidem tardans, alia festinans: duplicata intrò reuocatio velut superspirantibus, calida & frigida.

Hęc sententia (vt & aliæ quædam quæ sequuntur) eisdem verbis scripta occurrit libro 2. sectione 3. vbi à me enarrata est. Si quis tamen Galeni desiderat enarrationem, quandoquidem eius, in librum secundum commentaria non extant, & particula hæc, etiam in commentarijs quæ scripsit in sextum, casu deest, requirat eam 3. libro de dispnœa, capitibus secundo, tertio, & quarto, quibus locum hunc suscepit explicandum, à me non est quod modo requiras plura.

Mredela est continuarum oscitationum longa respiratio. Non potantibus autem & vix, respiratio breuis.

Hæc quoque eisdem omnino verbis scripta est lib. 2. & à me ibidem satis enarrata.

Secundùm rectitudinem & laterum dolor, & hypocondriorum distentiones, & spenis eleuationes & sanguinis è naribus eruptiones contingere solent: aurésque secundùm rectitudinem assiciuntur, & horum pleraque etiam in oculis apparent. Nunquid igitur omnia? An ea quæ ab infernis sursum ferantur secundùm rectitudinem, qualia sunt quæ iuxta maxillas aut iuxta oculum & aures contingunt, quæ autem à supernis deorsum non secundùm rectitudinem ferantur? Quinetiam tumores anginæ rubicundi & laterum dolores secundùm rectitudinem fiunt. An etiam quæ ex supernis partibus infra hepar distribuantur, qualia sunt quæ in testes & varices decumbunt?

Hæc sententia etiam enarrata à me est libro secundo, post proximè præscriptam. Tametsi enim ibi non tota hæc dictio sit ab autore scripta, sed quædam eius pars, sensus tamen est prorsus idem, & ob id coactus sum hanc totam dictionem illuc transferre, ac per anticipationem enarrare.

Hæc consideranda sunt, quò ferantur, & vnde & propter quid. Venæ temporum non subsidentes, neque color splendidus, si spiratio intus deficiat, aut adsit tussis ficca non ferina, in articulos decubitum expectare iubent, idque magna ex parte secundùm rectitudinem distentionum quæ in ventre contingunt. Habent verò horum plurimi & faciem rubicundam, & naturâ sunt albidioris habitus, nec vllus eis sanguis è naribus aut paucus erumpit, atque si quid ex effluentibus intus quidem relinquatur, apparatus adest.

Quandoquidem de euacuationibus, & in partes quasdam abscessibus dicere cœperat, addit nunc, σκεπτέα ταῦτα, ὅπου, καὶ ὅθεν, καὶ διότι, quasi diceret, in his humorum ex partibus in partes mutationibus considerandum quæ pars mittat, & quæ recipiat, & quam ob causam ea pulsio fiat, an decretoriè, an symptomaticè: cognoscere autè euenit hęc ex signis quibusdam, quæ animaduertuntur in partibus, cuiusmodi sunt quæ mox apponit velut exempla signorum, ex quibus ea quæ dicta sunt possunt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 302 sur 489

©BIUM

innoteſcere, dicens, φλέβες κροτάφων ἐυχιδρωδέες, & reliqua. Dictum eſt ab eodem Hipp. lib. 2. ſectione primâ, vbi ſermo habebatur de his eiſdem humorum mutationibus, conſiderare verò ſic oportet in coloribus, compreſſionibus venarum, tumoribus hypochondriorum, & motibus ſurſum & deorſum vergentibus. Doctrinæ quoque huius quoddam exemplum nunc producit, dicens, ex venis temporum quæ non ſubſideant, ſed tumeant: & ex colore qui ſit ruber, non χλωρόχρωμα λευκρὸν, quale ſcilicet in ægrotis eſſe ſolet: & ex ſpiritu, qui ἐγκαταλείπῃσι, hoc eſt difficulter expiratur. Itaque ex difficultate reſpirationis & ex tuſſi ficca non ferina, ſignificari, fore vt in articulis firmetur abſceſſus. Color chlorus qui ſit, dictum ſæpe iam eſt in hoc ipſo opere, & in prognoſtici commentariis. Eſt ſcilicet qui pallidus, aut viridis, aut inter hos: qui colores febricitantibus ſunt familiares, niſi quum ob febris vehementiam, aut raptum ſanguinis in ſuperna rubet facies. Tunc enim ſuperueniente rubore color ille chlorus latet, neque effulget. Itaque color chlorus non effulgens, dicitur color non apparens, ſed ſub rubore latens. Neque id impropriè dicitur. Si enim colores omnes, fulgores quidem ſunt, vt 2. lib. controuerſiarum indicauimus, colorem apparere, fulgere quodammodo eſt, & qui non apparet, non fulgere proprijſſimè dicitur. Θηριώδες ſignificat apud Hippoc. quid grauiſſimum, & horrendum in morbis, & iuxta Gal. ſententiam explicatum eſt lib. 2. ſect. primâ, & rurſum ſectione primâ huius ſexti, velut attrabiliaria ſymptomata, & tetra vlcera, & in vnoquoque morbo quod malignum. Tuſſis igitur θηριώδης dicetur, quæ tabi accedit, aut alteri grauiſſimo thoracis malo. Itaque tuſſis non ferina dicetur, quę pernicioſi alicuius morbi ſymptoma non eſt. Igitur quod prima huius dictionis pars continet eſt, quum ſunt venæ temporum non ſubſidentes, ſed tumidæ, & color ille morbidus, qui plerumque ſolet ægrotos comitari, non apparet, ſed rubent potiùs, & ſpiritus difficulter redditur, & adeſt tuſſis ficca (per quam ſcilicet nihil excreatur) non ob morbum aliquem malignum, expectari oportere abſceſſus ad articulos. Sed dices hæc ſigna eſſe raptus fumorum in ſuperna (ita enim iam indicatum eſt loco citato ex ſecundo libro) igitur capiti oportet timere potiùs, quàm abſceſſus articulorum expectare. Certè ita eſt, ſignificant hæc rapi ſurſum humores, quibus proinde ſi accedat aliquod aliud perniciоſum, eorum quæ conuulſiones, aut dementias ſolent præmonſtrare, capiti timere oportet: ſi verò nullum horum accedat, expectare oportebit parotidas, aut abſceſſus ad articulos, ſuperiores quidem plerumque, nonnunquam tamen etiam inferiores. Non rarò enim qui in caput ceperant ferri humores, inde repercuſſi retrocedunt in partes humiliores. Neque mirum, cùm dictum ſit ſectione quintâ ſecundi. Si caput doleat, in pectus deſcendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam: ac rurſum paulo poſt eadem ſectione dicitur. Quibus tuſſis ſicca adeſt, his non ſoluitur, niſi dolor fortis in coxâ, aut in crura, aut in teſtem irruat. Sed ſi ſucci qui in capite, aut thorace firmati, dolorem aut tuſſim ciebant, ſoleant ad inferiores partes trudi, cur non etiam qui vndecunque ſurſum moueri ceperant, poſſunt deorſum detrudi? Poſſunt etiam

A in quamplurimos articulos diffundi, vt ſimul occupent ſuperiores & inferiores, vt in his, qui vocantur arthritici, ſolet fieri. Non rarò autem incumbunt abſceſſus, aut in alterum latus ſolùm, aut ſaltem magis in alterum. Quoniam igitur hæc omnia euenire poſſunt præſentibus his ſignis, ſignis aliis opus eſt, quibus diſtinguantur, quæ Hippocrates ipſe hac dictione attigit. Nam quia dixit tuſſim non ferinam, inſinuauit affectionem non malignam, ſed ex qua abſceſſum debeas expectare potiùs quàm mortem. Eadem autem ratione tu intel-

B lige, neque aliud quippiam ferinum adeſſe, vt neque dentium ſtridorem, neque oculos, aut qui crebrò moueantur, aut fixi ſint, & inconniuentes, neque aliud quippiam conuulſorium, aut phreniticum. Hac limitatione adhibitâ, abſceſſus iam exexpectabis meritò, ad articulos verò, quandoquidem hæ partes ad eos excipiendos ſunt natura paratiſſimæ; in quos autem articulos, cognoſces, conſiderans tentiones quæ in ventre fiunt. Secundùm earum enim rectitudinem magna ex parte fiunt. Ventris nomine hic vocatur ea regio, quę infra ſeptum tranſuerſum eſt, parte noſtri anteriore, in qua

C ſunt etiam hypochondria. Duplex autem eius loci paſſio mihi eſſe videtur, cui tentionis nomen dari poteſt, & ab vtraque poteſt aliquid ad præſenſionem hanc præſtari. Aliquando enim hypochondrium, aut vtrumque, aut alterum, ſentitur ab ægroto ſurſum diſtentum, ac velut reuulſum, eſt que hæc quędam partium ventris tentio. Tentio etiam vocatur, quum cutis eſt diſtenta ob partis tumorem, quę tentio manu medici ſentitur. Cùm in

D quopiam hypochondriorum vlla harum tentionum eſt, ad eius lateris articulos abſceſſus expecta. Si tentio prima ſit, ad ſuperiores, ſi ſecunda ad inferiores. Nam celebratiſſimum eſt apud Hippoc. dictumque pluries hoc ipſo in opere, hypochondriorum reuulſiones ſignificare raptus ſuccorum in ſuperna. Cùm verò ex ſupernis ad inferna trudun-

E tur, ſolere per hypochondrium tranſmittere, dictum eſt loco citato ex libro ſecundo, quo dicebatur. Deſcendit in thoracem, deinde in hypochondrium, deinde in coxam. Itaque hęc ſignificant abſceſſus fore ad articulos. Velut autem poſſunt fieri ad ſuperiores, aut inferiores, aut etiam non ad articulos, aut non ſolos, ſed in ſuperioribus poſt aures, in inferioribus ad teſtes, ita poſſunt ab eis hominęs præſeruari duabus euacuationibus, ſuprà quidem fluxu ſanguinis è naribus, infrà vrina craſſa multa, & alba prodeunte, vt aphoriſm. 74. ſectionis quartæ dicitur. Quibus autem in nares tendit materia, ſolent cùm temporum pulſationibus,

F & venarum intumeſcentia apparere, non vtcumque non chlori, ſed etiam valdè rubri, præcipuè qui ſunt naturâ candidi. Nam qui nigri ſunt ruborem nunquam comparant, etſi fluxus ſanguinis illis immineat. Si igitur ij quos deſcripſimus, ſint abſceſſus habituri, oportet vt non fluat eis ſanguis ex naribus, etiam ſi fiant valdè rubri, aut vt fluat exiguum. Nimirum aliquando rubor, & alia ſigna imminentis fluxus fiunt, & fluxus omninò non ſuperuenit, aut non pro multitudinis ratione, & tunc promptiſſimum eſt in abſceſſus incidere. Nam ὑγρῶν ῥεόντων ἐγκαταλίπῃσι, ἔπιμον. Hoc eſt, ſi quum humores ceperunt effluere, intempeſtiuè cohibeatur effluxus, aut quum impetum ceperunt vt efflue-

©BIUM

rent, non effluant, ſed intus maneant, paratiſſima eſt abſceſſus materia. Multò etiam magis quàm ſi tam multi humores intus manentes moueri non cepiſſent. Nam illa ſuccorum repercuſſio, & agitatio periculoſa eſt, & in partem aliquam abſcedere facit, vt quædam turgentia. Proinde cauendum eſt ne fluxum aliquem, ſiue ex naribus, ſiue ex aluo, ſiue ex alia parte quauis, intempeſtiuè cohibeamus, neve antequam vacuari ſatis ſiuerimus, aut ex parte alia euacuauerimus corpora, quia ſi quid ex effluentibus intus relinquatur, breui irruet abſceſſus materia, fortaſſe in principem partem, vt ſcio quibuſdam ſuperueniſſe pleuritidem, cùm tamen fluxiſſet ſanguis ex naribus plurimùm. Quod ne fiat, maxima cautio eſt, miſſione ſanguinis reuulſoria ex brachio, è regione naris ex qua fluit, potiùs quàm localibus medicamentis, fluxum ſanguinis curare.

Sitis intus relicta, & ſiccitas oris, & inſuauitas, & inappetentia hoc modo abſceſſus facere poſſunt. Tales autem febres non ſunt acutæ, ſed recidiuas faciunt. Quæ poſt iudicationem intus relinquuntur, recidiuas facere conſueuerit.

Hæ omnes dictiones pertinent ad eandem ſententiam, ſcilicet morbos, qui ſine iudicatione perfecta videntur ſoluti, ſolere aut permutari cum aliis grauioribus, aut eoſdem ipſos reuerti, aut abſceſſus facere. Quum igitur morbus integrè ſolutus eſt, nihil manet, neque cauſæ, neque ſymptomatum: præter illa fortaſſe quæ imbecillitatis & gracilitatis tantùm ſigna ſunt, & conualeſcentibus etiam adſunt. Quæcunque igitur poſt iudicationem intus relinquuntur, ὑπερορώδεα ſunt, ſi cauſæ quidem ſint ὑπερορώδεες cauſæ dicuntur, quę & recidiuas, aut abſceſſus, aut permutationes facere natæ ſunt, ſi autem ſymptomata, ὑπερορώδεα ſigna ſunt, & dictorum aliquid præmonſtrant. Vt ſi ſitis intus relicta ſit (intellige nimiam, & quæ non miteſcat breui, nam alioqui & à perfecta ſiue iudicatione, ſiue expurgatione, ſolet ſitis oriri) & oris ſiccitas, & inſuauitas, vt amaritudo, aut ſalſugo, & cibi faſtidium, hæc enim apertè indicant, nondum eſſe corpus perpurgatum. His ſignis accedit neceſſariò non corroborari, hoc enim etiam impedient intus relicta excrementa. Proinde dicitur in aphoriſ. Si accipienti cibos accidat non corroborari, indigere corpus euacuatione. Vt, ſi fieri poſſit, ita præſeruetur à noxis, in quas paratum eſt. Hoc itaque eſt, quod nunc dicit. Illud πᾶσιν ὃν πρόσθεν referri debet poſtremæ parti dictionis proximæ, dixerat enim ἢν μὲν ἐμέσπων ἐγκαταλίπηται, ἐπιμεν. 1. ſi ex effluentibus aliquid relinquatur, apparatus adeſt. Addit, ſi ſitis, & ſiccitas oris, & inſuauitas, & inappetentia remaneant, hoc modo, hoc eſt, apparatus ad eſt. Porrò quod interiectum eſt, febres autem tales non ſunt acutæ ſed recidiuas faciunt, ſignum etiam continet abſceſſuum, aut recidiuarum, ex ipſarum febrium natura, acceptum. Dicit enim febres tales, hoc eſt, ex quibus ſolent fieri hæc, non ſunt acutæ, ſed recidiuas faciunt. Quaſi ὑπερορώδεες

A febres non ſint acutę, ſed chronicæ, aut quæ deciderunt ex acutis. Sed nota reuerſiuas febres non dici debere, quę poſſunt recidiuas habere, ſed quę ſępe ſolent. Hoc dico, quia febres etiam acutiſſimæ habent nonnunquam recidiuas, quum ſine concoctione aut iudicatione perfectâ diſparent, atque præter rationem ſoluuntur. Non eſt tamen id earum naturæ admodum congruens, ſed perfectè iudicari. Ac proinde non ſunt reuerſiuæ hæ, ſed quæ non ſunt acutæ.

B *Primum igitur lienum eleuationes accidunt, niſi in articulos finiantur, aut ſanguis è naribus profluat, vel hypochondry dextri contentio, niſi prodeant vrinæ. Hæc enim vtrorumque interceptio meritò horum recidiuas faciet. In his igitur abſceſſus promouere oportet ſi non fiant: quoſdam verò qui fiunt declinare; quoſdam autem excipere, ſi prodeant quales & quà oportet. Quicunque verò non abundè prodeunt, coadiuuare: eos autem auertere qui omnino inutiles fuerint, maximè verò quum futuri ſunt, ſin minùs cùm nuper inceperint. Quæ quartâ die accidunt ſanguinis è naribus eruptiones difficilem faciunt*

C *iudicationem.*

Hæc omnia eiſdem verbis occurrerunt ſcripta & eodem ordine lib. 2. & ſectione 3. vbi etiam ſunt à me ſatis enarrata.

D *Quæ vnâ die intermittunt febres, & alterâ ſuperuenit rigor, à quinto ad ſeptimum circuitum iudicatione terminantur.*

Hæc quoque ſententiola prioribus ſcripta adiacet ibidem, præterquàm quod illic dicitur ſimpliciter ad ſeptimum circuitum, hic verò à quinto vſque ad ſeptimum. Nihil autem differt, nam illud explicatur iuxta aphoriſmum, cum longiſſimè: hic

E verò duo fines ſtatuuntur, primus & vltimus, quamquam hoc quoque magna ex parte intelligendum eſt. Aliquando enim quatuor ſolùm, aut etiam tribus paroxyſmis finitur tertiana. Neque verò intelligas nominari quintum & ſeptimum, quaſi impari ſemper ſoleat finiri, ſed quaſi extremorum nomine, id etiam ſpatium quod intereſt, velit intelligi. Id quod ex ipſa phraſi conſtat. Non enim dicit, aut quintum, aut ſeptimum, ſed à quinto ad ſeptimum, poteſt ergo & ſex habere paroxyſmos,

---

F *Quæcunque febres naturam tertianæ induunt, noctem quæ acceſſionem præcedit difficilem habent: quæ verò ſubſequitur, vt plurimùm leuiorem.*

Dictum eſt aphoriſmo 13. ſectionis ſecundę, cum inſtat criſis, noctem ante acceſſionem eſſe diffici-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 304 sur 489

cilem: id quod eo loco non in tertianarum naturam imitantibus, ſed ſimpliciter, & in omnibus dixit: nunc verò non ita, ſed in his dicit accidere, non tamen ſolùm cum inſtat criſis, ſed quoties inſtat paroxiſmus. Vnde coniunctis his duobus locis, rectè colligit Galenus ex Hippocr. ſententia, cum inſtat criſis omni in febre eſſe noctem quę antecedit difficilem: in triteophiis autem, ſeu tertianarum naturam imitantibus, etiam ſi iudicium non inſtet. Quæ ſunt autem τριταιοφυεῖς? Certè quæ ſunt tertianæ, non tamen omninò. Quo in genere ſunt omnes ſemitertianæ, & tertianæ productæ, atque adeò quæcunque non ſunt exquiſitæ tertianæ. Itaque dicit, tertianas exquiſitas tunc ſolùm habere noctem ante acceſſionem difficilem, quum iudicium inſtat: alias autem omnes tertianas, etiamſi nulla inſtet criſis. Cui ſententiæ ratio quoque ſubſcribit, nam cùm exquiſitæ tertianæ motus celer ſit, mox atque incipit, euadit in manifeſtum paroxyſmum: quare nullam moleſtiam infert, priuſquàm iudicatio inſtet, ac proinde ſecretio fiat. Notha verò quia eſt motus tardus non ita, ſed antequàm paroxyſmus manifeſtè appareat, conflictatur plurimùm ægrotus, incipiente putreſcentiâ, & motu. Sed dices, videri hoc repugnare eidem Galeno, qui lib. 2. de differentiis febrium deſcribens tertianam exquiſitam dicit nullum habere ſignum quo percipiantur humores putreſcere in die, aut nocte quæ conſequitur acceſſionem: manifeſtum verò iam adeſſe proximâ, quæ antecedit acceſſionem, aut die, aut nocte. Certè haud eſt dubium omni in febre, etiam exquiſita tertiana, neceſſe eſſe, vt bilis incipiat irritare antequàm expellatur, nam ob id expellitur. Proinde quum putreſcere incipit bilis, cõtrahitur pulſus, antequàm rigor ſuperueniat. Verùm in tertianâ exquiſitâ, neque tam longa, neque tam ſenſibilis eſt hæc paſſio, vt inſigniter difficilem faciat diem aut noctem quæ antecedit. Itaque ſubſequentem fieri leuiorem, quàm quę antecedit, in omnibus tertianis dicimus, negamus verò in exquiſitis fieri eam quæ antecedit inſigniter difficilem, vt in reliquis tertianis: atque neque in omnibus illegitimis fiet æquè moleſta ea nox, quia neque illæ æquè abſunt à legitima. Erit itaque in quacunque eò difficilior, quò aberit longiùs ab exquiſitâ. Si verò in ea quę exquiſita eſt, aut ab ea parum abeſt, nox aliqua fiat valdè difficilis, decretorium ſignum eſſe putare oportet. Atque adeò & in ipſis illegitimis, ſi nox difficilior ſolitò, aut quàm pro morbi figura fiat, decretorium eſt. Sed cur tertianarum meminit nunc Hippoc. ſolùm, ac non etiam quotidianarum, ac quartanarum? Quartanę fortaſſe vt rariores febres dimiſſæ ſunt. In quotidianis non poteſt conferri nox, quę antecedit cum ſubſequente. Cùm enim ea febris omni die inuadat, nox omnis eſt & antecedens, & ſubſequens.

A *dine obortis maximè accidit.*

Aphoriſmo 54. ſectionis quartæ continetur hæc ſententia, tametſi in pauciora verba contracta. Quapropter ego in illius commentatione hanc produxi, vt hinc illa explicaretur. Explicata igitur à me illic eſt tota hæc dictio, præter perpauca illa verba, quibus clauditur. Hoc in febribus ex laſſitudine obortis maximè accidit. Quare poſſem nunc ab aliorum verborum enarratione ſuperſedere, & ad illum locum lectorem remittere, ſed ſatius eſt breui totam dictionem percurrere. Nam vel id, quod illic omiſimus, ita facilius nunc adiicietur. Cum tuſſes ſiccæ leuiter irritantes fiunt per febres, non ſolent illæ febres eſſe ſecundùm rationem ſiticuloſæ, neque linguæ torrefactæ ſecundùm rationem. Hoc eſt, minor ſitis, & minor linguæ exuſtio eſſe ſolet, quàm pro febris magnitudine, non tamen hoc ſemper ita fit, ſed cum illæ tuſſes fiunt non à ferina cauſa, hoc eſt, à maligna, cuiuſmodi eſt deſtillatio tenuis, bilioſa, aut ſalſa, aut inflammatio cruda intra thoracem, ſed à ſpiritu, hoc eſt, ab aëre ipſo qui inſpiratur. Multi enim ita affecti ſunt, vt ab ipſo aëre irritentur. Cognoſcitur autem hæc eſſe talis paſſionis cauſa, quod cum loquuntur, aut hiant, tunc tuſſiunt, alioqui minimè. Hoc autem euenire ſolet ijs, quibus refrigerata eſt aſpera arteria, aut puluere, quem inſpirarint, reddita ſordidior. Tunc enim aër frigore irritat, aut ſordes illas commouet. Euenit hoc citra febres multis, quòd frigore tempore iter fecerint, aut calido quidem, ſed per impurum aërem, aut alioqui, quòd pectus nudauerint, aut frigidam biberint, aut in impuro loco commorati, tale aliquid fuerint perpeſſi. Cum febribus igitur præcipuè fient iis, quibus labor aut aliquid huiuſmodi, febricitandi præbuerit occaſionem. Has igitur conſentaneum eſt Hipp. nunc ob procatarcticam cauſam vocare febres laborioſas. Tales igitur tuſſes cum fiunt, & ob dictas cauſas, etiamſi febres adſint magnæ, neque ſitis vexabit admodum, neque linguæ erunt adeò exuſtæ. Quia ſi ob intemperiem frigidam fiunt (nihil enim prohibet refrigerata via ſpiritus hominem febricitare) hæc ipſa ſtatim etiam linguæ vſtionem prohibebit. Sin autem ob ſordes, tamen ipſa tuſſis leuiter irritet & aſſiduè, conuocabit in os pituitam. Conſtat verò ſi tuſſes ſiccæ ſitim arceant, multò magis id facturas humidas, ſi modo excreetur pituita, neque maligna, putrida, neque ſalſa. Dicit vero Hippoc. ſiccę, ſignificans etiam ſiccas id facere, ſi tamen ſint leuiter irritantes, neque à maligno ſeu ferino factę. Nam ſi vehementer irritent, magis deſiccant, & exaſperant; ſi à maligna cauſa fiant, eadem erit cauſa tuſſis, & ſitis. Quare nihilominùs ſitient.

B C D E F

TVſſes ſiccæ leuiter irritantes in febre ardente, non ſunt pro ratione ſiticuloſæ, neque linguæ torrentur, non à malignitate ſed ſpiritu prouenire manifeſtum eſt. Cum enim loquuntur aut hiant, tunc tuſſiunt, alioqui verò minimè. Hoc in febribus ex laſſitu-

NIhil ſine conſilio ſuſcipiendum, nec quicquam negligendum.

Ad tria, inquit Gal. pertinere poſſe breuem hanc ſententiolam, librorum lectionem & vſum prænoſcendi, & morborum curationes. Ad lectionem quidem, quod nulla eorum quæ apud bonos autores ſcripta ſint, contemni debeant, etiam ſi prima fonte

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 305 sur 489

videantur minutula. Solent enim ea non parum conferre. Neque tamen temerè cuipiam credendum eſt. Vt faciunt ij, qui alicui ſectæ ſeſe adigunt, aut in cuiuſpiam, vt aiunt, verba iurant. Sed potius examinanda eſſe omnia, & cum iudicio legendum. Ad prænotionem verò, quòd nulla, ne minima quidem ſigna ſint negligenda, ſed omnia conferenda in iudicium, neque vlli fidendum temerè, ſi reliqua omnia repugnent: itaque diligentem omnium obſeruatorem eſſe debere, eum qui rectè velit prædicere, neque temerè, aut iudicare, aut prædicere. Ad curationem, quòd qui rectè curare vult, nihil debeat omittere, quorum eſt vſus ſalutaris, quin ea omnia ſuo tempore exequatur, eſt enim occaſio præceps, ſed neque temerè, vt faciunt quidam audaciſſimi, tentandum quiduis, nam experimentum periculoſum. Hæc certè omnia ſunt veriſſima, & illis verba Hipp. optimè accommodantur, quin & ad omnem prudentiam, & omnia humanæ vitæ negotia videntur eſſe commodatiſſima. Sed alius etiam mihi præter dictos arridet ſenſus. Nihil ſcilicet negligendum, quia nihil temerè, & ſine cauſa fit. Continent itaque hæc verba, & admonitionem, & cauſam. Monet Hippoc. vt diligenter, omnia, quæ ægrotis accidunt, obſeruemus, neque omittamus quippiam eorum quæ ſpontè, hoc eſt, ſine cauſa manifeſta fiunt, nihil enim fit ſine cauſa. Vt illa quidem, (vt libello de alimento dicit) nobis quidem ſpontanea, naturæ verò ſunt non ſpontanea, hoc eſt, cauſam aliquam habent latentem. Quare & ſignificationem aliquam poterunt præſtare ſapienti. Hæc eſt Hippocratici ſermonis præſtantia, vt multa, eaque pulcherrima breuiſſimis dictiunculis ſignificentur, vt vix ſcias, quò illas potiùs transferas.

Contraria paulatim adhibere oportet, & interquieſcere.

Optimè poteſt hæc ſententiola cum priori coniungi, quum illa ad curationem referebatur. Nimirum curantem oportet nihil negligere, quin contraria omnia, ſuâ quodque occaſione & ἐκ προσαγωγῆς. i. ſenſim & per accretionem adhibeat, neque tamen temerè ſemper aliquid circa ægrotantem moliri, ſed vbi contraria tempeſtiuè adhibita ſint, quieſcere. Neque enim ſemper aliquid faciendum, ſed interquieſcendum non rarò, vt facultas interim recreetur. Atqui cùm ſint hæ duæ partes medicæ praxis, contraria adhibere & quieſcere, mihi hęc vltima videtur præſtantior. Cenſeo enim periculoſius, incidere in medicum, qui neſciat quieſcere, quam qui neſciat contraria adhibere. Nam qui neſcit quieſcere, neſcit occaſiones contraria adhibendi, quare neq; contraria adhibere. Qui neſcit contraria adhibere, tamen ſi prudens eſt, ſcit quieſcere, atque ſi prodeſſe non poteſt, tamen non obeſt. Præſtantiſſimus tamen medicus eſt, eruditus pariter, ac prudens, qui nouit feſtinare lentè, pro ipſius morbi vrgentia auxilijs inſtare, atque in occaſione vti maximè opportunis, alioqui quieſcere.

Poſteriora capitis dolentem ſecta in fronte recta vena iuuit.

Hæc ipſa dictio eſt aphoriſmus 68. ſectionis quintæ, præterquam quod illic eſt ſcriptum ὠφελέει. i. iuuat, hic ὠφέλησεν ideſt, iuuit, quaſi illic ſententia aphoriſtica vniuerſim proferatur, hic autem vna quæpiam hiſtoria narretur. Res tamen eadem eſt, & cauſa, quam in commentarijs aphoriſmorum explicuimus.

Exceptiones hypocondriorum ex qualibus & quales fiant conſiderandæ ſunt, & aliæ, & quantum poßint in viſcerum inflammationibus, ſiue ex hepate in lienem ferantur, & contrà, & quæcunque ſunt eiuſmodi.

Διαθέξεις vocat nunc quos ſolet vocare abſceſſus, quia fiunt partibus aliarum partium excrementa recipientibus. Dixerat nuper in hac ipſa ſectione, conſiderandum, quo, & vnde, hoc idem dicit nunc, his verbis, ex qualibus, & quales hoc eſt, ex quibus, in quas partes exceptiones fiant conſiderandum. Dicit verò exceptiones hypochondriorum, quia in morbis acutis hæc maximè indigere ſolent animaduerſione. Sed quia non horum ſolùm, ſed aliarum omnium partium eadem ratio eſt, & conſideratio eadem, addidit, & aliæ. Itaque dicit, videndum eſſe, ex quibus in quas partes factæ ſint exceptiones hypocondriorum, & aliæ quęcunque. Velut in inflammationibus viſcerum, conſiderandum, quantum poſſint, hoc eſt, quam ſignificationem præſtare valeant, ſiue ex hepate lien receperit, ſiue contrà ex liene hepar, & quęcunque alia huiuſmodi. Vt ſi ex coſtarum ſpatijs pulmo, aut ex toto corpore. Non enim parum refert ad periculum, noſſe ex qua parte quæ pars receperit. Grauius enim eſt recepiſſe hepar ex liene, quàm lienem ex hepate, & pulmoniam factam eſſe ex pleuritide, quàm ex toto corpore, ac generatim, vt libro 2. ſectione prima dictum eſt, ex ignobiliori in nobiliorem, exteriori in interiorem, inferiori in ſuperiorem partem fieri abſceſſum, quàm contrà periculoſius eſt.

Reuellendum eſt ſi quò non oportet vergant, ſin autem quò oportet, his via recludenda eſt, prout vnaquæque vergunt.

Scriptum eſt in aphoriſmo. Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, eò ducēda ſunt per conferentia loca: iuxta quam ſententiam etiam quod nunc dicitur explicari conuenit. Nimirū ea quæ ducere, hoc eſt, euacuare oportet, quod redundent, aut praua ſint, ſi vergant quo oportet, hoc eſt, per conuenientem regionem ſpontè fluere incipiant, δι' ὁμοίων, ὅπως ἔχασα ῥέπει, hoc eſt, eo ducere oportet, & per eandem partem euacuare. Si vero vergant quò

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 306 sur 489

quò non oportet, vt ſi efferantur ex pulmone ſanguis, reuellendum, hoc eſt, per contrariam partem vacuandum. Oportet verò & huic ſententiæ adiungere aliam ex lib 2. ſectione 3. quæ ita habebat. In his igitur abſceſſus promouere oportet ſi non fiant: quoſdam verò qui fiunt declinare: quoſdam autem excipere, ſi prodeant quales & quà oportet. Quicunque verò non abundè prodeunt coadiuuare: eos autem auerterè qui omnino inutiles fuerint, maximè verò quum futuri ſunt, ſin minùs quum nuper inceperint. Non enim quoties vergunt quò oportet aperiendũ ſed cum ducere oportet, vt dicebatur in aphoriſmo, aut cùm non abunde prodeũt vt dicebatur in hac alia ſententia, hoc eſt, quum etſi vergant quò oportet, non exeunt pro multitudinis ratione. Nam alioqui non aperire oportet, ſed excipere, hoc eſt, ſinere vt exeant. Porrò reuellere conuenit, ſi vergant quò non oportet, non ſolum cum ducere oportet, hoc eſt, cum euacuatione aliqua opus eſt, ſed nonnunquam etiam, etſi nulla euacuatione ſit opus, ſed ſolum vt auertamus eas euacuationes, quæ omninò ſunt inutiles. Vt nonnunquam per profuſam ſanguinis effuſionem, ſiſtendi ſolum gratiâ, vtimur reuulſoriâ miſſione ſanguinis, non quidem vt euacuemus ſed vt euacuationẽ euacuatione curemus. Abſceſſus vocari ab Hippocrate etiam euacuationes, conſtat, nam lib. 2. ſectione prima, ita dicit. Abſceſſus qui cum euacuatione fiunt, velut ſanguis è naribus.

Lata exanthemata non ſunt admodum pruriginoſa, qualia Simon habebat per hyemem, qui cùm ad ignem inungeretur, aut calidâ lauaretur, iuuabatur. Vomitus non conferebant. Si quis calida fomenta adhibuiſſet, adiuuari potuiſſe exiſtimo.

Tumores præter naturam inſignis magnitudinis vocantur tubercula. Solutiones continui, inſignes etiam, vocantur vlcera. Alia omnia, quæ in cute progerminant, vocantur exanthemata. Itaque in horum genere ſunt, & maculæ quæ ſpontè fiunt, vt quædam culicum morſibus ſimiles, nunc rubræ, nunc aliorum colorum; & tumores exigui, vt qui vocantur morbilli, & variolæ, & puſtulæ etiam, quæ cum vlcuſculis exiguis fiunt, aut ſine eis, vt quæ vocatur ſcabies, cuius ſunt multa genera. Cum verò hic dicat lata exanthemata, conſtat id nomen de tumoribus dici, nam latum hoc & obtuſum contrarium eſt acuto, & acuminato. Hæ autem figuræ neque macularum, neque vlcerum ſunt, ſed tumorum ſolum. Itaque hæc exanthemata ſunt, multa exigua tubercula, corpus obſidentia, quorum duplex genus eſt. Quædam enim rubicundiora & minora, & anguſtiora, vt ferè ſint maculæ potius quàm tubercula, vocantur hodie morbilli, & pruriunt valdè: quædam alia ſunt maiuſcula, & latiora, minus rubentia, & minus etiam prurientia, & vocantur variolæ. Si licet componere magnis parua, videntur hæc inflammationis potius, illa eryſipelatis naturam referre. Itaque lata exanthemata ſunt multæ inflammatiunculæ. Verum vt ipſæ inflammationes plurimum variant, quòd ſint aliæ exquiſitæ, aliæ œdemarodes, aliæ eryſipelatodes, ac aliæ etiam ſcirrhoſæ, ita & hæc exanthemata, quædam ex ſanguine magis, quædam ex ſanguine bilioſo, quædam ex pituitoſo & craſſo pendent, aut etiam melancholico. Atque vt ſucci ſpecie, ita differunt colore, & figura, & reliquis accidentibus. Nam quo ex calidiore ſunt ſanguine, eò rubicundiora, & in acutum magis elata, & magis prurientia: quo ex pituitoſiore, eò magis ad candidum vergentia, & obtuſa, & minus pruriginoſa ſunt. Huiuſmodi erant, quæ habebat Simon. Quæ cum talia eſſent, meritò etiam in hyemem inciderunt. Itaque & temporis natura atteſtabatur tali morbi naturæ. Sed & curatio etiam. Nam iuuabatur cum inungeretur ad ignem, inunctione ſcilicet calidâ, & diſcutiente, & cum lauaretur calidâ. Nam etſi exanthematum omnium communis curatio perficiatur calidis exterius admotis (nihil .n. optãdum magis, quam vt abundè exeant, neq; timendum, quàm vt recurrant intrò) poſtquàm toti corpori ſit proſpectum miſſione ſanguinis, ac ſi opus etiam ſit expurgatione; tamen cõſtat id in frigidis exanthematis potius fieri. Vomitus dicit huic non contuliſſe, ſed totam curationem in calefaciendo ſitam fuiſſe. Vomitus certè talibus exanthematis vniuerſim ſunt inutiles, niſi forte plurimum humoris in cauo ventriculi contineri ſentiatur, tunc enim licebit quod ibi continetur, vomitu reijcere, præcipuè ſi qui ægrotat vomat facilè. Alioqui ad vomitum cogendus nullus eſt, ne motus humoris, alioqui vitioſi, introrſum reuocetur. Atque eadem ratione neque expurgandum per ventrem eſt, niſi maxima ſuccorum multitudo videatur ſubeſſe, cuius non poſſis expectare per cutem diſcuſſionem. Factâ verò totius corporis euacuatione, quæ ſit ſufficiens, ad diſcutientia, & ſiccantia veniendum eſt. Atqui erumpere ſolent hæc non tantum ad externam cutem, ſed ad internam etiam ſecundum corporis ventres. Vnde periculoſa fieri plerumque cenſeo, cum. ſ. ad aſperam arteriam & thoracẽ, & inteſtina erumpunt plurima, aut maxima, aut maligna. Exire .n. omninò introrſum quid prohibet, vt fit ſcabies in veſica, & inteſtinis? Et vt intra poros narium fieri videmus: & intra os altiſſimè. Sed & fieri plerunq; vt in quaſdam internarum partium erumpant, ex ſymptomatis agnoſcimus. Raucitas enim & tuſſis, quæ nonnunquam procedunt ad aphoniam, quin & ad ſtrangulationem, indicant erumpere in aſperę arteriæ internam membranam. Inteſtinis ſolet accidere primum dolor, deinde & dyſentericæ fluxiones, exanthematis interius in eis factis. Sũt verò hæc omnia periculoſa ſi plurimum creſcant, moderatiora enim ſępe fiunt in iis etiam qui euadunt, & cùm in vniuerſum quæ introrſum erumpunt periculoſiora ſint quàm extrorſum illorum etiam alia aliis ſunt periculoſiora, vt in has aut illas erumpunt partes. In ventriculo enim longè cum maiori fient periculo, quàm in inteſtinis, ac præcipuè in eius ore, ob actionis eius partis dignitatem, & compaſſionem cordis, atque in caput aſperæ arteriæ, ob eius anguſtiam, quàm in partes alias. Suſpicor autem nonnunquam in internum thoracem, & ſeptum tranſuerſum, & inter ſeptum, ac pericardium, atque fortaſſe etiam in ipſum, cordis corpus irruere poſſe.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 307 sur 489

Conandum igitur extrorsum agere humores, non
A
ſolùm vt exeant quæ iam inceperunt exanthemata (hoc enim fortaſſe aliis euacuationibus poſſes ſupplere) ſed multò magis, ne introrſum exeant, ac proinde motus introrſum vitari debent, multò autem magis vomitus quàm alui ſubductio. Neque abs re erit munire guttur eiſdem, & eclegmatis, & gargariſmis, quibus ad anginæ principia ſolemus, & ad inteſtina, vti clyſteribus ſine irritatione extergentibus modicè, & aſtringentibus nonnihil, poſtquam aluus ſubducta iam ſatis ſit.

B

Quacunque maturatione opus habent, occludi conuenit, contraria autem ſiccare, & aperire oportet.

Speciatim hoc intelligi poteſt de tumoribus præter naturam, ſed generatim quoque de morbis omnibus pendentibus ab humoribus, vt de putridis febribus, & cacochymijs. Nimirum vt tumores præter naturam aliquando poſtulant concoctionem, quam ſuppurationem appellamus, aliquando aliud quippiam, ita & febrium cauſæ, & cacochymiæ aliquando coqui poſtulant, aliquando euacuari. Generatim igitur quoties eſt coquendum, occludere oportet. Occludere autem contrarium eſt ipſi aperire. Nihil autem deterius quàm aperire, cum coquere oportet, velut ſi crudum tuberculum ſeces aut in febre, aut alia cochymia, cùm foret coquendum, euacues. Contrà enim tunc temporis faciendum & occludendum eſt. In tumoribus enim vtendum emplaſticis, & obturantibus (talia enim ſunt ſuppurantia) vt calidum effluuium cohibeatur, & ipſo detenti vaporis calore, ſuccus coquatur: in febribus & aliis cacochymiis inungendum, & pannis contegendum, & abſtinendum ab euacuationibus. Atque ita verum eſt, in omnibus quæ coqui oportet, eſſe occludendum. Contraria autem, inquit, ſiccare & aperire oportet contraria vocat, quæ coquere non oportet, ſed aliter curari, vel vt tumores qui aut reſolui rectè poſſunt, aut ſuppurari non ſuſtinent, quòd gangrænæ ſint opportuni, & febres cacochymiæve, in quibus vacuare conuenit, quòd concoctus iam ſuccus ſit, vt expectare
C
concoctionem non opotteat, vel quòd turgeat, vel vrgeat, vel concoctionem recipere non poſſit. In his omnibus, ſiccandum & aperiendum. Nam & reſoluere collectum in tumore ſuccum, & euacuare eum, qui in venis redundat, ſiccare & aperire eſt. Siccant enim quæ reſoluunt & aperiunt poros, contrarium verò efficiunt quæ ſuppurant. Quæ vacuant humores, ſiccant corpora, & aperiunt vias. Iam verò ſi tumor præter naturam coctus iam eſt, & proinde coqui amplius non deſiderat, ad eaſdem indicationes tranſitur. Si.n. exiguum pus prorſum continetur, reſoluitur, ſin autem plus, aperitur ferro pars, & extrahitur ſuccus, & ſiccando curatur cauum vlcus. Si verò tumor neque reſoluentibus cedat, neque ſuppurantium habeat tutum vſum, ob gangrænæ metum, multò magis ſiccandum & aperiendum eſt, nam ſcarificandum, & vrendum, aut ſiccißimis medicamentis vtendum. Vſq; adeò verum eſt, in iis quę coquere non oportet, ſiccandum & aperiendum eſſe.

Velut oculis fluentibus, ſi aliter videatur expedire, reuellere in fauces conuenit.

Oculos fluxos, ſeu fluentes, vocat, non arbitror illos ſolum qui rhyade, ideſt, excauatione anguli maioris laborant, ſed omnes eos ex quibus ob niniam humiditatem fluit aſſiduè aliquid. Videtur mihi (quamquam Galenus repugnet) poſſe eſſe hoc exemplum proximæ ſententiæ: quod particula illa, velut à qua incipit, videtur ſignificare. Quaſi diceret, velut in oculis fluentibus curamus concoquentium vſu, vt lachrymæ craſſeſcant, & mutentur in lippas, ac ſi ita non cedit, ſiccantibus & reſoluentibus. Si tamen aliter videatur expedire, hoc eſt, ſi non videatur curatio localibus medicamentis poſſe perfici, ſed expedire, vt aliis curetur, reuellere conuenit in fauces, hoc eſt, apophlegmatiſmis, & maſticatoriis, in os reuellere, vt etiam errhinis, in nares. Poteſt etiam hæc ſententiola ſeorſum explicari, vt illa particula, velut, ſit tantum continuatiuà, aut copulatiua, erit verò hic ſenſus. Cum oculi fluxionem habent; ſi aliter videatur expedire; hoc eſt, ſi videatur expedire vt fluxio in aliam partem transferatur, ne illa effluat, reuellere in fauces conuenit.

Et vbi vectatio conducit, & quæcunque alia eiuſmodi.

Hæc ſententia plurimum torſit Galenum. Quòd neque ſeorſum per ſeſe videatur eſſe perfecta, neque antecedenti, neque ſubſequenti rectè coniungatur. Vnde factum eſt, vt quamplurimæ fuerint interpretum ſententiæ, quas Galen. recenſet. Ego in eam feror, quæ cenſet verba hæc ſeorſum legi, & nihil continere aliud, quàm vtile eſſe nonnunquam ructus mouere, eo quòd eructatio quamplurimis conueniat. Duo igitur hæc Hippocrates indefinita reliquit. Erit operæ pretium nunc definire, quibus ſit vtilis eructatio, & quibus modis prouocati poſſit. Eructatio eſt flatus ex ventriculo per os eruptio. Proderit ergo iis quibus multum flatus in hypochondriis colligitur, aut toto ventre, carens tamen facili per ſedem exitu. Quare conferet iis qui cruditate acida laborant, & lienoſis, & hypochondriacis, & mulieribus quæ ſtrangulantur ex vtero, & colicis, ac voluuloſis, quibus nõdum malum deorſum repit, & multis nephriticorum. Ac proinde ſi non fiat, prouocari conuenit. Prouocatur verò vſu calidorum
F
& extenuantium, vt aniſo, & caro, ruta, cymino, aut ex his paratis trochiſcis, aut hauſtu vini meri, aut aqua ſtillatitia ex vino, aut ex caſia lignea, aut re alia huiuſmodi, ſunt enim quamplurimæ. Ipſe etiam ægrotus ſua induſtria, & vſu muſculorum gulæ, ſolet ructus emittere. Præter hæc iubebat Sabinus (vt Galenus narrat) ad mouendum ructus bibere ex vaſe anguſti oris. Certo enim conſtat experimento, eos qui vruntur vaſculis longæ

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 308 sur 489

ceruicis & angusti oris, qualia ex vitro conflantur, eructare mox ac bibere cessant. Galenus non vituperat hoc auxilij genus vnquàm, neque commendat quidem, sed narrat solùm, in Sabinum autorem ferens. Nunc video esse quosdam, qui laudant, vt ad eam rem vtile, alios qui vituperant, vt quisque sentit de causa ob quam eructant ij qui ex tali vase biberunt. Nimirum quidam dicunt id fieri, quòd exeunte ex vase liquore necesse sit violenter in illud subire aërem, replendi causâ, & eum ex ventre potantis extrahi: itaque exhauriri è ventre aërem dum exhauritur ex vase aqua. Et hi hac causa commendant talis vasis vsum: alij vituperant, quòd putent homines ex tali vase haurire aërem cum aqua, & ob id eructare à potu, quasi recens repletos flatu. Causa verò vt repleantur esse, quod exeunte aqua, & subeunte aëre (quod murmur indicat) commisceantur ambo, & aqua flatuosa fiat. Ego hac in parte his consentio, repleri potiùs quam vacuari flatu eos, qui ex tali vase potant. Ridiculum enim est censere, extrahi ex ventre aërem, qui in vas subeat. Quia si quis ore suo vndique comprehendat, & obturet os vasis, vt ex circunstante nos aëre nihil possit ingredi, neque bibere quidem poterit omninò nam opus est vt aër nos ambiens vas repleat, qui aër ex ventre nostro suppeditari nequit. Præterea si vacuaretur aëre eis ventriculus, nulli minùs à potu eructarent, quàm qui tali vase vsi fuissent, at nulli eructant magis: replentur igitur aëre, non vacuantur. Nihilominùs non vitupero auxilium, quin potiùs censeo eis qui ructibus subleuantur vtile esse, talibus vasis vti, quia eructant à potu copiosè, simúlque cum aëre quem hauserunt, qui non est adeò multus, emittunt multò plus eius quem continebant. Velut eos quos succos in ventre continere agnoscimus, qui non facilè exeunt, immisso clystere facimus deijcere. Itaque hac causa, vel ipse flatus qui hauritur, ad mouendum ructum non est inutilis. Accedit alia causa potior eructandi, quod qui ex tali vase potant, sunt extenta ceruice, & hianti ore, & œsophago, ac tota gula vsq; ad ventriculum, & ventriculum totum inter deglutiendum sursum commouent, quo motu flatus qui inerat, ad os ventriculi trahitur: interim humor qui hauritur, per patulam gulam ad fundum descendit, ac proinde cessante potu, & subsidente in sese ventriculo expellitur flatus, qui ad eius os eruperat, & supernatat. Hac itaque causa subscribo sententiæ Sabini, qui flatuosos talibus vasis vti iubet, non tamen quò tale vas flatum extrahat ex ventre, eoque repleatur, neque quod aqua quæ potatur, minùs flatuosa ita fit. Hanc Sabini sententiam sequutus etiam est Paulus, flatuosos talibus vasis in potu vti iubens.

Meatus aperiendi sunt, vt nares, & alij quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, & quâ viâ, & quando, & quantum expediet, velut sudores & alia sanè omnia.

Τὰς ἐφόδους ἀνεσομῶδες nunc vocat vacuationes moliri. Meatus enim vocat ipsas euacuationi accommodatas vias vt nares, palatum, vesica, vterique os, & sedem, & totius corporis poros. Complectitur ergo breui hac dictione omnes considerationes, ad rectè vacuationem corporis peragendam, & bonæ euacuationis conditiones. Dicit igitur, oportet (cum scilicet vacuatione indigent corpora) aperire meatus, vt nares, & alios transitus, quibus opus est, hoc est, quorum apertione opus est. Id verò faciendum, vt opus est. Potest enim meatus quiuis multis, variisque modis aperiri, vt nares percussæ, aut punctæ, aut sacrificatæ, fundunt sanguinem; & errhinis extrahitur pituita; & aluus vacuatur epoto pharmaco, aut iniecto clystere, & vrina elicitur diureticorum vsu; aut immisso cathetere, aut aperiente fomento, & sudor elicitur, motu, mora in sole, inunctione, aut potione sudatoria. Cùm igitur singulæ euacuationes multis modis moueri possint, nulla in omnibus eodem modo mouenda, sed in vnoquoque, vt opus est. Alius enim pharmaco indiget, alius clystere solum. Ad hanc etiam considerationem pertinet præparatio, ad quamcunque vacuationem necessaria. Nimirum tunc fit expurgatio, vt opus est, cum ante pharmaci exhibitionem idonea accipiuntur serapia, & reliqua præparatio peragitur, alioqui non fit, vt opus est. Præterea prouidendum, vt vacuentur qualia oportet. Ob quam considerationem propinamus, nunc cholagoga, nunc phlegmagoga, nunc melancholagoga. Prouidendum etiam quâ viâ fiat. Galenus putat hanc considerationem, referri ad loci, per quem euacuatio fit, differentiam, vt an per os, an per nares, an per sedem. Mihi verò magis placet referri ad electionem loci, quo oportet ægrotum collocare vt euacuetur. Quia hanc considerationem inutilem non esse constat. Nemo enim tentat sudore vacuare hominem, iacentem in cubiculo, ventis plus satis peruio, & frigidissimo, & nudis parietibus, & malè commisis fenestris, præcipuè in tempore non calido. Atqui non parum referre quo loco quis decumbat, vt melius, aut deterius habeat, aut curetur, indicauit (præterquam quod res est notissima) Hippocrates qui in historiis singularibus sæpe meminit loci, quo ægrotus decumbebat: nonnunquam quidem memoriæ solùm gratiâ, sed nonnunquam etiam tanquàm id ad rem ipsam plurimùm pertineret. Vt multi enarratores intelligi voluerunt illud, Hermocratem, qui decumbebat iuxta nouum murum. Censeo itaque illud ὅπου, ad loci quo euacuatio agatur electionem pertinere quia egerat iam anteà de differentia loci per quem fit vacuatio (quid enim aliud continuerunt illa verba, vt nares, & alij, quibus opus est?) & quia ita repetitione inutili vitatâ, nullam considerationem necessariam omisit. Prouidendum etiam quando fiat, quod ad tempus peculiare morbi referri potest, cùm Hippocrates dicat. Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum moue; & rursum. Concocta medicari, & mouere oportet, non cruda, nisi turgeant: & rursum. Purgare oportet in valdè acutis, si materia turget, eadem die: & lib. de expurgantibus medicamentis saltem non ante decimum quartum: & quarto de ratione victus, hos si ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito. Sed non minùs potest referri ad anni

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 309 sur 489

tempus, cùm idem Hippoc. dicat, quibus ſecare venam, aut expurgans medicamentum dare oportet, iis in ipſo vere faciendum, ideſt, & ipſemet libello de aëre, locis, & aquis, plurima ad hanc conſiderationem pertinentia ſcribat etiam vitari debere Æquinoctia & Solſtitia, exortus & occaſus Vergiliarum, & Arcturi. Omnium fortaſſe præcipua & maximè neceſſaria, tametſi vltima conſideratio eſt, quantum vacuari debeat, ne ſcilicet minùs quàm vt profit, aut pluſquàm vt ferri poſſit, ſiue ſemel, ſiue pluries effundatur. Potes enim tu (ne vlla hoc loco conſideratio deſideretur) numerum ad quantitatem referre, quia repetitio euacuationis fit ad ſupplendam quantitatem. Quòd ſi quando fiat repetitio non ob hanc cauſam, ſed quòd per ſe repetita quàm affatim facta, melior eſſe putetur, velut ad reuellendum, conſtat ad modum faciendi pertinere, eſſéque illud in ſecunda conſideratione, quâ dicebatur, & vt opus eſt. Hæc omnia ſi medicus ſapienter prouiderit, nihil deerit ad optimam euacuationem, quacumque opus ſit. Apponit exempla, dicens, velut ſudores, & alia omnia, hoc eſt, aliæ omnes euacuationes; quod niſi exudetur, aut aliter vacuetur quantum oportet, ſed aut minùs, aut plus, certè aut inutilis, aut periculoſa, & noxia erit euacuatio. Satius tamen eſt, vt omnes euacuationes exempla eſſe fecit. Hippoc. (dixit enim & alia omnia) ita omnibus euacuationibus accommodari. Omnes enim indigent, modo, qualitate, quantitate, loco, & tempore, vt quiuis poterit per ſeſe conſiderare.

A

B

C

IN magnis malis facies ſi ſit bona, ſignum bonum; in paruis bonæ ſignificationi contraria denuntians, malum ſignificat.

D

Bona facies eſt, quæ ſimillima beneuolentium: ſignificans contraria bonæ ſignificationi, hoc eſt, præſtans prauam ſignificationem, eſtque bonæ contraria, & diſſimilis ei quæ in beneualentibus, & ad eam, quæ in cadaueribus apparet, accedens. Apparere faciem bonam in paruis malis, nihil mirum, neque notatu dignum, neque quicquam ſignificans: præter id, quod ex aliis omnibus ſignis, & ex eſſentia propria ponitur conſtare, putà paruum eſſe malum: tamen in magnis malis faciem eſſe bonam, & notatu dignum eſt, & bonam ſignificationem præſtat, non enim plurimùm labaſcit facultas, dum adhuc perſeuerat bona facies. Sanè quantum ad hoc ſignum pertinet, ex hac facie nulla mala ſignificatio præſtari poteſt, niſi fortè quum videtur minùs quàm pro morbi magnitudine minui, longitudinem morbi aliquantò maiorem portendat quàm putaſſet aliquis. Id verò in magnis non eſt admodum graue. Itaque ſignum hoc in magnis malis bonum eſt, non tamen quia bonum, ſtatim eſt admodum ſalutare, neque tale vt ex eo poſſis iam certò futurã ſanitatem præſagire: neque ſanè adeò eſt bonum, quàm contrarium (putà mala facies in paruis malis) eſt malum. Nam vt in commentariis prognoſtici diximus, ſigna ſalutis aut mortis valentiora ſunt, ſignificando mortem. Dicit igitur in paruis faciem malam eſſe ſignum malum. Dicit verò in paruis, quia in magnis malis mala facies, neque infert admirationem, neque proinde adeò mala eſt. Eadem igitur ratione, quâ in initio prognoſtici dicit, malam faciem primis diebus apparere ſine cauſa manifeſta eſſe valdè pernitioſum, quia ſi diuturniore iam facto morbo appareat, non adeò eſt graue: dicit etiam nunc in paruis eſſe malam, quia in magnis non adeò mala eſt. Conſtat igitur hic quoque ſuppleri debere, ſi neque vigilauerit homo, neque aluus ſoluta ſit, neque omnino vlla alia cauſa manifeſta acceſſerit. Tales enim cauſæ cum adſunt, non eſt quod in horrendas cauſas ſymptomata referantur, velut cùm hæ omnes abſunt, in paruis morbis talis facies refertur in extremum langorem facultatis. Nam alioqui cur fieret? Sed dices, quo pacto poſſet, ſi adeſt ſignum, quod verè adeo malum ſit, & in adeo malignam cauſam referatur, eſſe paruum malum? Quis enim dicet eum quem moriturum breui meritò timet, teneri paruo malo? Certè nullus. Sed hic dicuntur parua mala, morbi propria eſſentia videntur eſſe parui, ſunt enim maligni, & ex iis quos mali moris veteres vocauerunt. Hi enim quodammodo magni morbi ſunt, quia maligni, & periculoſi; quodammodo autem non magni, quia propria eſſentia, & propriorum ſymptomatum magnitudine videntur parui. Alij contrà ſunt eſſentia propria magni, boni autem moris & ſimplicis, quorum cauſa multa quidem eſt, ac morbum magnum nata eſt facere, nõ tamẽ maligna vlla & venenoſa qualitate infecta. Et hi quidem maiores, ſed minùs periculoſi ſunt. Si igitur facies extremè extenuata, idq; breui appareat in febribus maximus, minùs terrere debet, quia in ipſam intemperiei magnitudinem refertur (tametſi hæc quoque ſit periculoſa) ſi verò in paruis longè grauiſſimum eſt, quia conſtat eas febres eſſe malignas.

MVlieri quæ iuxta magnum Theatrum poſt heroum habitabat, icterus ſuperuenit, & permanſit ipſi.

E

Nihil, neque vtilitatis, neque difficultatis, continet hæc dictio, præterquàm in ipſa verborum incondita ſerie: fortaſſe ex alia dictione perfectiorem reddente ſenſum deciſa eſt. Hæc nihil continet aliud, quàm cuidam mulieri, quæ iuxta magnum ſcilicet Theatrum, ſiue templum, ſiue quiduis aliud habitabat poſt herois domum factum eſſe ictericum colorem ex morbo, & permanſiſſe illi, aut tota vita, aut diutiſſimè. Non narrat quo morbo laborauerit, illud verò fieri ſolet cum ex morbis remanent circa hypochondria obſtructiones difficiles.

F

QVi iuxta Temenæ neptim decumbebat hic niger erat.

Aliud eſt hoc exemplum icteri, qui ex morbo permanſit, erat verò hic icterus niger.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 310 sur 489

IN Perintho quid ſemini ſimile excretum eſt, quod tale erat quia iudicatorium, & ab iſtis abdominis affectibus tunc liberabant vrinæ excretiones, quoniam neque flatu multo, neque ſtercore multo, viſcido etiam prodeunte euacuabatur. Non enim profectò magnum erat Hypochondrium: Qui braſſicam die ſeptimâ comedit, cùm adhuc difficulter ſpiraret, circa abdomen euacuabatur & rectè ſpirans factus eſt, aluus ipſi concuſſa eſt.

Certè aut Hippocrates hæc ſcripſit ſibi ſoli, vt neque ſermonis congruentiam neque aliud quicquam curaret, præter id quod ſibi ad memoriam obſeruationum putaret eſſe ſatis: aut plurima verba vel in ſola hac dictione deleta ſunt. Partim enim videtur doctrinam aliquam multis communem, partim ſingularem hiſtoriam continere, atque hæc non videntur aptè cohærere (neque ſanè poſſunt) niſi ſuppleantur quæ aut ſibi ſoli tacuit autor, aut deleuit tempus. Ea verò licet nobis ſupplere, coniecturam capientibus ex iis, quæ ſcripſit, & adhuc ſuperſunt. In Perintho (dicit) quid ſemini ſimile excretum eſt, quod tale erat, quia iudicatorium. Quæ verba haud dubiè commune quiddam, & quod in Perintho quadã tempeſtate accidit, continent. Nam in ſingularibus hiſtoriis, aut non nominat vrbes, ſed domos, aut vicos, aut nominata vrbe adiungit nomen ægrotantis, vel notam aliquã, quæ certam perſonam indicet. Quare prima hæc verba nihil aliud continent, quam in Perintho aliquando ægrotis exire quid ſemini ſimile, idq; factum, quia quod eſt huiuſmodi, ſolet eſſe decretorium. Itaq; dicit ſemini ſimile ſolere decretoriè excerni, idq; factũ eſſe quadam tempeſtate in Perintho. Τὸ γαλακτῶδες poterat excerni ex aluo, aut cum vrina, ſuccus ſcilicet, candidus, craſſus, & lentus. Et quia (arbitror) vtraq; via, aut alterutra excernebatur, non dixit deiectio ſemini ſimilis, aut ſemini ſimile in vrina, vt ſolet dicere, ſed ſimpliciter genituræ ſimile. Talis igitur excretio poteſt eſſe decretoria. Neque mirum: eſt enim excrementorum, ex genere crudorum, excretio. Quare conferre poterit, in morbis præcipuè pituitoſis, velut & ipſam veri ſeminis excretionem prodeſſe nonnunquam, ſectione quinta huius libri dicetur. Præcipuè autem iudicari ſolent tali excretione morbi pendentes ex cacochymia τῆς ὑπερου, hoc eſt, eius partis, quæ eſt inter vmbilicum, & pudenda: & vbi hypogaſtrium & pubes. Cuius rei maximum inditium eſt, quod tales mictio iuuet. Mictio enim quæcunque leuamen quoddam præſtat, iis quibus ſumen excrementis grauatum eſt. Quia cùm ibidem ſit locata veſica, eius vacuatione laxatur pars. Iuuat etiam hos mictio, quâ quid genituræ ſimile affatim euacuatur, quia ea euacuatio habet magnam rectitudinem cum ea parte, atque adeò eſt accommodatiſſima deriuatio. Itaque leuamen, quod ex vrina ſentitur, ex ea parte euacuari indicat. Addit. Quoniam neque flatu multo, neque ſtercore multo viſcido etiam prodeunte, euacuabatur. Quæ verba cum mox ſequentibus, haud dubiè ſingularem narrationem videntur continere, & de vno aliquo ægroto dici. Quapropter neceſſe eſt verba aliqua ſuppleri, vt à communi narratione ad ſingularem tranſitio fiat. Ita ſcilicet, ac ſi diceret ſuminis talia ſunt iudicatoria, cum vrinæ iuuant. Quod cuidam (quis is eſſet ipſe nouerat) accidiſſe conſtat, quod neque flatu multo, neque ſtercore multo, lento autem exeũte, euacuabatur. Hic ægrotus laborabat crudorum & craſſorum multitudine circa ſumen, & euacuatione multa ſemini ſimili iudicatus eſt. Eſſe verò eius partis expurgationem, hæc erant ſigna, quod mictione iuuabatur, vt ſolent, qui ita ſunt affecti, & excernebatur exiguum & lentum quid (ſemini ſimile ſcilicet) non ſtercus multum, & cum flatu multo: Addit, non enim magnum erat hypochondrium. Quæ verba duo poſſunt continere, & cauſam quâ non exibat ſtercus multum cum multo flatu, & nouum illud ſignum affecti ſuminis. Nimirum, vt in prognoſtico dicitur: Dolores qui in hypochondriis affligunt, ac tumores, ſi recentes fuerint, neque cum inflammatione, ſoluit murmur incidens circa hypochondria, ſed potiſſimum ſi cum ſtercore, vrina & flatu excernatur. Secundum hanc ſententiam dicit nunc, nec flatum multum, nec ſtercus multum exiiſſe, quia non erat illi magnum hypochondrium. Porrò quia non erat magnum hypochondrium, ſignificabatur affectio ſuminis, Quia omnino alicuius partis earum, quæ ad ventrem pertinent, conſentaneum erat, affectionem eſſe. Cùm igitur non eſſet tumor in regione hypochondrij, & alia ſigna adeſſent affecti ſuminis, fiebat euidentior coniectura ab iis quæ aderant, & quæ non aderant. Sed & curatio ſubſcripſit huic coniecturæ. Nam expurgatione eius partis factus eſt ὀρθόπνους, i. rectè ſpirans, & magnoperè adiutus. Sed pacto res ſit acta, audiamus. Cum adhuc difficulter ſpiraret, die ſeptimo braſſicam comedit, & ab aſſumpta braſſica aluus ipſi quatiebatur, hoc eſt, rugiebat, & videbatur concuti, & ſenſit euacuari ſibi ſumen, & rectè ſpirans factus eſt. His verbis ſimul docetur curationis ratio, quæ ita affectis eſt adhibenda, & confirmatur coniectura, quæ habebatur affectæ partis à iuuantibus argumento capto. Siquidem ſumine vacuato ſubleuatus eſt. Sed ſimul inſinuatur ſpecies affectionis. Nam morbum acutum fuiſſe cum febre continua inſinuat, quandoquidem ſeptimæ diei tantam rationem habet, & difficultatem reſpirandi habebat coniunctam. Quid enim eſſet aliud, quod ex congeſtione excrementorum eo loci tantopere vrgeret, niſi fortè dolor aliquis magnus eius partis? At verò ſi talis dolor adfuiſſet, tam multa alia ſigna non collegiſſet, nulla facta mentione doloris, qui morbi erat adeò euidens ſignum. Erat itaq; haud dubiè febris continua, pendens ex ſuccis putreſcentibus, præcipuè in loco dicto. Permultæ enim ſunt febres, per quas quædam certè partes præcipuè affectæ ſunt. Habuit difficilem reſpirationem. Ob eam (vt reor) alligationem, quam per rectos muſculos habet pubes cum thorace, & ſepto tranſuerſo. Hinc meritò euenit, vt vacuato ſumine (vacuari autem illud indicauit eius laxa-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 311 sur 489

©BIUM

tio) leuatus homo ſit & εὐθύπνους factus. Quidam enarratorum, vt refert Galenus, rectiſpirum hoc loco cenſent dici, recta ceruice ſpirãtem quem ὀρθοπνοϊκὸν dicimus: verùm non eſt conſentaneum: quandoquidem dicit ex difficulter ſpirante factum eſſe rectiſpirum. Nam recta ceruice ſpirare, quædam difficilis reſpiratio eſt. Quare perinde eſſet, ac ſi diceret, ex febricitante factus eſt tertianarius. Cùm igitur tam ὀρθὸς quàm εὐθὺς ſignificet rectum, hoc eſt, bonum, & probum, ac rectum, quod non curuum, aut reflexum, multò magis conſonum eſt, nunc ſignificari benè ſpirantem factum eſſe ex malè ſpirante, euacuato ſucco, quo ſumen diſtentum & tumens erat. Mirum quod accepit braſſicam die ſeptimo. Si enim vt expurgaretur, cur tam debile medicamentum, quod ne expurgans quidem dici meretur? Nam braſſica vt & beta, ſemel ac leniter cocta aluum mouet debiliter: valdè aut bis cocta, aſtringit: benè autem ac ſatis, nunquam expurgat. Niſi fortè braſſicam maximam intelligit, hæc enim purgat mediocriter. Sed ſi ſatis expurgans eſſe cenſebat, cur accipiebat die ſeptimâ, ſi modò in diebus iudicatoriis abſtinendum ab inſignibus euacuationibus eſt? Ego certè abſtinendum illis diebus cenſeo, niſi magna vrgentia cogat (nam hanc ſemper excipio) mittere ſanguinem aut expurgare. Nam illi dies aut iudicationes afferre ſolent (quæ verò iudicantur aut iudicata ſunt integrè, aut etiam iudicanda ſunt mox, neque mouere oportet, neque alterare, ſed ſinere) aut ſi non ſint iudicatorij illius morbi, tamen ſunt ſemper illi dies contemplabiles, quia aut iudicationes inchoant, aut mutationes alias inſignes faciunt, & acceſſiones illis diebus ſolent fieri maiores. Si igitur in acceſſionibus abſtinendum eſt non ſolùm (vt ego interpretor) à cibo, ſed & à medicamentis, multò magis his diebus, quàm aliis erit abſtinendum. Quapropter ſuſpicor neque à medico quopiam datam eſſe braſſicam, neque ab ipſo acceptam expurgandi gratiâ, ſed caſu, aut etiam ſolùm leniendi; factam verò eſſe ſpontaneam alui ſubductionem ob vim eius diei. Itaque iudicationem fuiſſe hanc magis quàm arte factam expurgationem cenſendum: deſignaſſe verò Hippocratem braſſicæ eſum, non quaſi pharmacum, ſed quaſi occaſionem, quæ tametſi leuis eſſet, ob diei naturam potuit plurimùm mouere. Dices, non igitur hic docet morbi huius curationem, ſed quem ſponte habuit exitum. Certè hinc pendet etiam & ratio curationis. Nam ſi huic non eſſet facta illa iudicatio die ſeptimâ, contuliſſet octaua dare pharmacum expurgans, quod indicauit ſanatio. Nam vt Hippocrates ipſe dicit. Quæ cum fiunt iuuare ſolent, hæc ſi non fiant, facere oportet. Sed cur aluus quateretur ſupereſt conſiderare. Mihi videtur eo verbo ſignificari quiddam ſimile ei, quod concuſſis vtribus, exiguum quendam humorem continentibus, fit. Itaque erat, crepere modo quodam: quod vacuitatem ſuperioris partis ventris oſtendebat, quantum ſuſpicor. Nimirum huic ex ſumine expellebantur excrementa; reliquum ventris quatiebatur, præ vacuitate.

A

DE ſanguine ſeroſo ita cenſendum eſt, quòd talis reperiatur in pauidis & vigilantibus, ſiue malus ſiue bonus fuerit.

Dictum à me iam ſæpe eſt, ſanguinem melancholicum eſſe ſeroſum, ſimilemque vitioſo lacti, quod in caſeum & ſerum ferè totum reſoluitur, nihil habens boni & vtilis lactis. Hinc fit, vt melancholici ſint ſaliuoſi, & plurimùm ſudent, quia ſcilicet habent ſanguinem ſeroſum. Neque ſanè illud ſerum eſt expers qualitatum, & tantùm crudum, velut quod abundat in crudo & pituitoſo ſanguine, ſed acre & mordax, referens ſanguinis corruptionem, quod propterea vocatur ichor, ſeu ſanies. Ichoroſus igitur ſanguis indicat melancholicos, quos ſignificauit dicens, in pauidis, & peruigilibus. Symptomata enim ſunt horum pauor & peruigilium: hoc quidem ob ſiccitatem, illud ob melancholiæ nigritiem. Sed & ipſius ichoris redundantiam, arbitror aliquid ad timiditatem conferre: quia vitiat ſanguinem, & debilitat naturalem calorem in corde, atque ita & iraſcibilem facultatem, cuius debilitas timiditatem facit. Itaque duplex iam cauſa eſt timiditatis in melancholia, altera in nigritie, altera in ichoris redundantia. Illa quidem afficit cerebrum, hæc cor. Timidos ergo eſſe & vigiles, ſignificat melancholiam. Nam pituitoſi, & crudiori ſanguine redundantes ſunt etiam timidi ob cordis langorem, tamen non ſunt vigiles, ſed potiùs ſomnolenti. Qui igitur vtrumque ſunt, melancholici ſunt, quibus ſanguis eſſe ſolet ichoroſus, idque ſiue bonus ſiue malus. Hoc eſt, ſiue putris, & alienis coloribus infectus appareat, vt per febres, aut internas inflammationes, aut magnas cacochymias, per quaſque plurimùm recedunt ſucci à natura ſanguinis, apparere ſolet: ſiue integer & ruber. Solet enim melancholicis, etſi nullam aliam habeant eius corruptionem, eſſe ſanguis perruber, craſſus, & ichoroſus. Itaque ichoroſus eſt pauidis & peruigilibus, ſiue bonus, ſiue malus ſit.

B C D

E

QVibus ſplen deorſum vergit, iis pedes & genua & manus incaleſcunt, naſus & aures ſemper frigent, num propter hoc quòd tenuis illis inſit ſanguis? Num etiam naturâ talem hi habent.

Melancholicum ſanguinem eſſe ſeroſum & tenuem, hinc quoque conſtat præter dicta nuper, quòd lienoſi tenui ſanguine abundare deprehendantur, cùm lien membrum adeò melancholicum ſit. Eſt verò, vt diximus non totus tenuis (nam quomodo poſſet eſſe fœculentus) ſed vt vitioſum lac, quod mediocris ſucci expers, ferè reſoluitur in caſeum & ſerum. Talis cùm ſit qui colligitur in liene, accidit vt craſſus & fœculentus in inferiora, & tenuis ac ſeroſus in ſuperiora repat. Vnde videmus his venas in cruribus & imo ventre nigreſcere & craſſeſcere, ac nonnunquam hæ-

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 312 sur 489

©BIUM

morrhoidas craſſum fundere; & ex nare ſiniſtra ſanguinem tenuem & aquoſum copioſè exire. Hinc etiam fit, quod Hippocrates nunc animadvertit, vt in his pedes, manus, ac genua caleant ob fæces illas ſanguinis putreſcentes, & extremitates capitis frigeant ob redundantiam ſanguinis aquoſi. Non tamen hoc lienoſis omnibus æquè, ſed iis magis quibus lien eſt decliuis. Qualis autem ſit qui talis, & qua cauſa hæc fiant mox dicetur. Poſt præſcripta verba ſuccedit mox in codicibus omnibus, iis qui ſunt à ſeculo Sabini & Rufi, dictio hæc, Suppurationibus vmbilicus: & poſt hanc hæc. Lien durus non ſuperiore. Poſt quam, rurſus hæc, Minùs capitis grauitate, ſeu grauedine laborantibus. Ego verò ſuſpicor, perturbatum eſſe harum dictionum ordinem, atque poſt hanc, quam modò enarrauimus, apponi debere, eam quæ differentias malè affecti lienis continet. Cur autem ita cenſeam, ipſa concinnitas dictionum indicabit.

A

B

Lien durus non ſuperiore ſed inferiore parte, rotundus, latus, craſſus, longus, tenuis.

C

Dixit, pedes, manus, ac genua incaleſcere naſum, & aures frigere ſemper iis quibus lien eſt decliuis. Explicat nunc qualem vocat, κατὰ ῥόον, hoc eſt, decliuem Eſt autem cuius durities, & tumor ad infernam partem ſpectat: Nam tametſi lien tranſuerſim poſitus ſit ſub ſepto tranſuerſo, in ſiniſtro hypochondrio ob mollitiem, & laxitatem naturalem, tumere poteſt in omnem partem, & mirum in modum creſcere præter naturam, vt aliquando infra vmbilicum manibus comprehendi poſſe videatur. Differentiæ ergo lienoſorum deſumuntur ex parte lienis, in quam præcipuè inclinat tumor, & ex tumoris figurâ, Quibuſdam enim tumet magis ſuperna pars, qua ſeptum eſt: aliis inferna, quæ ſpectat ad vmbilicum. Rurſus quibuſdam eſt tumor rotundus, aliis in longum productus. Decliuis ergo eſt, cuius tumor humilem partem tenet. Cuius duæ ſolent eſſe figuræ: quibuſdam enim ſentitur eſſe lien durus, non ſuperna, ſed inferna parte, & teres, latus, ac craſſus, hoc eſt, magnam, amplamque rotunditatem ibi habens: aliis longus & tenuis, hoc eſt, in longum productus, & durus, & anguſtus, vt quidam muſculus. Et hæ differentiæ non ſunt omnino contemnendæ, cùm hypochondria enim ea parte ſita ſint, quâ ſuperiores corporis partes ab inferioribus ſeparantur, meritò fit, vt infernæ eorum partes cum infernis, & ſupernæ cum ſupernis habeant magnam ſympathiam. Cum ergo tumor ſupernam obſidet lienis partem, ſupernas afficiet, & difficultatem reſpirandi faciet, & fluxum ſanguinis craſſioris ex naribus magis faciet, & cuius curatio miſſo ex ſiniſtra manu ſanguine, meliùs ſuccedet. Cum vero obſidet infernam, afficiet potius infernam, vt renem ſiniſtrum, & ad hæmorrhoidas aut varices inclinabit potius ſanguis craſſus: cuius curatio procedet potius ex ſiniſtro crure miſſo ſanguine. Vt conſtet hinc, etiam ad rationem curandi conferre plurimum dictas tumorum lienis differentias, tametſi Gal. nullibi videatur eas perſecutus, niſi forte in huius ſententiolæ commentatione, vbi quid poſſent vtilitatis conferre, non explicauit. Conſtat verò etiã præter dicta, cur iis quibus lien eſt decliuis potiùs quã aliis lienoſis frigeant capitis extremæ partes, & manus, pedes, ac genua caleant. Nam quibus tumor in ſuperna parte lienis eſt, venæ quoque ſurſum eo latere ſpectãtes, plenæ ſunt, & tument, deferũtque in caput craſſum ſanguinem, qui cum obſtructus, incultatuſque putreſcat, calfacit partes ſupernas in quas vergit, humiles verò tunc inopiã caloris laborant: quibus verò tumet infernũ lien, venæ inferiores eo ſanguine tumentes caloré cõmunicant extremis corporis partibus, præcipuè humilibus: ſuperiores verò venæ deferunt in caput ſerum, ſanguine velut caſeo deorſum ſubſidente. Quare meritò partes extremæ ad faciem ſpectantes frigent.

D

Suppurationibus vmbilicus terminus: Quibus ſuppuratio contiget, his aluus turbantur, minùs autem iis qui capitis grauedine laborant.

Dictum eſt ab Hippocrate in prognoſtico, tumor qui in ventre affligit minus facit abſceſſum quam qui in hypochondriis, minimè verò partes infra vmbilicum in ſuppurationem vertuntur. In hanc ipſam ſententiam dicit nunc, ſuppurationibus vmbilicus terminus. Apponit nunc quoddam ſignum ſuppurationis iamiam ſubſecuturæ in quauis inteſtini parte, id verò eſt, aluum turbari. Nam cum fientibus ſuppurationibus dolores & febres magis contingant circa partes, hæ ſi in inteſtinis fiant, neceſſe eſt ob irritationem alui fluxiones concitari, niſi aut vacuum admodum ſit corpus, aut ſuperflui ſucci in aliam partem fluant, vt iis euenit, qui coryza laborant: quibus ob id ſolent plerunque alui ſiccari. Euenit ergo his, vt quum etiam fieri incipit ſuppuratio in inteſtinis, aluus non humectetur, aut minus quàm ſolet aliis.

E

Vt omnia circa ægrotantem ſedulò adminiſtrentur, quædam de morbo ſunt interroganda, videndum qualia ſint quæ narrat, vt accipiendi ſermones, quænam pertineant ad ægrotantem, quæ ad aſſidentes, & ad externa.

Dictum eſt ab Hippoc. Aphoriſmo primo, qui & totius artis eſt proœmium, non ſatis eſſe medicum ipſum ſe præſtare promptum ad ea quæ decent facienda, niſi & ægrotus, & aſſiſtentes perinde faciant, & externa vt oportet diſponantur. Verum hæc omnia ad medicum ſolum quodammodo pertinent, quia horum omnium cura ad eum deuoluitur. Non enim ſolum boni medici eſt, medicamentis & medicinalibus omnibus inſtrumentis rectè vti, & quod ad cibum & potum

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 313 sur 489

attinet, victum instituere, sed etiam omnium quæ coram ægroto dicenda, seu agenda sunt ab ipso seu ab alio quopiam, & cubiculi, domus, & lecti, & externorum omnium prouidentiam habere, atque omnia disponere, vt maximè ad ægroti gratiam, & vtilitatem referantur. Hanc prouidentiam vocat Hippocrates œconomiam circa ægrotantem, nomine profectò satis idoneo. Nam cùm mitti sanguinem, aut propinari pharmacum, aut emplastrum admoueri, aut tale quidpiam facere iubet, medicam artem; cùm verò fenestras, aut ianuas, aperiri, aut claudi, lectum ægroti huc aut illuc verti, hos haberi ab ingredientibus sermones, hæc nunciari, hæc celari, œconomiam quandam videtur exercere. Et sanè, quamquam prima illa cura, & quæ ad medicinalia instrumenta pertinent, maioris sint momenti: tamen hæc postrema, non est omninò exigui. Certè multi alioqui præstantissimi, & suæ artis peritissimi medici, quòd ad hanc œconomiam exercendã malè se comparent, adeò fiunt multis ægrotantibus ingrati, vt ob hoc ipsum euadant inutiles. Alij contra parum periti, ita huic curæ sese accommodant, vt per pauca, quæ alicuius momenti sunt facientes, multis non parum vtiles esse videantur. Plurima sunt ab Hippoc. scripta ad hanc œconomiam pertinentia, in quibus & hæc sententia præcipuè est. Dicitur enim circa ægrotantem œconomia. Quasi dicat, non tantùm medicamentorum cura haberi debet, sed præter hanc etiam, debet esse circa ægrotantem œconomia, ad quam spectant etiam quæ de morbo sunt interroganda, hoc est, videndum quę interroges, vt scilicet nihil omittas eorum, quæ ad cognitionem morbi & causæ conferre possint, neque tamen sis nimius, quiduis vbique citra delectum interrogando: sed ita vt & ægrotus ipse, & qui adsunt intelligant, te non longè abesse à notitia eorum, quorum susscipis curationem. Hinc enim fit, vt bonam de te concipiant opinionem, & ægrotus melius pareat, & agat confidentiùs. Videat etiam medicus quæ narrat, qualia, & vt accipiendi sermones. Nam ægroti semper sunt pusillanimes, & suspitiosi, & multi medici adeò imprudentes, & loquaces, vt quicquid in mentem venit narrantes, interponant tristia, & atrocia, vnde ægroti in tristitiam aguntur magnam, & de suo morbo periculosius aliquid cogitant, timentes ne id quod narratur simile aliquid sit ei, quod ipsi patiuntur. Atqui sæpe ipsos sermones accipiunt ægroti alio modo ac dixerant medici. Medicus enim fortasse dixit accidisse quẽdam ex potu, aut cœna intempestiua grauiter læsum esse, vt ægrotus melius sibi caueat, ne quid tale perpetiatur, & ægrotus interpretatur dictum hoc esse, vt se grauissimè iam & lethaliter esse affectum, significaretur. Videat ergo medicus quæ & qualia loquatur, & vt accipiendi sint sermones. Videat etiam quæ ad ægrotantem, & quæ ad assistentes loquatur. Nam quandoquidem non eadem facturi sunt ægroti, & assistentes, & spectat ad medicum vtrosque sui officij admonere, non eadem ad vtrosque locuturus est, sed illum exhortaturus, vt iussis pareat, & hos vt diligenter exequantur. Illi prospera pollicitaturus, his dicturus certiora. Externa quoque omnia prouidere debet, vt habeant optimè, eò præcipuè intendens animum, vt quoad fieri possit, ægroto sint iucunda & vtilia. Huc spectat illud sectionis quartæ huius sexti libri: Ægrotantibus gratificandum, vt mundè parentur poculenta, & esculenta, quæ videt, & quęcunque tangat mollia sint: & rursum ęgrotanti placeant introitus, sermones, figura, vestis, tonsura, vnguis, odores. Huc etiam spectant quamplurima eorum, quæ in libris de officina chirurgica scripta sunt.

Quoniam in calidiori parte concipitur quod in dextrâ, ideò mares nigri sunt, & venæ exteriùs eminent, & longè bilioſiores sunt.

Ad fœtus generationem pertinent sententiola hęc, & duę sequentes, quibus hęc sectio concluditur. Hæc autem & vltima scriptę sunt secundum aphorismum illum. Mares in dextra, fœminę in sinistra pręcipuè generantur. Nunc ergo dicit quod in dextris gignitur, quoniam in calidiori vteri parte gignitur, calidius est. Mares itaque calidiores sunt fœminis: & ob hoc nigri sunt prę fœminis, & venę (quo nomine arterię etiam intelligũtur) exterius, hoc est, eminentiores sunt, & maiores. Prorsus bilioſiores sunt mares fœminis. Calidius esse dextrum latus sinistro, ipsa promptitudo ad actiones indicat, & pręter hæc natura partium singularum, quæ hac & illa parte sitæ sunt. Colorem nigrum, amplitudinem venarum, & bilioſam naturam, caloris esse signa, in arte medicinali satis est indicatum à Galeno, ac meipso in commentarijs: vnde rursum caloris dextri lateris capitur aliud argumentum. Quia ex anatome constat, vasa omnia dextri lateris (arterias præcipue) ampliora esse. Mares ergo ex his signis constat esse calidiores fœminis, pręter multa alia argumenta, quæ nos proprio capite collegimus primo libro controuersiarum medicinalium.

Concrescit Mas & coalescit citiùs, poſtquàm mouetur, desinit, & tardiùs augetur & longiori tempore.

Enarrauimus lib. 2. sectione 3. verba illa, qui citiùs formatur & mouetur fœtus, rursus augetur tardiùs & longiori tempore. Quo loco dicta sunt omnia, quæ ad hunc locum spectant. Nihil enim aliud continent hæc, quæ nunc præscripta sunt quàm illa, nimirum masculum concretionem & constitutionem, hoc est, conformationem idoneam, & vitam quę motu agnoscitur, citiùs recipere, postquàm verò mouetur, desinere, idest, non adeò in iis quæ supersunt properare, & tardiùs augeri, & pluri tempore. Cuius quidem rei causæ dictæ illo loco sunt, indicatumque non tantùm hoc accidere maribus & fœminis dum geruntur vtero, sed & editis iam in lucem vsque ad perfecta corporum incrementa (quod Aristo. etiam animaduertit 7. de histor. animalium cap. 3.) dictũque hanc ob rationem accidere quòd etsi

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 314 sur 489

citiùs figuram & vitam mares recipiant, non tamen edantur citiùs quàm fœminæ, quia etsi fœminæ primas mutationes recipiant tardiùs, vltima prægnationis parte festinant, augentúrq; præpropere. Qua re constat proportionem illam temporum figuræ motus & partus, quam lib. 2 huius operis, & libello de alimento scripsit, non esse certam, neque statam. Nam tempora partus maribus & fœminis sunt eadem, proportio tamen temporum diuersa. Quod si mulieres affirmant mares nasci in principio noni mensis, fœminas in fine, id quidem euenit, qui illæ computant ab eo tempore quo deficiunt menstrua, mares verò plerunque concipiuntur post recentem illorum expurgationem, fœminæ quum iam instat illa expurgatio. Sed hæc omnia lib. 2. dicta sunt.

QVod solidum factum est, & magis biliosum est, & magis sanguineum, hoc calidius efficit locus animalium.

Nihil continent noui hæc verba, sed quod nuperrimè dictum est, quia dextra regio vteri calidior est, ob id quod in ea gignitur, puta masculinum corpus, solidius esse, & biliosius, & sanguinolentius, vt muliebre contrà est mollius, & pituitosius. Non enim quia mulieribus sanguis singulis mensibus fluit, censendum est sanguinis boni plus in illis colligi, sed plus mali & crudioris, atque eum minus insensibiliter dissipari.

SECTIO TERTIA.

CVtis raritas affert alui densitatem; cutis compactio carnium incrementum: ventris torpor omnium confusionem: vasorum impuritas, cerebri consumptionem vnde etiã caluitium instrumentorum attritionem.

Ad symptomatum causas pertinet tota hæc dictio, nihil enim aliud continet, quàm quorundam symptomatum causas, non omnes, sed præcipuas, quæque illi videbantur scitu dignissimæ. Vtitur verò phrasi quadam vulgari, qua res quæpiam esse dicitur id, cuius est causa, vt si quis dicat raptus Helenæ fuit excidium Troiæ. Dicit igitur, ἡ δέρματος ἀραιότης, ἡ κοιλίης ταραχή, quasi diceret, cutis raritas est alui densitas, aut quasi apertiùs diceret, cutis raritas affert alui densitatem. Iuxta hãc phrasim dicuntur etiam reliqua, scilicet, cutis compactio affert carnis incrementum, & alui stupor affert multorum confusionem, & vasorum impuritas affert cerebri consumptionem, ac proinde caluitium est organorum attritio. Hoc est, attritio organorum affert caluitium. Constat enim, iuxta grammaticæ regulas nihil interesse, siue dicatur caluitium est organorum attritio, siue attritio organorum est caluitium. Quare sensum oportet consulere, & id putare dictum, quod ris veritati sit magis consentaneum. Nec tamen hoc facere licet, nisi cum ipse loquendi modus non magis fertur in hoc, quã illud: alioqui, si neglecta phrasi quis interpretatur iuxta id, quod sibi videtur consentaneum, profectò id non est enarrare autoris sententiam, sed suam, & in suam trahere authorem. Quod vitium multis licentiosissimis enarratoribus est. Ego non ita induxi in meum animum facere, sed quem maximè consentaneum ferre possint authoris verba, aperire sensum: non autem quem non possint, quantumuis videatur consentaneus. Quorsum enim dicam meam sententiam alienam interpretaturus? id quorsum nunc dicam, mox intelliges, dum singulos dictionis præscriptæ articulos enodo. Cutis raritas facit alui densitatem, hoc est, astrictionem, seu siccitatem (nimirum velut aluus rara, aut humida aut laxa dicitur, quæ plurimùm fluit) quia raritas cutis facit copiosam per habitum corporis dissipationem, copiosa dissipatio ficca aluum, siccitas astringit, vt laxat humiditas. Πάρμανος ξόνδεσις dicitur pororum cutis astrictio, hæc prohibet corporis dissipationem, & ita facit carnium incrementum. Hanc ob causam mulieres plerunque carnosiores sunt quàm viri, quia scilicet eorum corpora minùs digeruntur ob cutis maiorem densitatem. Eamdem ob causam euenit, vt plerunque etiam sint laxiori aluo: vt & viri sunt plerumque graciliores, & aluo astrictiori. Eodem etiam modo in ipsis viris biliosi se habent ad pituitosos. Νάρκωσις propriè ad sensum pertinet, estque eius velut, resolutio & sublatio, metaphoricè verò dicitur de aliis omnibus, siue actionibus, siue passionibus naturalibus. Qua propter cuiusuis partis dicitur esse resolutio, significatur ablatio, seu insignis imminutio propriæ illius actionis. Si igitur alui aut ventris nomine, intelligatur ventriculus, vt Gal. intelligit, imminutio seu ablatio significatur concoctionis primæ, quæ est actio eius præcipua: sin autem intelligatur venter inferior, vt in initio cum diceretur alui densitas, significatur nomine torporis ventris priuatio deiectionis. Vtrumuis intelligas, verum est quodammodo quod dicitur, puta fieri inde omnium confusionem, hoc est, morbos quam plurimos solere inde nasci, & multa membra in compassionem trahi. Nam siue quis est cardialgicus, siue vertiginosus, siue epilepticus, siue podagricus, siue colico dolori obnoxius, siue (vt dicatur semel) ad morbum alium quemcunque paratus, facilè quidem eo corripitur, si cibi non coquantur in ventre, aut fæces non excernantur ex aluo. Quod addit, ἡ τῶν ἀλγέων ἀκαθαρσία, Galenus coniungit cum antecedentibus, dicens fieri ex cruditate omnium confusionem. Et illa verba, ἡ ἐγκεφάλου ἀνάλωσις coniungit cum sequentibus, dicens, fieri ob cerebri consumptionem, caluitium, & organorum attritionẽ. Fertur in hanc interpretationem, quod videatur hoc cum ipsis rebus maximè congruere: cæterùm phrasis & verborum contextus reclamat, iubetq; ita legere. Vasorũ impuritas, cerebri consumptio: Quapropter & caluitium, organorum attritio. Tentandum ergo, si quo modo inueniri possit, sensum idoneum, qui cum hac lectione congruat, inuestigare. Is verò mihi videtur, immunditiæ vasorum succedere cerebri consumptionem, & caluitium succedere organorum attritioni. Quia verò non sunt hæc quatuor disiuncta, sed ordine

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 315 sur 489

quodam cauſarum ſuccedunt ſibi, coniungit hæc interponens particulam illam, διὸ. Nimirum impuritas vaſorum affert cerebri conſumptionem, & cerebri conſumptio organorum attritionem, & cerebri conſumptio organorum attritionem, & organorum attritio, caluitium. Sed quo pacto hæc, explicemus. Vaſa vocat hic omnia caua, quæ intra cranium ſunt, & meatus omnes quibus cerebrum expurgatur, qui ad nares, palatum, & aures, & concaua oculorum ſimul pertinent. Omnia hæc in ſeneſcentibus replentur excrementis & impuritate, atque poſt hæc cerebrum illis conſumitur, non omnino (neque enim poſſet) ſed fit gracilius & minus: poſthæc, organa, hoc eſt, pori per quos alimentorum & excrementorum fit diſpenſatio, cerebro, membranis, cranio, & externo capiti, velut attriti fiunt contractiores, & anguſtiores, & ſuccedit capillorum ſecundùm ſinciput corruptio, quod vocamus caluitium. Sed quo pacto ſint priora poſteriorum cauſæ, nondum explicuimus. Nam etſi ſenibus fiant hæc omnia, non videtur cerebrum conſumi ob impuritatem vaſorum, ſed ob frigiditatem & ſiccitatem, quæ naturaliter ſubrepit: neque pori contrahi, quia cerebrum conſumitur, ſed quia ſicceſcunt omnia: neque ob pororum conniuentiam fieri caluitium, ſed quia deeſt capillis alimentum. Itaque videntur fieri potiùs omnia hæc ob frigiditatem, & ſiccitatem, quàm ob dictas cauſas. Certè omnium horum cauſæ reducuntur ad eamdem intemperiem, & alia ex aliis naſcuntur dicto ordine. Nam ob naturalis caloris defectum alimentum minùs coquitur, & ob id, excrementa cruda copioſiùs congeruntur, à quibus obrutum cerebrum, alioqui iam debile, tenuiter nutritur, & ob id extenuatur, fitque minus, quapropter minimè iam vt antea internum replens cauum, longè à cranio diſtat præcipuè ſecundùm ſinciput, quo loco pueris erat mollius. Deſtitutum à medulla os areſcit, & quæ ſecundum illud ſunt omnia: areſcens denſatur, fitque minùs poroſum, atque ob id areſcunt capilli, & deſinunt iam inde naſci, vt neque ex lapidibus naſcuntur herbæ, ac ſi quæ ſint enatæ, facilè areſcunt.

Detractio fit curſibus, luctis, quiete, multis deambulationibus celeribus, ouillâ carne, maza cocta vt plurimùm, & panis exiguus conuenit.

Vocat nunc Hippocrates καθαίρεσιν quam aphoriſmo 3. ſectio primæ vocauit ξύμπτωσιν, ſeu σύμπτωσιν extenuationem ſcilicet corporis; huic contrariam ſtatuit ἀνάθρεψιν, hoc eſt, refectionem: Hic verò, vt ſententiola ab hac quinta videbis, ſtatuit πλήρωσιν, hoc eſt, repletionem. Non quod propriè idem ſit πλήρωσις & ἀνάθρεψις, vt neque καθάρσις ſeu, σύμπτωσις & κένωσις, hoc eſt, vacuatio, ſed quod ſimul fieri conſueuerunt. Differunt quidem, quòd detractio, ſeu extenuatio ad carnes propriè pertineat, velut ad eaſdem refectio: Vacuatio ad humores, velut ad eoſdem repletio. Sed vacuationibus extenuamur, & repletionibus reficimur, ob id hæc coniungit Hippoc. dicto aphoriſ. Atque hoc loco alterum pro altero nomen accipit, repletionem ſcilicet pro refectione. Pertinere hæc omnia ad medicum, atque muneris illius eſſe, vt quoſdam reficere, ita etiam quoſdam extenuare, & quouſque vtrunque duci oporteat, agnoſcere, docuit Hipp. illo loco: quibus modis fieri poſſit & debeat, nunc docet, atque primum quidem extenuatio, de qua prima hæc eſt ſententiola. Si nihil diceret aliud quàm detractionem fieri curſibus, luctis, multis & celeribus deambulationibus, ouillis carnibus, & cocta maza, atque exiguo pane, facilis eſſet doctrina, contineretque duo auxiliorum genera, exercitationem corporis nimiam, & cibos fluxiles, atque infirmos. Nam ouilla, quia laxa & humida eſt, faciliùs effluit, quàm arietina & ſuilla atque alimentum quod ex ea accedit, minùs hæret firmiter. Eodem modo habet maza cocta ad panem, ſoliditatem enim comparat hic in furno, & quia eſui fit aptior, plus illius comeditur ab hominibus alioqui ſanis, quales ſunt quos ſtudemus extenuare quàm mazæ. Quapropter, & tertio de diæta victum æſtiualem deſcribens, inter cætera dicit, maza potiùs vtatur quàm pane. Verùm quia particula illa, quiete, interiecta eſt, difficilis prorſus reddita eſt ſententia, ac quodammodo etiam inepta. Quomodo enim poteſt inter luctas, inter celeres deambulationes, aptè fieri quietis mentio? Dicunt quidam enarratores, id dictum eſſe quia non omnes extenuantur exercitatione, & pinguescunt quiete, ſed nonnulli etiam contrà, extenuantur otio & exercitatione craſſeſcunt. Atqui profectò hoc veriſſimè dicitur, nam vt ipſemet Hipp. dicit motus roborat, & otium tabefacit. Et ſurſum quarto de morbis inquit. Et propterea in quiete degenti euenit vt attenuetur: at verò laborantibus hominibus, itidem corpus coaleſcit. Itaque haud dubiè iuxta ſententiam Hip. quidam extenuantur laboribus, quidam otio, Sed vt Galen. incommentatione huius loci rectè monet, res hæc diſtinctione indiget, non enim ijdem & eodem modo habentes, à contrarijs patientur omnino idem, per ſe. Sed aliqua prorſus diſtinctione res indigeat, neceſſe eſt. Ea verò non aliunde naſci poteſt, vt Hipp. ipſe primo libro de diæta diſertiſſimè docet, quàm ex cognitione naturæ hominis, facultatis, ciborum, & laborum. Oportet autem (inquit) velut par eſt, dignoſcere facultatem laborum, tum eorum qui ſecundùm naturam, tum eorum qui per vim contingunt, & quinam ex ipſis carnem ad incrementum, & quinam ad defectum præparent: nec iſta ſolùm, ſed etiam laborum proportionem, quæ adhibetur ſecundùm ciborum repletionem, & hominis naturam, & corporum ætates & anni tempora. Optimè conſulit Hipp. conſiderare laborum & ciborum vim, non ſimpliciter, ſed ad ſe mutuò, vt ad cuiuſque naturam. Quia vt paulò ante ibidem dixerat, labores ea quæ in ſunt conſumere ſolent, cibi autem & potus, ea quæ vacuata ſunt, explent. Si igitur, labores ad cibos, & ambo hæc ad facultatem ſeu naturam, proportionem ſeruauerint, optimè reficiuntur corpora, quia facultas adiuta motu cibos conficit, illi bene confecti multùm nutriunt, & replent. Si autem labores ſint maiores, iis quibus ad hos cibos facultas indigeat, aut cibi plures, quàm vt cum hoc mo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 316 sur 489

tu ab hac facultate poſſint confici, ob illud quidē diſſipantur corpora, ob hoc obruuntur crudis; & exſtinguitur naturalis calor, & ob vtrumq; homo conſumitur. Igitur motus, ad hæc cum quib⁹ conferri debet, nimius, ſemper diſſipat, ſiccat, & abſumit; minor autem quàm pro indigentia, cauſa eſt infœlicis nutritionis, ac proinde pinguedinis frigidæ, aut etiam (ſi noxa iam maior ſit) tabeſcentiæ. Sed quia non omnes eiuſdē nature ſūt, ſed alij frigidiores, qui motu multo indigent, vt cibos confician̄t: alij calidiores, quia motu facilè diſſoluntur, fit vt his nimius ſit, qui illis eſt vtilis motus, & vt hos iuuet otium, diſſipationē prohibendo, quod illos tabefacit per incoctiones. Igitur, vt in vniuerſum dicam, calidi, & qui pauco cibo vtuntur, reficientur otio, & ij ipſi exercitatione tabeſcent: frigidi, & qui vtētur multo cibo, inareſcunt otio (niſi preueniant morbo aliquo perimi) exercitationibus reficientur. Sunt igitur qui exercitationibus & qui otio extenuentur. Quod carcerum cuſtodes teſtantur, eorum enim qui diu detenti dimittuntur, quidā multò craſſiores quàm erant quum fuerant incluſi: quidam dimittuntur graciliſſimi. Eſſet igitur hæc non parū idonea loci enarratio, ſi particulam illam. (Quiete) genuinam eſſe & loco propriam, ſuſpicaremur. Verū quia ſi id vellet Hipp. dicere, aliter mihi videtur dicturus, neq; inter multa verba nimium motum ſignificantia, vnicam illā voculam, citra vllum ordinē, interiecturus; ſuſpicor illam errore librariorū additā eſſe, aut ex vocis alterius corrūptione venire (fuerit eſſet autem inane velle diuinare ex qua) neq; eſſe Hippoc. ſed ipſum nunc ſcribere cauſas, quæ per ſe faciunt detractiones, non etiam eas quæ per accidens. Nam motus nimius & inedia, aut cibus tenuis pro craſſo, fluxilis pro ſolido, per ſe faciunt extenuationem, quia detrahunt: otium per accidens, quia ſuffocat, obruit, ac pluſquàm oporteat, aut quàm ferri poſſit, adijcit. Alioqui & cibos multos ponere deberet in cauſis extenuationis. Nam & hi, perinde ac otium, extenuant obruendo. Non itaque arbitror id voluit Hipp. ſed ſcribere cauſas, quæ ſunt per ſe detrahentes. Nam præterquàm quod doctrinæ procedunt rectiùs per ea quæ ſunt per ſe quàm quæ per accidens: ad meditos vſus erit etiā hoc vtilius. Nam cum opus eſt aliquem extenuare exercitatione, & cibi detractione ſit longè tutius, quàm otio, & multo cibo. Nam hæc duo, non aliter poſſunt id facere, quàm onerando, & morbos periculoſiſſimos inferendo. Poteſt itaque corpus extenuari otio, & cibis, ſed nunquàm debet ad praxim reuocari. Hipp. verò non conſueuit dicere, quæ poſſint ſolùm, ſed quæ debeant etiam fieri. Nam cùm dixit otium tabefacit, id vt vitandum, non vt vnquàm conſulendum alicui dixit. Itaq; illa particula, quiete haud dubiè redundat, eſtque hinc expungenda. Sed dices colligi poteſt ex eâ quam attulimus ratiocinatione, non omnes extenuari exercitatione, ſed quoſdam etiam reſici. Cur ergo Hip. cauſam ambiguam, quaſi ſemper extenuantem poſuerit? Certè colligitur eos ſolum reſici exercitatione, quibus ea non ſit nimia, omnes tamen extenuari quibus ſit nimia. Conſtat verò his nominibus, curſibus, luctis, deambulationibus multis, & celeribus ſignificari motus nimios, non ſunt autē omnibus ijdem motus nimij, neque id docet Hippocrates, ſed conſulere vnicuique eorum quos extenuare velis motus nimios aliis quidem maiores, aliis minores, vt cuiuſque naturæ erunt nimij. Velut ſibilioſum hominem velis extenuare, motibus vti mediocribus conſules, ſi autem pituitoſum, motus vehementiſſimos ſubire iubebis. Itaque bene feceris ſi particulis illis omnibus hanc (multis) adiunxeris, vt multis curſibus, luctis, & deambulationibus, atque intellexeris, multis pro cuiuſque naturâ. Nam multum & paucum ad aliquid dicuntur. Itaque optima ratio extenuandi eſt, exerceri plus, & accipere cibum pauciorem, aut fluxiliorem quàm ſi molem corporis ſeruare velis. Propterea Hippocr. iubet vti curſibus, luctis, & celeribus deambulationibus, & ouinis carnibus, ac pro pane maza cocta, aut omnino exiguo pane. Potes autem tu cum his & motibus & cibis, alios omnes & motus & cibos intelligere, qui ad dictum vſum aut æquè aut etiam meliùs his accommodantur. Nam etſi ouillam Hippocrates vt laxam quandam & fluxilem carnē pro exemplo ſcripſerit ego niſi conſueto ea vti, aut etiam deterioribus carnibus, non darem, ne interim cacochymiam aliquam inferrem, ſed ſi homo facile ferret inediam, darem pulli aſſi exiguum: ſi non poſſet ferre, carnes aſſas minùs nutrientes, ſed non mali ſucci, velut interanea arietis aut hædi cum multis oleribus cocta, & ob hanc ipſam cauſam augerem motus magis. Sed de extenuatione craſſorum Gale. lib. vltimo methodi agit, & ego in hoc ipſo opere antea egi.

De tractionis ſignum eandem horam diei obſeruare oportet; repentè enim contrahitur.

Quandoquidem non ijdem motus ſunt omnibus detractorij, neque eadem victus ratio, & ea coniectura quæ ex cuiuſque natura capitur & conſuetudo non eſt facilis, cùm perpauci homines ſint nobis adeò familiariter cogniti, opus eſt ſigno aliquo cognoſcamus, an victu eo quem perſcripſimus, extenuetur homo, an non. Hoc ſignum ſcribit modo dicens, eadem horam diei obſeruare oportet, repentè enim contrahitur, hoc eſt, continere hominem ſine cibo vſque ad eam horam qua conſueuit capere, & obſeruare eam horam; iis enim quibus victus quo vtuntur eſt detractorius, euenit vt eam horam quâ cibum ſolent capere, non poſſint ſine cibo tranſigere, ac ſi quis eos tranſigere cogat, repentè contrahatur eorum corpus, vultus gracileſcat, & virtus deficiat, angantur, aut refrigerentur. Si igitur hæc videas homini acidere, ſcias victum quo vtitur detractorium eſſe, vnde colliges regulam non ſolùm ad eos quos extenuare vis, ſed cautionem etiam vtilem, ad eos quos vis conſeruare. Si enim hoc eſt ſignum victus detractorij, & vides id accidere alicui, cui detractionem fieri nolles, certò ſcies eum aut plus laborare, aut minùs accipere cibi quàm oporteat. Quapropter iubebis aut laboret minùs,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 317 sur 489

aut comedat. Quod si plus cibi non ferat ventriculus, vt euenit multis conualescentibus, dabis crebriùs. Vbi ego legi, contrahitur, dicit Hippocrates ἐιρίεται, quod multi interpretantur custodit, alij trahitur, ego sequutus sum hac in parte interpretationem Galen. à quo enim potiùs vocis grecæ significatio petereturꝰ

REmitte labores, aut defluet, similiter enim totum concidet.

Scripserat detractionis signum. Idem autem erit detractionis nimiæ, aut repentinæ, quæque proinde sine periculo sustineri non possit, & moderatioris, vt scilicet illud signum plus aut minus inerit. Quoniam verò, neque vacuationes, neque repletiones, neque extenuationes, neque refectiones ad extremum sunt ducendæ, vt in aphorismo dicitur, neque illæ ipsæque faciendæ sunt, repentè sed paulatim fieri debent, quia repentinæ omnes mutationes sunt periculosæ: duplex peccatum accidere potest, quod aut celeriùs quàm par sit quis extenuet, aut vlteriùs quam par sit extenuationem producat. Vtrunque autem periculosum, quia euenit ob nimium impetum effluere, ac simul totum concidere, facultatem scilicet & corpus, atque adeò languescere corpus, & tabescere. Proinde quasi valdè timere hæc oporteat, dicit, remitte labores, aut effluet. Quasi diceret, si ex dicto signo, aut etiam aliis quæ accesserint, videatur tibi celeriùs agi, aut plurimùm iam produci detractio, cura vt lentiùs agatur, aut cesset, remitte ergo labores. Nam vt in aphorism. dicitur, Vbi fames laborandum non est proinde opus erit cibos augere. Si autem augere nolis, nulla alia est ratio, quàm remittere labores.

CVm autem iam conciderint, offerre suillam assam conuenit. Cùm autem repleantur illud denotat quòd corpus floridum rursus efficitus.

Vt hactenus docuit qua ratione quis extenuet plus satis crassum, ita docet nunc quo pacto gracilem crassescere faciat, siue is sit dicto priùs victu extenuatus nimis, quòd eo nimis sit vsus, siue alia quacunque causa refectione indigeat. Atqui vt ad extenuandum iusserat ouillam dare, ita ad reficiendum præbet suillam assam, vt cibum scilicet crassum, & valdè nutrientem, & boni succi: præbet assam, vt hac ratione solidior sit, & vt opinior, etiam gratior. Non enim parum hoc refert, vt reficiat, & sane his omnibus nominibus nullus est cibus ad reficiendũ adeò accommodatus. Videre tamẽ debes vt in ventriculo coqui possit, non enim est tam coctu facilis cibus quã bonus, ac proinde extenuatorum & debilium refectionem à gallinarũ aut caponum carnibus rectiùs incipies. Quæ respiciens Galenus. 7. methodi. cap. 6. ita scripsit. Porrò omnium quos nouimus ciborum maximè nutriens suilla caro est. Verùm non æquè ac prædicta concoctu facilis est. Præterea glutinosum succum crassúmq; generat. Alioqui neque alio esse habitu potest, quod in summo sit nutriens, Quippe adhærere debet, & firmiter affigi, non autem præ tenuitate diffluere. Non tamen ad propositum affectum vti hac conuenit. Si enim nutrimentum ipsum seipsum concoqueret, ac in partes digereret, procul dubio maximè nutriente cibo esset opus. Verum quoniam non aliud est quod nutrimentum desiderat, aliud quod ipsum conficit, sed quod nutriendum est ipsum sibi & nutrimentum attrahit & mutat, & concoquit, & adiungit, & assimilat, ad duo nimirum nobis in opportuno cibo eligendo spectandum esse dictat, vnum ipsius cibi naturam, alterum vires suas proprias insitasque. Itaque ex his illud patet, neque planè quod maximè nutriat optimum esse iis corporibus quæ refici magis egent, vtpote quibus concoquendi facilitas non est, neque etiam quod facillimum concoctu est, cum scilicet ipsũ nequeat maximè esse nutriens. Cùm igitur hæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est, vt dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris, sed vtriusque memor quoad licet vtrumque misceas. Hæc Galen. quæ ego maximè probo. Quapropter Hippocrates meminit suillæ vt per seſe optimi cibi ad refectionem, non tamen vt quo vtendum omnibus sit qui refectione indigent. Quapropter cum dicit Hippocrates, cùm autem iam conciderint offerre suillam assam conuenit, intelligendum videtur, cùm conciderint carnes, & extenuatum corpus fuerit, non autem vires. Nam si hæ etiam conciderint, rectiùs incipietur ab ouis, & gallinaceis pullis, quamquam ex his quoque procedetur rectè vsque ad suillam. Quapropter si placet magis, vbi dicit, cùm autem conciderint, intelligere & carnes & vires (videtur enim hic referre omnia quæ priùs intelligerat cum diceret, similiter enim totum concidet) intellige quasi ita diceretur, cum autem iam conciderint hæc, offerre oportet suillam assam, adhibita distinctione an mox suillam dare debeas, an post aliquos cibos. Quæ distinctio ex facultate eiꝰ qui reficitur, debet accipi Sed dubitabis, cur cum extenuationem facere iusserit motu vehementi, & cibis leuibus, refectionem facit solum cibis crassis, ac non potius duobus etiam prioribus contrariis, otio, & cibis? Certè quia non vt motus nimius extenuat omnes, ita otium merum omnes facit crassescere, sed vt nuper diximus, plurimos etiam facit marcescere, ex accidenti: porrò quia eos ipsos crassiores reddit, non bene & vt expedit crassos facit sed pingues, & excrementosos. Quapropter nullis merum otium consuli oportet sed omnibus exercitationem, maiorem quidem aut minorem, vt cuiusque est natura & affectio: Atqui hoc siue extenuare, siue seruare, siue reficere velis hominem. Nam extenuantur omnes motu nimio tutius quàm quiete: seruantur & reficiuntur motu moderato, qui ad conficiendos cibos sit satis: & est quidem aliis maior, aliis minor, & moderatus, & immoderatus. Agi ergo debet extenuatio motu nimio, & exiguo cibo, refectio motu moderato, & cibo pluri: conseruatio vtrisque moderatis. His dictis scribit signum procedentis iam refectionis, quod planè contrarium est signo

extenua-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 318 sur 489

extenuationis. Iis enim qui extenuantur, contrahitur corpus, & concidit ac defloreſcit: iis qui iam replentur, contrà floridum fit, hoc eſt mediocriter tumens & niteſcens, ac viuidum colorem habens. Hoc enim multum & bonum iam ſanguinem generari ſignificat.

EXercitationum modum ſignificat ſudor fluens guttatim, qui exit ex velut ex canalibus, aut concidentia ex eleuatione.

Hæc verba videntur huc errore reiecta, cùm forent ſcribenda poſt illa, detractionis ſignum, eandem diei horam obſeruare oportet, repentè enim contrahitur. Illa enim verba continebant ſignum detractionis ex horâ cibi accipiendi: hæc continent ſignum aliud ex exercitationibus. Cùm enim iuſſiſſet Hippocrates detractionem facere exercitatione, & cibis, congruens erat mox ſigna detractionis apponere, ex cibo & ex exercitatione. Scribit itaque ſignum quo agnoſcas exercitationem detractoriam: illud autem eſt, ſudor exiens guttatim vt ex canalibus, aut concidentia ex eleuatione. Nimirum motus tantùm dici tur is quo corpus neque ſudare incipit, neque laſſari, neque intumeſcit: exercitatio autem ſalutaris, & conſeruans, quæ ducit vſque ad laſſitudinem mediocrem, & ſudorem, æqualem, vaporoſum, & ad tumorem & ruborem quendam partium, & tunc dimittitur: labor verò potiùs quàm exercitatio, & defatigatio, ſeu exercitatio detractoria, eſt, quæ producitur, donec ſuderur inæqualiter, grandioribus quibuſdam guttulis, velut ex caniliculis erumpentibus, & quaſi colliqueſcentibus iam carnibus, & donec eum tumorem quem exercitatione comparauerant carnes, labore confectæ deponant. Quod quidem vocat nunc concidentiam ex eleuatione concidentiam ſcilicet carnium, ex ea elatione, ſeu intumeſcentia, quam comparauerant. Eſt igitur ſignum detractionis in exercitationibus, ita ſudare, aut concidere vultum eius qui exercetur, cum incipiente exercitatione intumuerit. Qui verò eòuſque ſe exercet, defatigatur. Quare niſi cum animus eſt corpora extenuare, faciendum, vt prius ab exercitatione quieſcat, iuxta illud. Vbi laſſari ceperit corpus, quieſcere ſtatim remedium eſt. Qui autem extenuari velit, ne quieſcat, donec dictæ extenuationis ſigna appareant.

MVlier quam primò Cranone curaui, quæque lienem naturâ magnum habebat, febris ardens corripuit, prærubra erat, & ſpirandi difficultate laborabat, decimâ die ſudor plurimus è partibus ſuperioribus dimanauit, ſed etiam ex inferioribus decimâ quartâ.

Adeo breuis, imò, vt dicam meliùs, mutilata eſt hæc narratio (ſue id fecerit Hippocrates, ſibi ſoli ſcribens, ſiue quæ deſiderantur detraxerit vetuſtas) vt neque morbi narrationem poſſis intelligere, neque vbi intellexeris aliquid vtilitatis capere, vt Galeno etiam viſum eſt. Proinde prætereo.

IIs qui capitis grauedine aut raucedine laborant, ſi febre corripiantur, minùs recidiuæ, vt opinor, accidunt.

Quum bene & perfectè ſoluuntur morbi, non accidunt recidiuæ, fiunt enim ex ijs quæ relinquuntur in morbis. Dicit igitur Hippocrates eos qui laborant capitis grauedine aut raucedine, meliùs ac perfectiùs liberari, ſuperueniente febre quàm aliter. Quod quidem eadem ratione fit, quâ qui conuulſione tenentur, febre liberantur: coquit enim ſuccos erudos, & ſiccat humectatas partes. Abſumit certè ſemper ſuccos omnis febris, & ſuam cauſam conficit, verùm ad nullos affectus adeò vtilis eſt, vt ad eos qui ex ſuccis crudis pendent. Hi enim vt qui crudi ſunt, poſſunt calore emendari, reliqui, vtpote iam cocti, nil aliud poſſunt quàm putreſcere. Quare maiori cum periculo tentatur eorum conſumptio per febrilem calorem. Grauedo & raucedo, ex pituita plerumque eſt, ea præcipuè quæ eſt ex capite. Nam & ipſum caput naturâ pituitoſum cum ſit, talibus morbis eſt opportunum. Raucedo aliquando fit ob caput, aliquando ob totum corpus; grauedo capitis ſemper eſt paſſio, ſed non ſemper in eo eſt primaria, ſed fit nonnunquam recipiente capite aliunde. Quæ ob primariam paſſionem capitis fiunt grauedines, & raucedines, duabus cauſis curantur febre, meliùs quàm reliquæ, & quia pituiſiores magna ex parte ſunt, & quia totius corporis redundantiæ, & cacochymiæ magis cedunt miſſioni ſanguinis aut expurgationi. Ob hæc dicit, iis, qui ex capite laborant grauedine aut raucedine, minùs fiunt recidiuæ ſi febre correpti ſint.

QVicquid ſuppurat recidiuam non patitur. Ipſa enim concoctio & iudicationis ſimul & abſceſſus rationem habet.

Ἀνυπόστροφον, id eſt, ſine recidiua dici intellige, non quòd recidiuam omnino non poſſit habere, ſed quòd rarò habeat. Fieri enim poteſt vt in eandem partem tumor præter naturam redeat, in qua per ſuppurationem fuerat anteà curatus: videmuſque id factum non ſemel, quòd pars debilis manſerit, atque ob id redundantes in corpore humores recipiat. Quamquam id perrarò, neque niſi cum per intempeſtiuum ſarcoticorum vſum pars nondum ſatis expurgata, curata eſt, alioqui non fit niſi multò poſt, collecta ſcilicet noua in corpore multitudine, aut cacochymia, vt conſtet iam non eiuſdem morbi eſſe recidiuam, ſed alium morbum. Itaque potes affirmare, omne ſuppurans quod rectè curetur, eſſe omnino ſine recidiua. Erit itaque ferè vniuerſalis aſſertio. Illud ſaltem verum eſſe colligitur, ex iis quæ Hippocrates hoc loco &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 319 sur 489

aliis dicit, & quæ experimento comperiuntur, ſuppurationem ſine recidiua magis eſſe quàm reſolutionem, hoc eſt rarius multò recurrere breui tumores per ſuppurationem ſolutos, quàm per reſolutionem. Reddit Hippocrat. cauſam, dicens, ipſa enim concoctio, & iudicationis ſimul & abſceſſus rationem habet. Suppuratio re vera, vt alibi indicauimus, concoctio quædam eſt, dicit verò, ipſa concoctio, quaſi non hæc ſola, ſed aliæ etiam ſint morbi concoctiones. Nimirum Hippocr. ſolutiones morborum ſolet concoctiones vocare, vt quum dicit, vt virtus poſſit durare, donec morbus concoquatur. Cùm igitur eo nomine ſic vtatur Hipp. intelligere potes, hæc concoctio, id eſt, hæc ſolutio. Eſt igitur, dicit, hæc ſolutio, criſis ſimul & abſceſſus, id eſt abſceſſus & euacuatio. Nimirum per ſuppurationem non perſanatur homo, antequàm humor in ſinum quendam abſceſſerit, & ſinu rupto euacuatum pus ſit, atque vlcere multis diebus manante, pars mittens, & primaria morbi illius ſedes ſit perpurgata. Fit ergo non tantùm abſceſſus humorum in partem quampiam, ſed etiam per eam partem totius corporis, aut partis primariò affectæ purgatio. In reſolutione non ita fit, ſed eo ſucco qui in tumorem eleuat diſcuſſo, pars ſubſidet, & interim apparatus, ſi quis adhuc erat, interiùs remanet. Quapropter ſuppurationem minùs reuerſiuam eſſe quàm reſolutionem verum eſt, ſiue de reuerſione ipſius tumoris intelligas, ſiue alterius prioris morbi, qui eum pepererit abſceſſum. Velut ſi ex febre aliqua laborioſa tumor præter naturam homini eruperit, liberior erit à reditu febris & tumoris, ſi ſuppuratione curetur, quàm ſi reſolutione. Si enim rupta ſuppurationis vomica, eſt parti primariò affectæ pro emunctorio, ſeu, vt dicunt, vulgò pro fonte, liberabit non tantum à ſecundario, ſed etiam à primario affectu. Huc accedit quod ſuppuratio non poteſt eſſe curatio fallax, vt reſoltuio. Sæpe enim tumor ſubſidet, quaſi reſolutus, ſuccus tamen verè reſolutus non eſt, ſed retroceſſit: quo caſu conſtat paratam eſſe recidiuam, vtpote manente interius cauſa. Hæc ſaltem deceptio non poteſt contingere per ſuppurationem: in pus enim mutatus iam ſuccus, & in ſinu collectus haud quaquam poterit retrocedere, ſed neceſſariò euacuabitur ſenſibiliter, niſi omnino ſit perpaucus, vt reſolui poſſit. Simile quiddam euenit in fluxionibus, ſeu partium quarundam cacochymiis, vt grauedine, aut raucedine: atque adeò in febribus, omnibus que in morbis quibuſcunque pendentibus ex ſuccis. Illi enim omnes habent ſolutiones quaſdam dictiis analogas, atque ita hæc ſententiola ad omnes morbos pendentes ex materia rectè transfertur. Nam & coryza aliquando videtur euaneſcere inſenſibiliter curata, aliquando non ſine copioſâ craſſorum, & puri quadam ex parte ſimilium emunctione: febrem quoque videmus ſæpe citra concoctionem materiæ, & euacuationem deſiſtere, quaſi inſenſibiliter reſolutam, plerumque autem cum euacuationibus, quas concoctio anteceſſit. In his omnibus plurimum poteſt ad ſecuritatem, & ne recidiua fiat, per ſuppurationem liberari. Dico autem inflammationem per propriè vocatam ſuppurationem: coryzam per emunctionem craſſorum; raucedinem, per excreationem: nephritidem, per mictionem excrementorum: & alia huiuſmodi. Febrem vero per hanc aut illam euacuationem, poſt quam apparuerint ſedimenta, quorum generatio ex morbi materia, velut ſuppuratio quædam eſt. Igitur omnes hæ morborum ſolutiones, quę curationi phlegmones per ſuppurationem ſunt analogæ, ſecuræ magis ſunt à recidiuis, quàm reliquæ euaneſcentiæ: quia per illas maturationes ſimul & euacuationes copioſæ ſiunt, & corpora perpurgantur, abitque ſimul cum ipſis morbis etiam apparatus morboſus: per has non ita, ſed aut coniuncta ſolùm vocata cauſa conſumitur, manente ea quæ vocatu, antecedens, aut ne ea quidem tota, ſed pars eius latenter in partem quampiam abſcedit, vnde rurſum mora, morbum reducit. Sed dices, videri Galenum atque cum eo alios omnes medicos & chirurgos, his repugnare, quandoquidem præferunt reſolutionem ſuppurationi, tanquam potiorem ſolutionis modum: neque profectò ſine ratione, quia reſolutio eſt morbi ſublatio, ſuppuratio verò eſt commutatio cum alio morbo. Quantò igitur præſtantior eſt ſolutio morbi permutatione, tantò reſolutio ſuppuratione: eſt autem quæcunque ſolutionis ſpecies tantò ſecurior à recidiua, quantò præſtantior, eſt igitur & reſolutio ſecurior quam ſuppuratio, alioqui quis non eligat ſibi ſecuriorem curationem? Vt hæc controuerſiola decidatur, ſcire oportet, reſolutionem & ſuppurationem, eiuſdem morbi curationes eſſe, verùm ſuppurationem reſolutione eſſe auxilium maius & poſterius. Nam exiguæ inflammationes, & ex tenui ſucco pendentes, reſolutione curantur: maiores vero, & ex craſſo, non poſſunt niſi ſuppuratione: Maius igitur remedium eſt ſuppuratio, quam reſolutio: qua propter accidet eis quod aliis omnibus auxiliis, vt minora quidem & pauciora meliora ſint, quàm maiora & plura, ſi ſufficiant. Nunquam enim Hippocrates ad auxilia maiora venire volebat, niſi cum minora non eſſent ſatis. Rectè igitur vel hac ſola cauſa dicitur meliorem eſſe reſolutionem ſuppuratione, quia minus eſt auxilium, & ob id cum minori moleſtia & leſione peragitur. Verùm quia non omnibus inflammationibus ſufficit, ſi quando, in his quæ ob magnitudinem aut ſucci craſſitiem, videbantur ſuppuratione indigere, reſolutio facta videatur, parum eſt ſecura ſolutio, minor enim enim quàm pro morbi magnitudine aut contumacia, quare ei ſolutioni merito non fiditur, vtpote quæ præter rationem contigerit. Hoc idem habent omnia alia auxiliorum genera quæ quum minora ſunt meliora: quæ quum maiora, magis ſine recidiua ſunt. Non enim curari debet ferro niſi quod non cedit medicamento, neque igne, niſi quod non ferro: tamen quę curata igne ſunt, minùs reuerti quàm quæ ferro, & hæc quàm quę medicamento, omnes chirurgi fatentur. Ita igitur reſolutio melior eſt ſuppuratione, ſuppuratio vero minùs reuerſiua. Quod ſi Galen. (vt propoſito argumento reſpondeamus) ponit in bonæ iudicationis ratione ſecuritatem, cenſens eam ſecuriorem quàm meliorem: ego quoque idem conceſſerim, non quidem ſimpliciter, ſeu in genere meliorem, ſed quæ ſit huic melior. Non enim ſiquis dicat vniuerſim meliorem euacuationem eſſe fluxum ſanguinis ex naribus quam ventris profluuium; tenetur ſtatim concedere

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 320 sur 489

in quocunque id etiam verum esse. Ita quidem resolutio in genere melior est suppuratione, non tamen etiam in quocunque, nam in eo qui suppuratione indiget, non est resolutio melior, sed deterior, eidemque minùs secura; itaque est in genere melior & minùs secura: ad singulos verò, cui melior eidem & securior. Simile quiddam ei quod de inflammationibus dictum est, euenit etiam aliorum morborum, qui pendent ex causa, solutionibus. Sæpe enim febris putrida ex adeò pauca pendet materia, vt sine manifesta euacuatione, neque materiâ coctâ, sed dissipatâ, & propriam constitutionem non expectans soluatur insensibiliter. Quæ solutio optima quidem est, & facillima, verùm rarò secura, quia perpaucæ sunt febres ex tam pauca pendentes materia: ita etiam pleuritis vera sine vlla excreatione cessat aliquando, quòd sit tam exigua vt solis cedat fomentis, perrarò autem erit secura ea euacuatio: in coryza & raucedine, & omni alio morbo euenit perinde. Quare non in vno aut altero, sed in omni iam morbo verum est quod Hipp. dicit, quicquid suppurat recidiuam non pati.

Quibusdam quum venere vtuntur inflatur venter, vt Damagoræ accidit: quibusdam autem tunc fit crepicus, vt Arcesilao.

Paulò infrà in hac eadem sectione occurret oratio alia, quæ hoc idem continet, & apertiùs explicat, quod Damagoræ & Arcesilao accidebat. Quare illam oportet huc transferre, vt hæc intelligatur. Illa ita habet. In mulierum congressibus quidam crepitum emittunt vt Arcesilaus: quidam quum sunt congressuri, horrent & corrugantur: quibusdam autem postquàm congressi fuerint, venter inflatur vt Damagoræ. In ea ratione constat προσόδοισι significari idem quod hic per ἀφροδισιάζειν, ipsos scilicet coitus, seu congressus cum fœminis. Constat quoque, conuenitque inter omnes interpretes, illud nomen ψόφος, quo hic vtitur, & verbum, ἀποψοφέειν, quo illic, significare emittere flatum ex ventre cum crepitu. Damagoræ igitur contigit, cùm coisset inflari ventrem: Arcesilaus autem inter coëundum emittebat flatum cum crepitu, atque vt significaret hoc dixit Hip. quibusdam in his (hoc est in ipsis Venereis) strepitus fit. Itaq; dicit vtentibus Venere flatum augescere, idque non omnibus eodem tempore, neque eodem modo, sed quibusdam cum vsi sunt, quibusdam cum vtuntur, aliis cum iamiam instigantur ad Venerem: rursum horum quosdam ob flatum intumescere semen ventrem, alios ob flatum toto corpore delatum rigere, alios emittere flatum cum crepitu. Neque sanè dicit Hipp. hæc accidere omnibus vtentibus Venere, sed quibusdam: neque solùm hoc ita accipiendum, quod etsi omnes ob Venerem lædantur modo aliquo horum, quibusdam tamen hoc, quibusdam illud, quibusdam aliud accidat, sed quòd non omnes aliquam harum læsionum contingant, sed plurimi nihil patiantur horum, alij autem quidam lædantur modo aliquo horum. Quidam (vt Gal. narrat) veterum interpretum, censebant hæc dici non de omnibus qui Venere vtuntur, sed de ijs qui primùm incipiunt hircire, & Venere vti. Videntur huic interpretationi fauere verba quædam, quæpaulò infrà ante nunc citata scripta occurrent. Ita enim legitur eo loco, cum Venere vti incipiunt, sanguinis profluuio laborant, in mulierum congressibus quidam crepitum emittunt vt Arcesilaus. Cæterùm experimento constat, neque omnes qui primùm incipiunt vti Venere ledi aliquo modo horum, sed quosdam fortassè. Cùm igitur non omnium qui Venere vtuntur, siue primò siue iam sæpiùs, sint dictæ læsiones, quorundam erunt eorum qui parati sint ita lædi: velut ab alia quauis procatarcticâ causâ lædentur, qui parati sunt ab ea ita lædi, vt à sole & labore febricitant non omnes, sed qui parati sunt febricitare. Igitur oportet definiamus, qui sint parati ita lædi à Venere. Illi certè sunt qui flatuosi, cuiusmodi maximè sunt hypochondriaci, qui ob hoc ipsum dicuntur à medicis laborare morbo flatuoso. Hi vt Galenus & Aristoteles perhibent libidinosi sunt, vsu tamen Veneris lædentur & fiunt flatuosiores. Vt sint libidinosi facit flatus, nam distendit pudendorum meatus, & semen facit magis pruriens. Eandem ob causam interdicitur ijs qui priapismo laborant aut gonorrhœâ vsus leguminum, & rerum flatuosarum: vt verò lædantur à Venere facit inopia naturalis caloris, quâ laborant. Refrigerantur enim plus etiam quàm alij, quia simul cum flatu vitalis spiritus effluit illis abundantiùs: fiunt ergo meritò flatuosiores. Consentaneum est ergo censere eos esse huiusmodi, quibus accidunt ea quæ his orationibus continentur, ac præter melancholicos hypochondriacos, alios etiam omnes, qui vtcunque sunt flatuosi. Non enim omnes flatu abundantes, sunt hypochondriaci: etsi hypochondriaci omnes flatu abundent. Hic autem dubitari potest, an hoc quod dicitur ita se habeat, an scilicet hypochondriaci lædantur vsu Veneris: videntur enim iuuari potiùs, quod si iuuantur non fient flatuosiores, sed potiùs subleuabuntur à morbo, & minùs flatu cruciabuntur. Iuuari verò multos melancholicos Venere constat, siquidem vt dicit Gal. 6. de loc. affect. retentione seminis fiunt multi melancholici: qui seminis excretione necessariò iuuantur. Exemplo est quidam cuius eo loco Galen. meminit dicens, quidam vxoris mortem lugens, & à concubitu, quoantea fuerat vsus, abstinens, cibi cupiditatem amisit, ac ne exiguum quidem cibum concoquere potuit. Vbi verò se ipsum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur: mœstus etiam apparebat, non solùm has ob causas sed etiam (vt melancholici solent) citra manifestam occasionem. Verùm hic ad pristinam consuetudinem rediens, quàm celerrimè liberatus est. Igitur haud dubiè multis melancholicis, siue sint hypochondriaci, siue secùs, Veneris vsus est salutaris, quibus scilicet ex corruptione seminis morbus ortus est. Alia etiam ratione dicit Galenus hypochondriacos videri subleuari vsu Veneris, quòd scilicet excernantur flatus cum semine, & ipso congressus calore discutiantur, detrudantúrque ex hypochondrijs: subleuantur ergo hanc ob causam, vt & ructibus subleuari anteà in hoc ipso sermone diximus: videtur etiam accedere alia causa ex voluptate Venerea, cùm enim melancholicis mœtu & mœstitia maximè affligantur, contingit vt voluptate reddantur alacriores, atque adeò meliùs

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 321 sur 489

©BIUM

ſeſe habeant. Tot igitur cauſæ ſunt quibus quis ſibi perſuadeat, melancholicis Venerem eſſe cauſam ſalubrem, alioqui enim videtur eſſe aduerſiſſima, quia eſt refrigerans & ſiccans, & exhaurit ſpiritus: illi verò ſunt frigidi & ſicci, ichoroſi & flatuoſi, & bonorum ſpirituum inopes. Certè ij qui ob retentionem corrupti ſeminis facti ſunt melancholici, ſiue hypochondriaci, ſiue non, nec dum admodum ſunt iam facti debiles in eſſentia, haud dubiè iuuabuntur vſu Veneris. Nam morbos ex repletione ſanat euacuatio, cum excernantur qualia oportet, hoſt eſt propria cuiuſque morbi materia & cauſa: alijs verò omnibus melancholicis noxia eſt Venus, niſi fortè admodum moderata & rara, nondum debilibus: his enim non quod propriæ materiæ ſit euacuatio vt prioribus, ſed ob poſteriores cauſas, ob flatus, inquam, aliquam diſcuſſionem, & ob alacritatem poterit leuamen quoddam afferre, ſed neque id magnum vt prioribus, neque certè durauerit, ſiquis leui illo ſolatio allectus perſtet Venere vti, recidet enim in longè maiorem noxam, ob refrigerationem, ſiccationem, & ſpirituum exhauſtum, quod ſiqui horum ſint iam in eſſentia debiles, quales ſunt eorum multi, non tantum à multa & longa ſed à quantulacunque Venere lædentur, neque verò ſolum poſtea ſed mox ab ipſo congreſſu ſentient ſeſe læſos eſſe, & deterius habere. Notæ autem vtilitatis à Venere ortæ ſunt, facilior ſpiratio, alacritas animi & corporis, promptiorque ad omnia ſenſus: noxæ autem contrariæ. Porro quod hac oratione ab Hippocrat. dicitur, vtriſque euenire poteſt, & ijs inquam quibus Venus vtilis eſt, & quibus damnoſa. Nam his accidet tumor flatuoſus ventris, aut excretio cum crepitu, aucto flatu ob naturalis caloris extenuationem (& hi quidem periclitantur fieri ex multa Venere tympanitici: præcipuè quibus flatus retinetur, & inflat ventrem) illis verò accidet excreto flatu, aut ex hypochondrijs deorſum truſo. Nimirum calore & motu euenit flatum qui in inteſtinis erat extenuari, & extrudi, aut qui in hypochondriis ad hypogaſtrium detrudi. Sunt igitur hæc ſymptomata Veneri ſuccedentia, notæ flatuoſæ naturæ, aut diſpoſitionis: per ſe verò neque bona neque mala, ſed neutra: in genere eorum, quæ aliquando cum malo, aliquando cum bono hominis fiunt: quia aliquando fiunt materia aucta, aliquando vacuata, aut reiecta ab hypochondriis. Bona autem an mala fuerint, agnoſces eiſdem ſignis quibus agnoſci diximus, læſus ne ſit homo qui vſus eſt Venere, an adiutus. Conſtat ex dictis deteriorem diſpoſitionem ſignificari tumore ventris à coitu, quàm excretione flatus in ipſo coitu. Quia craſſioris flatus & debilioris expultricis ſignum eſt, abſcedere quam excerni: hoc verò expultricis fortioris, & flatus tenuioris. Atque ita crepitus, vt leuior paſſio in ipſo congreſſu ſit; tumeſcentia autem ventris, vtpote paſſio maior, non ſit, donec calor ipſius congreſſus conquieuerit.

In aliquibus codicibus legitur non πτερυγωδέσι, id eſt alatis, ſed πτυρωδέσι, id eſt furfuroſis, & euenit hæc lectionum differentia à Galen. quin & à Dioſcoridis ſæculo, vt conſtat ex Galen. verbis. Mihi verò placuit ſequi hanc lectionem, quia ſenſus quem reddit conſtrmari poteſt experimento. Nimirum furfuroſos flatuoſos eſſe, neque experimento neque ratione conſtat: alatos verò, eos inquam qui ſunt anguſto pectore, & eminentibus humeris, & ob id parati ad hæmopthoicas paſſiones, & ad phthyſim, flatuoſos eſſe Galen. teſtatur, eſſe ſibi experimento cognitum, & conſonum rationi. Nimirum anguſtia thoracis, vt in arte medicinali dicitur, cordis ſignificat frigiditatem, cùm verò in homine cor ſit quod eſt primò ac ſummè calidum, eo frigidiore, neceſſe eſt totum corpus frigidius eſſe, & flatuoſum. Flatum verò paratum eſſe dirrumpere vaſa, & commouere fluxiones, atque ob id hæmoptoicam paſſionem, & phthyſim facere, libello de flatibus diſſertè admodum docetur. Dicit ergo alatos non ſolùm ob eam figuram, ſed etiam quia ſunt flatuoſi, ſolere dictis morbis corripi, eſſeque flatum ξυναίτιον quaſi diceres concauſam, hoc eſt, ſimul cum eâ figurâ cauſam eſſe talium paſſionum.

Flatus ſimul cauſa eſt in ijs qui ſcapulas alarum inſtar prominentes habent, etenim ſunt flatuoſi.

Valdè frigidum, velut nix & glacies venas rumpit & tuſſes excitat. Humorum autem collectiones facit, quales ſunt Pherea & gongronæ, durities autem eſt ſimul cauſa.

Φήρεα, interprete Galeno in commentario huius loci, & libello abſoletarum vocum Hippocratis ſunt longæ ſub auribus granduloſæ eminentiæ, quales ſatyri habere finguntur. Γογγρένη eſt quę vocatur bronchocele, id eſt, gutturis ramex, eſt eminentia quædam magna & rotunda in collo, ea ſcilicet quæ barbaro nomine vocatur bozium. Nihil continet aliud hæc dictio, quàm quod in aphor. 24. ſectionis quintæ, vbi dicitur, frigida qualis nix & glacies pectori inimica, tuſſes mouent, & ſanguinem, & deſtillationes: Rurſum alio aphoriſmo, Cutem obdurat & dolorem inſuppurabilem facit. Hoc idem eſt quòd nunc dicit, adijciens quędam quæ ad illa pertinent, vt non ſit vlla melior ratio interpretationis, quàm coniunctis ambobus locis. Nimirum quia ſanguinem commouet & deſtillationes, & pectori inicum eſt, frangit venas, & hęmopthoicas facit paſſiones, & ob hæc ipſa tuſſes ciet. Quia autem cutem obdurat, & ſuppurationes (eadem ratione & reſolutiones) prohibet, ac præterea quia fluxiones ex capite commouet, facit pherea & gongronam, deſtillantibus ſcilicet humoribus ex capite, & ob denſitatem cutis in diſſolubiliter hærentibus, & firmatis in partibus. Iuuat autem horum generationem naturalis cutis durities, quod vt doceat dicit, συναίτιον δὲ αἱ σκληρότητες.

Poſt mictum concretio in pueris magis contingit, nunquid quia calidiores ſunt.

Σύγαιμα, id eſt concretio, interprete Galeno libello abſoletarum vocum, ſignificare poteſt a-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 322 sur 489

pud Hippocrat. aut concretionem quandam, aut appendiculum, aut ſedimentum vrinæ, aut toſum. Atque hoc vltimum dicit Galen. melius eſſe intelligere ſexto Epidemiorum, hoc ſcilicet loco. Teſtatur enim Galen. in huius dictionis commentario, nullo alio loco ſe inueniſſe hoc nomen, præterquàm in ſeptimo Epidemio. quem librum haud opinatur Gal, Hippocr. eſſe. Suſpicari itaque potes, dicere Hippocr. vrinam puerorum, paulò poſt, quàm eſt micta, concreſcere aut conturbari, vel appendiculum ſedimentumve fieri ſolere in vrinis, ſecretione aut concretione facta, partium craſſarum, præcipuéque id fieri in puerorum vrinis. Atqui poteſt videri ſenſus hic facilis & verus. Dicitur enim in libello de vrinis, qui nomine Galeni circumfertur, puerorum vrinas multam & craſſam ſubſidentiam habere, ob eorum voracitatem, & inordinatos motus. Potes itaque interpretari Hippocratem hoc idem nunc dicere, concreſcere ſcilicet vrinas, aut ipſas totas, aut partes in eis craſſiores ſeorſum (vtrumque enim euenit) dubitanter verò eum dicere, an quoniam calidiores? Opinari enim varia licet de cauſa, atque aut in voracitatem & inordinatos motus id reiicere, aut in calidiorem naturam, præcipuè ſi nomine concretionis intelligatur appendiculum, aut ſedimentum: fiunt enim hæc concoctione. Sed & vrina tota craſſa, & quæ perturbatur citò, in voracibus eſt ſignum caloris. Voraces enim homines frigidos naturæ reddunt vrinas tenues, albas, & ſummè crudas. Iuxta has interpretationes pertineret quidem hæc ſententiola ad differentias & cauſas vrinarum neque certè haberet quidpiam improbandum. Sed ſatius eſt eam ſequi interpretationem quam Galenus ſequutus eſt, alioſque omnes interpretes ſequutos dicit, videlicet agere hic Hippocrat. de calculorum in veſicâ generatione, qui morbus pueris eſt familiaris, vt tertio etiam aphor. dictum eſt. Generantur enim lapilli qui mictu reiiciuntur partim in renibus partim in veſica. Pueris quidem fiunt in veſica frequentiùs: adultis, in renibus. Cauſam ob quam pueris fiunt in veſica, dicunt medici, eſſe eorum voracitatem: ob quam ſenioribus generantur in renibus eſſe duritiem renum, & anguſtiam viarum, & debilitatem expultricis. Sed cur pueris non affert voracitas calculos etiam in renibus? An ob molliciem laxitatemque viarum, & expultricis robur? Cur hæc eadem non eos liberat à calculis etiam veſicæ? Rurſum cur ſtrictura viarum, & duritiès partium, & debilitas expultricis, non afferunt veſicæ calculos etiam ſenibus? Hip. videtur inſinuare, cauſam eſſe in calore intenſiori. Verùm ſi hæc eſſet cauſa, videntur iuuenes, qui non ſunt pueris minùs calidi, calculis veſicæ non minùs laboraturi, quàm illi. Porrò pueri laborarent calculis renum non minùs quàm veſicæ. Non enim minùs, ſed plus etiam illi concreſcunt calore. Non igitur hæc eſt cauſa, aut ſaltem non hæc ſola, ſed aliquid aliud oportet adiici dictis cauſis, quod ego addam, hinc exorſus. Vtrobique & renibus (inquam) & in veſica, gignuntur lapides ex craſſis velut fæcibus, quæ cum vrina deſcenduut, hærentque in via, velut ex craſſitudinibus aquis generantur toſi in aquæ ductibus. Materia itaque eſt craſſum, crudum, aut fęculentum: efficiens autem cauſa, calor partium. Cùm enim nulli tales lapides calore

A liquentur, calore concretos eſſe omnes conſtat, non tamen proinde fit, vt ſit ſemper calida intemperies in loco, vbi generantur lapides, nam vbi magna eſt materiæ aptitudo, exigua efficientis cauſæ vis ſufficit, arq; ita vbi craſſum & lentum eſt quod in vrinæ vias congeritur, ſolus ille calor eſt ſatis ad concretionem, ſine quo non poſſunt viuentium partes conſiſtere, velut aliquando etiam ob calidam intemperiem concreſcunt, quæ alioqui non concreſcerent, quòd non adeò ac priora eſſent concretioni idonea. Igitur gignendorum lapidum duplex eſt cauſa, calor maior, & pluris craſſæ materiæ detentio. B Vt plus materiæ detineatur, cauſa eſt, quòd plus deſcendat cum vrina, aut quòd viæ ſint anguſtiores, aut expulſio agatur debiliùs. Calor renum quàm veſicæ maior eſt, in omni ætate, & ſexu, puerorum verò & iuuenum æqualis & vtrorumque maior quàm ſenum. Quare hac ratione pueri & iuuenes æquè eſſent calculoſi, & vtrique magis renibus quàm veſica, & vtrique magis quàm ſenes. Verùm ſenes colligunt maiorem copiam ſuccorum crudorum ob impotentiam coquendi, qui C deſcendunt illis abundantiùs ob exiguam diſcuſſionem, quæ illis eſt omnibus, & ventris ſiccitatem, quæ adeſt eorum multis: vias etiam habent anguſtias, & facultatem expultricem debilem. Ob quæ omnia, neceſſe eſt magis calculoſi ſint quàm illorum vtrique & in renibus magis ob eorum anguſtiam naturalem. Puerorum vrinam, etſi videam medicos omnes ferè ita affirmare, ego non exiſtimo eſſe ſordidiorem, & craſſis crudiſque magis abundare ſecundùm naturam, quin potiùs minùs perturbatam, & limpidiorem, quia etſi ſint voraces, habent tamen aluos laxiores, & diſcuſſionem per corpus totum longè maiorem. Quorum illud D facit, vt maxima pars craſſorum & incoctilium per aluum anticipet deſcendere: hoc, vt reliquum inſenſibiliter diſcutiatur; cum vrina verò deſcendat non adeò multùm. Hoc verò ita ſe habere præter dictam rationem, cognouit experimento vel vulgus hominum, qui puerorum vrinam, & tenuiorem & limpidiorem, ad innumera opera requirunt. Hac igitur cauſa multo minùs calculoſos eſſe euenit pueros quàm alios omnes, atque re vera in renibus tales ſunt. Verùm habent quandam inſignem occaſionem colligendi calculos in veſica, E ob quam aliis omnibus plures colligunt: ea eſt in languida expulſione. Nam expulſio renum eſt merè naturalis, & ob id in pueris eſt, non minùs vehemens, quàm in aliis vllis veſicæ vero expulſio à facultate animali plurimum dependet, vtimur enim ad mingendum muſculis abdominis, & præterea muſculo quodam magno qui à veſicæ ceruice producitur per totum colem, multis fibris velut digitis vtens, quaſi mulgens, vt vno perpetuóque impetu exeat vrina. Pueris animalis facultas eſt debiliſſima, atque propterea minori impetu mingunt F quàm viri, quo fit vt eorum veſica nunquam mingendo perpurgetur, ſed ſemper fiat illis poſt mictum concretio, hærentibus vrinæ fœcibus circa eius oſculum: non aliter atque concreſcere ſolent ſordes, & arenæ in matulis, ac multo magis in vaſis orificij anguſti, cum non effunditur liquor magno impetu, ſed paulatim aut languidè. Hanc ob cauſam, etſi puerorum vrina ſordidior non ſit, magis tamen illis fit concretio in veſicâ poſt mi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 323 sur 489

ctum, quia quicquid ſordium, adeſt, ob languidum vrinæ motum hæret, neque cum illa exit, ſed congeritur: in renibus non ita, hi enim vt qui naturali expultrice, quæ in pueris eſt fortiſſima, expurgantur, facilè ſe ab omnibus expediunt: accedit mollities partium, & amplitudo viarum, vt ad proprij corporis magnitudinem. Quam igitur ab rationem pueri, ob eandem etiam qui dyſuriâ aut ſtranguriâ laborant, periclitantur calculum in veſicâ gignere, quòd ſcilicet debiliter mingant, quod Ferdinando à Mena præceptori meo, qui etiam ante me fuit Philippi ſecundi medicus cubicularius, poſtquam & ipſe Compluti primariam cathedram multos annos fœliciſſimè rexerat, contigit. Cui poſt mortem exciſſo ſolidiſſimus lapis, pluſquam ſeptem vncias pendens, extractus à veſica eſt. Hic multos ante annos renum calculo laborauerat, vt fit veriſimile, inde detruſum eſſe lapidem qui veſicę hærens, ſtranguriam fecerit, ac per eam in tantam excreuerit molem: quod & in ſenibus omnibus cenſeri debet qui cùm antea laborauerint morbo renum, nunc laborant veſica. In quibus verò ſtranguria eſt, etſi nullus morbus renum anteceſſerit, timeri etiam lapis veſicæ debet, non qui deſcenderit ex renibus, ſed illic ob languidum mictum congeſtione genitus ſit. Nam fit poſt mictum concretio in omnibus, qui quacunque cauſa languidè mingunt, fit verò id in pueris (& in ſenibus quidem, nunc verò de pueris eſt ſermo) quia naturale eſt his languidè mingere. Addidit verò Hippocr. num quia calidiores, rectè ſanè dubitandi particula vtens, vt inſinuaret, eſſe quidem aliquatenus cauſam in calore, non tamen omnino, ſed in omnibus iis quæ dicta ſunt.

FIguræ quædam magis ſubleuant, velut accidit illi qui ſarmenta manu componens & contorquens præ doloribus decumbebat, is paxilli defixi extremitatem corripiens adhæſit, & ſubleuatus eſt.

Figuram vocat ſemper Hippocrates corporis poſitum, vt quòd ſtet, ſedeat, ac decumbat, pronus, aut ſpinus, exporrectis cruribus, aut contractis, aut rei alicui incumbat. Quantum poſſit figura commoda aut incommoda prodeſſe aut lædere. Hippocrates docuit diſſertiſſimè libello de medicatrina, & de articulis: nunc verò vno quodam exemplo indicat. Dicit, τὰ σχήματα τὰ ῥηϊζοντα μᾶλλον, hoc eſt figuræ aliquando plurimùm poſſunt ad leuandos dolores: vt euenit, quendam ruſticum, cùm de more ſamenta contorqueret & implecteret, dolore quodam ingenti corripi, adeò vt procumbere cogeretur, qui paxillum corripiens, & velut infigens eum ſibi, adhæſit eius extremo fortiter, & ſubleuatus eſt. Galenus ſuſpicatur eum dolorem fuiſſe manus, ego verò crediderim fuiſſe dolorem aliquem ventris ex flatu: tales enim dolores ſolent ſubleuari compreſſione forti, & corporis iactatione, ac mutatione figuræ, quia hinc inde pulſus flatus, minùs in parte nocet, & tandem expellitur. Ego ipſe ſoleo hoc dolore teneri, & nulla in re maius ſolatium inuenio, cùm cauſa admodum firmata non eſt. Et velut natura ipſa docti, quicunque dolent parte aliqua, pugno eam premunt, niſi cùm phlegmonoſus affectus doloris eſt cauſa.

QVem ex montanis laboribus iuxta pontem vidi iactantem crura, tibia altera minimè illi extenuabatur, femora autem valdè: vrina & genitura non retinebantur.

Cùm hanc ſententiã intactam reliquiſſet Valleſius, vices illius ſupplere, eámque pro ingenij modulo enarrare conabimur, eóque lubentiùs, quod obſeruationem difficultatibus quidem obuolutam ſed notatu digniſſimam contineat. In ea igitur breuem concinnat Hippoc. hiſtoriam cuiuſdam montanis operibus addicti, ex quibus incidit in affectum neruorũ, qui ex ſpinali medulla circa lumbos & os ſacrum exorti, cruribus motum impertiunt, & ſurculos largiuntur muſculo qui vrinam in veſicâ coaceruatam cohibet; ſiue igitur nernis ſolùm læſis, ſiue ipſa potius ſpinali medullâ affectâ, femora adeò extenuata & debilitata ſunt, vt dum progredi conabatur, crura (vt cenſet Galenus) extrorſum iactaret, & diſiiceret, vel motu quodam tremulo aut concuſſiuo illius crura agitarentur. Altera tibia minimè extenuabatur, non quòd vberius alterâ nutrimentum exciperet, ſed quòd propter humoris cuiuſdam decubitum, defectus nutritionis lateret. Cauſa quidem procatarctica indicatur his verbis ἐξ ὀρεινπίης, id eſt, poſt exanplatos in montibus labores vel ἐξ ὀξεινπίης. i graues & acutos labores, vt legit Mercurialis. At quiſnam fuerit affectus nondum conſtat, non enim vertebrarum luxationem aut perfectam neruorum reſolutionem accidiſſe cenſendum eſt, quomodo enim crura iactaſſet? Hic fuit, ni fallor, γονπαῖος κατὰ ῥεῦς, cuius mentionem facit Hippocr. 2. de morbis, in quo ſecundùm ſpinam veluti formicarum decurſus percipitur, cui non admodum abſimilis eſt φθίσις γονπαῖος, affectus neogamis familiaris eſt iis qui immoderatâ vtuntur venere. Veriſimile eſt igitur ſpinæ medullam tantus laboribus concuſſam, tantis oneribus compreſſam fuiſſe, atque ob dolorem concitatam humorum proluuiem emolliuiſſe, & quodammodo reſoluiſſe neruos, qui ex lumbis & oſſe ſacro in crura & muſculos conſtrictores excurrunt, vnde vitiato partium alimento crura laboraſſe atrophiâ, & deprauato motu progreſſiuo alimentum non attraxiſſe, ipsámque vrinam & genitale ſemen vtpote humidiora excrementa inuoluntariè effluxiſſe, facilè enim ab his reſerari potuerunt muſculi obturatores ob neruorum debilitatem: nec animuſculos vitio caruiſſe credendum eſt, etſi de alui deiectionibus fileat Hipp. verùm cùm craſſiores eſſent, & exortâ febre vel ieiunio aut præcreſſis laboribus exſiccatæ, non facile demittebantur.

QVicunque naturâ habent latera alarum inſtar eminentia ob imbecillitatem occaſionis, in fluxionibus malignis, ſiue excretio fiat, ſiue non, illis malum portenditur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 324 sur 489

Προυγόδεες natura paratos esse ad tabem dictum est libro tertio, nunc huius rei causam reddit, & periculum exagerat, dicens, tales homines periclitari à fluxionibus malignis, idque siue tussiendo excreetur materia, siue non, sed insideat immoretúrque in pulmone. Ἀ'φορμὴ Galeno interprete, vocatur ab Hippocrate causa in genere eius quæ dicitur ab Aristotele impulsius: Referri potest illud, ob impotentiam occasionis, ad alatas naturas, quasi dicatur, alatas naturas costarum quæ fiunt ob impotentiam occasionis: aut ad fluxiones malignas, quasi diceretur, in malignis fluxionibus, quæ fiunt ob impotentiam occasionis. Primo modo impotentia occasionis erit, impotentia facultatis formatricis, quæ corpora nostra dilatat, & naturalis caloris, quo illa vtitur: secundo modo intelligetur occasionis nomine pars primariò affecta, & à qua venit malum, velut in illa oratione libri secundi sectionis primæ, quæ rursum repetetur paulò post, occasiones etiam vnde quis ægrotare incepit, considerandæ. Fluxiones in pulmonem aliquando veniunt ex toto corpore, plerumque autem ex capite, atqui profectò alatis plerunque est debile caput, & excrementosum: perrarum enim est cum tanta cordis & thoracis debilitate, cerebrum & caput esse robustum. Ob debilitatem ergo capitis fit, vt in eo congerantur multa atque maligna nonnunquam, ac corrosiua excrementa, quæ distillantia in pulmones, tabem parere solent, & periclitantur magnopere alati ab his fluxionibus, siue excretio fiat siue non. Nam si excretio non fit, hærens pulmoni materia rodit: si autem fit, per vehementem tussim lancinatur pulmo, & vas aliquod plerumque disrumpitur, atque etsi nullum manifestè disrumpatur, quum vel minima exesio cœpta est fieri, tussiendo augetur vlcus inemendabiliter. Itaque alatæ naturæ costarum, id est, qui secundùm naturam habent id vitium thoracis, vt alati more auium esse videantur, quod sint angustis lateribus, & exiguis costis, ac eminentibus humeris, id quod ob impotentiam naturalis caloris in corde fieri solet, in fluxionibus malignis siue excretio fiat, siue non, periclitantur. Vel secundùm aliam enarrationem, quam non probo minùs: qui natura sunt alati, à malignis fluxionibus, quæ nascuntur, ob impotentia membri mittentis periclitantur, siue sit excretio siue non sit.

Rigores mulieribus quidem incipiunt magis à lumbis & per dorsum, & tunc ad caput serpunt: quin etiam viris posticâ magis quàm anticâ corporis parte. Horremus enim exterioribus corporis partibus magis quàm interioribus, vt cubilis & femoribus. Verùm & rarior cutis id demonstrat, cuius inditium est pilus: à quibuscunque autem alijs rigent, vt forsan ab vlceribus, rigor incipit à vasis.

Hic est aphorismus sexagesimus nonus sectionis quintæ, præter illa verba quæ in calce sunt adiecta, à quibus autem aliis rigent vt forsan ab vlceribus, rigor incipit à vasis: quæ Galenus censet vel non esse scripta ab Hippocr. sed ab alio quopiam, vel certum aliquid non definire, sed incertum & dubium aliquid, ac proinde cùm in aphor. reponerentur; ex puncta esse. Dictum est enim sæpe multò exactiùs scriptos esse libros aphorismor. quàm hos Epidemiorum. Dicit etiam Galenus hæc verba nulli enarratorum fuisse probata, sed omnes ea pro suo quemque arbitratu permutasse, quasi commodam enarrationem habuerint nullam. vt à principio inueniebantur scripta. Et mihi profectò perinde videtur, ac Galeno & reliquis. Nam incipere à vasis illis, etiam rigoribus congruit qui incipiunt à lumbis, & à parte corporis posteriori, & acubitis, & femoribus. Nam etsi in quartana aut tertiana incipiat refrigeratio à lumbis, motus tamen excrementorum, quorum delatio facit rigorem, à vasis incipit, quæ extrorsum pellunt, ea quæ sibi quantitate aut qualitate molesta esse incipiunt, ea verò delata per sentientes partes, rigoris causa fiunt. Nisi forte ob hæc verba à communi de rigoris causis opinione recedendum sit: quod non video cur faciam. Præterea rigores etiam qui ob vlcera, aut in suppurationem abeuntia tubercula fiunt, incipere solent à posterioribus, & exterioribus corporis partibus, magis quàm ab anterioribus, & interioribus, non minus quàm rigores tertianarum & quartanarum. Cur igitur dicit, à quibus autem aliis rigent vt fortassis ob vlceribus, incipit rigor à vasis; quasi qui incipiunt à lumbis non incipiant à vasis: atque qui fiunt ob vlcera, aut alias causas manifestas, non incipiant à lumbis? Nihil continere hæc verba vtile, & scitu necessarium, certò mihi videor scire: quid autem suspicer dicam. Ante Hippocratem in incunabulis erat philosophia, nihil erat in ea firmum & certum, sed innumeræ, incertæ quidem illæ omnes, ac velut aniles circunferebantur de cuiusque rei causis opiniones. Hippocr. plurimùm eam produxit, vt erat naturâ perspicacissimus, iecit firmissima fundamenta, inuenitque principia rerum omnium certissima, calidum, frigidum, humidum & siccum, quæ ab eo receperunt omnes philosophi, qui fuerunt in precio: nam Stoici, & Academici, & Peripatetici. Cùm autem Hippocrates haud quaquam se totum dederit naturalibus problematis, sed in medicinalibus potius insudauerit, non aliter ac Socrates qui naturalia præteriens ad moralia se contulit, non potuit de naturalium rerum causis tam exactas profere sententias, quàm posteri vt Aristoteles & Galenus & qui illos in hunc vsque diem sequuti sunt: sed de his, cum aliis vtcunque sentiens, curauit inuenire omnia quæ ad medicinalia opera essent vtilia, atque ea in nullus vnquam eius viri diligentiam pariter & prudentiam est consequutus. In philosophicis ergo loquebatur quamplurima secundùm vulgi opinionem: in medicinalibus verò nihil quod non haberet exploratissimum, in illis saltem operibus quæ ille perfecit, vt aphor. & prognostici. Hæc intelligens desines mirari, quòd tam multa occurrant in iis quæ nomine Hippocratis leguntur, quæ nunc ab omnibus censentur falsa. Nimirum scripta sunt illa secundùm eas sententias quæ tunc vigebant, nunc censentur antiquatæ. Illud tamen fecit Hippocrates pudentissimè, tametsi sparsim in suis chartis habeat multa dubia secundùm temporis conditionem scripta, atque quæ fortasse ipsemet aut censeret, aut subolfaceret, esse falsa;

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 325 sur 489

ex libris autem quos ipſe elaborauit ac perfecit, vo-
luitque non ſecundum opinionem, ſed ad artis vti-
litatem ſcriptos, omnia illa excluſit, ea ſolùm ſcri-
bens, quæ vtilia, certa, ac experimento longo po-
tiùs quàm ratione probabili (quæ plerumque in
vtramque partem flectitur) confirmata. Velut
nunc, ſcripſerat (ſecundum opinionem, arbitror,
aliquam veterrimam) à quibus autem alijs rigent
vt forſam ab vlceribus, incipit rigor à vaſis. Detra-
xit autem, in aphoriſmos tranſlaturus, quaſi ibi
nihil dubium, neque ad cuiuſpiam opinionem, ſed
quæ omnium ſectarum viris eſſent recipienda, ſcri-
bi oporteret. Atque ita eſt factum, aphoriſmos enim
& prognoſticum, empirici, & dogmatici recipie-
bant, atque adeò omnes medici, præter Theſali-
cos, qui omnia corruperunt. Quamquam & hi re-
cipiebant eorum maximam partem. Erat vetus o-
pinio, vt in libris de morbis licet videre, rigorem
fieri ab aquoſa humiditate ſanguinis, partes per
quas volutabatur refrigerante: volutari verò do-
nec cum reliquo ſanguine mixta caleſceret, & tunc
fieri febrem. Humiditatem verò illam, à qua rigor
fiebat, ſecerni, ſanguine patiente corruptionem
quandam, ſimilem ei quam patitur lac cum reſo-
luitur in caſeum, butyrum, & ſerum. Fortaſſe er-
go inualuerat etiam eo tempore opinio, rigores fe-
brium fieri humiditate illa volutante circa oſſa &
neruos & extra vaſa, eos verò qui ex vulnere, tu-
berculo, ictu, aut omnino cauſa externa, volutan-
te in ipſis vaſis: velut nunc fert communis opinio
per febres continuas moueri ſuccos intra vaſa, per
intermittentes extra vaſa: licebit verò fortaſſe opi-
nari de ea etiam re alicui aliter, idque ſine artis me-
dicæ detrimento. Quæ igitur apertè vera ſunt, &
experimento conſtant, ſcripta ſunt in aphoriſmo,
atque in eius commentario à me enarrata, quod
præterea hic additur, dictum eſt ad opinionem; quę
an vera ſit parum refert examinare, certè non eſt
conſona ei quam de rigoris cauſis Gal. libello pro-
prio ſcripſit, & ego lib. 5. contr. medicinalium,
ſequutus ſum.

Svmma artis ex orta & occaſione, & multis ægri ſermonibus, & ijs quæ paulatim cognoſcuntur colligenda eſt, & perdiſcendum an inuicem ſimilia ſint vel diſſimilia, vt ex diſſimilitudinibus vna fiat ſimilitudo. Hæc ſanè via eſt, ſic etiam ea quæ ſe rectè habent probantur, & quæ ſecus, reprobantur.

Κεφάλαιον eſt ſumma totius artis, vt Gal. inter-
pretatur, vt autem ego intelligo, partis progno-
ſticæ. Nam ipſemet Hippocr. dicit, hæc quæ nunc
traditur eſt via ſeu methodus, quâ ea quæ rectè ſe
habent, probantur, & quæ non habent rectè, re-
darguuntur: hoc eſt quâ quæ bona aut mala ſunt
circa ægrotantem, dignoſcuntur: conſtat verò hæc
dignoſcere, prognoſticæ partis eſſe finem, totius
enim artis aut partis curatiuæ, finis non eſt dignoſ-
cere, ſed curare. Itaque tradit nobis nunc Hippo-
crates ſummam, ſeu caput totius prænotionis.
Verba autem facilè intelligentur, ex ijs quæ alijs lo-
cis ſcripta occurrunt, præcipuè in prognoſtico, in
cuius commentarijs non ſemel dixi, duo eſſe quæ
ad rectè prædicendum noſſe oportet, primum lo-
ca ex quibus capiuntur argumenta, & velut mate-
riam ſignorum: alterum rationem vtendi argu-
mentis, & adhibendi idoneas diſtinctiones. Loca
quidem ſunt præcipuè, quæ in prognoſtico Hip-
pocrates perſequutus eſt, facies, decubitus, reſpi-
ratio, pulſus, hypochondria, vrinæ, ſputa, deic-
tiones, & ſudor, ac totius corporis calor & co-
lo. Rationem vtendi hac oratione tradit, totam
quidem vna ſumma complectens. Caput (inquit)
eſt totius bonæ præſentionis, coniungere omnia
& diſcere ex generatione (hoc eſt ex inſita cuiuſ-
que hominis natura) & occaſione (id eſt ex cauſa
ſiue interna ſiue externa, qua homo cœpit ægrota-
re, aut incidit in eam affectionem de qua agimus)
& multis ſermonibus, & ijs quæ paulatim cognoſ-
cuntur, id eſt ex ijs quæ medicus interrogando ex
ægroti ipſius aut aſſiſtentium reſponſis intelligat,
vel per ſe ipſum. Ex his enim omnibus intelliget,
ea quæ contéplabitur, ſimilia ne ſint an diſſimilia iis
quæ in bene valentibus adeſſe ſolent, præcipuè au-
tem in eodem ægroto: quæ conſideratio omnium
præcipua eſt ad præſenſionem, quamque Hipp.
primis verbis libelli de medicatrina tradidit, dicens,
an ſimilia an diſſimilia. Nimirum communis epi-
logiſmus, & omnium hominum menti inſitum eſt
principium, vt quantò cuipiam ſiue vultus, ſiue
reſpiratio, ſiue decubitus, ſiue aliud quoduis, lon-
giùs abeſt, ab eo quod natura homini inerat, tan-
tò ſit deterius; quantò abeſt minùs, tantò ſit mi-
nùs malum: Eſt alia conſideratio huic proxima, ex
qua occaſione, ſeu cauſa fluxerit ſignum quod con-
templamur, an euidentem aliquam cauſam habue-
rit, an nullam, cùm ſciamus, tantò quodcunque
ſignum, eorum quæ cenſentur mala, eſſe minùs
malum, quantò cauſam habet euidentiorem, &
tantò deterius, quantò magis caret occaſione. Ha-
rum conſiderationum prima fluit ἐκ τῆς ἡμέτερας,
hoc eſt, ex notitia inſitæ naturæ, & eorum quæ ho-
mini naturaliter inſunt. Qua enim alia ratione poſ-
ſes cognoſcere, an ſint hæc ſymptomata natura-
bus ſimilia an diſſimilia, quàm cognoſcendo quæ
ſunt homini naturalia? Secunda conſideratio fluit,
ἐκ τῆς ἀφορμῆς, hoc eſt, ex notitia cauſæ, vtrumque
autem, & natura inquam hominis, & cauſa affe-
ctionis ſeu ſymptomatis, agnoſci poteſt, vel inter-
rogando, vel ex aliis coniectando. Ita enim dicitur
in initio prognoſtici, vbi de vultu ægrotantium a-
gitur. Conſiderare oportet hoc modo, primum
quidem faciem ægroti, an ſimilis ſit ei quæ in bene
valentibus, maximè verò an ipſa ſibi ipſi, ita enim
optima fuerit, ſi verò maximè contraria ſimili fue-
rit, peſſima eſt. Hæc eſt prima conſideratio, quam
conſtat fluere ex notitia faciei, quæ homini ex ge-
neratione inerat. Ad alteram conſiderationem per-
tinent ea quæ mox addit, dicens. Si igitur in prin-
cipio morbi facies talis fuerit, & nondum ex aliis
coniicere poteris, interrogare oportet, num vi-
gilauerit homo, an aluus ſoluta ſit: an fame te-
neatur, atque ſi aliquid horum confiteatur, mi-
nùs graue eſſe putandum eſt. Eo modo cogno-
ſcitur occaſio ἐκ πλείονων λόγων, hoc eſt, interrog-
ando, & paulatim cognoſcendo, ac per te ipſum co-
iectando. Quibus verbis inſinuatur, quod non ſe-
mel iam dixi, debere medicum multa interrogare

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 326 sur 489

& omnia, quæ ad affectus cognitionem, & naturæ hominis, aliquid conferre possint, disquirere, neque tamen tam multa, vt etiam interroget quæ ad rem non faciant, aut etiam quæ suspitionem vllam noxiam misero ægrotanti ingerant, vt in calce secundæ sectionis, de æconomia disputantes diximus Sed & generatio discitur, nunc interrogando, nunc per te ipso coniectando. Nam videns angustum thoracem, & arterias exiguas, etiam nihil interrogans coniectas hominem naturâ habere cor frigidum: dubitans verò de ventriculo, an etiam sit naturâ frigidus, rogas an homo natui â si vorax, an siticulosus, an soleat bene coquere: sed & vultum conspicatus qualem Hippocr. descripsit, meritò interrogabis, an homo esset facie carnosus, & nitidus, an paulo minùs quàm nunc est, gracilis & decolor. Itaque vtrunque, generationem inquàm & occasionem agnoscit medicus, colligens, & discens ex multis sermonibus, & iis quæ paulatim cognoscuntur. Sed non satis est ad firmam prædictionem, signum aliquod considerare, quàm sit dissimile, nisi alia omnia coniungantur, præcipuè quę sunt eiusdem generis, & ad similem causam referuntur, ita vt ex omnibus dissimilitudinibus similitudo vna fiat, ideſt vna syndrome similiter significantium signorum, & similiter dissimilium iis quę naturâ inerant. Hunc locum pertractauimus in commentarijs prognostici, eo præcipuè loco quo in calce libri dicit Hippocr. oportere eum qui rectè sit præsensurus, signa omnia considerare. Optimè autem dixit nunc Hippocr. οὕτω γὰρ τῶν ὀρθῶς ἐχόντων δοκιμασίη, καὶ τῶν μὴ ἐλέγχος. Nimirum nulla ratio est paobandi signum, quod per se videatur esse bonum, nondum tamen est satis firmum, neque redarguendi quod sit malum, nondum tamen euidenter, quam ex aliis signis quæ annuant, aut renuant; annuentibus enim multis aliis, præcipuè quę sint significatione similia, vt deficienti pulsui annuente frigidâ respiratione, & liuore vnguium: aut respirationi facili pulsu forti, & mente firma: quæ per seſe essent dubia signa, confirmantur. Hanc ob causam Hipp. vbi ad certitudinem præsagi videtur desiderari aliquid & signum quod tradidit esse nonnihil dubium, adiicere solet, considerare oportet alia signa. Nimirum syndrome similiter significantium signorum, annuentium aut renuentium, reddit præsagium firmum, siue bonum siue malum.

FLuxus sanguinis, ex naribus accidit aut ijs qui ex suppallido colore nigricant, aut ex rubicundo pallescunt, aut subpallidis.

Χλωρὸς color est viridis, aut inter hunc & flauum. Sunt eius multę species, velut mixtione aliorum colorum factę: quorundam enim color videtur vergere ad viridem simul & nigrum, aliorum ad rubrum & viridem, aliorum etiam ad flauum & viridem. Dicit igitur Hippocrat. iis qui per morbos talibus tinguntur coloribus, solere succedere fluxus sanguinis ex naribus: quod quidem verum esse ego experimento cognoui. Vidi enim, quosdam, quibus non sine admiratione eorum qui aderant, facies mutata est ad chlorum, & per horas quasdam ad chlori indicibiles differentias, à fluxu sanguinis ex naribus periclitari, & eorum quendam mori, alium cum vehementi animi deliquio euadere. Itaque recipio hanc Hippocrat. sententiam, vtpote quam experimento habeo exploratam. Ratio etiam mihi videtur probabilissima esse. Nam comparat sanguis colores illos bilescens & corruptus, vt autem fluat duplex est causa, multitudo, & vitiosa qualitas: is autem fluxus, quia à vitio sanguinis nascitur, minùs potest contineri, quàm qui à multitudine: hic enim mox atque exiit quod reddundat, sponte cessat, sublata scilicet iam fluendi causa: ille verò nunquam cessat, quia quantumuis minuatur copia, est maligna qualitas quę irritat: nimirum eo fluxu sanguinis, nõ exit seorsum quod in eo est malignum, sed simul totus: quare quamuis sit euacuatus multus sanguis, qui superest eadem malignitate prędituſ est quâ qui erupit. Qualitatem autem sanguinis malignam esse indicat, præter ipsam coloris speciem, illa ex alia in aliam speciem mutabilitas, quam dico me in talibus animaduertisse. Fit enim id sanguine nullo loco se continente bene, sed inordinatè effuso, quod malignę qualitatis, quam facultas partium non sustinet, euidens argumentum est. Atqui illa ipsa humorum inconstantia fluxus futuri fidem auget, quia necesse est sanguinem agitatum exitum aliquà parte quærere, quem ex qua potiùs expectes parte quàm ex naribus, cùm motum versus superiora indicent accidentia circa faciem? Meritò itaque illa vultus species, minatur fluxum sanguinis ex naribus periculosum.

QVum parùm remiseris, oportet incoassare siccè: in alijs autem minùs incrassandum est, sed medicamento sicco albo vtendum, quale est galla & alumen.

Cùm dictum sit solere periclitari ex fluxu sanguinis eos, quibus ob bilioſam totius sanguinis infectionem fluxit, vt qui sunt ὑπόχλωροι, ὑποχλωρομέλανες, & ἐρυθρόχολοι: docet nunc quo pacto sisti talis fluxus debeat. Nam cùm non ob morbum solùm, sed ob aliquod etiam symptoma quis periclitatur, ipsi symptomati debes occurrere, etiam dimisso morbo, qui illud attulit. Duplex autem consultatio est in sanguinis fluxu, quarum prima videtur esse mihi longè difficilior, & quæ medicum magis potest anticipitem reddere. Prima est, an sisti debeat, secunda, quomodo. Non enim omnis fluxus sisti dent, sed quidam sisti, quidam iuuari etiam, quidam tantum sini, cùm sit quidam valdè salutaris, quidam pernicioſus. Certè si ob ictum, aut casum quidam fluit sanguis, cùm ex causa externa pendeat, non erit periculosum sistere. Quare adhibere licebit mox astringentia; & moderatè frigida, nisi tamen contigerit hominem plenum esse, tunc enim mittemus priùs sanguinem, aut effluere ex parte aliquid sinemus, quia perinde est ab externa causa fieri cum corporis apparatu, atque ab interna: cum ob multitudinem fluit solam, non est quod sistas, copia enim fluendo minuitur, & cùm fuerit sublata multitudo, sponte cessabit: nisi verò interim ruptum sit vas insigne, tunc enim opus erit emplastico, & astringenti, ad quem vsum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 327 sur 489

©BIUM

nullum vel inueniri posse putat Galen. præstantius suo, quod parat ex duabus partibus mastices & aloes vna, cum oui albumine; cum verò fluit ob malignam qualitatem, vel solam, vel cum multitudine: tunc est medicus consilij inops, quia habet res vtranque viam periculosissimam. Si enim non sistitur, ob impotentiam retentricis, quam irritatio facit, fluit vsque ad syncopem, cum præcipuè qui valdè cacochymus est, non possit vllam magnam euacuationem sustinere, & citò deficiat: si sistitur, cùm malignus sanguis non possit aliqua in parte pacatus quiescere, capere solet impetum in partem aliquam internam, quam contingit esse debiliorem, vt seni cuidam, qui cùm ei satis multùm fluxisset sanguinis tenuissimi (erat verò tota facie ὑπόχλωρος,) & auxiliis idoneis fluxus cohiberetur, pleuritide superueniente mortuus est. Quid igitur in periculo adeò ancipiti faciendum? Certè quod Hippocrates monet quum parùm remiseris, incrassandum est siccè, circa partem verò vtendum, sicco albo, vt fortè puluere ex galla, & alumine. Quod parùm remittendum dicit, omnes eodem modo interpretantur. Scilicet non statim sistere, sed parum permittere vt fluat, certè quacunque causa, etiam procatharctica, fluere incipiat sanguinis, permittendum est fluere nonnihil, antequàm sistas. Nam non ad plethoram solùm, sed & ad cachochymias vtilis est aliqua missio sanguinis, & ob ictum aut casum secamus venas, & ex quocunque vulnere recenti volumus mediocriter sanguinem fluere, vtcumque igitur cœperit fluere sanguinis, erit tutius permittere vt fluat nonnihil, quàm statim sistere. In cacochymiis autem vt missiones sanguinis parcè faciendæ sunt, quia non habent vnde reficiantur, ita & spontaneæ fluxiones, sinendæ sunt parum. Si cui ergo vides cum plethoræ signis sanguinem fluere, siue fluat donec sponte cesset, etsi interim homo linquatur animo: si verò cuidam fluat, qui sit ex pallido virescens, aut subpallidus, aut ex subpallido colore nigricet, caue sinas multum fluere, aut vsque ad deliquium animi. Nam tales maximo cum periculo linquuntur. Sed si non sinis multum euacuari quo pacto facies, ne in partem aliam feratur? Certè incrassando siccè. Hoc incrassare, quidam interpretes referunt ad medicamenta admouenda naribus, intelligúntque admoueri debere medicamenta sicca, & astringentia, quæ coagulent, contineántque sanguinem in loco, & ita cohibeant: alij ad accipienda per os: horum rursum alij, referunt ad victum, intelliguntque vtendum victu siccо cum exiguo potu, ne fluat sanguis: alij ad medicamenta, dicuntque, illud ξηρῶς significare, exhibenda esse siccantia, & crassitiem afferentia. Atque horum plerique dicunt intelligi debere de sanguine paulatim multo tempore fluente, non semel affatimque, quia hunc non censent posse expectare auxilium à victu, aut deuoratis pharmacis, sed indigere auxilio præsentaneo, vt digito, aut medicamento admoto parti. Ego dicam quid ex his censeam probatissimum. Certè euenit homines vtroque modo periclitari, & fluxu sanguinis copioso, & lento ac exiguo. Noui enim mulierem quandam, cui plus quàm sex menses, sanguinis guttulæ continenter fluxerunt, atque cum tantum temporis spatium auxilium expectaret, nihil vtilitatis ex omnibus, quæ medicus moliebatur percipiens, mortua est. Vtrosque ergo curari oportet, & quitbus affatim, & quibus paulatim fluit, eadem curationis ratione, præter id quod expoſcunt diuersæ indicationes. Sanè est his differentia quædam indicationum communis cum aliis omnibus affectionbus: celerius affligentibus celerius occurrere, aliis verò lentius. Præter hanc, & in ipso modo occurrendi differentia est. Nam in his quibus paulatim fluit, haud quaquam censeo permittendum vt parum fluat, sed potius sectâ venâ in brachio aut crure, vt alia indicare videbuntur, sanguis ille euacuandus est, qui craſtinâ die fluxisset, si permisſies. Quia cum lentè fluat, si expectes, magis lædetur homo consuetudine fluendi, quam iuuabitur vacuatione redundantis. Ob hanc igitur primam præceptionem videtur Hippocr. de fluxu confertim facto agere, sed quod sequitur de vtroque fluxu intelligi potest. In vtroque enim, siue inquam paulatim, siue confertim fluat, cum ob corrupti & tenuis sanguinis qualitatem fit, vtile est vti crassitiem inducentibus, & retundentibus sanguinis motum, atque cum præter hæc, opus sit localia admouere, quæ obturent, & Hippoc. in fine orationis dicat, sed medicamento siccо vtendum, quale est galla, & alumen, satius est censere, vltimis his verbis intelligere localia: prioribus illis, accipienda per os, quàm eandem rem inutiliter repetere, prorsus dimissa alia non minus vtili. Itaque dicit incrassandum siccе, hoc est, vtendum est medicamentis & cibis (cur enim non erit victus medicamentosus secúdum eandem intentionem, quam præstat morbus?) siccantibus & crassitiem afferentibus. Sunt verò quæ id præstant duplicia quædã enim suarum partium crassitie, aut astrictione id faciunt, vt pulticulæ ex amilo, & ex lente, & suillæ carnes, & caseus & poma austera, & serapium mirtinum, autex moris, aut nucum corticibus: quædam sine crassitie & astrictione tardant sanguinis motum, atque ex accidenti quandam illi crassitiem inferunt, refrigerando aut refrigerando pariter & siccando. Prioribus illis vtimur ad fluxus lentos ad repentinos posteriorib⁹. Nam in copioso fluxu sanguinis serũ expectatur auxilium ex esu amili, aut pyrorum: potest tamen tunc conferre potus aquæ gelidæ, aut decoctũ pentaphyli, quo ego vtor, frigidissimo: vsus tamen crassorum aut astringentium, paulatim facit sanguinem crassiorem, & ita in paulatinis fluxibus auxilio esse potest. Videtur verò talium rerum vsus eam habere insignem noxam, quòd obstructiones faciat, atque, si quæ iam sunt, augeat, quod quidem corpus multis aliis modis lædit, atque si qua fortè expurgatione vtendum postea est, impedit. Propterea ego quoad fieri pōt talium vsum deuito, neque vulneratis, neque fluxione laborantibus permitto, præter quàm ijs, qui nulla magis causa id patiuntur, quàm sanguinis tenuitate, quales maximè sunt, quibus, vt diximus, corruptus est sanguis. Proinde Hippocr. vt qui consulat auxiliorum genere quodam vti, quibusdam quidem necessario, haud tamen multis vtili, addidit, πᾶσι δὲ ἐπιρρεῖσι μὴ χαυμοῖς, ὅσον, quasi diceret in aliis tamen affectionibus, atque adeò in fluxibus sanguinis, qui ex aliis causis oriuntur, incrassatio vitanda est. Nimirum tenuitas semper iuuat, vt facultas corporis sic expediat facilè à quouis morbo, & crassities iudicationes omnes impedit, nisi fortè excreationem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 328 sur 489

aliquando. Interiectum ergo est obiter illud in aliis verò minùs incrassandum, Hippocrate monente, haud esse debere frequentem vsum rerum crassitudinem inferentium in medica praxi. Est hæc phrasis similis illi, qua in aphorismo vsus dixit, plurima verò non turgent. Perinde est enim, ac si nunc diceret, in plurimis verò non incrassandum. Itaque quibus per corruptionem extenuatus sanguis effluit, nisi tamen obstructionibus viscerum manifestis laboret homo (vt fit sæpe) vti licet victu, & medicamentis crassitiem facientibus. Magna verò pars victus ita instituendi est, potu vti parcissimo, quia fluxilem & aquosum reddit sanguinem: contrà siccitas reddit crassiorem: quod insinuans dixit; incrassare siccè oportet quoniam ergo & iis etiam quibus fluit sanguis ob tenuitatem, euenit esse complicatos alios affectus, non eodem modo procuranda est in omnibus sanguinis crassities, sed si tenuitas sit sanguinis sine vlla obstructione manifesta, licet vti crassis cibis, & cum crassitie astringentibus, & cibis, & medicamentis: si verò vlla obstructio sit, satius est agere victu sicco sine crassitie, & medicamentis frigidis, & siccis. Quòd si viscus etiam aliquod intemperie frigidâ laboret, quæ talium vsum impediat, abstinebimus ab illis omnibus, solùm vtentes victu sicco, vt assis carnibus (bonis quidem illis & tenuibus) & exiguo potu, ac si res exigat dabimus potiones dictis contrarias, calidas scilicet & tenues, vt aperiant, totam verò spem sistendi sanguinem collocabimus in aliis auxiliis, reuellentibus scilicet, siue frictionibus, siue ligaturis, siue cucurbitulis, & post hæc omnia, in localibus. In quo genere optima sunt sicca, & astringentia, vt album medicamentum, galla, & alumen. His verbis, quæ incongruentiam grammaticalem continere videntur, ego intelligo, habuisse Hippocrat. quoddam medicamentum aridum, album, constans ex galla & alumine, vel solis vel cum aliis similium facultatum. Vt ego soleo puluillum facere ex his ipsis, & balaustiis, cytinis, symphito, & masticè. Quem insufflare iubeo in nares fortiter. Euenit enim mox, eius mixtione sanguinem concrescere, & vehementer venas obturari. Est enim etiam ipse sanguis fibrosus & obturans.

CVm Venere vti, aut hircirè incipiunt, sanguinem fundunt.

Quandoquidem cùm dixisset ἀφροδισιάζειν addit ἥτραχίζειν, significauit non ob Veneris vsum fieri fluxus sanguinis, sed ob naturam eius ætatis. Nimirum hircire, hoc est, irritari ad Venerem, incipiunt homines, atque adeo esse Veneri idonei, finita puritia, & ineunte adolescentia, quæ ætas, si anni temporibus velis vitæ tempora conferre, veri est analoga, atque ob id sanguine abundat, hinc fit vt mulieribus tunc primùm menstruæ euacuationes fiant, ac si ob causam aliquam fieri non possint, multis morbis corripiantur. Viris eadem causa fluit ea ætate sanguis, multis quidem ex naribus, quibusdam aliis ex hæmorrhoidibus, & quos euacuationes nullæ præseruant, solent ea ætate magnis corripi febribus, atque ex illis magnos pati abscessus. Eadem autem ratione, qua huius ætatis hominibus, adhuc bene valentibus, solent fluxus sanguinis accidere, debent & per morbos expectari: iuxta illud, quod tertia particula aphorism. dicitur, ad pubertatem accedentibus pleraque ex his accidunt, & febres magis diuturnæ, & ex naribus sanguinis fluxiones. Durat vero ea promptitudo vsque ad finem iuuentutis. Nam in prognostico dicitur, Verùm sanguinis eruptio magis expectanda est iunioribus triginta quinque annis.

IN mulierum congressibus quidam crepitum emittunt, vt Arcesilaus; quidam quum sunt congressuri, horrent, & corrugantur: quibusdam autem postquàm congressi fuerint, venter inflatur, vt Damagoræ.

Hæc oratio enarrata iam est prius in hac ipsa sectione huius libri, ferè enim eadem sententia est scripta cum eisdem verbis, præter quàm quod hic hora, seu pars ipsius congressus, quâ contingere solent hæ læsiones, explicatur, & adiecta hic sunt illa verba, οἱ δὲ μέλλοντες, ῥιγοῦσι ῥικνώδεες, quæ illic desiderabantur. Ego verò illic ambas orationes coniunxi, vt ex se mutuò explicarentur. Solùm illam particulam, rugosi, non explicui, quàm ideò solam nunc oportet explicare. Dixi quibusdam iam congressuris, cacochymis quidem existentibus, ob flatum & malignum fumum per partes agitatum, fieri solere horrorem. Horrentium epithetum est, rugosi, vt paulò infrà dicetur à Galeno in commentatione orationis illius. Omnis extenuatio laxat curem, quia horrentium cutis videtur corrugari, tametsi non tam corrugatur vetè, quàm ipsemet qui patitur, videtur sibi corrugari. Itaque ῥιγοῦσι ῥικνώδεες, nihil aliud est quàm si simpliciter diceret, eos horrere. Vt Galen. notat, plurimæ ac variæ erant lectiones, in quibusdam enim codicibus habebatur, ῥιγοῦσι, in aliis ῥιγώσει ῥικνώδεες, & hæ omnes hucusque durant. Ego hanc maximè probaui, quam sequutus Galenus est.

MVtationes cauendæ sunt.

Nonnullos scriptores dicit Galen. adiecisse huic orationi, ætatum, vt hæc esset tota oratio, mutationes ætatum cauendæ. Verùm perperam, quia præterquàm quod in vetustissimis libris Galenus id non reperiebat, præter rationem quod vniuersim & citra omnem limitationem dici potest, contrahebatur in vnum quiddam, de quo omnium minimè dici poterat. Nam mutationes cauendæ sunt quæ periculosæ. Huiusmodi vero sunt, quæ repentinæ, iuxta id quod secunda particula aphorismorum dicitur. Multùm & repentè euacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut vtcunque corpus mouere, periculosum est, & omne nimium est naturæ inimicum, quod vero paulatim fit, tuto fit, tum aliàs, tum si ab altero ad alterum transitus fit. Repentinæ ergo mutationes periculosæ fiunt, calescendo, refrigerando, humectando,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 329 sur 489

& ſiccando, & replendo, & vacuando, & mouendo, quæ aëris, in quo verſamur & reliqui victus mutatione fiunt. Vt cùm tempus affert mutationes repentinas, aut cum quis ſe transfert ex loco in locum, vt oppido, aut habitaculo temperiè valdè diuerſo, aut à multo cibo ad exiguum, aut ex exercitatione aſſidua ad otium, aut contrà. (Quæ omnia vitanda ſunt.) Secundùm ætates verò, non poteſt fieri repentina mutatio. Quare ad illam omnium minimè oportet hanc referre orationem, ſed ſolùm intelligere mutationes non qualeſcunque, ſed magnas & repentinas. Atque ita pertinebit ſententia ad ſanitatis tutelam, & ad morborum curationes. Nam & in victu ſalubri, & in curatione morborum, ſunt tales mutationes cauendę. Pertinebit etiam ad mutationes quæ ſponte fiunt, & ad eas quas ipſi homines faciunt, ſiue ægroti, ſiue medici. Nam vtreque vitantur, etſi non eodem modo: ſed hæ omninò dimiſſæ (iubemus enim, ne quid tale circa ægrotos fiat) illæ obiectu contrariarum cauſarum, temperatæ. Iubemus enim cum repentè incipit flare boreas, concludi feneſtras, conuerti in partem aliam cubile, & eos qui non decumbunt veſtibus duplicibus indui: contrà ſi calor eſſe repentè ceperit, ventilationibus, & irrigationibus occurrimus, & cubiculorum parietes nudamus, & noſtra indumenta deponimus, & aliud quiduis iuxta hanc regulam facimus.

Paucitas cibi, ſine laſſitudine, ſine ſiti.

Quidam intelligunt his verbis dici, eum qui pauco cibo vtitur, ſolere ſine laſſitudine, & ſine ſiti tranſigere, itaque pauci cibi vſum liberare à laſſitudine & à ſiti: alij intelligunt finem ſibi detrahendi eſſe, vt ſit homo ſine laſſitudine; & ſine ſiti. Hoc eſt, vtendum eſſe ea parſimonia, ceu cibi paucitate, per quam homo ſine laſſitudine & ſiti ſit, quòd hęc ſint ſigna vtilis ὀλιγοσιτίης, ſeu cibi vtiliter extenuati alij intelligũt, ſeruanda eſſe tria hæc ad rectè tuendam valetudinẽ, vt pauco cibo vtatur homo, & quoad fieri poſſit ſine laſſitudine & ſine ſiti ſit. Verba omnes has interpretationes ferre poſſunt, vt & in pleriſque aliis dictionibus Hippocraticis euenit. Quia proprium eſt hoc nimij breuiloquij, vt propter obſcuritatem verba multis ſenſibus pateant, quapropter nulla alia eſt ad interpretationem via idonea, quàm examinare ipſa ſenſa, ratione & experimentis ſeorſum, ac deinde conferre, vt conſtet quid ſit maximè conſentaneum. Cibi abſtinentiam tollere laſſitudinem & ſitim, in quibuſdam verum eſt, non tamen ſimpliciter, neque in omnibus. Nam pituita aut ſanguine abundantibus cibus affert laſſitudinem, cruditatem, aut multitudinem augendo: & ſitim, omnibus qui pluri quàm indigerent vſi ſunt, quia cibus multus facit redundantiam ſiccæ ſubſtantiæ, redundantia verò ſiccæ, facit penuriam humidæ, & indigentia humidæ ſubſtantiæ facit ſitim: cibi igitur paucitas talibus & laſſitudinem tollet, & ſitim. At verò bile flaua, aut atra redundantibus, cibus tollit laſſitudinem & ſitim. Temperantur enim cibi qualitate magis quàm quantitate replentur: quare cibi paucitas his nocet: ſiccat enim in vrentemque calorem vertit vtroſque, bilioſos dico, & attrabiliarios eos, qui victione ſanguinis fæcum facti ſunt tales: nam qui ſola fæcum abundantia, ij ſiccantur & refrigerantur, quare fame cruciabuntur potiùs per mediam quàm ſiti. Omnes autem ij debilitati cibi penuriâ amittunt agilitatem, ſúntque tanquam laſſati ſibi ipſis oneri. Primus itaque ſenſus non vniuerſim verus eſt, ſed in quibuſdam: ſecundus à primo videtur fluere, & propiùs accedere ad vniuerſim verum. Nam cùm bilioſi & melancholici indigeant pluri cibo, quàm pituitoſi & ſanguinei, & eius ingeſtione tardiùs lædantur, omnes tamen lædi poſſunt, tametſi enim non eadem quantitas ſit omnibus nimia, nulli tamen ſunt qui indigeant quantocunque: omnibus igitur vtilis eſt quędam parſimonia, non tamen omnibus æqualis. Parſimoniæ autem moderatæ, ſeu cibi moderatè accepti (quod idem eſt) ſatis congruens eſt definitio per quam minimè ſentit homo laſſitudinem, neque ſitim. Nam ſiue bilioſus, ſiue melancholicus, ſiue ſanguineus, ſiue etiam pituitoſus homo ſit, ſi plus ſatis priuetur cibo, debilitatur & areſcit: quidam verò arefcunt cum calore vrente, vt bilioſi, & attrabiliarij, & hi ſitiunt vehementer; quidam cum frigore, & hi magis fameſcunt, omnes igitur laſſantur, & ſitiunt, aut ſaltem laſſantur. Cibi ergo abſtinentia, quæ neque laſſitudinem, neque ſitim infert, nimia non eſt. Non igitur ineptè velut definitionem abſtinentiæ nondum nimiæ poſuerit quis, duo hæc, ſine laſſitudine, & ſine ſiti eſſe, quia nimia, eſt hæc, aut eorum alterum facere. Quanquam ſunt alia ſigna potiora ſcripta ab Hippocrate nimiæ abſtinentiæ, vt quod debiles ſunt, & infirmi, & ad quoduis opus timidi, & oſculum ventriculi dolent, & viſcera pendere ipſis videntur, & calidam ac chloram vrinam mingunt, & alui egeſtio comburitur. Quibuſdam etiam os amareſcit, & oculi caui fiunt, & tempora palpitant, & excremæ partes perfrigerantur. Hæc libr. de ratione victus in morbis acutis, quæ cùm præcipua ſint ſigna defectus cibi, inediæ nondum nimiæ optima definitio erit, per quam nihil horum eueniet. Poſſunt verò etiam hæc ad illa referri. Nam quibus ſit debilitas, accidit etiam quędam laſſitudo, & quibus os amareſcit, ſitis. Itaque ſecunda hæc interpretatio ſatis videtur digna. Tertiam, quam Galenus ſequitur, conſideremus. Dicit, proponere nobis Hippocratem tria, quæ nobis ad oculos eſſe ſemper debeant in vniuerſa victus ratione, cibi paucitatem, & non laſſari, & non ſitire: itaque vtendum ſemper eſſe pauco cibo: neque mouendum, vel vtcunque laborandum, donec defatigetur corpus, neque vſque ad ſitim aliquid faciendum: ſed vt diu duret ſanitas, retinendum eſt corpus cum pauco cibo, & ſine laſſitudine, & ſiti. Quid ergo, nunquid beneualentibus pauco cibi vtendum? Ac non potiùs mediocri, aut etiam craſſo? Nullos igitur oportet roborare, neque robuſtos conſeruare, ſed beneualentes etiam permittere mediocriter debilitari. Hoc verò prętet rationem eſt. Cur enim firmum naturâ hominem, & qui multum cibum ſine noxa ferri poſſit, infirmum reddas, pauciorem tribuens? Porrò ſi laſſitudo adeò eſt cauenda, cauenda etiam erit exercitatio. Nam exercitationis eſt meta, vt corpus laſſari incipiat, velut in aphoriſmo dicitur: at verò Hippocr. in ſalubris victus inſtitutione ponit laborem & cibum. Rurſum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 330 sur 489

©BIUM

ſum: ſi ſitis eſt adeò cauenda, conſultum erit mox ac quacunque cauſa ſitire incipiet homo, potum capere quantum velit, neque vnquam parcere potui, quod tamen experimento docti, homines prudentes non probant. Certè intelligendum venit, cibum paucum vocari, non quidem parcum, ſed pro cuiuſque hominis conſtitutione, eum qui non redundet & grauet: cauendam verò laſſitudinem & ſitim, non quamcunque, ſed nimiam: laſſandum enim exercitatione corpus, ita tamen, vt vbi laſſari cœperit, quieſcendum ſtatim ſit: ſuſtinenda etiam moderata ſitis aliquando, maxima tamen bene ſano homini nunquam. Itaque ſi ſitias ex labore, tentandum eſt quiete ſedare ſitim, ſin autem ex cibo, ſomno. Si verò magna ſitis ſit, neque placetur quiete, neq; dormire ſinat, non eſt plus ſatis ferendum, ſed capiendus mox potus frigidus, quantitate moderatus. Hactenus igitur verum eſt, actipiendum cibum paucum, & ſine laſſitudine & ſiti tranſigendum: præter tres dictas, quas Gal. attigit, inſinuat ſe mihi alia interpretatio, meo iudicio lõgè facilior, & minus expoſita calumniis, atque iis quæ ab Hippoc. aliis locis dicuntur magis conſona. Ea eſt, eum qui pauco cibo vtitur, ſine laſſitudine, & ſiti debere tranſigere. Quia vt dicitur in aphor. Vbi fames laborandum non eſt: neque verò ſitiendum quoad fieri poſſit, ne plurimo potu ſe replere cogatur is qui ieiunat. Cauendæ ergo omnes ſitis cauſæ: vt labor, & ambientis etiam aëris calor: iuxta id, quod 2. de ratione victus in acutis dicitur. Ei igitur qui præter conſuetudinem vaſa exinauierit, confert hanc ipſam diem tranſigere ſine frigore, ſine labore, omnia enim hæc grauiter feret. Itaque intelligo Hippocratem conſulere modò, vt is qui vtitur pauco cibo, vitet laſſitudinem, & ſitim: quapropter præter dicta, qua die quis ieiunat, prudenter ſe geret, ſi abſtinuerit à cibis ſiticuloſis, ne aut corripiatur febre, aut potu ſe repleat, diſtendátque. Vtatur ergo recentibus ouis, & oleribus, & fructibus, & fluuialibus piſciculis, & mazæ generibus, & lacte; à ſalitis verò & acribus abſtineat.

per totum corpus rugoſa inæqualitas. Hęc quidem omnia experimento quotidiano cognoſcimus. Videmus enim conualeſcentes, & quacunque cauſa citra tabem graciles, rugas habere, & laxam cutem, quam digitis facilè ſine ſubiecta carne comprehendis: tabis verò ſignum eſt diſtentio & ariditas cutis: quod vel breui fieri ſolet per colliquantes febres, vt & in initio prognoſtici animaduertit Hipp. dicens, & cutis circa frontem dura, & circumtenta, & arida. Iam verò pinguęſcentibus fieri carnem ſolidam & diſtentam cutem, præpinguibus verò eſſe multas, eaſque magnas rugas, dilatata plurimum cute à ſubiecta humiditate, nemo non animaduertit. Reddit mox cauſas quibus hæc fiunt, & ſigna quibus diſtinguuntur. Nimirum cutis concidens corrugatur, & quæ renutritur extenditur. Vtriuſque ſignum eſt τὸ ἐκτῶδες καὶ τὸ λεῖον. Horridum vocat inæqualitatem, & cutis aſperitatem illam, quam facit corrugatio, vt paulo antè diximus, enarrantes orationem illam, in mulierum congreſſibus quidam crepitum edunt. Horridum ergo eſt effectus corrugationis. Eſt ergo accidens cutis concidentis: lævitas vero fit extenſione, quare eſt accidens cutis renutritæ. Verum quia rugæ duabus ex cauſis fiunt, quibuſdam enim quod incipiant gracileſcere, alijs quod nimium iam proceſſerit craſſities. Diſtingunt hæc ſigna duo τὸ ὑπόχολον καὶ τὸ ὑπέρυθρον. Nam qui rugas habent ob gracilitatem, pleruncque ſunt pallidi, aut chlori: qui vero ob craſſitiem, & nutritionem nimiam, ſunt rubri, vtpote plethorici. His dictis, profert exemplum in mammis, cum enim in nulla corporis parte ſit cutis adeo laxa, quæque adeo nunc contrahatur, nunc diſtendatur, in illis magis quàm in vlla alia parte apparet quod dictum eſt. Ita (inquit) euenit mammas gracileſcentes primum demitti, & deorſum concidere, vt quum nutricibus gracileſcunt; ampliùs autem gracileſcentes, vt cum iam areſcunt ſeneſcentibus, reuelli & circumtendi. Atque (inquit) nullus vtiqne putauerit ob hoc fieri, qui ſcilicet neſciat ea quæ dicta ſunt: ſed renutrita carne hoc fit, id eſt, ſed renutrita carne fieri putabit: vel, ſed renutrita carne hoc fit aliquando. Quaſi diceret, nullus putauerit fieri ob hoc, quia aliquando fit renutrita carne.

OMnis extenuatio laxat cutem, deinde circumtenditur, refectio viceuerſa. Cutis corrugatio concidentis, extenſio renutritæ. Quod horridum, quod læue, alterum alterius eſt ſignum, velut quod ſubbilioſum, quod ſubrubrum. Eadem ratione mammæ demittuntur, graciles autem reuelluntur & circumtenduntur, nec fieri propter eam cauſam quis putauerit, ſed quia caro renutritur.

Cum extenuantur corpora, primum quidem, & dum adhuc fit conſumptio carnis, & aliarum partium mollium, laxatur cutis, vt quæ tentionem, quam ſubiecta faciebat caro, remittat: deinde, hoc eſt, cum plus iam procedit conſumptio, & ipſa cutis iam areſcit, circumtenditur: refectio contrario modo procedit. Nam primùm quidem qui pinguęſcere incipiunt, cutis tentionem comparant, ob ſubcreſcentem carnem: deinde verò non renutrita ſolum carne, ſed & cute ipſa aucta, & ſubſtantificè, vt dicunt, humectata, plicæ fiunt, & carnium

---

IVgula manifeſta, venæ conſpicuæ.

Hæc proximis verbis rectè adiacent, vtpote pertinentia ad eandem doctrinam. Sunt enim etiam hæc ſigna gracilitatis. Iis enim qui extenuati ſunt, iugula eminent, & venæ conſpicuæ ſunt; iugula quidem, quia caro eſt conſumpta: venæ verò, & ob hoc, & quia nonnunquam redundantia vitioſi ſanguinis eſt cauſa extenuationis.

PRodicus interficiebat febricitantes multis deambulationibus, luctis, & calidis fomentis. Affectus febriculoſi ſunt inimici fami, deambulationibus, luctis, curſibus, frictioni. His enim labor labori additur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 331 sur 489

©BIUM

Prodicum notat, quòd febricitantes malè curaret, ac potius interficeret, cogens currere, luctari, fricari, inambulare (hoc enim περιόδους significatur) & inediam ſuſtinere, & calidis vti fomentis. Reddit cauſam ob quam cenſet illum hac curatione febricitantes interficere, dicens, febriculoſi affectus (ideſt, febris, aut quæ febrem comitantur ſymptomata) inimici ſunt fami, circuitibus, luctis, curſibus, & frictioni. Ille igitur addebat, laborem labori in ipſis; & ita interficiebat. Febriculoſos affectus eſſe inimicos circuitibus, luctis, & curſibus, & frictioni, ideſt, lædi eos qui febricitant his exercitationibus haud dubium eſt; tamen inimicos etiam eſſe fami, non tam eſt manifeſtum. Cur enim ſi febribus fames eſt inimica, febricitantes transferimus ad victum tenuem? Labores enim vt inimicos febribus, meritò febricitantibus interdicimus, iubentes in lecto decumbere, aut ſaltem in domo ſe continere: cibos verò cur tollimus? Sunt enim illi amici, ſi fames inimica. Quòd ſi dicas, non eſſe famem febri inimicam, nec victum tenuem, ſed eum qui ſit tenuior quàm res exigat, ſanè hoc modo non eſt, quòd famem inimicam diceret potiùs quàm cibum. Non enim minùs, ſed vt Galenus cenſet, etiam magis nocet dare craſſiorem, quàm tenuiorem. Itaq; hac ratione potiùs diceres cibum inimicum, quàm famem inimicam. Cùm præcipuè febris per ſe nunquam petat cibos, ac multò minùs cacochymia ex qua oritur febris. Ob febres igiturnulla fames videtur eſſe inimica, ob facultatem verò, cum eſt nimia, inimica eſt, non quidem ea peculiariter, ſed vt aliud quiduis, quod ſit nimium. Proinde ne intelligas famem per ſe inimicam eſſe febribus, tametſi enim ſunt paucæ quædam, quas peperit fames, quæ cibo curantur, in commune tamen id dici non poteſt, ob dictas nunc cauſas: ſed Hippocrates carpit victum quo Prodicus vtebatur, qui ſimul inducebat ægrotos exerceri & fricari, & calidis foueri, & cibum præbebat pauciorem, quàm alioqui oporteret. Hoc verò duplex erratum erat, cum enim cibum pauciorem dare eſſet per ſeſe periculoſum, tamen multò periculoſius cùm homines laborarent, quia vt dicitur ab Hippocrate, vbi fames laborandum non eſt. Itaque cum dicitur, affectus febriculoſos eſſe inimicos fami, circuitibus, luctis, curſibus, & frictioni, non oportet hæc ſeparatim accipere ſed coniunctim, vt intelligas inimicos eſſe, non quidem fami ſeorſum, ſed toti huic victui.

VEnarum rubor, liuor, pallor, aut laterum dolores laxi accidebant.

Hæc mala intelligit Galen. accidere ijs, qui per febres eo victu vtuntur, quem Prodicus inſtituebat: non tamen ſingulis omnia, ſed omnibus eorum aliqua. Omnibus enim plus ſatis exercitatione & fame cruciatis fit venarum rubor, aut liuor, aut pallor, aut dolores laterum molles. Vocat, vt omnes ante Galenum enarratores cenſebant, quibus ipſe etiam ſubſcribit, molles dolores laterum, eos qui veræ pleuritidis non ſunt, ſed laterum dolores ſine inflammatione. Si enim mediocrem habeant ſanguinem, in ruborem eis attolluntur venæ: ſi verò debiles ſint, fiunt liuidi: ſi ſint bilioſi, chlori fiunt.

A Dolores verò laterum fiunt, ob laborem nimium inſtrumentorum reſpirationis, & ob fluxiones in illa concitatas. Non mirum autem, ſi aliquando is ſit corporis apparatus, vt in bilioſas pleuritides fi-
nianturij dolores.

SItim cohibet os claudere, tacere, ventum cum potu frigidum inducere.

Optimam cautionem continet oratio hæc, ne
B quem ſitis fatiget: os claudere, ventum frigidum inſpirare, & potu frigido vti; hæc qui facit, & quietus manet, neque cibis vtitur ſiticuloſis, ſi ſanus quidem degit, ſine ſiti eſt: ſi quàm maximè tenetur affectu aliquo præter naturam ſiticuloſo, tamen ſitim moderatiùs fert. Hanc ob cauſam, æſtiuo tempore, ſanis, & quibus otium eſt, vt ſanitatis ſtudeant tutelæ, præcipio, vt domi ſe contineant quieti in cubiculo temperato, veſtibus moderatis induti, & os habeant clauſum, taceántque, & aërem
C quem ſunt reſpiraturi, ſi res exigat, ventilatione, aut quacunq; alia arte temperent, & aquâ. vinumvè, vt cuiuſque fert conſuetudo, refrigerari curent, alij niue, alij recondentes in ſubterraneis, alij ſub dio exponentes, vt cuiuſque eſt temperies, & conſuetudo. Eadem & ad febricitantes fieri iubeo plus aut minùs, vt eſt morbi tempus vniuerſale, & hora paroxyſmi. Illud verò eſt mihi ſemper curæ, ne plurimi ægroti lecto aſſideant, neque omnino illum inuiſant, ne illorum frequentia aërem qui inſpiratur calfaciat, & ægrotus multa cogatur loqui, itaque ob id ſitis augeatur & febris. Ventum frigidum, & potum frigidum ſitim tollere conſentaneum eſt rationi, quandoquidem ſitis caloris & ſiccitatis ſoboles eſt. Verùm non omnis ſitis eſt eadem medela, neque omni æquè ſuccurritur frigido aëre, aut potu, ſed vt cuiuſque eſt cauſa. Ei e-
D nim quę ex caloris magnitudine naſcitur, qua paſſione plumùm laborat thorax & pulmo, aëre frigido ſuccurritur meliùs quàm potu, & potu non tam multo, quàm frigidiſſimo: ei verò quæ nonnunquam fit ex ſicca intemperie ſine humore, aut cum humore ſalſo, aut acri, qualis plerumque ex ventriculo aut hepate eſt, melius ſuccurritur potu quàm aëre, & talem quidem ſitim ſedat potus aquę etiam tepidæ. Itaque hic eius præcipuè ſitis medela traditur, quę ex vehementia caloris naſcitur, per
E quam etiam os claudere, & tacere eſt conſultiſſimum. Si tamen liceat per febrem os claudere. Nonnulli enim dum febris viget coguntur hiare, quos ſi os claudere cogas, fortaſſe ſtrangulabis. Verum ore clauſo recipitur redditurque ſpiritus per nares, & oris ſaliua conſeruatur melius, quæ loquendo plurimum diſſipatur, præterquam quòd in oris partibus excitatur magna caliditas. Cur igitur ad ſitim cauendam tanti ſit momenti taciturnitas, & os clauſum, hæ ſunt cauſæ.

F *OCcaſiones conſiderandæ ſunt ex quibus laborare quis incepit, ſiue ex capitis, ſiue auris, ſiue lateris dolore. In quibuſdam autem dentes, & in quibuſdam bubones ſignum exhibent.*

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 332 sur 489

©BIUM

VLcera & tubercula quæ erumpentia febres iudicare possunt, si non accidant, iudicationem tollunt. Si verò interiùs relinquantur, certissimas & celerrimas recidiuas afferunt.

Hæ duæ orationes eisdem omnino verbis occurrerunt scriptæ libro secundo, in calce sectionis primæ, vbi & enarratæ à me sunt.

SPuta rotunda delirium portendunt, qualia in Pleno apparuerunt.

De hac sputi specie scriptum est ab Hippocrate in prognostico, atque à me in commentarijs, quod quidem significare pituitam crassam, & calidam in pulmone intemperiem Galenus censet, atque proinde tabem minari potiùs quàm delirium, tametsi & delirium etiam afferre possit pulmonis ea affectio, quod calidi fumi copiosè mittantur in cerebrum, id verò vnum quiddam esse videtur eorum quæ fieri possunt, non quæ crebrò fiunt, atque ob id fortasse scribere curauit Hippocrat. exemplum, atque vbi acciderit. Censuit enim Sabinus Plenum nomen esse oppidi.

HAemorrhoidum fluxu laborantes, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque tumoribus terminthi formam referentibus corripiuntur, neque forsam lepra, fortasse autem neque alijs.

Hæc oratio, & aliæ omnes, quæ sequuntur vsque ad tertiam sectionis quartæ, eisdem verbis, & eodem ordine scriptæ sunt in calce libri de humoribus: sunt verò consona etiam alijs Hippocratis præceptionibus, quæ per totum hoc opus, & in aphorismis scripta sunt. Hæmorrhoidas enim à multis morbis liberare celebratissimum est, nam & in aphorismo 21. sectionis sextæ dicitur, insanientibus si varices aut hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio fit. Hic à pleuritide, & peripneumoniâ, & phagædenâ, & furunculis, & tumoribus terminthi formam habentibus, & alijs eiusmodi, dicit liberare: quorum quædam sunt insaniæ (quæ scilicet sine febre fit) analoga, vtpote melancholica: quædam sanguinea potiùs sunt, tametsi ea etiam possint esse ex melancholico sanguine. Sunt enim melancholica vlcera phagedænica, vlcerati scilicet cancri, & furunculi, qui ex melancholico crassóque sanguine fiunt, & nigra quædam exanthemata in cruribus oriri solita, habentia figuram fructus terebynthi, & lepræ, quæ hoc differunt ab elephante, quod non tam altè subiectam carnem, sed cutem teneant. In quibusdam codicibus, quod & Galen. monet, pro ἠδὲ ἄλλοισι, legitur ἠδὲ ἀλφοῖσι. Neque sanè omninò malè, nam & alphi sunt in quadam lepræ specie: cæterum hæc est vetus lectio. Pleuritis & peripneumonia ex redūdantia sanguinis nasci solent, aliquando quidem vitiosi, aliquando verò solum redundantis. Verùm quia per hæmorrhoidas multus & vitiosus sanguis effunditur, fit meritò vt ab his & ab alijs quam plurimis liberare possint. Nam & multitudinem, & cacochymiam possunt soluere, & ab omnibus membris principibus auertunt.

MVlti ergo intempestiuè curati, talibus affectibus non cunctanter correpti sunt, atque ita pernicioſa perpessi sunt.

Quia hæmorrhoides à tam multis & adeò malignis morbis liberant, non debent curari intempestiuè, neque aliter quàm adhibita ea cautione, quàm in aphoris. scripsit, dicens, Hæmorrhoidas sananti antiquas, nisi vna seruata sit, periculum est hydropem aut tabem accedere. Itaque intempestiuè curantur hæmorrhoides, quæ cacochymo adhuc corpore curantur repentè, nullâ seruatâ, quæ corporis necessitati subseruiat. In aphorismo comminatus est hydropem aut tabem, hoc loco dicit, cum quis intempestiuè curatur, fieri vt illis ipsis malis corripiatur citò, à quibus hæmorrhoidum præsentia liberabatur. Neque tamen est vlla repugnantia, sed eadem res dicitur; præter quàm quod in aphorismo restrinxerat rem ad duas affectiones pessimas, hic latius, liberiúsque rem produxit, dicens, in easdem affectiones citò incidere homines, à quibus per hæmorrhoidas liberabantur. Quod sanè rationi consentaneum est, iuxta rationem epilogisticam, & communem omnium consensionem. Ab illo enim morbo dicimus nos missione sanguinis, aut alio quopiam auxilio præseruari, in quem eo auxilio sublato essemus casuri. At verò hæmorrhoides non liberant solùm ab his, quos nunc recensuit, sed etiam ab hydrope, & tabe. Fit hydrops sæpè calore naturali hepatis sanguinis multitudine suffocato, quo casu cum possint hæmorrhoides à multitudine liberare, necesse est ab hydrope etiam possint. Tabes verò sæpissimè incipit à sputo sanguinis, quod nihil potest meliùs tollere quàm hæmorrhoides, id verò tollentes, constat ab imminente tabe liberare. Igitur qui intempestiuè curatur, timendum est ne aliquo morbo eorum quos nunc recensuit, corripiatur, fiatque pleuriticus, aut peripneumonicus, aut contrahat exedentem cancrum, aut multos furunculos, aut exanthemata terebynthina, aut lepram, aut simile aliquid, aut etiam incidat in hydropem, aut tabem: idque vel per priores alios morbos, vel per se, & nullo alio morbo pregresso. Vtrumque enim fieri potest, velut in tabem per pleuritidem, aut peripneumoniā, aut hæmoproycā passionem: in hydropem, per vteri, lienis, aut hepatis durities, aut etiam pregressis, lepra, aut elephante, aut quàm plurimis tuberculis. Nam ex his omnibus cū sunt maligna, procedi solet ad illa pessima, & postrema mala, tabem, dico, aut hydropem. Vt hac rursum ratione in idem recidat, quod hic & in aphorismo dicitur. Dicitur enim hic (quod & verissimū est) & ita pernitiosa perpessi sūt: quod nihil

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 333 sur 489

aliud significat, quam hæc mala cum fiunt ob repressas intempestiuè hæmorrhoidas, pernicioſiora esse, quam alioqui esse soleant, vnde fit vt in illa terminentur, & interimant. Huius causa est, quia cum consueta aliqua euacuatio cohibetur, omnia periclitantur simul, atque metus est, ne simul cũ eo quod apparet, aliquid etiam latens & pernicioſum in parte aliqua principe fiat: vt certè solet fieri sæpe. Adeo vt vel vulgi iam sit opinio, cum vetus aliqua euacuatio cessat, periclitari hominem de vita: idque siue chirurgus cessare faciat, siue sponte cesset. Tametsi non semper eadem causa sit, sed cum sponte id fit, aliquando moriatur homo, quia ea euacuatio cessat, aliquando ea cesset quia homo moritur.

Atque istud in alijs abscessibus velut fistulis contingunt, qui aliorum medela sunt.

Non tantùm hæmorrhoides antiquæ dicta cautione curari debent, sed & quicunque alij abscessus fiunt aliorum medela, vt fistulæ. Fistula est longus sinus callosus, per quem aliquid expurgatur assiduè. Fieri potest vbique, frequens autem est iuxta anum. Illud vero οἷον σύριγγες, non dicitur solum gratia exempli, sed vt explicetur modus eorum abscessuum, qui tali indigent cautione. Non enim omnes abscessus tam cautâ curatione indigent: quidam enim non fiunt decretoriè, sed prorsus ratione symptomatis, & sunt omnino inutiles: sed neque omnes qui fiunt aliorum medela, nisi fiant medela, vt fistulæ. Si enim febris aliqua terminatur in bubonem, aut parotidem, nemo cunctetur curare, nullo (si fieri possit) relicto vestigio: quamquam profecto abscessus ille febris medela fuerit. Sed quidam sunt abscessus, qui affatim ex morbo aliquo facti illum substulerunt, alij qui non ita, sed consuetudine quadam assidue aliquid ex præstantioribus partibus excipiunt, aut vacuant, & hę sunt medela morborum vt fistulæ, ideſt, assidue aliquid detrahentes excrementi, & ita ab alijs morbis præseruantes. Definitio autem horum abscessuum diuturnitas est. Fiunt enim diuturni, quod natura iam consuetudinem eo mittendi comparauerit. Igitur in omni diuturno abscessu, siue sit cum euacuatione, vt vlcus, fistula, aut hæmorrhois, siue etiam sine ea, vt vetus podagra, videndum est quomodo cures. Plurimi enim eorum, qui tali morbo multis iam annis laborarunt, solent in nephritidem, aut asthma, aut etiam aliquam apoplecticarum passionum incidere: vt contrà multis fieri vidi ex epilepsia, aut alio cerebri magno morbo, nephritidem, & ex hac podagram. Tales igitur abscessus cum iam sunt inueterati, etsi cum euacuatione non sint, dico esse aliorum morborum medelam, vt fistulas: quapropter sæpe curari prohibeo, aliquando etiam fieri suadeo, iuxta præceptionem Hippoc. quæ sequitur.

Quibus in morbis facti decubitus liberant, eosdem si antè fiant prohibent.

Nullus interpretum dubitat oratione hac significari decubitus, seu abscessus, qui morbis aliquibus superuenientes, eos tollunt, eosdem si fieri anticipent, fieri prohibere. Verùm hæc verba videntur ineptum sensum reddere, aut omninò in aliam ferre interpretationem. Nam illud, ante facta, non videtur dici de decubitu, sed de ipsis malis. Si verò ipsa mala antè facta sunt, quomodo decubitus fieri ea prohibet? Decubitum igitur ipsum oportet esse antè factum, non mala. Hanc ob causam quidam interpretum pro προγενόμενα, id est, ante facta, censebant legendum, προγενομένη, vt referatur ad σκῆψις, id est decubitus; itaque decubitus prius factus. Atqui profectò leuicula quadam literarum mutatione redditur tota oratio perspicua. Verùm Gal. cuius hæc erat lingua materna, censet hanc quoque phrasim, citra mutationem vllam, posse ferre eundem sensum; quare de ea re non oportet nos admodum laborare, sed rem ipsam expendere, & intelligere nihil aliud dici, quàm eos decubitus, qui morbos aliquos solent superueniendo tollere, eosdem anticipando fieri prohibere. Dicitur verò nunc nomen decubitus de abscessu, neque sanè aliud est apud Hippocratem, nisi forte ratione. Dicitur enim alterum ab ascendendo, alterum ab incumbendo. Constat verò idem esse, quod ab vna parte abscedens in alteram incumbit. Constatque Hippoc. de eisdem prorsum rebus agere, cùm nuper diceret, in alijs abscessibus qui aliorum medela sunt, & nunc dicat, quibus in morbi facti decubitus liberant. Idem enim est in quibus morbi facti liberant, & qui aliorum medela sunt, & ambo hæc eisdem congruunt. Ijdem enim abscessus, qui, quia sunt aliorum morborum medela, debent cautè curari, illi inquam ijdem, quum morbos anteuertunt, ab eis præseruant. Nam hæmorrhoides sunt de quibus præcipuè susceptus nuper est sermo, quas dictum est præseruare à melancholicis passionibus. Hæ autem eædem, vt in citato aphoris. dicitur, superuenientes tollunt illas passiones. Verùm (quod ad curationem præstat magnam vtilitatem) oportet hic scire, posse hanc sententiam pertinere ad partem prognosticam, & ad curatricem. Ad prognosticam quidem, si intelligamus προγενόμενα. 1. quæ antè fiunt accidere sponte ac per se: ad curatricem, si à medico fieri. Nimirum abscessus qui quum superueniunt, solent morbos tollere, ijdem si fieri anticipent, liberant, aut etiam si fieri non anticipent, fiant tamen arte, & à medico. Cum sponte fiunt, & liberant, ad medicum nihil aliud pertinet, quàm agnoscere, ac prædicere futurum, vt homo ab imminente aliquo morbo liberetur: cum autem morbus imminet, & abscessus non fit, optimè curantis consilium est, eundem facere: quia decubitus, qui superueniẽs liberat, antefactus præseruat. Hac causa multis quibus à magnis morbis malè timemus, curamus hæmorrhoidas facere: alijs etiam crura fricamus fortiter, non aliam ob causam, quàm vt fiant podagrici, quod quidem est morbum morbo curare, aut morbo à morbo præseruare. Verùm non indistinctè pro quouis morbo, quiuis abscessus procurandus, sed pro quocunque, is qui tali morbo solet vtiliter succedere. Nã Hippoc. dicit, non simpliciter decubitum à morbo præseruare, sed in quibus facti liberant. Oportet ergo per te ipsum meditari, quæ quibus soleant succedere, vtiliter, & inutiliter, vt quæ inutiliter solent succedere prohibeas quoad possis; quæ vtiliter, nisi sponte

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 334 sur 489

fiant, aut morbus videatur esse benignus, & bonæ iudicationis (tales enim citra abscessum soluuntur) facias, aut etiam antequàm morbus hominem prehendat, si ab illo vehementer times. Velut si qui superiori anno ab epilepsiâ liberatus est superueniente podagrâ, nunc à podagrâ se sentiat valdè liberum, tentetur vero incubo, aut vertigine, aut omnino capitis grauitate, prudenter facies, si pedes frictione, & labore lacessiueris, vt à capite auertas.

ALterius loci humores excipiunt loca, aut propter dolorem aut grauitatem, aut aliud quoduis, aut quia cum illis communionem habent, liberant.

Ad eandem doctrinam pertinent hæc oratio, & quæ hanc anteceſſit: dicitur enim nunc, quædam loca liberare à morbis aliarum partium, quòd earum recipiant excrementa: nimirum, vt dictum est, decubitus tollunt, factos morbos & à nondum factis liberant: tantùm addit nunc Hippocrates, quod ad causas abscessuum spectat, videlicet, fieri abscessus in quampiam partem ob dolorem, vel pondus, aut communionem, quæ illi cum parte affecta intercedat, aut ob aliquid aliud, vt exercitationem nimiam eius partis, aut calidam intemperiem, aut ob debilitatem. Nimirùm omnis ex parte in partem motus, necesse est fiat, vel quòd trahatur, vel quòd mittatur, vel quòd veniat. Trahitur quidem calore, frictione, & motu partis recipientis. Mittitur ob partis mittentis laborem, cuius causa est, vel grauitas, vel qualitas maligna: venit autem ob pondus, vel vacuum; porrò, vt quod venit, vel mittitur, in hanc ex hac parte veniat, aut mittatur, causa est dolor, aut debilitas partis recipientis, vel huius cum illa communio, seu rectitudo. Indicatum enim est sæpe esse quarundam partium communionem, ob quam in sese mutuò sua mala refundunt, idque ob rationem quandam multis communem, vt dextrarum cum dextris, sinistrarum cum sinistris, aut ob peculiarem & propriam, vt genitalium cum vocalibus.

PRopter conuersionem sanguis non amplius exit; sed secundùm humoris cognationem huiusmodi exspuunt.

Non solùm in sanguinis excreatione verum esse comperies quod nunc dicitur, sed in omni alio sanguinis effluxu, vt in muliebri profluuio ex vtero, & in mictu sanguinis, & in dysenteria cruenta. In his enim omnibus adhuc recentibus sanguis exit: inueteratis verò mutatur exeuntium forma in album, purulentum, aut bilioſum, flauum, aut viride, aut nigrum propter conuersionem sanguinis, secundùm humoris cognationem: quia sanguinis redundantia in aliquam cacochymiæ speciem vertitur, hanc aut illam pro temperie cuiusque hominis: bilioſis enim in bilem, melancholicis in melancholiam vertitur, humidis valdè cum calore, suppuratur. Similes conuersiones fiunt in febribus, incipientes enim à sanguineis degenerant sæpe in alias species, ob ipsius sanguinis conuersionem. Vbi ego legi τροπὴν, ideſt conuersionem, inueniebatur in antiquioribus codicibus ῥοπὴν, ideſt inclinationem, verùm quia Gal. probat censuram veterum interpretum, qui pro ῥοπὴν censebant legi τροπὴν, placuit hanc lectionem sequi.

QVibusdam horum sanguinem detrahere tempestiuè licet, in alijs autem velut in his æquum non est.

In quibusdam eorum quibus sanguis exit, dicit oportere mitti sanguinè, in alijs minimè. Vnica autem illa vocula, tempestiuè, exponit quibus sit mittendus, & quibus secùs. Nam mitti debet tempestiuè, & antequàm sanguis in aliam naturam degenerauerit, posteà verò minimè. Constat autem hoc dici indicatione ab humoris specie, ob quam in illis quidem mitti sanguis, in his expurgans medicamentum dari debet: verum hoc nihil prohibet, quin in eis etiam quibus mutata sit eius species mittatur aliquando sanguis secundum alias de mittendo sanguine præceptiones.

INcruenta spuentibus impedimentum afferi anni tempus, pleuritis, bilis.

Galenus, atque vt ipse refert, alij eo priores, intellexerunt dici hic impedimentum, quòd sanguinis missionem prohibeat: cæterum durum est dicere, pleuritidem prohibere mitti sanguinem, neque Galenus se satis expedit ab hac difficultate, quantumuis laboret: quapropter ego in alium sensum feror, intelligoque impedimentum dici, non quod missioni sanguinis, sed quod curationi simpliciter obstat: quasi diceret, cum qui sanguinis sputo laborat, tempus anni valdè aut calidum, aut frigidum, & pleuritis (si scilicet simul tenetur pleuritide, vt fieri solet) & bilis toto corpore redundans impedimento est quominus rectè curetur: quia vterque temporis excessus, & frigus inquam & calor auget sputum cruentum, illud rumpens, hic laxans: bilis exedit: quare cum sint hi tres modi quibus possit sanguis excreari, ruptio, anastomosis, & corrosio, necesse est tria hæc obstent curationi, præterquàm quod bilis petit vsum expurgantium, quæ aperientia sunt & irritantia. Iam vero pleuritis non aliter curari potest, quàm excreando, neque ἄμαπυς πλύσις quicquam petit magis, quàm thoracis quietem, vt ne loqui quidem talibus libenter permittamus: obstant igitur magnoperè hæc omnia sputi cruenti curationi. Hanc esse legitimam loci huius explanationem, facilè intelliges ex Galen. in commentario aphorismi 16. sectionis 1. Ibi enim ita est scriptum. Etenim contraria indigent curatione sputum sanguinis, & pleuritis. Si igitur contraria petunt auxilia, necesse est mutuo sibi impedimento sint.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 335 sur 489

SECTIO QVARTA.

QVibus ad aures circa iudicationem exorta tubercula non ſuppurauerint, his euaneſcentibus morbi reuerſio contingit ſecundùm rationem reuerſionum. Reuerſione factâ iterùm attolluntur & permanent, velut febrium reuerſiones, in ſimili circuitu. In his aliquid ad articulos abſcedere poſſe ſperandum.

Dixerat Hippocrates in proxima ſectione, omne ſuppurans eſſe ſine recidiua, vnde collegimus, quod non ſuppurat non adeò ſine recidiua eſſe: iuxta quam ſententiam dicit nunc, parotides, quę per morborum acutorum iudicationes fiunt, niſi ſuppurentur, reuerſiones habere, atque adeò harum quaſdam ſolere pluries & ſolui, & reuerti ſecundùm ipſos febrium circuitus, & talibus ſolere poſtremò fieri abſceſſus ad articulos. Λαπάσσεσθαι œdemata dicit, vt Galenus libello vocum antiquarum Hippocratis interpres eſt, detumeſcere & emolliri. Dicit itaque cum non ſuppurantur, ſed inaniuntur, ideſt, detumeſcunt, vt videantur reſoluta œdemata, ſolere reuerti, atque nonnunquam pluries circuitu quodam febrili ſimili, idque cũ fit, exſpectandos eſſe poſtremò ad articulos tumores aut dolores. Conſtat, cùm eſſet dicturus, πυήεων λαπασσομένων ὑπερφὴ γίνεσθαι, non fuiſſe neceſſarium dicere, quæ non ſuppurantur, nam intelligi poterat, etſi tantùm dixiſſet, parotides ſi euaneſcant, iterùm reuertuntur iuxta febrium circuitum. Nam quæ ita euaneſcunt, & reuertuntur circuitu quodam non poſſunt eſſe ſuppurata. Verùm Hippoc. dixit, quæ non ſuppurantur, vt alluderet ad id quod citato loco dictum eſt, obiterque inſinuaret, quæ non ſuppurantur eſſe reuerſiua, quæ enim ſuppurantur reuerſiua nõ ſunt. Cauſa verò ob quam euenit, quod in hac oratione dicitur, eſt, quia quę non ſuppurantia ſæpe intumeſcunt, & rurſum detumeſcunt, neque ſuppurationem recipiunt, neque reſolutionem integram, ſed aut reſoluuntur falsò, hoc eſt, retrocedentia videntur reſolui, aut imperfectè, ac per partes ſuccorum influunt, & reſoluuntur, vt in paroxyſmis febrium euenit. Vtrunque autem horum malum. Retrocedere enim periculoſi & lethalis ſignum eſt morbi: per partes influere, & reſolui eſt contumacis, longi, & difficilis iudicatu. Eſt enim iudicatio quædam ſæpe tentata, quam tentari tantò eſt deterius ſignum, quantò ipſa iudicationis ſpecies eſt deterior, illis quæ cum euacuatione aguntur. Cùm verò ſæpè rediens, & abiens tumor poſſit fieri ob dictas duas cauſas, redire ſecundùm febrium circuitus indicat id euenire ob reſolutionem, quæ per partes agitur, eodem ſcilicet modo quo in ipſis febrium circuitibus. Igitur meritò eo appariente ſigno, expectantur abſceſſus alij grandiores, qui ad articulos plerunque fiunt, ob ipſarum partium naturam, vt alibi explicuimus non ſemel.

VRina craſſa alba, qualis Amphigeni aderat, in febribus quæ cum laſſitudinis ſenſu ſunt, quartâ die aliquando prodit, & ab abſceſſu liberat: ſi verò præter hoc ſanguis etiam è naribus effluat, manifeſtè admodum vindicat,

Vbi dicit, manifeſte admodum, ſupplere debes ſoluitur, conſtat id ex aphoriſmo 64. ſectionis quartæ, qui hæc ipſa oratio eſt. Tantùm hic additur exemplum Amphigenis. Verùm hoc nihil facit, vt quis aliam enarrationem deſideret, præter eam quam in aphoriſmi commentatione ſcripſi.

CVi inteſtinum in dextra parte dolebat, is quum articulari morbo laborabat, leuius ſe habebat: poſtquàm autem hic curatus fuit, magis dolebat.

Vnũ quoddam, idque accommodatiſſimum exemplum nunc proponitur illius doctrinæ, quã ſectione proxima tradidit dicens, Alterius loci humores excipiunt loca, aut propter dolorem, aut grauitatem, aut aliud quiduis, aut quia cum illis communionem habent, liberant: & rurſum illius, quam antea tradiderat eadem ſectione dicens. Multi ergo intempeſtiuè curati, talibus affectibus non cunctanter correpti ſunt. Nimirum illa oratione dicebatur, quarundam partium dolores liberare à doloribus aliarum partium: hac verò, ſi partes illæ, quæ liberant ab aliarum paſſionibus, intempeſtiuè curentur, paſſiones eas fieri, aut redire, velut huic cuius hic fit mentio. Laborabat enim inteſtini dextri morbo, ſuperueniebatque ei nonnunquam dolor articulorum, atque tunc temporis ſubleuabatur à priori malo, & cum curabatur ab arthritide, redibat aut exacerbabatur inteſtini dolor. Nam, quia articularis doloris præſentiâ tollebatur dolor inteſtinalis, ſic eius abſentiâ augebatur. Detrahebant enim dolendi cauſam articuli inteſtino, qua non detracta, neceſſe erat dolorẽ augeri. Nimirum cum non eſſet tota dolendi cauſa inſumpta, neque corporis apparatus morboſus ſublatus. Vt narrat Gale. altercabantur enarratores de hac inteſtini affectione, dicere volentes ad quod inteſtinum pertineret, & de hac arthritide, ad quem articulũ. Dicebant alijcã affectionem fuiſſe dolorem coli, alij decidentiam cæci in ſcrotum, quòd id dextra parte locatum, & à meſenterio ſolutum ſit: rurſum dolorem arthriticum, quidam multorum articulorum, quidam pedum, alij coxæ fuiſſe. Videtur enim multis non ſatis eſſe commentari autorum verba, niſi etiam diuinent. Nam quâ ratione ſcire poteris, cum Hipp. nihil dicat aliud, quàm cui inteſtinũ in dextra parte dolebat, quodnam inteſtinum doluerit? Atque an doluerit ſolùm, an etiam deciderit in ſcrotum? Atque cum ſolùm dicat, articulari morbo laborabat, qui articuli, aut quot doluerint? Niſi probes non poſſe horum quiduis fieri, ſed vnum quiddam neceſſariò fieri, alia omninò fieri non poſſe. Ego verò ſcio virum quendam doctrinâ nobilem, & mihi valdè familiarem, cùm vtrique dolori, inteſtinorum dico & articulorum ſit obnoxius, & vtroque ſoleat laborare alternatè, quaſi alter alterum ſubleuet, laboraſſe iam ſæpè dolore colico ſine inteſtini deci-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 336 sur 489

dentia, aliquando etiam decidentia inteſtini in ſcrotum: plerunque podagra & chiragra, aliquando etiam iſchiade. Itaque poſſunt hæc omnia fieri, eſtque omnium ratio & cauſa eadem. Sed neque quod dicit in dextra parte, aliud quippiam nobis indicat, quam euenisse nunc dextra parte dolere, poſſet idem euentus in ſiniſtra eſſe eſſe parte. Neque quidem ex inteſtino ad articulos factus eſt abſceſſus ob quampiam communionem (nulla enim eſt) ſed propter dolorem, aut grauitatem, aut aliud quiduis, vt dicebatur. Porro quod Hipp. dicat in numero ſingulari inteſtinum potiùs quàm in plurali inteſtina, nihil refert, nam nomine inteſtini cum ſimpliciter dicitur, ſignificatur totum id quod producitur à fundo ventriculi vſque ad anum.

A

B

Agaſis filia cùm eſſet quidem puella, laborabat frequenti ſpiratione, mulier verò facta non longè à partu leuem percepit dolorem, cúmque in ſublime extuliſſet graue pondus, ſtatim quidem crepuiſſe viſum eſt aliquid in pectore. Sequenti die aſthmate & dextræ coxæ dolore laborauit. Cùm hæc doleret, frequenti etiam anhelitu corripiebatur, qui deſinente dolore ceſſabat. Spuebat ſpumoſa, ab initio florida, cùm autem conſtitiſſent, vomitioni biliosæ & tenui ſimilia erant. Dolores quidem maximè vigebant, quando manibus laborabat. Huic prohibere viſum eſt allium, ſuillam, ouillam, bouinam: ſpirandi verò difficultate laborantibus, clamore & ira præcipiti abſtinẽdum.

C

D

Hæc mulier haud dubiè habebat intra thoracem in ſuprema & poſteriori eius parte, ad duo inquam prima ſpatia intercoſtalia, iuxta ipſam ſpinam, tuberculum aliquod, quod diutiſſimè crudum perſtitit, poſteà verò labore partus denuò exacerbatum, & factum phlegmonoſum, & dolens ſuppuratum eſt, & poſteà nixu, qno mulier pondus magnum in ſublime extulit, rupto abſceſſu, pus in thoracem effuſum eſt. Inde pure reſudante intra pulmonem factum eſt aſthma, & compatiente coxa factus eſt dolor coxę. quoniam verò ex eadem parte, & eadem cauſa coxæ dolor & aſthma procedebant, conſentaneum erat augeri & minui ſimul, atque tunc mulierem reſpirare difficiliùs, cùm doleret magis coxa: facilìùs verò, cùm minùs. Conſtat verò neceſſe eſſe, vt huic in thorace non ſolùm adeſſet aſthma, ſed dolor etiam, nam quo loco fuerat tuberculum, neceſſe erat manere vlcus cauum, & difficile ſaneſcens, in loco præcipuè ad coaleſcentiam vlcerum adeò incommodo ob motum aſſiduum, & ſitum profundum. Fuiſſe verò & tuberculum, & ex eo relictum vlcus eo thoracis loco quo dixi, inde coniicies, quod dolores tunè maximè ingraueſcerent, cum laborabat mulier manibus. Nimirum nerui manuum naſcuntur à dorſi medulla, inter primam & tertiam vertebram, & decurrunt per duo ſpatia intercoſtalia. Merito ergo manibus laborantibus, condolebat ea pars thoracis, quare ſi cum thorace condolebat coxa, laborantibus manibus dolebat vtraque pars. Hæc omnia ſecundùm Gal. narrationem dicta ſunt, atque adeo, vt ipſe cenſet, nulli poſſunt videri dubia, præter illud, quod de compaſſione thoracis & coxæ dictum eſt. Nulla enim cauſa videtur, quâ condoleret coxa cum thorace, cùm nulla eſſe videatur communio illis, velut eſt thoraci cum genitalibus. Galenus ob nullam communionem factum eſſe putat, ſed quod caſu huic mulieri coxa fuerit debilior, quàm partes aliæ, atque ideo recepit excrementa. Mihi vero videtur in partium etiam natura & communione, cauſa aliqua eſſe potuiſſe. Nam thoraci cum vtero magna communio eſt, ſiquidem vocalibus cum genitalibus: dolere vero coxam ſæpe ob vteri morbum res eſt experimento compertiſſima, & rationi maximè conſona, & ab Hippoc. celebrata, præcipuè vero quibus vterus incidit in coxam: qualis fortaſſe erat hæc mulier. Sed eſt hic conſideratione dignum, cur ei, qui cum dolore dextri inteſtini laborabat articulari morbo, quanto magis ingraueſcebat arthritis, tanto magis remittebatur dolor inteſtini, & contrà: huic vero mulieri ambo dolores ingraueſcebant ſimul, cùm præcipuè dictum ſit ab eodem Hipp. in aphoriſmo. Si duo dolores non eandem partem infeſtant, maiorem alterum obſcurare. Certè ſi illud obſcurare ſignificet, vt verbum ipſum præ ſe fert, & Galenus in commentario eiuſdem aphoriſmi intelligit, facere vt lateat, ſeu vt minus ab ipſo ægroto percipiatur, ſed velut contemnatur præ alio vehementiori, vera eſt ſententia illa aphoriſtica vniuerſim, diſtrahit enim ſemper mentem vehementioris obiecti ſenſus à debiliori. Verum ſi illud obſcurare accipiatur, vt Galenus in commentatione hiſtoriæ proximæ, eius inquam cui dolebat inteſtinum, accepit quaſi diceretur, dolorem minorem à maiori tolli, aut curari, iuxta illud, quod ſectione ſecundâ huius ſexti dicebatur, opus aliquod ſimile facere, vt quum dolor dolorem ſedat, non eſt vera ſine quadam limitatione. Nimirum cum pars aliqua dolet per conſenſum cum altera, ita inquam vt non ſit ſolum paſſio ſecundaria, ſed mera ſympathia, non tantum non curat alter dolor alterum, ſed neceſſe etiam eſt creſcant affectiones ſimul, vt ſi cui ob affectionem dolorificam ventriculi, aut capitis doleant oculi, neceſſario creſcet oculorum paſſio creſcente paſſione ventriculi, aut capitis. Cum autem non eſt mera compaſſio, duorum alterum neceſſe eſt fieri, vt alteram partem recipere ex altera, vel ambas à toto corpore, vel ab aliqua alia. Si altera ab altera recipit, neceſſe eſt, vt creſcente dolore poſterioris decreſcat dolor prioris, iuxta quod libro ſecundo huius operis dicebatur, ſi doleat caput in pectus deſcendit, & hypochondria, deinde in coxam, & pedes. Impoſſibile eſt autem vt omnia ſimul doleant. Si vero ambæ partes recipiunt ſimul à toto, vel alia quadam, neceſſe eſt vt dolores augeantur ſimul, quia ſcilicet recipiunt ſimul, verum tunc quoque detrahunt ſibi aliquid mali mutuo, quæuis enim earum reciperet plus, niſi in alteram pars ſucci mitteretur. Ille igitur cui dolebat inteſtinum, laborabat etiam arthritide, non per meram compaſſionem, ſed quod altera in alteram pars mitteret, ac proinde merito non ſimul ſed alternatè augebantur: huic autem accidebat coxæ dolor & aſthma, thorace fortaſſis compatiente cum vtero: aut vtraque parte recipiente ſimul à toto, aut fortaſſe à capite. Ex ſpecie ſpu-

E

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 337 sur 489

torum nihil aliud potes intelligere quàm à talibus humoribus pependisse malum, quales illæ differentiæ sputorum sunt natæ significare, ab initio verò exisse floridum, hoc est, subrubrum, dimanante sanguine ex vlcere. Verum de differentiis sputorum, & significationibus, in prognostico est satis diffusè actum: nunc quæ peculiariter sunt huius loci pertractentur. Videbitur tibi hæc mulier etiam antequàm rumperetur tuberculum, laborasse asthmate, quandoquidem laborabat respirationis difficultate, & crebra spiratione. Quid autem est aliud asthma quàm respiratio anhelosa, quę non fit ob febris magnitudinem? Certè non quæcunque anhelatio, sed tanta, vt sit iam orthopnæa. Itaque hæc anteà respirationem habebat difficilem ob tuberculum, nondum verò erat orthopnoica, ac proinde neque asthmatica, vt posteà. Si placet dicere fuisse anteà asthma incipiens, quia id malũ augescens in asthma abiit, nihil prohibet. Quid huic medici consuluerint, narrat Hipp. non quidem curationem, sed victus solùm institutionem. Fortasse, vt erat morbus longus, & qui eam decumbere non compelleret, non est curata, sed contenta solo victu, persanari posse nõ sperans, sed morbum melius ferre volens. Fortasse etiam curationem dicere omisit Hippocrates, quod non valuerit persanare; vtcunque hoc habeat, censuisse dicit medicos, hanc abstinere ab allio, suilla, ouilla, & bouina, quia sunt hæc partim acria, partim concoctu difficilia, & crassa. Itaque eadem ratione abstinere debuit ab omnibus acribus, & ab omnibus concoctu difficilibus, & crassis. Nam acria breui afferrent phthisim exesione pulmonis, concoctu difficilia & crassa impedirent excreationem, & omnem corporis expurgationem. Ἐν δὲ τοῖσι πνευμόνοισι (inquit) βοὴς, ὀξυδυμίης. Rectè profectò, nihil est enim quod adeò possit vlcus dilatare in thorace ac clamor, qui fit vehementi respiratione, & ira præcipiti quæ facit feruorem sanguinis, & præter quàm quod humores conuocat, vsu aucto facit respirare plus & crebriùs. Quum dicit ἐν πνευμόνοισι, indicat duo hæc ob spirationem lædere, quia scilicet vtrunque facit respirare vehementiùs. Mirum tamen si huic non iusserit Hippocrates ferris candentibus fieri inustiones, in duobus spatiis intercostalibus supremis, iuxta spinam, in parte dextra: & circuncirca coxam dextram: ego quidem huic hæc consuluissem fieri.

CVi in capite tumor exedendo proserpebat, ei primùm alumen vstum profuit. Habuit alium abscessum, fortasse quòd os abscessurum esset, abscessit sexagesimo die super aurem, circa supernam verticis partem vulnus erat.

Hic laborauit affectibus qui per malignas cacochymias accidere multis consueuerunt, tumoribus, vlceribus, & carie in ossibus capitis. Quæ hoc nostro tempore fieri haudquaquam possunt, sine morbi gallici notâ, quaquam eum morbum nouum esse vulgus sibi persuasit. Huic duo tumores nati sunt, alter sponte exulceratus exedebatur, eratque vlcus hoc supra aurem iuxta verticem: alius abscessus quâ in parte capitis fuerit, non narrat Hippoc. suspicatur tamen ortum esse ibi, quòd os subiectum carie laboraret, & inde esset abscessurum, vt factum est. Nam aperto à chirurgis eo abscessu, sexagesimo die ex quo nudatum est, & cæpit ab aëre & medicamentis alterari, abscessit os. Fieri quidem potest, vt osse non corrupto, ob redundantiam solùm humorum fiant tumores, verùm in iis qui maligna laborant cacochymia, sæpissimè fiunt ob subiecti ossis corruptionem. Quare mox atque apparet tumor, timere talem corruptionem oportet, atque alio quopiam signo accedente, vt persistente dolore, aut fouea sub premente digito cum quadam asperitate aperire. Quòd tumori qui exedebatur, alumen prodesset, iuxta illius naturam euenit, nam siccat vehementer. Rectè autem dixit alumen profuit, insinuans scilicet, non omnibus ita affectis illud ipsum medicamen futurum vtile, sed aliis hoc, aliis aliud profuturum, pro cuiusque hominis natura, & dispositione: rectè etiam dixit primùm, quia etsi primùm videretur alumen prodesse, tamen non potuit eo solo persanari homo, sed alia fuit opus adiicere, fortasse caustica. Quòd sexagesima die os abscesserit, non mirum, plerisque enim abscedunt post quadraginta, hic fortasse erat senex, & ossibus natura durioribus.

INtestina crassiora habent homines canibus similia, verùm maiora: appenduntur ex medianis membranis, quæ mesocôla vocantur: Hæ verò ex neruis à spina sub ventre.

Ad Anatomem pertinet hæc oratio, est autem maximè conspicuum, & exigua diligentia indigens, quod dicitur, nihil enim dicit aliud, quàm intestinorum hominũ similia esse caninis, quod adeò est Anatomicis perspectum, vt quæ ad naturalia instrumenta pertinent, non nisi in caninis corporibus ostentent. Dicit hominum intestina esse maiora, certè vt & corpora tota. Ita autem habere, etiam non perspectis intestinis, ex vtrorumque fæcibus licet agnoscere. Sunt enim hominum fæces, quæ durę egeruntur, crassiores quàm canum. Suspendi dicit ex mesocolis, hoc est, ex mesenteriis. Quod enim Galenus vocat ἔντερα, id est, intestina, vocabat Hippocrates, & eo antiquiores, κῶλα, quare & quod mesenterium, mesocolum. Dicit verò numero multitudinis mesocola, quia constat multis venis, quæ omnes alligatæ sunt spinæ, ligamento quodam magno iuxta septum transuersum. Vt inde sint mesenterij vasa omnia, atque cum eis intestina, ex spina, & ipso septo transuerso. Vocat verò neruos illa ligamenta, nomine ob substantiæ similitudinem latiùs accepto. Dicit sub ventre, vel quia infra ventriculi os, vel quia corpore supino collocato, substat omnibus intestinis.

ÆGrotis gratificandum est in istis rebus, vt nimirùm potus & cibi mundè præparentur, & quæcunque videt & tangit mollia sint. In alijs etiam quæ non valdè lædant, aut facilè emendari possint, vt frigida, quum ea opus est. In his etiam ægroto gratificandum,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 338 sur 489

©BIUM

qualia ſunt introitus, ſermones, habitus corporis, veſtitus, tonſura, vngues, & odores.

Omnia hæc pertinent ad œconomiam circa ægrotantes, de qua ſectione ſecunda huius lib. non longe à fine dictum eſt. Omnia, quæ & ad ipſum ęgrotum, & ad medicum, & ad eos qui adſunt, & ad externa pertinent, in gratiam ægrotantis debent eſſe comparata. Gratificandúmque ei, quoad fieri poteſt, cibis, & potibus, & medicamentis, & cubiculo in quo decumbit, & iis quæ oculis obiiciuntur, & ſermonibus quos audit, & odoribus, & lectuli mollitie, ac denique omni alia re, quæ non valdè lædat. Vſque adeò vt & ipſum medicum velit Hippocrates ſeſe compònere, vt maximè ægrotis placeat, introeat ſcilicet compoſitè, & videat quos apud ægrotum ſermones habeat, & decentem habeat vultum, & totius corporis figuram, & veſtibus induatur precioſis & mundis, capillis bene tonſis, vnguibus expolitis, odoribus etiam vtatur. Huc ſpectat ferre annulos, & aureos torques, & quædam alia quæ vulgus hominum miratur & amat. Libello de medico ſcripſit Hippocrates multa ad hanc partem ſpectantia, ex quibus ego illud imprimis eligi ſuadeo, medicum circa totam vitam eſſe probè compoſitum. Quia maximè (inquit) ad opinionem, & autoritatem comparandam conducit, bonis & honeſtis moribus præditum eſſe. Itaque ſi omnes hæ indulgentiæ, quibus ad ægrotantes vtimur, id poſſunt præſtare præcipuè, vt Gal. cenſet, vt diligant, & proinde nobis pareant, velut vnicis amicis, velut parentibus, velut Diis, nihil magis obedientiam parit, quàm autoritas, neque hanc quàm probitatis opinio, vt Hippocrates dixit. Sed præter hanc vtilitatem, præſtant hæ gratiæ ægrotantibus aliam non exiguam, exhilarant enim quædam, vt quæ ad medici ornatum ſpectant, & ſermones, & ſpectacula, ipſorum animos, vt minùs mœrore lãgueſcat, quędã etiã ipſas naturales facultates, velut mundè parari cibos, potus, & ſuauitati aliquid condonare, etſi alioqui videatur non valdè expediens. Certè his præceptis, non ad dicta, ſed ad lucrum vtuntur multi, caueant autem hortor, ne plus ſatis vtantur, & plurimùm ſuis commodis ſtudentes, eorum qui ſe illis crediderunt, ſalutem ſpernant. Videant quantum ſit id, quod ſuauitatis causâ permittant, quod ſanè Hippocrates ipſe definit. Sed & id ipſum quod per artem licet, videant ipſi, quibus permittant. Nam quod inſigniter poſſit lædere, aut quod inferre noxam quæ non facilè emendetur, nulli debent concedere, ſed vt in aphoriſmo dixit, Parùm deteriorem cibum, aut potum ſat quod vel tantillùm poſſit lædere permittendum non eſt omnibus. Nã mores ægrotantium conſiderandi ſunt. Quidam enim ſunt adeò intemperantes, vt ſi medicus illis tantillùm concedat, ipſi ea occaſione ſint plus multò adiecturi. Itaque hæc præcepta, vt alia omnia practica, prudentia indigent. Nam & medici compoſitio ad gratiam comparata, quæ plurimùm artis prodit, eum facere ſolet ridiculum, & contemptilem: quinetiam ſuſpectum, putantibus hominibus, id quod doctrinæ deeſt, ambitione illa ſuppleri, & eum qui tam multis rebus, fortaſſe futilibus, ſtudeat, non admodum poſſe vtilibus præceptionibus eſſe intentum. Neque tamen has ob cauſas velim medicum rigidum, grauem, inurbanum, & prorſus ruſticum ſe præbere, vt noui alios, hac arte volentes ſimulare ſe ſemper tractare ſeria. Vſque adeò eſt quique ſua aſtutia. Ego mihi nihil horum, ſed facilem, non tamen leuem, aut grauem, non tamen tetricum conuictum exopto, & omnia prudenter ac moderatè facere. Vbi ego legi, ſed non vt valde lædant, legitur in græcis codicibus ἄλλαμὴ μεγάλα βλάπτειν. Ideſt, alia non multùm lædere. Quæ verba ineptitudinem quamdam præ ſe ferunt, proinde mihi arriſit plurimum illud ἄλλα mutari in ἀλλὰ, id eſt, ſed, fit enim mutato ſolùm apice, & redditur ſenſus longè facilior, hic ſcilicet, gratificandum eſt quidem ęgrotanti, ita tamen vt non valdè lædantur, velut ſi dari debeat ægroto ad voluptatem frigida, ne tamen ita detur, vt parere poſſit noxam aliquam magnam, atque fortaſſe inemendabilem: vt hoc delicioſiſſimo tempore, quale nunquam viderat Hiſpania, ſcimus multis niuis vſu nimio contigiſſe. Sed ſi de mollitie & voluptatibus, quæ noſtrorum animis irrepſerunt, ſermo eſſet habendus, ad elegiam procederent commentaria. Faciat Deus, vt ab his expediti, ad virtutem priſtinam, qua alijs omnibus gentibus quondam fuerunt admirationi, conuertantur, & licebit medicis eos ſeriò curare, vtentúrque illi arte ad ſalutem potiùs quàm ad delicias.

Aquam quum decoxeris, partim quidem prouidebis vt aërem recipiat: partim quidem vt non ſit vas aquâ plenum, & operculum habeat.

Quidam enartatorum cenſebant, hæc verba ſimul cum prioribus legi, alij ſeorſum. Qui legebant ſimul, intelligebant Hippocratem hic docere rationem refrigerandi aquam, pro ijs ægrotis quibus placeret frigidam concedere: qui ſeorſum verò, docere rationem elixandi aquam. Vtraque ratione accipit ſatis idoneam interpretationem, Galenus probat magis priorem, me verba ipſa videntur in alteram trahere. Proinde vtramque perſequar, & prius quidem priorem. Aqua multis cauſis, & eis quidem optimis elixatur, quarum vna eſt, vt meliùs refrigeretur, cùm eam frigidiſſimam dare volumus. Promptiùs enim aqua calefacta niue, aut alia aqua frigidiſſima circumfuſa, frigus in ſe totam admittit, quàm frigida. Refrigerandi verò, cum iam fuerit calefacta, duplex ratio eſt, altera ſub dio ſine operculo exponere, altera in puteum aut niuem cum operculo, atque vaſe obturato immergere. Vtrumque autem ita fieri debere luce clarius eſt. Nam ſi cum operculo exponatur ſub dio, minimè circumfuſi aëris frigore alterabitur, ſi verò ſine operculo demittatur in puteum, aut niuem, mixtionem aliquam inutilem admittet. Quod ſi Galenus velit, vt vas quod in niuem mergitur, probè obturetur, ne aliquid recipiat: quantò minùs ferendũ eſt, quod delicioſi nunc faciunt (permittentibus quibuſdã aſſentatoribus) vt percolata per niuem aqua bibatur, aut etiam ipſa nix aqua ſoluta. Hæc de ratione refrigerandi aquam dicta ſint.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 339 sur 489

De ratione elixandi iuxta alteram enarrationē nunc dicatur. Elixatur aqua, præter dictam, duas ob cauſas, vt emendetur à vitio aliquo, aut vt facultatem aliquam recipiat. Vt emendetur, velut ſi craſſa eſt vt extenuetur, ſi vitioſam aliquam aut alienam habet facultatem, vt eam deponat: vt facultatem recipiat, vt cum ea lignum ſanctum, aut radicem cynæ, aut ſmilacem indicam, aut glycyrrhizam, aut aliud quiduis incoquimus. Cum emendationis cauſa ſolùm elixatur, ad ignem lentum ſine fumo, vaſe detecto fieri debet, vt vapor & quicquid ab ea diſſolutum fertur, expiret, neque in eam deoluatur: cū verò alicuius causâ facultatis elixetur operculo ſuperpoſito, ne facultas eius quod incoquitur, expiret. Ne ſit autem plenū vſque ad ſummum, ſed ad os relinquatur vacuum, quantū ſatis ſit ad liberum feruorem. Nam alioqui, aut cohibebitur feruor, aut rumpetur vas, quod in muſti etiam dolijs licet experiri. Itaque ſiue elixare vis, ſiue elixatam refrigerare aquam, duplex ratio eſt, in detecto vaſe, aut tecto operculo, & vaſe non pleno. Quid autem? Cum refrigeramus detecto vaſe, nunquid pleno vaſe fiet melius, an etiam non pleno? Certè vt erit vaſis os; ſiquidem lato ſit ore, nihil prohibet plenum eſſe vas, ſi vero anguſto, ſatius ſit eſſe ſemiuacuum, vt ſecundùm ampliorem extremitatem aqua aëre tangatur.

Quòd multi ex ſanguinis profluuijs hydrope laborent, notandum eſt.

Nimio fluxu ſanguinis ſiue menſtruo, ſiue ex hęmorrhoidibus ſiue ex naribus, ſiue aliunde calorem naturalem hepatis tolli, hoc ſublato hydropem fieri, res eſt certiſſima.

Si qualia oportet purgentur, etiam facilè ferunt.

Hoc quoque eſt enarratum prima particula aphoriſmorum.

Qui vigilat externis partibus manifeſtè eſt calidior, internis verò frigidior; qui dormit viceuerſa.

Inter hæc & proximè ſcripta verba, occurrunt in omnibus codicibus quædam alia, quibus narratur fames quæ fuit in Aëno, per quam ob leguminum eſum morbi quidem facti ſunt, quod idem libro ſecundo narratum eſt, & à me redditæ eius euentus cauſæ. Nunc delenda cenſui, quia nihil continent noui vnde vtilitatis quippiam poſſet accipi, & ſunt haud dubiè intericcta temerè. Galenus enim omnino non habebat in ſuis codicibus, ſiquidem nullam prorſus mentionem talium verborum fecit, ſed poſt illa quæ de refrigeranda elixata, aut de elixanda aqua dicta ſunt, ad ea quæ de vigilantium & dormientium calore dicuntur, tranſijt. Ventres per ſomnum calidiores eſſe quam per vigilias, & extremum corporis habitum frigidiorem ex ſomni & vigiliæ natura conſtat. Si quidem colligit ſeſe naturale calidum in interiora, exterioribus deſtitutis per ſomnum, quod per vigiliam contrario motu effunditur. Sed & hoc ſigno conſtat, quòd qui dormiunt pluribus tegumentis indigent, quàm qui vigilant, vt noctu etiam quàm interdiu, & hyeme quàm æſtate, & quieſcentes quàm qui exercentur, & mœſti aut timidi quàm irati, quibus motibus eſt analogus ſomnus, vt vigilia contrarijs. Hinc fit vt ſomnus ad concoctiones, vigilia ad diſtributionem, & euacuationes plus conferat.

Naturâ calido refrigeratio, potus aquæ, & quieſcere conuenit.

Hæc oratio videbatur mihi excipienda hinc, locandaque vltra duas alias quæ mox ſequuntur, quia illæ duæ cum priori aptè iunguntur, cùm ſint omnes illæ de ſomno, hæc verò ſeparata aptius diſponeretur, vt quæ tractat de re alia. Pertinet hæc ad dieteticam medicinam: continet enim rationem inſtituendi victum refrigerantem pro calida natura. Sed videri poteſt quod dicitur, aduerſum alijs medicinæ theorematis. Receptiſſimum enim eſt & magnum artis axioma, quæ ſunt naturalia ſeruanda eſſe, & quæ præter naturam ſubmouenda: atque illud his proximum, conſeruationem fieri ſimilibus, curationem contrarijs. Vnde legitimè colligitur, omnibus rebus naturalibus eſſe danda ſimilia: quare naturâ calido non refrigeratio, ſed calfactio congruit, quare non aqua & quies, ſed merum & motus, atque ita in alijs omniū cauſarum ſalubriū generibus. Non enim omnia quibus conſtat victus Hippocrates nominauit, ſed pauca quædam, quorum nomine tu reliqua potes intelligere, quæ in eandem partem cadunt, frigida cùm ſint. Galenus in commentatione, velut huic obiectioni reſpondens dicit, calidas naturas vocare Hippocratem conſueuiſſe, quæ non ingenito calore, ſed acri & mordaci abundant, quem aduentitium, & non ſecundùm naturam eſſe arbitratur. Durum verò eſt dicere, calorem acrem iuuenum naturâ bilioſorum, non eſſe ſecundùm naturam, aut eum qui febriliter ardeat (ſi modò hunc intelligit) dici ab Hippoc. naturâ calidum. Quamobrem ego naturâ calidum dici intelligo, eum qui naturâ ſuâ eſt calidor quàm temperatus: neque tamen Hippocratem docere, talem eſſe refrigerandum, ſed refrigerationem talis (cùm ſcilicet refrigerandus eſt) agi aptimè potu aquæ & quiete. Sed dices ſi naturâ calidus refrigerari non debet, futile eſt docere, quomodo refrigeretur. Certè refrigerari debent qui calidi naturâ ſunt, quia calidiorum vſu periclitantur corripi morbis calidis: vt frigidi etiam frigidis, vſu frigidorū, quia à ſimilibus facilè patiuntur corpora, à diſſimilibus difficulter. Non enim ſemper ſeruari debent omnia quæ ſunt naturalia, ſed quæ ſunt naturalia & omni reprehenſione carentia, vt mediocris temperies ſeruanda ſemper, vitioſæ autem naturæ ſeruandæ ſolùm per morbos, aut per negotia, alioqui reducendæ ad meliores, quod fit vſu contrariorum.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 340 sur 489

©BIUM

Somno indulgendum in loco frigido, corpore cooperto.

Breuiloquium, quacunque de re agatur, consueuit multis interpretationibus esse expositum, quod in plerisque Hippocr. sermonibus, & in hoc non minimè euenit. Nam illud, ὕπνος ἐν ψύχει ἐπιβεβλημένῳ, significare potest, hoc modo maximè somnum conciliari, aut hoc modo vtilissimum esse dormire. Illo modo pertinebit oratio ad physiologiam, hoc ad salubrem medicinam, seu de tuenda valetudine. Rursum legi possunt seorsum illa, ὕπνος ἐν ψύχει, vt significetur frigore conciliari somnum, vel vtile esse dormire in loco frigido: & particula illa ἐπιβεβλημένῳ adiungetur proximè sequentibus, quæ ita habent, ὕπνος ἑδρεῖος, ὀρθῶ νυσταγμός. Ita legebant (vt Galen. dicit) multi, & ἐπιβεβλημένῳ vertebant iacenti. Vnde multæ etiam interpretationes sequentis orationis nascuntur. Verùm Galeno videtur valdè violentum ἐπιβεβλημένῳ accipi pro κατακειμένῳ. Quapropter magis consentaneum est vertere cooperto, & legere, somno indulgendum in loco frido, corpore cooperto. Ambæ autem interpretationes quas diximus probabilissimæ sunt. Nam quia per somnum calidiores sunt homines interiùs, & frigidiores exteriùs, aëre ambiente frigido indigent qui occurrat interno ardori, & indumentis quæ externorum frigori, ne quid nimis fiat: atque eadem ratione melius conciliatur ita somnus, quàm aliter. Nam qui dormiunt in loco calido excitantur ab interno æstu: qui non probè operti, ab externo frigore: qui verò in loco frigido cooperti, à nulla causa offenduntur, & is somnus est placidus & vtilis.

Erectorum nictatio somnum affert profundum.

Qui hanc orationem dicunt incipere à voce κατακειμένῳ ideſt (vt ipsi interpretantur) iacenti, intelligunt ἑδρεῖον ὕπνον dici profundum & quietum metaphoricè, atque significari hominem iacentem dormire quietè: stantem verò, aut etiam sedentem, aut insidentem equo (hi enim omnes sunt recto corpore) non posse nisi nictare. Sed dices, quid hoc ad medicum? Certè ad tuendam valetudinem spectat, consuliturque, vt qui dormiturus est decumbat, ne lassitudinibus corripiatur, si sedens aut stans dormiat. Si verò hæc oratio quatuor has solùm voces contineat, ὕπνος ἑδρεῖος, ὀρθῶ νυσταγμὸς, videtur significari, eum qui rectus nictat, sedendo dormiturum. Hoc verò leue est & parui momenti, vtilior multò sensus est quem Galenus sequitur, & continet præceptionem quandam curatoriam, & rationem occurrendi peruigilio. Scilicet quum quis capere nō potest somnum, coactus vigilare, & stando nictare, antequàm ei permittatur decumbere, solet in sedentarium & profundum somnum incidere: velut etiam cùm quis conqueritur, se nunquam cum appetentia accidere ad cibos, consultum erit, cogere vt iacet quousque appetat, nam priuatio parit appetitum. Ergo iuxta Galeni enarrationem hæc verba, ὕπνος ἑδρεῖος ὀρθῶ νυσταγμὸς, significant, nictationem stantis afferre somnum placidum & profundum. Constat verò hanc curationem vtilem non esse, cùm ob aliquam affectionem grauem fit ea impotentia, nam si quis phrenitide exquisitâ laborantem cogat vigilare, donec somno corripiatur, aut eum qui ob phlegmonem, aut erysipelas oris ventriculi, aut gulæ, cibum non potest capere, ieiunare cogat donec appetat, priùs morietur eorum vterque. Curatio igitur hæc tunc est accomodatissima, cum fastidium incepit à satietate, aut dormiendi impotentia ab otio. Sed etsi hinc non inceperit, sed ex contrariis causis, vt fames ex bile aut ex calore oris ventriculi, & peruigilium ex cerebri siccitate, si tamen affectiones graues non sint, vt quas nuper dixi, fieri potest vt hæ curatio locum habeat. Nam ad inopiam tracta membra possunt ciborum appetentiam facere, etiam repugnante bile & calore ventriculi: & facultatis animalis labor poterit afferre somnum, etiam in sicco cerebro. Quapropter neque tertianis febribus laborantes admodum cogendi sunt cibum capere, sed cùm valdè fastidiosi sunt finendi: neque melancholici semper arcendi ab omni labore, & à lectione, & aliis omnibus quibus præcipuè solent delectari, sed concedendum est illis horum quidpiam moderatè, vt minùs mœsti sint, & dormiant. Verum vt dixi, qui præ grauissimo aliquo malo tale habent symptoma, non ita curandi, sed nobis contrà euntibus, & vi cogentibus. Si enim phreniticum prohibes dormire, aut laborantem phlegmone ventriculi comedere, sperans inde futurum, vt ille dormire velit & hic comedere, perinde feceris ac si lethargicum dormire sinas, & laborantem fame canina comedere, sperans fore vt ille euigilet, & hic satietur, nihil enim tale eueniet. Sed talium omnium somnus dormiendo, peruigilium vigilando, fames comedendo, fastidium ieiunando crescet vsque ad mortem.

Debiles victus frigidi, robusti verò calidi.

Idem prorsus continent verba hæc, & quæ paulò post sectione quinta huius libri occurrent, vbi dicitur, debiliores cibi breuiorem vitam faciunt. Scilicet debiliores cibi dicuntur à Galeno eum locum enarrante, qui exiguum præstant alimentum, velut olera, & fructus. Debilis ergo victus est vsus talium ciborum: constat verò cibis refici naturalem calorem, quare vsu parum nutrientium langueſcet naturalis calor, atque hoc languescente necesse est vitam contrahi: contrà vsu bene nutrientium naturalis calor roborabitur, & vita producetur. Debiles ergo victus frigidi, ideſt naturalem calorem facientes marcescere, & mortem accelerantes: calidi verò robusti sunt, & vitam producentes.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 341 sur 489

©BIUM

EX aquis arte carentibus quæ ab æthere excernitur cum tonitru, tempestiua: nubiliosa verò mala est.

Aquæ arte carentes sunt fluuiales, fontanæ, puteales, & pluuiales: artificiales verò, stillatitiæ, & expressæ, & elixatæ. Hæ quia medicamentosæ sunt frequentes in vsum veniunt, etenim & potus & medicamenta simul sunt, habentque vires eorum ex quibus exprimuntur, aut distillantur, plus aut minùs, vt est eorum natura, aut induunt vires eorum quæ in eis incoquuntur. De naturali aqua variæ sententiæ fuerunt, autores quidam præferunt fluuiales, ob assiduum motum; alij puteales, ob colaturam: alij fontanas ob mundiciem: alij etiam pluuiales quòd videantur esse tenuiores. A me dictum est de his, atque omnino de aquæ electione, in commentatione tertij de ratione victus in morbis acutis, vbi & hanc orationem enarraui, quapropter licebit nunc, & aliorum opinionbus, & earum refutationibus prætermissis, quod huius loci est solùm dicere. Ex sententia Gal. & aliorum, veterum haud dubiè præfertur pluuialis omnibus aquæ generibus. Nam in medicamenta omnia, quæ aquam recipiunt, immitti iubebat aquam pluuialem. Galenus vbi deest pluuialis permittit fontanam, atque id quidem non quòd semper fluuiali sit melior, sed quia vt ipse narrat, Romæ erant optimi fontes, Madriti quoque sint optimi ac multi; Compluti meliùs fluuialis reposita immittetur. Sed quòd pluuialis præferatur optima ratio est, nam est tenuior, & concoctior (si modo concoctionem aliquam accipere potest aqua) vtpote ex reliqua aqua vi caloris excreta: id verò non omni pluuiali æquè inest, æstiualis enim & quę cum tonitruis descendit, quę ob tempus anni ὡραῖον ὕδωρ. aqua æstiualis dicitur, vt fructus etiam temporales seu horarij dicuntur, qui eo tempore proueniunt, ea inquam aqua, vi caloris, & terra etiam arida excernitur: hyemalis verò, & quæ copiosis, & opacis nimbis cadit, non tam vi caloris, quàm humoris redundantiâ, & vaporum copiâ prouenit: quare illa tenuior est & cõcoctior, hæc crassior & crudior. Optimæ igitur aquarum omnium, & quibus ad medicamenta, & ad vsus eorum qui aqua vulgari læduntur, sunt pluuiales æstiuæ. Vbi dicitur tempestiua, deest particula, bona, cui illa mala opponatur: nisi fortè nomine tempestiuæ voluerit Hippocrates bonam significare.

AQua edax, vigilia edax.

Ad physiologicam partem pertinet hæc oratio, continet enim quæstionem duorum naturalium problematum, cur qui aqua vtuntur plus cibi capiunt, quàm qui vino: & cur qui ob negotia vigilant plus solito, accipiunt plus quàm qui dormiunt satis. Dixi verò ad physiologicam pertinere, quia non vt in iis qui naturaliter ad victum hunc sunt dispositi verum esse deprehenditur, ita etiam in his qui tenentur morbo. Nam eos qui aqua vtuntur semper voraciores esse, vinosos verò pauco cibo esse contentos, experimento est cognitum, neque minùs eos qui totam noctem insomnes transigerunt, intentos negotijs plus cibi capere, & lautiùs ientare quàm solebant. Non tamen perinde si quis per morbum fastidiosus est, aquæ potu iuuatur, neque si quis laborat peruigilio, ob hoc magis appetit cibos, aut vigilando ampliùs appetitum comparat. Quin potius multi ægroti qui cibos capere non possunt, vsu modici vini incipiũt accipere, & multi qui peruigilio & fastidio laborant simul, modico somno recreati comedunt. Atqui profectò hæc omnia eueniunt merito, omniumque oportet causas dicere. Quod in beneualentium victu vsus aquæ quam vini sit magis edax, causam dicit Galenus esse, quod frigida ventriculi intemperies cibi appetitum faciat, velut calida potus. Ego huic etiam addo aliam. Ex aqua nihil vnquam alimenti accedere corpori, ex vino vero citissimè non omnino exiguum. Merito ergo qui vino vtitur, accipit aliorum ciborum minùs, quam qui aqua. Verùm per morbos multis fastidientibus vinosa qualitas est pro condimento, quod aqua non potest, quia nulla est qualitate prædita: præter quàm quod quidam vini potu adiuti coquere incipiunt, atque ob id etiam accipere. Quod qui ob negotia vigilant accipiant multùm, causa est magna dissipatio, quam facit vigilia præ somno, vt motus præ quiete. Ita fit merito vt dormientes facilè, laborantes difficilè sustineant ieiunium. Quod ægroti qui cùm peruigilio fastidiosi sunt, somno recuperent appetitum, causa est, quod somnus emendat intemperiem calidam & siccam, quæ fastidium parit, vigilia auget.

PEr calidam naturam, calidò anni tempore, cubile in aëre frigido crassam reddit, in calido attenuat.

Significant hæc verba cubile in aëre frigido, calido tempore, crassam reddere naturam valdè calidam, in calido autem loco attenuare: hoc est, eum qui est naturâ valdè calidus, tempore calido, si dormiat in loco frigido crassescere, si vero in loco calido, extenuari. Quod quidem extenuetur naturâ calidus, tempore calido, in loco calido decumbens, causam esse dicit Galenus, quod calidi facilè dissipentur, quare accedente temporis & loci quo dormiant calore, dissipabuntur plurimùm: nempe conueniunt iam causæ tres dissipationis, calor hominis, temporis, & loci. Sed si hoc ita habet, cur hic idem eodem tempore in frigido dormiens crassescet, deberet enim etiam extenuari, etsi minùs; siquidem adessent extenuationis duę causæ, proprius calor, & temporis: quibus repugnaret vnica, frigus cubilis. Quid ergo? Nunquid per crassam reddi intelligit Hip. minùs extenuari. Quod si dicas naturalem calorem non dissipare, sed nutrire (quod ego sæpe iam indicaui) ac proinde non esse in causis dissipationis, sed crassitiei, atque ita calidum æstate dormientem in loco frigido, duas habere causas crassescendi, calorem proprium, & frigus cubilis, vnam extenuandi, calorem temporis, fiet, vt calidus

æstiuo

©BIUM

æstiuo tempore in calido cubiculo minus extenuetur, quàm frigidus eodem tempore & loco, quia frigidus habebit tres causas extenuationis, calorem temporis, & loci, & frigus proprium: calidus verò duas extenuationis, calorem loci, & temporis, crassitiei alteram, proprium calorem. Quid ergo? Nunquid dicit Hippocrates naturam calidam calido tempore & cubiculo attenuari. Non quod magis quàm frigida, sed quòd ea quoque nonnihil attenuetur? Hæc mihi videntur explicationem postulare, ac præterea, cur potius requirat Hippocrates cubiculum frigidum æstate quo dormiatur, quàm domum qua interdiu vigiletur? Videtur enim cum vigilia dissipet plus quàm somnus, vt nuper dicebatur, magis dissipatum iri eum qui in calido loco vigilet, quàm qui dormiat. Vtrum ergo erit satius æstate (alterutrum agendum est) domum habitare frigidam, vt in calido dormias cubiculo, an in cubiculo frigido dormire, etsi domum habites calidam? Quum his omnibus erit satisfactum, videbitur mihi Hippocratis oratio satis enarrata. Non videmur autem posse aliundè meliùs incipere, quàm à causa qua quædam corpora facilè, quædam difficilè dissipantur. Constat verò eam non esse solum in calore aut frigore, sed multó magis in substantiæ corporis duritie & mollitie, quæ quidem non caloris modum sequuntur semper, sed humiditatis, aut siccitatis potius. Constat (vt exemplo etiam hoc declaretur) multò facilius dissipari corpora puerorum quàm iuuenum, quanquam nihilò censentur à Galeno calidiora, atque ab alijs quibusdam multó frigidiora. Non igitur tota causa est in calore aut frigore, sed neque omnino nulla. Nam etsi reliqua sint æqualia, à sola caloris aut frigoris naturalis differentia, recipiunt corpora differentiam majoris aut minoris dissipationis. sed quæ sit differentia hæc inuestigemus. Calorem naturalem dissipationis corporis; & partis cui inest, causam non esse, demonstratum à me est satis, nihilominus potest calor naturalis esse causa dissipationis facilis, vt materiæ dispositio. Quòd scilicet quæ calida sunt, facilè à causis calidis patiantur, atque cum illæ dissipantes sint, facilè dissipentur: sed & ab omnibus externis causis, patiuntur facilè quæ sunt rara, calor innatus raritatem parit; qua igitur ab externis calidis, & dissipantibus patiantur, duplex causa est, analogia temperamenti, & raritas. Itaque hac ratione, etsi calor naturalis non dissipet, tamen naturaliter calida facilè dissipantur ab externo calore. Accedit, quod & vt efficiés etiam potest partem alteram extenuare, velut si calor hepatis absumit pinguedinem partium circa ipsum consistentium, quinetiam & se ipsam potest ex accidenti extenuare pars calida, quòd scilicet absumat & dissipet sua alimenta, & excrementa reddat acriora. Tot sunt causæ quibus corpora calida sunt facilioris dissipationis, etsi calor per se non dissipet suam substantiam. Quoniam verò calor ex accidenti extenuat, per se verò facit contrarium, constat id non facturum, nisi in eum qui sit valde magnus, moderatus enim faciet quod per se natus est facere, contrarium accidet ex immoderatione. Disputetur igitur non de calida vtcunque, sed vt Hippocrates dicit, de per-

A

B

C

D

E

F

calida natura, atque statuatur, percalidam naturam cum eodem aut simili substantiæ modo faciliorem esse dissipatu quàm frigidam, ob dictas causas. Igitur percalidam naturam, æstiuo tempore dormientem in loco calido, extenuari magis quàm frigidam naturam, ac magis etiam quàm si in loco frigido dormitet, facilè concedes. Crassescere verò naturam percalidam æstate quód dormiat in frigido, atque id magis quàm frigidam, est aliquanto difficilius. Mihi vero id quoque videtur consentaneum. Nam calor naturalis, nisi vincatur ab externo, iuuatur: non vincitur autem cum externus calor corrigitur, velut cum quis oppido & domo & reliquo victu vtitur, frigido, cujus præcipua pars est dormire in frigido. Cum igitur æstas ita corrigitur, non prohibetur caloris naturalis opus, sed iuuatur potius, quare & nutritur corpus fœlicius. Ita etiam frigidæ naturæ, nisi earum calor ab ambientis frigore vincatur, iuuantur, quia intro sese colligens robustior fit. Quapropter frigidi hyeme dormientes in loco calido, & reliquo victu calido vtentes, ne temporis frigus vincat, & calidi æstate dormientes in frigido crassescunt magis quàm æstate frigidi, & hyeme calidi, vtentes eodem victu. Frigidi enim æstate, & calidi hyeme, quia non indigent aëris correctione, neque illo victu vtentes melius habent, neque inquam frigidi æstate indigent frigido cubiculo, neque calidi hyeme calido. Satis est enim, vt bene habeant, naturam toti victui opponi. Igitur calidus in æstate dormiens in loco frigido, magis crassescet, quàm frigidus eodem modo viuens, & multo magis quam ipsemet dormiens in calido. Merito autem cubiculi in quo dormitur meminit potiús quàm loci quo vigilatur, quia etsi per se vigilare in calido, majoris dissipationis causa sit quàm dormire, tamen quia dormire in calido priuat concoctionibus, & nutritione magis, contingit vt ex accidenti etiam multo magis extenuet. Accedit quod neque dissipatio sit multo minor quæ dormiendo agitur, si tollantur concoctiones. Nam etsi aliæ euacuationes dormiendo cessent, insensibilis euacuatio parum minuitur, & sudor etiam augetur.

Sanitatis tutela est cibis non satiari, & impigrum esse ad dolores.

Nihil est quod adeo repleat malis succis, & ad morbos reddat opportunos, atque satietas & otium, quare merito laudatur ad valetudinem tuendam, non vti cibis vsque ed saturitatem, & impigrum esse ad labores: quod valde consonum est eis quæ docet libro de diæta, vbi dicit contrarias inter se vires habere cibos, & laborem, cibi enim replent, labores inaniunt: igitur cibi parcitas & labores eadem vires habent, vacuandi scilicet. Quare cum plerique morbi nascantur ex repletione, in commune quidem rectè dicitur. exercitationem salutarem esse, non satiari cibis, & impigrè laborare. Constat vero neutrum horum omnibus æquè conuenire, sed pro cujusque natura, abstinendum à cibis esse plus aut minus,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 343 sur 489

©BIUM

& laborandum plus aut minus. Quandoquidem autem cibi, & labores contrariæ cauſæ ſunt, qui in ſanitatis tutela pauciori indigent cibo, illi indigebunt pluri motu, & qui pluri cibo, motu minori. Vſque adeo vt ſint quædam naturæ, quæ ob ingentem diſſipationem plurimo cibo, & nullo motu indigent. Aliud eſt, quum qui pauciori aut pluri vtuntur, non quòd pauciori aut pluri ob corporis naturalem diſpoſitionem indigeant, ſed aliam quampiam ob cauſam, vt qui pauco cibo vtitur quòd multo careat, aut quod volens ieiunet, aut quòd ob debilitatem facultatis, vel totius hominis, vel ventriculi, multum non poſſit ferre, vel ob faſtidium non poſſit accipere, vel ob crebros aut longos paroxyſmos non vacet Medico dare: aut contrà ob incontinentiam homo ingerat multa, vel quod ſit frequens in conuiuijs. Hi omnes quanto vtuntur pluri cibo, tanto debent laborare, plus, & quo pauciori eo minùs, ita vt proportionem ad ſeſe ſeruent cibi, & labores: quia vt dicit Hipp. loco citato, homo comedens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret. Verùm modus accipiendi cibum, & laborandi, per bonam valetudinem, in mediocribus naturis, atque adeo in pluribus, optimè definitur, vt cibus capiatur infra ſatietatem, & labores ſuſpiciantur ſine pigritia.

LEui inter vigilandum ſiti ſomnus medetur: & veró quæ ſomno ſuccedit, vigilia nterdum.

Superficialem, ſeu famem, ſeu ſitim, ſeu paſſione, quamcunque aliam, vocari, quæ non eſt valde firma, ſed leuis, & ex cauſa quapiam leui pendet familiaris eſt phraſis Hiſpanis magis quàm Latinis, iuxta quàm nunc Hippocrates vocat *διψαν ἐπιπόλαιον*, id eſt ſitim in ſumno exiſtentem, ſeu ſuperficialem: itaque ſitim non magnam, neque ex magna pendentem cauſa. Rectè igitur, & iuxta Hippocratis mentem interpretatur Galenus aphoriſmum vigeſimum ſeptimum ſectionis quintæ, quo dicitur. Qui noctu bibere appetunt, ſi ſuperdormierint, bonum, intelligi de mediocri potus appetentia. Nam ſi quis tenetur ingenti ſiti, ſatis non erit dormire, niſi prius potet: imo vero ſitis ipſa dormire prohibebit, ſi vero mediocris ſolum ſit, dormiendo citra potum ſedabitur: ita quoque quidam qui cum ſiti expergiſcuntur, vigilando ſolum, etſi nihil accipiant potus, á ſiti leuantur. Nimirum vigilia ſiccando facit ſitim, quam merito tollit ſomnus, cùm humectet: ſomnus etiam aliquibus ſitim facit calfaciendo viſcera, quia vt dictum eſt nuper, qui dormit calidior eſt interius, frigidior exterius, hanc ergo ſitim tollit vigilia auocando calorem à viſceribus ad externa. Sed neque hanc ſitim vigilia, neque illam ſomnus tollere valet, niſi exigua ſit. Quod ſignificat Hippocrates dicens, ſiti inter vigilandum ſuperficiali, id eſt, non magnæ, ſomnus medela eſt, ei vero quæ ſuccedit ſomno, vigilia interdum, non enim omnibus, ſed quibus ſitis ex ſomno ſuperficialis eſt. Quid ergo agendum ſi ſuperficialis non eſt? Certè ſi quis ex vigilia ſitit vehementer, capiat potum donec ſitim extinguat (per ſanitatem intelliguntur hæc, nam hydropyco non erit hæc idonea procuratio) mox dormiat, ſi dormiendi tempus eſt, ne cito rurſum ſitiat: non tamen ita conſuluerim, ſi expergiſcitur cum ſiti magna, mox bibere, vt euigilet, ſed prius euigilare perfectè & aliquandiu ſuſtinere ſitim, eam vbi vigilia non ſedari viderit, potare: aut ſi eum tantopere vrget ſitis, abluat os, vnum aut alterum hauſtum ore prius detentum deglutiat, dum euigilat, ne autem copioſè potet, frigidam precipuè, niſi cum plene euigilauerit. Nam ſi quis antequàm naturalis calor ſeſe in corpus totum effuderit, copioſè frigidam deglutiat, periculum ſuffocationis afferet calodori, & eius diſtributioni impedimentum. Quare qui id faciunt, breui ſolent euadere cachectici, aut hydropici.

QVibus copioſus ineſt calor, ij maxima voce præditi ſunt, nam copioſus etiam aëre inſpiratur: ex duobus autem magnis quæ naſcuntur, magna etiam exiſtunt.

Μεγαλοφωνότεροι fiunt quibus ampla ſunt vocis organa, & firma latera, ambo autem hæc ſunt ſoboles caloris inſiti. Itaque quibus magna eſt vox, plurimum ineſt calidum, & quibus plurimum ineſt calidum, ij magna voce ſunt, niſi ob materiæ defectum, aut erroram formatricis aliter contingat: liuius orationis duplex eſt enarratio. Prima quibus plurimum ineſt calidum, eos ſtatim habere magnam vocem, quia qui plurimum habent calidi, ob vſum auctum trahunt multum aërem frigidum, duobus autem his exiſtentibus, calore ſcilicet multo, & aëre qui inſpiratur, neceſſe eſt etiam quę inde naſcuntur fieri magna, vt vocem, cujus materia eſt aër, & effectrix cauſa facultas, quæ in calidis valere ſolet. Itaque quicunque plurimum habentes calidum, plurimum trahunt aërem, & magnam habent reſpirationem, illi omnes magnam habent vocem. Qui enim, etſi calidi ſint, ob dictorum aliquod habent anguſtiam thoracis, non trahunt multum aërem ſed paucum crebro. Vbi igitur ſunt duo hæc calor manus, & multi aëris tractio, magna eſt etiam vox. Altera enarratio eſt, eos quibus plurimum ineſt calidum ſtatim eſſe magna voce, quia cum generantur corpuſcula cum multo calore, trahunt multum aërem, duobus autem his exiſtentibus magnis, calore inquam multo, & multi frigoris tractione, neceſſe eſt & quæ innaſcuntur, vt thoracem, pulmonem, & aſperam arteriam eſſe magna, vt etiam vocem. Itaque vtcunque interpreteris, ſignificatur, eos qui ſunt magna voce, multum habere calidi innati. Argumento eſt, quod experimento cognouimus, plurimos talium eſſe voraces, vt qui cum plurimum habeant innati calidi, indigent plurimo alimento.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 344 sur 489

A

Qui ventriculo calidi ſunt, frigidas habent carnes, & graciles ſunt, his venæ eminent & iracundiores ſunt.

Si tantum diceret, calidos ventre & graciles eſſe venoſos & iracundos, intelligeremus tales eſſe naturâ calidos & ſiccos. Nam dictum monſtratumque pluries alibi eſt, craſſos cum venarum gracilitate, eſſe frigidos & humidos: craſſos cum
B venarum amplitudine, eſſe calidos & humidos: graciles cum venarum anguſtiâ, eſſe frigidos & ſiccos: graciles cum venarum amplitudine eſſe calidos & ſiccos. Itaque intelligeremus θερμοχόλιοι nomine dici calidos ventribus, hoc eſt, interno corpore, quibus ſcilicet plurimum habent ventres innati calidi, & nomine ἐπίφλεβοι eos qui habent magnas venas, diceremusque ea omnia eſſe ſigna calidi & ſicci temperamenti. Sed cum dicat etiam frigidas habere carnes, euadit oratio longè difficilior. Nam qui naturali calore abun-
C dant, ii carnibus etiam calidi deprehenduntur. Quapropter hæc nota videtur aliis omnibus eſſe contraria, & repugnans: neque in eundem hominem poſſe conuenire omnia. Quidam interpretabantur calidis naturâ, quorum aliæ omnes notæ ſunt, accidere etiam frigidas eſſe carnes, quod calor ventris carnium calorem ad ſe trahat, atque ita illę frigidæ maneant. Quos carpit meritò Gal. quòd id quod ob quaſdam affectiones præter naturam fieri poteſt, vt per lipyriã vocatam febrem, & quibuſdam humorum motibus, vt in febrium
D inuaſionibus, & in ſomno & quibuſdam temporibus, vt hyeme, aut quibuſdam mõtibus animi vt mœſtitia (in his enim omnibus abundat calor interius, quòd intrò trahatur, aut ipſe ſeſe intrò recipiat, aut introrſum repellatur) fieri ſimpliciter in calidâ naturâ affirment. Cum tamen hoc nunquam ita fiat, ſed quò calidiores ſunt ventres, eò carnes maiorem calorem præ ſe ferant. Nimirum carnes naturaliter recipiunt calorem à viſceribus, quapropter dicere corporis habitum eſſe frigidiorem, quia venter calidior eſt, perinde eſt
E ac ſi dicas defeciſſe aquam fluminis, quòd fontes vnde oritur redundauerint. Simile eſt quod frequenter audio medicos dicere, vbi quis cibos non bene coquit, ſentit verò ſitim, aut omnino aliquem habet ſenſum caloris interius, aut in vòlis manuum: affirmant enim hepar calidum ventriculo calorem detrahere, cum tamen id, naturaliter adhuc ſeſe habente homine, fieri non poſſit, quia naturaliter accipit ventriculus calorem ab hepate per venas, atque adeo per continui alterationem: quinetiam fortaſſe neque exuſtio præter naturam facta in hepate poteſt eo peruenire, vt ventriculum calore priuet. Nam cum ob
F ingentem inflammationem hepatis euenit refrigerari habitum corporis, ſitim habent ægroti, quod ardoris ventriculi ſignum eſt, nimirum eſt ventriculus hepati proximus. Non ergo ob calorem hepatis illud vnquam euenit ſed ob diſpoſitionem quandam morboſam, quam Galen. interpretatur ſignificari præſcripta nunc oratione: ea eſt intemperies calida ventriculi, per quam cibi pro concoctione corruptionem ſubeunt, ex eis enim corruptis non poteſt non fieri vitioſus ſanguis. Vnde fit vt carnes penuriam patiantur alimenti (perinde enim patiuntur, cum carent alimento, atque cum prauo vtuntur ſucco) atque ob id marceſcant frigidæ, & ſiccæ factæ: tales ergo ſunt ventriculo calidi, calore nimio, vitioſo, & corruptiuo, ac fortaſſe etiam hepate & toto ventre calidi, & quia prauo vtũtur ſucco, frigidi carne & graciles: venoſi vero, non quod magnas venas habeãt ſed quod habere videantur, quia nulla pinguedine ſed ſola cute teguntur: ſunt etiam iracundiores, non vt qui multo præditi ſunt calore naturali, cũ magnanimitate, ſed faciles ad irã, moleſtè ferentes quiduis, & ſibi ipſis & aliis omnibus diſplicentes, id quod fit ob pungentem illam vitioſi ſanguinis qualitatem, & imbecillicitatem. Atqui profecto verba quibus vtitur Hip. plurimum aſtipulantur huic interpretationi. Nam ἐπίφλεβοι non tam videntur eſſe qui magnis ſunt venis quam qui habent eminentes, atque, vt quis dixerit, ſuperſtantes. Iam vero ὀξύθυμοι haud dubiè dicuntur qui celeriter iraſcuntur, quorum ira ὀργὴ dicitur potius quàm θυμὸς vt & qui cum fortitudine iraſcuntur, dicuntur θυμώδεις. Sed hæc in arte medicinali, vbi de naturalium temperamentorum ſignis agitur, ſatis ſuperque explicata ſunt à me.

Terrâ ſiccitatibus ſqualidâ volatilium genus bene ſe habet.

Volatilia aëris alterationem multo magis ſentiunt, quàm reliqua animalia, vt piſcium genus alterationes aquæ. Nimirum vtriſque eſt quædam familiaritas cũ ſuo naturali domicilio Hinc fit vt venti & imbres auium volatu, & perturbatione: maris tempeſtates, plus ſolito ſubſultantium & gregatim huc & illuc decurrentium piſcium perturbatione, præmonſtrentur. Nimirum aër vaporibus multis, iiſque craſſioribus admixtus craſſeſcit cum inſtant imbres: mare vero cum inſtant tempeſtates, exhalationum, quę materia ventorum eſt, mixtione turget. Vtraque autem eſt aliena & vitioſa affectio, illa aëris, hæc aquæ, atque vtraque ſympathiam habentia animalia tangit. Si igitur dictam ob cauſam volatilium corpora imminentibus imbribus malè afficiuntur, merito cum tempus humidum eſt, & multi imbres anteceſſerunt, ægrotabunt: atque proinde in contrariis temporibus, cum ſcilicet terra arida eſt, bene habebunt. Nimirum temporibus ſiccis aër tenuior & purior eſt, & ſuam naturam melius retinens: humidis craſſior & impurior, {& in aquæ naturam violenter tractus. Nam cum calefactione & ſiccatione fiat ex aqua aër, & contrariis paſſionibus ex aëre aqua, tempus ſiccum & calidum erit naturæ aëris propitium, frigidum & humidum naturæ aquę Quare & hoc piſcium generi, illud auium.

Vter teſtis extrà apparuerit, videndum: ſi dexter, mas: ſi verò ſiniſter, fœmina portenditur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 345 sur 489

©BIUM

Τεχνίζειν dicuntur Hippocrati qui ardent libidine, inſtiganturque ad coitum, atque τρέχος qui ita eſt affectus. Velut ex matre agnoſcere docuit Hippocrates in aphoriſmo atque in hoc ipſo opere, mas generetur an fœmina, quòd in dextra vteri parte generetur, aut ſiniſtra: ita nunc docet id agnoſcere ex patre, quòd hircienti dexter teſtis turgeat, atque ob id exteriùs appareat magis quàm ſiniſter, aut contrà. Nimirum partes dextræ vtriuſque parentis ſunt calidiores. Hanc ob cauſam equis admiſſariis, quum in Equas mittuntur, ligari ſolet teſticulus ſiniſter, vt ex ſolo dextro emiſſo ſemine Equus generetur. Conſtat tamen hic quoque intelligi debere, μᾶλλον, vt quum Hipp. dixit mares in dextra, fœminas in ſiniſtra parte magis generari. Nihil enim horum eſt perpetuum.

Oculi provt valent, ita & totum corpus: & color in deterius aut melius labitur. Æquum eſt autem provt ſe habet alimentum, ita etiam externas partes ſequi.

Oculos ſæpe teneri multis morbis propriis, reliquo corpore non perinde affecto, res eſt notiſſima, cùm oculorum plures multò quàm vllius alterius partis morbi recenſeantur. Sed quod dicitur intelligi debet; non de morbis, ſed paſſionibus, quæ ſymptomata ſunt, & de ſignificatione quæ inde accipitur. Longè enim maiorem ſignificationem præſtare oculos, modi quo totus homo affectus eſt, nemo ignorat. Inditium enim eſt mos quo ſolemus, quum de cuiuſpiam valetudine ſolliciti cogitamus, in illius oculos intueri. Nimirum demiſſus & ſub triſtis intuitus langorem indicat, vitioſus color nulla in parte tam citò apparet, neque vlla pars tam citò colliqueſcit, & excauatur. Hinc fit vt Hippocrates in prognoſtico, nulla ex parte tam multa ſigna accipi iuſſerit. Itaque hæc pars omnium maximè ſignificare poteſt, quo pacto habeat totum corpus: quinetiam (ſi hoc quoque nunc dicere eſt opportunum) & quomodo habeat animus indicat. Nam & phyſiognomi vtuntur ad mores animi agnoſcendos hac parte magis, quàm vlla alia, & motus omnes animi, vt iram, timorem, mœſtitiam, hilaritatem, pudorem hæc pars prodit, quin & proprij criminis conſcientiam magis quàm reliquus vultus. Itaque oculi & corporis & animi paſſiones indicant meliùs quàm vlla alia pars. Corporis quidem quia lucidiſſimi cùm ſint, colores alienos faciliùs repræſentant, cùmque ob naturalem teneritudinem ſint ſuffulti circumquaque molliſſimis carnibus, facillimè excauantur, & quia plus longè quàm vlla alia pars recipit ex cerebro animalium ſpirituum, qui facilè per facultatis debilitatem ſubtrahuntur: animi verò, quia ſunt illius feneſtræ, & nullo alio organo adeò cum externis rebus conuerſatur, atque ideo neceſſe eſt plus quàm alia omnia eſſe animi naturalibus propenſionibus accommodatos, & mutari, vt animus ad res externas afficitur. Quod addit, & color in deterius aut melius labitur, intelligi poteſt ſpeciatim de oculis (mutatio enim coloris eſt in iis, quæ præcipuè in oculis poſſunt ſignificationem aliquam præbere) aut ſimpliciter, non enim in ſolis oculis, ſed omni etiam in parte mutatio coloris ſignificat corporis affectiones: ſiquidem vt rectè dicit Galenus, neceſſe eſt colores ſimiles efflorescere in cute, ſuccis qui in corpore redundant: quod idem Hippoc. nunc dicit his verbis: æquum eſt autem provt ſe habet alimentum, ita etiam externas partes ſequi, hoc eſt vt ſe habent ſucci, ita & cutis colorem apparere. Eadem vero eſt cauſa vitioſi coloris & in oculis, & in aliis partibus, vitium ſcilicet ſuccorum.

Signa lethalia ſunt quum per cutem vapor calidus exit, ſi naſus frigidum ſpiritum prius emiſerit. Vitalia autem contrà ſe habent.

Interprete Galeno ſcribit Hippocrates vnum quoddam ſignorum lethalium, idque eſſe calidum vaporem exire per cutem, cùm prius naſus frigidum ſpiritum reddiderit. Cuius cauſam eſſe dicit, quod vt in prognoſtico, atque adeo aphoriſmis celebratum eſt, per caloris naturalis penuriam frigidum expiretur. Quibuſdam verò horum paulatim tabeſcente naturali calore, paulatim ſuccedit omnium partium frigus, & nunquam recaleſcentes moriuntur: aliis exiguus ille calor qui ſe intra cor continebat, diſſipatus exhalat, atque horum quibuſdam ſuccedit ſudor quidam, præcipuè per frontem & ceruicem, & inter naſum & os: quibuſdam euaporatio calida ex cute. Rurſum horum quibuſdam, ſimul cum exhalante calore emoritur cor, alij quib° cor per ſe erat firmius, ſuſtinent tunc quoque expectare, donec diſſipato iam ferè toto naturali calore, frigent toti aliquot horas eorum quidam, etiam ſine pulſu in carpis manuum, & hi quidem ſolent mori aliquanto tardiùs, quàm medici putarent, & illi quibus cor ſimul moritur cum caloris exhalatione, citiùs, vt vtrique ſoleant eos fallere in moriendi hora. Itaque lethale eſt calidum vaporem exhalare per cutem, cùm antea frigidum ſpiritum reddere naſus ceperit. Addit vero, vitalia autem contraria, quod quidem dubitationem ingerit. Nam monſtratum eſt à me in commentariis prognoſtici, in genere ſignorum ſalutis aut mortis non eſſe ſigna bona æqualia contrariis malis, ſed quæ contraria ſunt lethalibus, eſſe tantum bona, non etiam ſalutaria, aut vitalia. Velut mente motum eſſe, lethale: mente conſtare, tantum bonum. Igitur nunc quoque, etſi vapor calidus per cutem poſt frigidam expirationem lethale ſit, contrarium non eſt vitale, ſeu valdè ſalutare, ſed tantùm bonum. Nimirum vt Galen. ſæpe monet, cum de prognoſticis ſignis agitur, animaduertendum quo attributo vtatur Hippocrat. ζωτικὰ vero ſeu vitalia longe plus ſignificant, quàm ſi diceret ἀγαθὰ ſeu tantum bona. Proinde mihi perſuadeo, quum dicit ἐναντία, non intelligere, vt Galenus interpretatur, non reſpirare frigi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 346 sur 489

dum, neque calidum vaporem efferri per cutem. Leue enim eſt, ſiquis, quia neque reſpirat frigidum, neque emittit calidum vaporem, affirmet ægrum non moriturum: ſunt enim innumere aliæ ſignorum ſyndromes, quæ indicant mortem, ſed vocat Hippocrates aut contraria ſigna valdè ſalutaria, quæcunque ea ſint: aut hęc oratio eſt mutilata, deſuntque multa alia ſigna, ſi enim eſſet integra, contineret catalogum ſignorum lethalium: quum verò addit τὰ ζωπικὰ ἑκατέρα, intelligit omnia contraria ſimul, hoc eſt, vitale eſſe, nullum lethalium ſignorum adeſſe. Nam in morbis acutis, præcipuè cùm proceſſerint ad vniuerſale incrementum, nullum adeſſe lethalium ſalutare eſt, meritóque medicus tunc temporis ſalutem promittet. Huic vltimæ enarrationi plurimum fauent ipſa verba. Nam vnici ſigni mentionem facturus, non dixiſſet, velut dicenda proponens, ſigna lethalia ſed ſignum lethale: neque vitalia contraria, ſed contrarium vitale.

SECTIO QVINTA.

Naturæ ſunt morborum medicatrices.

Ad hanc ſententiam pertinet quod libello de alimento dictum eſt his verbis. Natura iuuat omnia omnibus, quæ à nobis enarrata ſunt: nihilominus nunc quoque aliquid adijciemus. Certè medicina eſt morborum medicatrix, ſiquidem eſt ars medendi, & medicus curat morbos. Verum natura hæc facit multò magis, quia natura eſt principium & cauſa rebus omnibus ſuæ conſeruationis, morbus autem eſt affectio corruptiua, ac proinde neceſſe eſt naturam omni morbo repugnare, ac ſi poſſit etiam vincere, quod quidem eſt eſſe morborum medicatricem. Ars cum rectè operatur, iuuat naturam aduerſus morbos. Nam cum ſanitas non ſit res quæpiam artificialis, ſed naturalis, non poteſt ab arte fieri ſed à natura, poteſt verò ars ſuis inſtrumentis naturam iuuare, quod rectè ſignificauit Hippocrates loco citato ex libello de alimento, dicens. Natura iuuat omnia omnibus, ad hanc verò extrinſecus cataplaſma, illitio, vnguentum. Itaque natura primò ac maximè ſanitatem reficit, & morbos expugnat, medicus verò eſt naturæ miniſter, & medicina ars miniſtrandi naturæ. Occurret fortaſſe aliquis, obijciens, artem non miniſtrare naturæ, ſed per ſe ferri contra ipſum morbum, alioqui enim (dicet) medicamenta eſſent naturę ſimilia (ſiquidem ſimile iuuatur à ſimili) at vero non ſunt, ſed morbo contraria, quaſi per ſe, non naturam iuuando, ferantur in morborum curationes. His addet alius artem multa facere, natura nihil in ea opera conferente, ac nonnunquam etiam repugnãte, qua propter talium morborum non videri naturam medicatricem, ſed artem ſolam Nam cum os reponitur in articulum luxatum, aut conſuitur vulnus aut ſecatur, vriturve quippiam, nihil videtur facere natura partium. Iam verò cum ferro, aut igne, aut medicamento extirpatur ſupercreſcens caro, videtur repugnare. Quia natura auget carnem, quam ars demolitur. Prætereà pleroſque morbos videtur natura facere, eoſdemque ars naturę repugnando tollere. Quamplurimi enim ſunt, ac fortaſſe etiam plerique, quos pariunt fluxiones, non aliter factæ quàm ipſa natura cæca mittente quò non oportet: qui ſanè curantur medico in aliam partem retrahente, aut deriuante. Quomodo ergo curare quis dicat naturam morbos, quos facit? Aut naturę miniſtrare artem: cum contrarium motum cieat? Non dicimus ſolam naturam eſſe medicatricem, ſed eam quidem maximè, quia natura rerum, cum non in vna quapiam qualitate, ſed multarum mediocritate conſiſtat, non vnicuipiam morbo, ſed omnibus contraria eſt, atque quodãmodo cauſa vniuerſalis. Quamquam ergo medicamentum morbo contrarium ſit, vt frigidum calido, aut calidum frigido, ac proinde in illum pugnet, pugnantibus autem ſimul duabus cauſis, altera interna, altera externa, merito illi deferuntur primæ. Itaque hanc ob cauſam merito natura dicitur eſſe præcipua medelæ cauſa, medicina verò illi miniſtrare, quia cum præcipui concertatores ſint natura & morbus, quod pugnat cum morbo merito dicitur naturæ miniſtrare. Porro ars multa facit ſola, perficit tamen nihil, neque vllus morbus poteſt opera ſolius artis perſanari. Nam ſuturæ non ſanabunt vulnera, niſi natura agglutinet, neque repoſitio oſſis erit ſatis, niſi natura firmet articulum ligamentis, neque ſciſſio conferet, niſi natura pellat malum quod ſuberat, vt pus aut os carioſum. Neque carnem extirpari erit ſatis, niſi deſinat natura repugnare, & cicatricem producat, neque ſanè ad inflammationis, aut articularis doloris curationem, ſatis eſt fluxionem auertere, niſi partis affectæ natura id morbi quod factum eſt demoliatur. Itaque illos ipſos morbos quos mittentium partium natura fecit, partium recipientium natura ſanat. Omnium itaque morborum eſt natura medicatrix, quia ſine ea nulli perſanantur, ab ipſa autem ſola quamplurimi. Semperque illi medicina miniſtrat, etiam cum aliquatenus repugnat, quia tunc quoque inchoat ipſa, quod perficiat natura.

Inuenit natura ſibi ex ſe non ex conſilio aggreßiones, partim quidem vt oculis conniuere, partim verò vt ea quæ lingua ſubminiſtrat, & quæcunque alia huiuſmodi. Etſi inerudita ſit natura, nec ab vllo edocta, facit ea quæ expediunt.

Hęc quoque ſententia à me enarrata eſt in commentatione libelli de alimento. Ibi enim ita eſt ſcriptum φύσις πάντων ἀδίδακτος. Tractat Galen. hunc locum fuſius primo de vſu partium non longè à principio, vbi vt etiam in commentatione huius loci, de liberis animantium motibus intelligit Hippocratis verba eſſe prolata, dicitque illud eſſe mirabile in animalium naturis, quod vnumquodque feratur in ea opera, quibus exequendis habeat accommodatas partes & inſtrumenta, atque perinde moueat, atque ſi ab aliquo eſſet ſingularum partium vtilitates & vſus edocta. Nimirum cum non ſit propenſum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 347 sur 489

©BIUM

animal quodcunque in naturales actiones, quia habet idonea inſtrumenta, vt dicebat Anaxagoras. ſed potiùs vt dicebant Ariſtoteles & Galenus, naturali propenſioni inſtrumenta adaptentur, datáque ſint talia, quia talis naturæ propenſio talia poſcebat, & propenſio illa naturæ antiquior ſit quàm organa, vt animam dixit Plato antiquiorem eſſe corpore, fit vt in talem motum ipſa animantis natura feratur, inſtrumenta verò vtpote accomodata facilè obſequantur, ipſa natura neque docta, neque omnino agnoſcente inſtrumenta. Vt conniuent palpebris homines, & linguam variè mouent, cum tamen perpauci ſciant quibus inſtrumentis claudantur oculi, aut moueatur lingua, & imitantur quaſcunque audiunt voces, ignorantes quibus muſculis, quomodo, & quouſque mouenda ſit lingua, vt proferatur hæc aut illa vox. Eadem autem ratio eſt & aliorum, nam neque crura ſciunt, niſi pauci, quibus muſculis moueant, atque ob id, nictationis & linguæ mentione facta, addit Hippocrates & quæcunque alia huiuſmodi. Meminit autem arbitror, illorum potiùs, quia motus illi in motibus dubiis ſunt, hoc eſt qui non aguntur manifeſtis inſtrumentis, vt alij qui ad nutum voluntatis aguntur quod quidem de motu palpebræ teſtatur ipſe Galenus decimo de vſu partium cap. 10. confeſſus ſe inſtrumentum illius non agnoſcere, promittenſque ſi quando inueniret, in libro de dubiis motibus indicaturum. Is liber non extat qui ſit legitimus, neque ſcimus an eius motus cauſam alicubi Galenus docuerit, eſt tamen meritò ponendus in dubiis, velut etiam linguæ extremæ volubilitas. Nam muſculi nouem, qui in linguam ſeſe inſerunt, non procedunt vltra medium illius, ſupereſt caro quædam laxa & mollis, ſui generis, neque vlli aliarum partium corporis ſimilis, quæ videtur ſine muſculis atque omnino ſine fibris in omnes partes moueri: niſi fortè inuiſibiles quædam fibræ muſculorum vſque ad linguæ cuſpidem procedant, ſatis autem eſt dubius motus, qui ad ſuſpitionem inuiſibilium fibrarum venit. Palpebræ motum quidam referunt in membranam carnoſam, vt & frontis: alij verò eam eiſdem muſculis moueri, quibus oculum, & ex muſculis, contorquente oculum ad angulum minorem, & ſurſum eleuante, fibras quaſdam inſeri in palpebram ſuperiorem, quibus ea eleuatur, & oculus aperitur, atque à contorquente in angulum maiorem, & deorſum trahente, alias quibus ea deprimitur, & oculus clauditur: argumento, quod qui conantur oculum plurimùm aperire, eleuant ipſum oculum, & in externum angulum contorquent; qui claudere contrà. Verùm dicti ambo motus habent cauſam ſatis dubiam & neque vlli medico ſatis perſpectam. Tamen cùm ita ſit, quinis, etiam recens natus, ſcit eos motus exequi, ipsâ ductus naturâ, non minùs quàm ſi quomodo, & quibus inſtrumentis eſſent agendi, optimè didiciſſet. Iuxta hanc enarrationem interpretatur Galenus dixiſſe Hippocratem, ἀνωτέρω ἡ φύσις αὐτὴ ἑωυτῇ πάσας ἐφόδους, perinde ac ſi dixiſſet, impetus ad agendum. Verùm ſi hæc verba vt Galen. ipſe in commentatione proximæ ſententiæ, quę huius ſectionis erit tertia, dicit, cum prioribus coniugenda ſunt, & exponenda ſecundum illud, naturæ ſunt morborum, medicatrices, ego in alium feror ſenſum, ἐφόδους ſcilicet vocari eas vias, quibus propriè id nomen congruit, per quas ſcilicet euacuantur excrementa, & quicquid in corpore propter naturam continetur: atque hæc verba perinde accipi, ac ſi dixiſſet, natura morbos curat, ſi quidem etſi cogitatione non vtatur, perinde tamen ac ſi vteretur, & eſſet docta, inuenit ſibi vias, per quas morborum cauſas euacuat: nunc quidem manifeſtas, vt quum deiectione, vomitu, mictione, aut fluxu ſanguinis ex naribus morbum iudicat: nunc occultas, vt quum citra omnem expectationem, atque adeò cum magna admiratione omnium, quędam nulla patente via reijcit, velut ego vidi quendam ex naribus emungere oſſicula quædam ex cranio, in fronte deciſa. Inuenit quippe natura ſibi vias non ex cognitione, ſed naturaliter, cùm nihil didicerit, facit ea quæ expediunt. Velut etiam motus animales exequitur, nictatque, & loquitur quicquid lubet, impetu quodam naturali, etiamſi is ipſe qui tentat ita mouere, neſciat vt ea res agatur. Itaque natura non tantum quæ ad animales, ſed quæ ad naturales etiam motus ſpectant, facit perinde atque ſi eſſet docta: & hoc loco Hippocr. naturales potiùs reſpexit, quibus curantur morbi: quæ verò de animalibus dixit in confirmationem, & exemplum, appoſuit, quod vel mox ſequentia verba palàm facient.

Lacrymæ, narium humiditas, ſternutationes, auris ſordes, oris ſaliuæ reiectio, ſpiritus introitus & exitus, oſcitatio, tuſsis, ſingultus, non eiuſdem ſunt omnino modi.

Conſideranda eſt vrinæ & flatus excretio, & huius alterius, alimenti & ſpirationis: & quæ fœminis accidunt & ſecundùm reliquum corpus, ſudores, pruritus, pandiculationes & quæcumque alia huiuſmodi.

Quia dictum anteà eſt, naturam eſſe morborum medicatricem, & ipſam quidem ſine cognitione inuenire ſibi vias per quas purget corpus, vt alia etiam quàm plurima facit naturali quodam ſiue impetu, ſiue inſtinctu (vtcunque lubet dicere) perinde ac ſi eſſet docta, profert nunc Hippo. quàmplurima exempla, partim quidem euacuationum, partim aliorum operum, quæ ita facit natura, vt mirari quis ex illis poſſit, eius ſine cognitione naturalem ſapientiam, ſeu prouidentiam. Enumerat verò lachrymas, & narium humiditatem, & ſternutamenta, & ſordes aurium, & reiectionem ſaliuæ, & ſpiritus introitum & exitum, hoc eſt inſpirationem & expirationem, & oſcitationem & tuſſim, & ſingultum, quibus enumeratis dicit, non eiuſdem ſunt omnino modi: deinde rurſum addit, vrinę deiectio. Quibus verbis quidam intelligunt vrinæ excretionem, alij accipiunt ac ſi diceretur vrina & deiectio, quia nomen deiectio (græcè ἔφοδος) non videtur

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 348 sur 489

©BIUM

dici proprie de mictione, ſed de fœcum excretione, ego ſuſpicor vitiatum aliquid eſſe hoc loco, legendúmque non vrinæ in genitiuo caſu, ſed vrina, aut vrinæ in nominatiuo, aut deficere vocem quandam, legendúmque ὑγρὸς ἔκκρισις καὶ ἄφοδος Vtcunque legatur, intelligo hic connumerari vrinam, & deiectionem, poſt quæ dicit, & flatus, & huius alterius alimoniæ, hoc eſt, (vt Galen. interpretatur) & flatus qui ex aluo exit, & huius alterius, qui ex alimento eleuatur ex ventriculo, emittitúrque eructando per os: addit & ſpiritus, hoc eſt tranſpirationis quæ agitur arteriarum læuium pulſu, & alia inſenſibili expiratione. Καὶ πῖσι θήλεσιν, inquit, hoc eſt, & ea euacuatio quæ fœminis eſt propria, agitúrque venis vteri exſudantibus intra illum ſanguinem ſingulis menſibus. His (inquit) & ſecundum reliquum corpus ſudores, quaſi dicat, his, quæ dicta ſunt, accedunt ſudores ſecundum reliquum corpus. Addit deinde, & pruritus, & pandiculationes, & quęcunque alia huiuſmodi. Scilicet non ſunt enumerata omnia quibus natura mirabilis eſt, & corpora noſtra à morbis liberat, vtrunque enim accidit, omnibus iis, quæ ſunt enumerata. Ea enim omnia mirabilem vim naturæ, & veluti ſapientiam, atque (vt dicam melius) ſapientiam parentis ipſius naturæ indicant, & modi quidam ſunt expurgationum, qui ſua vniquique occaſione, à morbis liberant. Fletu, & ſaliuæ ſpuitione, & mictu & ſudore euacuatur ſeroſa humiditas ex capite, & faucibus & venis, & corporis habitu: narium humiditate & aurium ſordibus craſſiora cerebri excrementa, ſternutamentis, & expiratione, & oſcitatione, & pandiculatione, & duplici flatu, & tranſpiratione, vapor ex cerebro, & pulmone, & buccis, & totis artubus & ventriculo, & inteſtinis, & toto corporis habitu: tuſſis expurgat pulmonem, & arteriam aſperam, ac per ea thoracem: ſingultus diſcutit ab ore ventriculi, nunc flatum, nunc ſuccum. Scalptus etiam diſcutit multa per cutem, & extergit. Itaque omnes hę ſunt vacuationum ſpecies: atque adeo in morbis quibuſdam vtiles. Lachrymę aliquando deonerant caput, & laxant cor, quo fit, vt humiditate ſeroſa ſecundum caput redundantibus, & iis quibus cor angitur, vtiles ſint: narium humiditas copioſa perſanat à coryza, atque adeò ſine recidiua, vt ſectione tertiâ huius ſexti diximus: ſternutamenta haud ita magnam euacuationem faciunt, ſunt tamen & ipſa vtilia in declinatione morborum capitis, aut cum iã ſaltem penitus ceſſauerunt fluxiones. Sordes quotidianæ aurium, quæ ob ſubſtantiæ ſimilitudinem vocantur cera, & κνῆλις, capitis excrementa ſunt, non tamen ſunt ſatis ad inſigniũ morborum curationes, aliæ autem ſordes, vt effluens ex auribus ſanies aut pus, maximos capitis morbos ſolent iudicare. Iã vero ſpuitione multâ & confertâ, vidi melancholia morbo laborantes, magnopere ſubleuatos: cuius cauſa eſt, quia ſanguis melancholicus eſt etiam ſeroſus, vt ſectione ſecunda huius ſexti diximus. Expiratio aſſiduè expurgat pulmonem, iudicatio tamen morbi per eam non fit, vt neque per oſcitationem, aut pandiculationem (eſt enim oſcitatio, pandiculatio muſculorum oris) neq; per ſingultum, verùm ſuas ipſorum cauſas conſumunt. Tuſſi omnes morbi thoracis iudicantur, quia ſine ea nihil poteſt ab illo reijci. Iã verò vrina & deiectione, & euacuatione muliebri, & ſudore iudicari multos morbos, nemo ambigit. Flatus infernè excretus, vel ſolus aliquando tollit dolorem colicum: ſupernè eructatus, hypochondriacos, & mulieres quæ præfocantur ex vtero mirè ſubleuat. Scalptus multis etiam morbis eſt vtilis, quia ad cutem conuocat ex viſceribus, & inde diſcutit, habet denique vtilitates duræ frictionis. Itaque hæc omnia ſunt genera quædam euacuationum, quas molitur natura. Neque enim quia merè libera ſunt eorum quædam, velut ſcalptus, non ſunt proinde dicenda naturalia opera. Nam quæ quàm maximè ſunt talia, aguntur inſtinctu quodam naturali, vel nihil tale cogitante homine aliquando, ſed neceſſitate ipſa doctus, vt ipſum conniuere oculis: pleraque autem ſunt facultatis, quæ peculiariter vocatur naturalis. In omnibus tamen his mirabilis naturæ prouidentia indicatur, habéntque hæc omnia mirabiles cauſas, & generationes: lachrymarum generatio mirabilis eſt profectò, cur enim per mœrorem, quæ cordis paſſio eſt, ex oculis ſeroſa illa humiditas tam abundanter deſtillat? Vnde præſtatur materia tam copioſo aliquando fletui? Cur animalium ſolus flet homo, cùm non ſolus mœreat, aut doleat, neque video quis ſatis apertè dicat, neque facile dictu eſt. Quamquam vt ad alia omnia, ita ad hæc quoque videtur Ariſtoteles omnium optimè aperuiſſe viam, dicens (ſect. 5. proble. 35. lachryma ſudor quidam eſt. Quod quidem verum eſſe ipſa lachrymarum ſubſtantia indicat, ſiquis enim pariter & flet & ſudat, vt vtriuſque guttæ decurrant per genas, ex ſubſtantiæ modo non poteris ſudoris & lachymarum riuulos diſtinguere: conſentaneum igitur eſt, generationis modum eſſe ſimilem, hac ſolùm ratione differre, quod lachrymæ ex ſolis oculis diſtillent, ſudor ex aliis partibus, vt ſint lachrymæ oculorum ſudor. Sudant vero copioſiùs oculorum partes quàm aliæ, quod oculi glandulis humidiſſimis & molliſſimis ſubſtrati ſint, ex quibus humiditas multa facilè elicitur. His conſonum eſt, à ſimilibus cauſis vtrunque fieri, quod certè ità euenit, in maioris & minoris ſolùm ratione conſiſtente differentia. Nam & qui exercentur multùm, mouentúrque rapidè ſudare ſolent, atque ſi humidi ſunt cerebro & oculis etiam lachrymari, atque etiam ſi riſu magno ſuffunduntur, vt calorem contrahant, vtrunque patiuntur. Sed & ex anguſtia atque cordis afflictione ſolent homines non flere ſolùm, ſed & ſudare. Verùm non fiunt ambo æquè ab his omnibus cauſis, ſed ab afflictione cordis, aut dolore fletur magis quam ſudatur: à vehementi corporis motu ſudatur potiùs quam fletur, quia exercitatio calore mouet humiditatem. Calẽt verò magis exercitatione totius corporis muſculi, quorum proprius eſt ille labor, quàm oculi, qui & cerebro ſunt proximi, & tunc quidem non niſi cum capite mouentur. Ex riſu verò, & cachinnis, & calore etiam mouetur humiditas, vt citato loco Ariſtoteles dicit, fletur tamen ſæpiùs quàm ſudatur, quia ridendi motus à corde ad oculos eſt, maximèque agitantur oculi, & reliquæ faciei partes. Triſtitia & perturbatio non mouet humiditatem calore: ſed debi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 349 sur 489

©BIUM

litate,& tentione, vt Aristoteles docet,vt vndecima sectione problemate quinquagesimo, his verbis. Sunt enim qui flent corpore intentiori,& infirmiori. Id dicit quia cor tristè, debile,& in sese contractum est, reliquum autem corpus compati est necesse, cùm accipiat à corde vim & robur omne (vitalis enim vis omnium aliarum est conseruatrix) & sit illi alligatum per venas, sed & per neruos : cùm arteriarum quidem radicatio cor sit, neruorum autem ramuli arterijs alligati decurrant. Itaque debilitantur & tenduntur partes omnes cum tristi & anxio corde, multò autem magis vultus, atque in eo oculi maximè, quia illis cum corde est maxima sympathia. Cum enim cordis motus aliæ omnes partes aliquatenus repræsentent, multò autem magis oculi & vultus. Quod quidem natura in hominibus præcipuè procurauit,vt vel hac causa temperarent ab affectibus, & à criminibus, quæ difficile esset vultu non prodere. Proinde maioribus venis & arteriis texit cutem vultus, quàm reliqui corporis : oculi verò præter hæc alligantur cordi plurimùm per cerebrum, cuius cum eo maxima sympathia est. Tentio igitur facit vt humiditas exprimatur, debilitas verò vt dimittatur. Verũ cum cor vehementer est contractum in sese, velut exsorbet humiditates,túncque oculi aridi sunt:cum laxari incipit, dimittit, tũncque oculi præ tentione & debilitate destillant, & cor amplius laxatur, & degrauatur cerebrum:quia glandulæ oculorum hanc humiditatem deponentes, reliquam quæ in cerebrò redundat alliciunt. Accidunt autem hæc soli homini, ob dictam sympathiam vultus cum corde, & quia cordis motus in homine sunt vehementiores, ob imaginationis vehementiam, & sollicitudinem futurorum, & quia habet cerebrum maius & humidius, vnde succus circa oculos redundat. Saliuæ redundantia,similem quodammodo habet causam. Nam vt oculorum glandulæ lachrymas, ita quæ vocantur paristhmia generant in ore saliuam. Reiectio verò eius longè differt à fletu, partim enim redundantia effluit, partim musculis oris reijcitur. Reliquorum omnium, quæ Hippocrates hic commemorat, causæ, etsi mirabiles sint, atque si quis eas seorsum velit contemplari, sit habiturus magnum sapientiæ diuinæ, quæ in natura rerum se insinuat, argumentum, traditæ tamen sunt à Gal.& à me etiam ipso aliis locis,vt non sit opus nunc sermonem de his longiùs producere. Sed solùm consideremus, vt illud quoque verè Hippocrat. dixerit, hæc non esse eiusdem modi : sunt enim valdè diuersi: atque quædam etiam modi contrarij. Nam lachrymæ & saliua effunduntur vt dictum est, sternutatio & singultus sunt concussiones, narium humiditas & aurium sordes expultricis motu, ei facultati maximè consueto, vt & menstruæ euacuationes, & sudores, & vrina, & deiectio, & flatus. Quamquam & in his quoque interest, quod quædam à sola naturali vi, quædam adiuuante etiam eâ quæ musculis vtitur, oscitatio & pandiculatio musculorum laxatione, aut alternatè aliis feriantibus, aliis mouentibus, vt ita non tam expellantur flatus quam detur via exeuntibus: scalpr° velut derasio° quædam est. Sed & contraria etiam facit natura similibus motibus. Nam oscitatio dilatando euacuat flatus, respiratio verò dilatando flatus trahit. Adeò sunt miranda quæ natura pro sanitatis animalium tutelâ, & morborum curatione machinata est.

Hominis anima semper producitur vel reficitur vsque ad mortem. Si autem vnà cum morbo incendatur, ipsa tunc anima corpus depascitur.

Quam tenuerit de animæ essentia Hippocrates opinionem nullibi aperuit. Nam de natura humana scribens, temperiei ex elementis videtur tribuisse naturæ nomen potiùs, quàm vllam animæ propriam essentiam inuestigasse. Galenus quoque vbi de animæ essentia sermo incidit, deuitat eam disputationem, dicens se nullam demonstrationem eius rei potuisse vnquam consequi, præterquàm libello de rigore & tremore & palpitatione, vbi (quoniam arbitror ad inuestigandam rigoris generationem, quàm vlla alia erat accommodatior) in opinionem incidit Stoicorum, dicentium animam esse ipsum naturale calidum, quod quidem est sanguis & spiritus : illud enim esse substantiam ex se ipsa semper mobilem, neque vnquam quiescere, sed per arterias, atque adeò corpus totum huc & illuc per se moueri (hoc respiciens Hip. in hoc ipso libro,impetum faciens ipsum appellauit) atque adeò compactum esse ex igne & aëre, vt calore moueretur,frigore verò (frigidum enim dicebant esse aërem) coërceretur,quominùs dissiparetur,& euanesceret. Alij etiam vetustissimi philosophi, vt testatur Hippoc. primo de natura humana, censebant sanguinem esse animam. Diogenes censebat esse aërem, seu spiritum. A me de animâ scripta sunt quàm multa in commentariis in libros de anima Aristotelis, cuius sententia omnium mihi placet maximè, esse scilicet actum corporis physici & organici. Quamquam si hominis anima seorsum definienda est, sit satius dicere, esse substantiam quandam incorpoream, cui præ aliis omnibus mundi rebus simul accidit, & esse corporis actum, & separari posse. Verùm hæc exactè definire, ad præsentis orationis interpretationem haud est necessarium. Illud vnum sit satis nunc scire ad medicinæ placita indifferens esse, quam de animæ essentia teneas opinionem : scias verò Hipp. nunc iuxta aliorum sententiam, succos & spiritus vocare animam, atque ita dicere, animam dum homo viuit semper refici, si autè igneſcat, morbum fieri, & animam ipsum corpus depasci, ipsámque consumi. Nimirum sanguis ex alimento quotidie reficitur,atque spiritus ex sanguinis vapore, & ex aëre, qui inspiratur, & arteriarum motu trahitur : quum verò igneum calorem concipiunt, fit febris, ex spiritu diaria : ex succis, putrida, à quibus euenit corpus exuri, ac colliquescere, atque ita nunc in febrem hecticam procedere, nunc liquescens mori.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 350 sur 489

©BIUM

Morbi connutriti in ſenectute deſinunt, & per concoctionem, & ſolutionem, & rarefactionem.

Non omnes morbos qui à prima ætate homines diuexauerint, relinquere in ſenectute conſtat, quandoquidem ipſemet in aphoriſmis dicit, multos commori. Quid ergo eſt quod nunc dicitur? Certè quod in aphoriſmo, ſenes iuuenibus vt plurimùm minùs ægrotare. Quod vt in commentario dixit, fit, quia plurimi morbi eorum qui prioribus ætatibus ſolent crebrò accidere, ſeneſcentibus deſinunt fieri: nunc explicat tres modos, quibus id ſolet euenire. Per concoctionem, ſolutionem, & rarefactionem. Vocat concoctionem, correctionem malæ temperiei; itaque attemperationem ſolutionem vocare cenſeo, laxationem, & profuſiores euacuationes: fit enim hoc quoque multis ſeneſcentibus, iuxta id quod in alio aphoriſmo dictum eſt. Quibus iuuenibus aluus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur: eos verò quibus id accidit, dixit Galenus in commentario, eam ob cauſam meliùs ſe habere. Rarefactionem vocat meatuum amplitudinem, conſtat verò id quoque euenturum per ſenectam, iis qui cùm prioribus ætatibus eſſent pingues & craſſi, gracileſcunt ſeneſcentes. Itaque liberabuntur à morbis (calidis ſcil.) quidam ſenes, quia refrigerantur: quidam quòd aluus eorum ſoluatur, quidam quod etiam gracileſcant. Non eueniunt autem hæc omnia omnibus. Nam etſi omnes refrigerentur ſeneſcentes, tamen quia non omnes laborabant morbis calidis, non omnes iuuantur ea refrigeratione: neq; omnes fiunt aluo laxiores, neque graciliores: ſed quibus aluus erat adſtricta, ſeneſcentibus laxatur; quibus laxa, aſtringitur: qui iuuenes erant pingues, ſeneſcentes gracileſcunt: qui graciles, craſſeſcunt: atque ita profecto qui iuuenes erant ſani, ſeneſcentes incipiunt multis corripi morbis: qui verò erant morboſi, tunc fiunt ſaniores.

Curatio eſt reluctari nec conſentire morbo.

Hoc eſt, curatio obiectione contrariorum agitur, non ſimilium. Exemplum autem eſt id quod mox ſubiicit, dicens.

Frigidum & auxiliatur, & tollit quæcunque à calido.

Præceps iracundia contrahit, & cor & pulmonem in ſeſe, & in caput calorem & humores euehit: gaudium autem cor relaxat.

Ira eſt feruor ſanguinis circa cor, illud autem circa cor eſt quà ſunt magnæ arteriæ, quod eſt inter cor & caput, pulmo autem maximè iuxta cor eſt: nam ipſum cor velut digitis contegit, & duobus magnis vaſis illi alligatur, arteriâ venali, & venâ arteriali vocatis. Hinc fit, vt feruente ſanguine, cor, pulmo, & caput caleſcant, & repleantur. Nimirum ſanguis feruore tumet, & venas arteriâſque tumefacit, ſed & ob vehementem calorem qui illis in locis eſt, eo contrahitur vndique ſanguis. Vnde fit vt multis ob iram oculi & venæ frontis intumeſcant, & tota facies rubore ſuffundatur, & tempora pulſent, & caput doleat, quin & febris ſuperueniat. Gaudium calfacit etiam cor, ſed minùs. Non enim tam feruet ſanguis, quàm effunditur, atque ita per iram cor & pulmo tenduntur, & firmitudinem habent, quaſi verſus caput reuellantur, per gaudium autem laxatur cor, & omnem amittit contentionem. Quo fit, vt per gaudium vitalis virtus diſſoluatur, & diſſipentur ſpiritus; per iram diſtentionem patiatur cor, à feruente & tumefaciente arterias ſanguine reuulſum, & ardeat caput, virtus vero diſſoluatur minùs. Quo fit, vt aliquando quidem vtilis ſit ira ad naturalem calorem ſuſcitandum, & viuidum calorem partibus comparandum, quod in ſecundo huius operis ab eodem Hipp. dictum eſt his verbis. Danda eſt opera, vt ira excitetur, & caloris, & ſucci comparandi cauſa. Rectè ergo dicit iram contrahere & pulmonem, & cor in ſe ipſa, quia non ſunt laxa vt per gaudium, ſed cum quadam contentione, firmitudine, & tono, & in caput euehere (quia humores eo tendentes & plena vaſa reuellunt ea viſcera ſurſum) calorem & humores: calor conſiſtit in ſpiritu & ſanguine: humores ſunt quatuor. Gaudium autem cor relaxat.

Labor articulis, & carnibus cibus, ſomnus viſceribus, animæ deambulatio, cogitatio hominibus.

Galenus & poſt illum alij omnes, atque adeo ante illum, vt ipſe teſtatur, diſtribuunt hæc verba in duas orationes, legúntque ſeorſum πόνος πῖσιν ἄρθροισι, καὶ σαρκὶ σῖτος, ὕπνος πλάγχνοισι, & rurſum ψυχῆς περίπατος, φρόνησις ἀνθρώποισι. Ego vero cur coniunxerim, ipſa enarratio indicabit. Sunt multæ interpretationes, quas videntur verba ferre poſſe, atque ob id in eas diuerſi enarratores inciderunt. Legunt omnes, labor articulis & carnibus cibus, atque quidam intelligunt dici laborem, id eſt exercitationem & motum vehementem eſſe cibum, id eſt refectionem, atque adeo roboris cauſam articulis & carnibus, hoc eſt articulis & muſculis; quia partes omnes propria exercitatione roborantur, atque otio & intermiſſione actionis propriæ langueſcunt. Cùm igitur motus animalis inſtrumenta ſint articuli & muſculi, dicunt eos roborari exercitatione. Alij inuertunt hæc, dicentes, cibum hoc eſt ſatietatem; & nimiam cibi ingeſtionem eſſe articulis & carnibus laborem, hoc eſt pondus & moleſtiam afferre, & eſt ſanè hic ſenſus veriſſimus quoque (nulla enim ex cauſa ſæpiùs naſcuntur articulorum dolores, & muſculorum reſolutiones, quàm ex ingluuie) verùm

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 351 sur 489

Gal. non placet, quia ſequentia illa verba, ſomnus viſceribus, iuxta priora interpretari eſt conſentaneum, itaque iuxta hunc ſecundum ſenſum dicetur, ſomnum eſſe viſceribus laborem, id verò eſt falſum, niſi quis id quod generatim dicitur, particulatim accipiens, intelligat ſomnum laborem viſceribus eſſe, cùm tenentur inflammatione aliqua, aut in febris inuaſione. Secundùm rationem autem ipſius ſomni rectiùs dicitur, ſomnum eſſe viſceribus cibum, quia maximè iuuat eas, quæ in viſceribus aguntur, concoctiones. Quapropter verba hæc primum ſenſum confirmant, quem proinde Galen. ſequitur. Quod autem ad reliqua verba attinet, dicit Galenus, ſi ea ita retineantur, vt occurrunt ſcripta, ſignificare cogitationem eſſe animæ deambulationem, hoc eſt, exercitationem. Itaque quod deambulatio eſt corpori, id eſſe animæ cogitationem. Verùm dicit Dioſcoridem, quòd videretur ei loquutio affectata, quũ cogitatio vocatur animæ deambulatio, emendaſſe codicem pro ſuo arbitratu, legiſſéque pro περίπατος, hoc eſt, deambulatio, περὶ παντὸς, hoc eſt, de omni re, atque interpretari, quod Galenus quoque probat, animam de omni re debere cogitare, hoc eſt, ratiocinari, & meditari: pertinere verò hoc non ad philoſophiam ſolùm, ſed ad omnes artes, atque ad medicinam peculiariter, poſſéque referri ad medicum, vt ſignificet, hunc nihil debere temerè præterire, ſed meditari omnia, vt agat prudenter, atque adeò ratiocinatione debere vti: poſſe etiam referri ad ægrotum, quia nonnunquam ipſum de re aliqua cogitare, quæ exercitare eum poſſit, ſiue triſti, ſiue iucunda, remedio eſt in iis ſcilicet paſſionibus, quæ primi ſenſitiui afferunt ſtuporem, aut grauem ſomnum. Hęc omnia dicit Galenus, quorum etſi nonnulla probabilia ſint, ac vera, quædam tamen etiam videntur conquiſita ſolùm ad dicendum. Quapropter ego in alium ſenſum feror, quem iam dicam. Mihi videntur hæc omnia legenda coniunctim, contineréque quandam præceptionem Platonicam, pertinentem ad procurationem boni habitus, non ſolius corporis, ſed totius hominis, corporis ſcilicet, & animi. Quid autem habet abſurditatis, putare Hippocratem ſcripſiſſe aliquid, quod ad medicinam pariter, & ad philoſophiam morum pertineat, ſi modo verè dictum eſt à Galeno, libello cui titulus eſt, ſi quis ſit medicus, debere philoſophum etiam eſſe, & eum qui velit Hippocratis eſſe imitator, debere morum philoſophiam tenere, ad quam ſpectat, & componere ſuum animum, & alios ad virtutem cohortari? Atque ipſe Galenus non eſt ſibi viſus medici munus excedere, quum ſcripſit de cognoſcendis & curandis animi morbis. Sed quæ ſit Platonis præceptio, quam his verbis contineri dico, audiamus. Ille in dialogo de natura ita ſcripſit. Idem quoque iudicandum de eo ex anima & corpore compoſito, quod animal appellamus. Quando enim anima corpore admodum potentior eſt, exultat in eo, atque effertur, totum ipſum intrinſecùs quatiens, langoribus implet. Quando etiam ad diſcendum inueſtigandúmque, collectis in vnum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinùs corpus & labefactat. Denique cum ad docendum diſſerendúmque, priuatim & publicè ambitioſa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque reſoluit. Nonnunquam etiam deſtillationes, fluxuſque commouens, medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias cauſas iudicare. Rurſus quando corpus grande, & pigriori mole ſuperexcedens, puſillæ exilique cogitationi animi copulatur, cum geminæ ſint in homine ſecundum naturam cupiditates, vna quidem per corpus, alimentorum; altera verò per id, quod diuiniſſimum in nobis ineſt, prudentiæ: tunc ſanè potentioris illius præualentes agitationes, quod ſuum eſt adaugent: quod verò animi, hebes, indocile, obliuioſum reddunt, atque ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiam generant. Vna demum eſt ad vtrumque ſalus, & conſeruatio, vt neque animam ſine corpore, neque corpus abſque anima moueamus, vt in mutua contentione exæquatis inuicem viribus inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur. Hęc Plato quibus apertè innuit, vt totus homo bene valeat, neque ſine corporis exercitatione eſſe meditandum, aut litterarum ſtudiis incumbendum, neque his omnino dimiſſis corpus exercendum, quia illud faciet hominem morboſum & infirmum, hoc imperitum & ſtupidum, quaſi meditatio animæ ſit exercitatio, vt motus corporis. Huc mihi videre tendere Hippoc. & docere, quæ procuratio eſſe debeat corporis & animi, vt vtrunque firmum ſanúmque ſeruetur. Roborant verò corpus hæc tria, labor, cibus, & ſomnus: animam, cogitatio, quia eſt animæ exercitatio propria. Itaque quicunque ſibi toti bene proſpectum vult, exerceat ſeſe ſatis, & conuenienti cibo vtatur, & ſomno qui ſatis ſit ad concoctionem: & reliquum tempus meditetur, quæ pertineant ad pietatem & ſcientiam. Ita enim viuet, & ſanus, & probus, & doctus. Vbi ſolius corporis ſalubrem procurationem docuit Hippoc. labori, cibo, & ſomno adiecit Venerem; nunc verò animi quoque cultum docens, Venerem tacuit, quia ea inimica Mineruæ eſt. Sunt verò dicta tria omnibus corporis partibus neceſſaria, quia omnes indigeat alimento, quod ex cibo capitur, & expurgatione excrementorum, digeſtioneque alimentorum quam facit exercitatio, & concoctione quam ſomnus: verum commendatur præcipuè labor ad articulos, cibus ad carnes, ſomnus ad viſcera, quia exercitatio præſtat habilitatem ad motus, qui in articulis aguntur: cibus nutritionem quâ carnes maximè augentur: ſomnus concoctiones, quæ in viſceribus maximè vigent,

---

IN vlceribus ſanguis eoncurrit: ſubueniendum, vt vacuum impleatur.

Vnam quandam rationem cohibendi profluuium ſanguinis ex vlcere docet, replere ſcilicet totam ipſius vlceris cauitatem linamentis, nunc ſiccis & conſtipatis (ſola enim hæc aliquando ſunt ſatis, velut ſi quis admotis digitis cohibeat, atque eò magis, quod ipſe ſanguis concreſcens obturandi vim habet) nunc imbutis emplaſtico aliquo ſucco, vt oui albumine, aut etiam agglu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 352 sur 489

©BIUM

tinante, vt albumine cum terebenthina.

SI auris doleat, lana digito circumuoluta intingenda eſt vnguine calido, & poſtquàm ipſam lanam interiori manus volæ impoſueris, auri ſupponenda, vt videatur aliquid ipſi exire, deinde in ignem proïcienda eſt. Dolus.

Galeno adeò nulla huius orationis explicatio placet, vt illis omnibus examinatis, tandem cenſeat, Hippocratis non eſſe. Mihi verò videtur, iis quæ ab eodem autore dicta ſunt alibi conſona. Nam dictum eſt in prognoſtico, Aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi grauis eſt, periculum enim delirij, & mortis imminet. Proinde cùm hic locus ſit fallax, ſtatim à primâ die omnibus ſignis mentem aduertere oportet. Eandem ſententiam hic ſcripſit, apponens vnum quiddam eorum, quæ curandi ſimul, & tentandi gratiâ, ne locus nos fallat, facere oportet. Quod igitur dicit dolus, idem eſt, quod in prognoſtico, fallax locus hic eſt. Quid igitur iubet facere? Lanam digito circundatam intingere vnguine aliquo, oleo ſcilicet, aut pinguedine, & in aurem infundere (eadem ratio fuerit, ſi ſpecillo circundes, aut forcipibus accipias) deinde eam lanam manu detentam auri ſupponere, ita vt aliquid ei exire videatur, ideſt donec videatur aliquid exire ex aure, & in ipſam lanam imbibi; poſteà, hoc eſt, poſtquàm id quod exit imbiberit, in ignem proiice, ita enim indicabit tibi ipſe odor, an vlcus aliquod ſordidum interiùs lateat, an non, atque erit hoc vnum quiddam eorum quæ prodere poſſunt eius loci dolum, faceréque quominùs fallat. Satius autem eſt, in ignem proijcere ſolum humorem expreſſum, quàm ipſam lanam, quia fœtor ipſius alium quemcunque fœtorem obſcurabit.

LInguæ vt lotium humores noxios ſignificant. Linguæ ex pallore vireſcentes ſunt biliosæ, biliosum autem à pingui: rubicundæ verò à ſanguine: nigræ ab atra bile; aridæ autem ab exuſtione fuliginoſa & vterina parte, albæ verò à pituitâ.

Non in lingua ſolùm, ſed in toto etiam reliquo corpore, colores præter naturam mutati ſignificant redundantiam ſuccorum, quorum tales colores ſunt. Lingua autem multò magis quàm vlla alia pars, quia excipit vapores, & fluxiones, ex capite, ex ventriculo, & ex pulmone, atque adeò ex toto interno corpore. Significationes verò ſimiles ſunt in lingua, & in vrina. Vt enim vrina colore refert ſpeciem cacochymiæ, ita etiam & lingua, quod ſignificat dicens, χλώσσα οὖρον σημαίνει, hoc eſt, ſignificat vt lotium. Nam linguæ χλωσαὶ, (hoc eſt, flauæ, aut virides, vel inter hos colores ſitæ) biliosæ ſunt, hoc eſt, bilem ſignificant redundare. Nimirum illi omnes colores ſunt bilis magis aut minùs vſtæ: interponit obiter generationem biliosi ſucci, dicens, biliosum autem à pingui, hoc eſt à tenui ſanguinis parte, Affirmant enim omnes medici cum Galeno, cum vritur aut putreſcit ſanguis, eius tenuem partem mutari in bilẽ. Vocatur autem pingue, quod tenue in ſanguine, quia reuera eſt pingui ſimile, & innatat ipſi ſanguini, vt flos vino, & vt oleum aquæ ſuperuehitur, & lacti quod butyroſum: Galenus dicit vocari pingue per metaphoram, quia nutriens, vt plurimùm nutriens triticum vocamus pingue, addit, rubræ verò à ſanguine, & meritò quidem, nullus enim ſuccus ruber eſt præter ſanguinem: tametſi Galenus in commentario huius ſententiæ videtur bilis rubræ ſpeciem quandam ponere non aliter ac Auicenna: reuera tamen, qui ſuccus talis eſſe cenſetur, ſanguis biliosus potiùs eſt quàm bilis. Μέλαιναι δὲ, inquit, ἀπὸ μελαίνης χολῆς: αὗται δὲ ἀπὸ ἐκκαύσιος λιγνώδους, ἢ μητρώας μοίρας. Nimirum linguæ fiunt nigræ aliquando ob febris & vſtionis vehementiam, à fuliginibus aſcendentibus etiam ex aliis ſuccis, velut videmus linguas eas, quæ aſſationem ſubeunt, ab igne nigreſcere. Itaque nigreſcunt aliquando nigro humore imbutæ, aliquando exuſtæ ſolùm, & tinctæ fuligine. Euenit autem hoc per febres vrentes, quales maximè eſſe ſolent, quæ ab internis & magnis inflammationibus pendent, vt ventriculi, hepatis, aut vteri. Eſt autem diſcrimen linguarum nigrarum, quod quæ ab humore tinguntur, ſunt nigræ magis quàm aridæ, quæ à fuligine vſta, aridæ magis quàm nigræ. Ob id ſecundas has, quaſi ab eo quod eminet, aridas appellauit. Dixit autem & ab vterina parte, non quòd ea pars ſola inter internas, aut ea vtcunque affecta, tales facere ſoleat linguas (nam neque ea ſolet niſi vehementer inflammata, neque minùs aliæ internæ quàmplurimæ poſſunt) ſed quaſi vnum quoddam exemplum producens: poſtremo dicit albæ autem à pituita. Rectè autem monet Galenus, dictis ſignis ea omnino quæ ſignificantur, euenire: rebus autem non accidere ſigna neceſſario, neceſſe enim eſt, ſi color ſit chlorus, redundare bilem: ſi ruber, ſanguinem: ſi niger, nigram bilem: ſi albus, pituitam: non tamen ſi redundet ſanguis, neceſſe eſſe rubram eſſe linguam, neque ſi pituita, albam, poſſe enim ſuccum non in eam partem incumbere. Sed & prima conſequutio videtur mihi indigere quibuſdam animaduerſionibus. Nam primum, cùm niger color dicatur habere duas cauſas, & altera, putà vſtio, cum aliis ſuccorum ſpeciebus iungi poſſit, conſtat non valere conſequutionem à nigro colore ad ſuccum nigrum, ſed poſſe fieri nigram linguam in febre ardente pituitosâ. Præterea fieri poterit ob fluxiones particulares, vt cauſa morbi non certò ab eo indicio cognoſcatur. Voco autem particulares fluxiones, vt ſi homo febre teneatur biliosa, tamen lingua diſtillationem pituitoſam à capite recipiat. Perinde accidit in vrina, in commune enim rectè dices ſignificari talis ſucci redundantiam, qualis color apparet in vrina, ea verò ſæpè fallit ob peculiare vitium renum. Itaque vel ob hoc rectè dicitur linguam ſignificare vt lotium.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 353 sur 489

A

VRina eſt concolor cibo & potui, & talis eſſe conſueuit, qualis eſt humidi colliquatio.

Tam variè reperi ſcriptam ſententiolam hanc, cum in codicibus Græcis, tum etiam in Latinis, vt fuerit non parùm difficile, eligere maximè conſentaneam lectionem. Nam in quibuſdam codicibus reperi ſcriptum ἐ σωθεν, quam lectionem ſequitur Cornarius, & vbi ego verti, talis eſſe conſueuit humidi colliquatio, ille vertit, & qualis int° eſt humidis colliquatio. Porrò reperi in verſione quadam veteri Fauij Calui, lotium concolor corpori, potionique par, humoriſque interioris conſtillatio. Qui haud dubiè habebat in ſuo Græco codice, pro βρώμαπ, ideſt cibo, σώμαπ, ideſt, corpori, & vbi habetur καὶ ὡς, ideſt, & vt, ἴσον, ideſt, par, ſeu æquale. Verùm hanc lectionem reieci, quia non congruit cum narratione Galeni, qui in commentario reddit cauſam, ob quam vrinæ aliquando referunt colorem cibi, & potus, & quantitatis nullam facit mentionem, vt facilè conſtat Galeni codicem habuiſſe βρώμαπ, nullam verò particulam qua ſignificaretur par, aut æquale. Priores duæ lectiones omnino habent eundem ſenſum, neque refert quicquam dicere, talis eſſe conſueuit qualis eſt humidi colliquatio, aut qualis intus eſt humidi colliquatio, vtraque enim oratio ſignificat vrinam eiuſdem coloris cum cibo & potu qui accipitur, eſſe qualis ſolet reddi, quum eſt humidi colliquatio. Cop° non legit humidicolliquatio: ſed vbi humiditas colliquatio, ſequutus arbitror aliũ codicem, vbi occurrit ſcriptum, pro ὑπὸ τῆ ὑγροῦ ξυντηξις, ideſt, qualis eſt humidi colliquatio, ὅπε vel ὑπὸ τῆ ὑγροῦ ξύντηξις, ideſt, vbi humiditas colliquatio, ſeu ab humiditate colliquatio. Sed neque hæc lectio mihi videtur ſenſum permutare, ſed in idem recidere, ſiue dicas humidi colliquatio, ſiue vbi humiditas colliquatio, ſiue ab humiditate colliquatio. Nam his omnibus ſignificatur affectio, quæ diabete vocatur, per eam enim multa vrina redditur, & corpus areſcit: areſcit verò, quia humiditas non moratur interiùs, ſed effluit multa. Itaque congruit huic morbo vocari humidi colliquationem. Siccatio enim humidi colliquatio eſt, atque etiam colliquationem pati dicimur, vbi humiditas multa, ideſt, multa aqua mingitur, & ob humiditatis colliquationem areſcit corpus à multa mictione. Eſt autem proprium huius morbi, reddi vrinam incommutatam, concolorem cibo & potui, quod per eam affectionem, & concoctrix heparis, & retentrix renum facultas debilitata ſit, tractrix verò renum opęretur plus ſatis. De hac itaque paſſione loquitur Hippocrates in præſenti oratione, dicens, fieri nonnunquam vrinam concolorem cibo & potui, vt conſueuit in diabetica paſſione. Quapropter mihi hic nõ probatur enarratio Galeni, qui neſcio qua occaſione agit de orobinis contentis, & hordeo ſimilibus, & laminis, & carunculis, & perturbatis vrinis, cùm certè illa huius loci non ſint.

B C D E F

LIngua concolor eſt humori prædominanti, ideoque per hanc dignoſcimus humores.

Προσίσεις .i. redundantias, ſeu vt alij legunt προτάσεις .i. extenſiones, vocat exceſſus, quibus quidam ſucci præ aliis videntur in corpore eminere, ſeu vt dicere ſolent, dominari. Itaque hæc oratio nihil continet noui, ſed cauſam ob quam dixit, lingua lotium ſignificat. Nimirum cognoſcimus ſuccos per linguam, quia ea induit colorem eius ſucci, qui in corpore dominatur.

SI carnes videntur eſſe ſalſæ guſtanti, redundantiæ ſignum eſt.

Vno quodam appoſitiſſimo exemplo indicatur, non ſolùm colore linguæ, ſed etiam paſſione eius facultatis qua guſtamus, agnoſci redundantis ſuccĩ ſpeciem. Nimirum cum redundat bilis, omnia videntur eſſe amara: cum ſanguis dulcia: cum melancholia, acida. Ita ſi cui carnes (eadem ratio eſt aliorum ciborum, niſi qui habent qualitates alias inſignes, quibus ſalſedinem cohibeant) guſtanti videantur eſſe ſalſæ, ſignum eſt redundantiæ ſalſæ pituitæ. Cauſa autem eſt manifeſta, quia tali humore imbuta eſt lingua, & omnium quæ guſtantur ſucci miſcentur cum ſaliua, & accipiunt illius qualitates.

SI mammarũm papulæ, & quod rubrum eſt, pallidum ſit, ægrotat vas.

Particula illa, &, non eſt continuatiua, ſed declaratiua, idem enim eſt dicere, Papulæ mammarum, & rubrum mammarum. Nam mammę eam ſolam partem habere ſolent rubram, neque eam quidem totam, ſed eius extremum, per quod lac exugitur. Illud igitur, quod ſecundùm naturam apparet rubrum ὃν χλωρὸν ἦ, τοσῶδες (inquit) τὸ ἄγγος. Galenus per τὸ ἄγγος intelligit vterum, tametſi id non admodum ſit iuxta phraſim Hippocraticam, dicit igitur colorem vitioſum papularum, ſignificare morbum vteri, ob conſenſum eius cum illis per venas communes, quæ aſcendunt per muſculos rectos abdominis, per quas habent vterus & mammæ commune alimentum: vitioſus ergo color vitioſum ſuccum in vtriſque partibus redundare ſignificabit, atque ob id vterum morbo aliquo teneri, niſi tamen mulier vtero gerat, tunc enim citra morbum ſolet id fieri, & prægnationis potius quàm morbi ſignum eſt.

HOminibus aurium ſordes dulces quidem lethales: amaræ verò non.

Nimiæ diligentiæ videtur eſſe hoc. Turpe enim eſſe videtur excrementa linguæ admouere, vt ex eorum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 354 sur 489

©BIUM

eorum ſaporibus accipias ſignificationes, neque quiſpiam, qui non ſit ſordidiſſimus, eo vſque procedat. Cauſam autem reddit Gal. dicens, non aliter fieri eas ſordes dulces, quàm liqueſcente cerebro, liqueſcit verò cum putreſcit, ac corrumpitur, niſi tamen quid ſanguinis cum ipſis ſordibus commiſceatur, ita enim dulceſcent cum minori malo: ſanguine verò dempto, ea dulcedo ſordium erit lethale ſignum. Quam fortaſſe guſtare tentabit aliquis, aut ægrotus ipſe ſuam, aut mariti vxor, aut filij mater, aut alius qui ſit ægroti amantiſſimus, vincit enim amor vt alia omnia, etiam tædium.

A

B

TErram mutare confert in morbis longis.

Copus legit ſolum patrium, & plerique medicorum intelligunt, hic Hippoc. docere, in morbis longis, vbi quis extra patriam ægrotat, in patriam transferri debere, quaſi aër patrius, aut etiam cœlum patrium opem ſit laturum. Ego verò cenſeo, patrium habitare ſolum, quibuſdam eſſe vtile, quibuſdam noxium, atque ita vt quibuſdam vtile eſt, cum ægrotant, in patriam reduci, ita aliis in alienum ſolum à patria deportari. Si enim vt Hippoc. docet, lac proprium & maternum quibuſdam vtile, quibuſdam autem alienum, quàntò magis & ſolum patrium ſit aliquando inutilius, quàm quod alienum, Neque ſanè experimentum repugnat, vidimus enim multos in ſua patria degere inſalubrius, in alias ſiue regiones, ſiue vrbes commeantes, ſaniores reddi: alios multos contrà. Id quod merito euenit. Si enim in loco calido natus eſt valdè calidus homo aut in frigido valdè frigidus, cur non eſſet his patriæ commutatio vtilis, ita vt eorum vterque in alterius patria degat meliùs quam in ſua, regionis temperie intemperiem propriam corrigente (niſi tamen differentia ſit tanta, vt eam ſuſtinere natura non poſſit, quod accidit Ethiopibus huc repentè translatis) cùm intemperati homines ad contrarias cauſas meliùs, & ad ſimiles deteriùs habeant? Hipp. igitur ita dicit, terram mutare conuenit in longis morbis. Hoc eſt cum morbi, aut ſuapte natura, aut à principio ſint longi, vt quartana febris, atque quibuſdam podagra, aut nephritis, vel ex acutis deciderunt, conſultum eſt in regionem aliam commeare, non tamen in quamcunque temerè, ſed cum delectu, in eam cuius temperies illi morbo maximè aduerſetur. Quo conſilio multi ob febres quartanas, & morbos alios melancholicos Complutum veniunt. Quòd ſcilicet huius oppidi temperies calida, & humida ſit, verùm ob hydropem nullus veniet, etiamſi contingat Compluti eſſe natum.

C

D

E

F

DEbiliores cibi breuem vitam præſtant.

Duplex eſt huius ſententiæ interpretatio: prima, debiles cibos dici eos, qui facilis concoctionis ſunt, quia parum reſiſtunt commutanti, & hos breuem vitam habere, hoc eſt, parùm manere in corpore, eò quòd citò excernantur, quia vt dicitur in aphoriſmo, Eorum quæ velociter nutriunt celeres fiunt excretiones: Altera, debiles cibos dici eos, qui præſtant paucum, idque tenue alimentum: & eos breuem vitam habere, hoc eſt, breuem vitam præſtare hominibus, qui eis veſcuntur, quia qui talibus veſcuntur, neceſſario ſunt debiles, infirmi verò & debiles non poſſunt diu viuere. Eadem eſt ratio cibi pauci, etſi is naturâ debilis non ſit. Quare non temerè conſulendum eſt hominibus, vt cibi quem poſſint coquere, partem detrahant, aut cibationem conſuetam intermittant. Tantùm enim ſibi vitæ detrahunt, etſi interim videantur nonnulli eorum ſalubriùs degere. Probatur hæc ſecunda interpretatio magis (etſi vtraque verum ſenſum reddat) quia vt Gal. rectè dicit; affectatum eſt vitam alimenti vocare eius moram in corpore.

QVum accidunt fluxiones in coxam, venæ in auribus poſteriores aperiendæ ſunt.

Dicunt grammatici κέδματα eſſe dolores genitalium, par eſt autem magis hac in parte Galeno credere, qui interpretatur, ita vocari ab Hippoc. fluxiones in crura, & coxæ articulum. Itaque dicit eos, quibus fluxiones ſunt ad coxam, iuuari ſcarificatione venarum, quæ ſunt poſt aures. Ego de hac curatione lib. 5. in hiſtoria Lyconis, qui in Oeniadis dolore coxæ laborauit, dicere cœpi, diſtuli autem in hunc locum. Illic quidem, & in proxima hiſtoria Eupolemi, dixi totam huius morbi curationem, quam proinde nunc non repetam: ſed quod ad hanc venarum in auribus, aut poſt aures ſectionem attinet, explicabo σχάζειν, ſeu ſcarificare, dicere nunc Hipp. non ſolùm de capillarium venarum confertâ ſectione, quæ peculiariter ita vocatur à medicis, ſed de ſectione grandiorum venarum. Quia ſcarificatione externæ cutis aurium ſperari non poteſt aliquid emolumenti capi poſſe, quia exiguum omninò erit, quod ſcarificatâ parte extremâ, & excarni, atque ob id frigidâ exire poterit, neque vllus medicorum ita facere tentauit: atque ob id Galenus, vbi dicitur venas, quæ in auribus poſteriores ſunt, non vult intelligi venas vllas in ipſis auribus, quia ſcilicet ibi nullæ ſunt manifeſtæ, ſed eas, quæ per ceruicem repunt poſt aures: cenſetque oportuiſſe ab Hippoc. dici venas, quæ ſunt circa aures potiùs quàm venas in auribus. Sed neque ſi ita intelligatur, probat Gal. id quod dicitur, ſed falſum & ſuppoſitium eſſe opinatur, quia neque ab vllo medicorum qui id laudant, in ipſo opere tentari vnquam dicit. Ob id de cauſa, qua hoc iſchiadicis vtile ſit dicit nihil, quia ne eſſe quidē vtile opinatur. Nos verò ſi quid pro hac quoque ſententia dici poteſt probabiliter, explicemus, ab eo quod in ipſis curationibus vidimus exorſi. Venā poſt aurem ſecari ob iſchiadem & inde ſanguinem affatim educi, nunquam vidi. Tamen ſcio empiricos quoſdam iſchiadicis omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago velut replicata tumorem quendam habet, cauterio vrere, & eorum quoſdam, vt ipſimet narrāt, eſſe iuuatos. Ego eius rei causā eſſe ratus ſum, quod multis iſchiadicis ex capite fluat

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 355 sur 489

materia, & eius loci vſtione intercipiatur. Nam ſectione 5. lib. 2. legimus apud Hipp. ſi caput doleat in pectus venit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam. Itaque poteſt venire fluxio à capite in coxam, quod cum fiet, non erit præter rationem, vſtione interceptis vijs ſubleuari eos dolores. Fiunt autem abſceſſus, vt ſectione 1. lib. 2. dicebatur, aut per venas, aut per oſſa, aut neruos: cenſeo igitur factis inuſtionibus, & intra auriculam, atque etiam extra ſiue poſt ſiue ante auriculam, iuuatum iri eos quibus ex capite decurrat fluxio, quod ex antecedente, aut etiam nunc ſimul exiſtente capitis paſſione cognoſces, vt dicebat Hippoc. ſi caput doleat Itaque vt pro poſt aures ſcribatur circa aures, vt Gal. cenſet, facilè recipiam. Illud autem ſcarificare, intelligo pro ſecare vtcunque, velut ſi cauterio interſecentur venæ & arteriæ quæ ibi ſunt, tametſi ſcio barbaris quibuſdam nationibus eſſe in more poſitum, ob pleroſque morbos ſcarificare aures ipſas poſteriùs. Id quod didici à Sarracenorum filijs, quos nuper Philippus dominus meus deuicta rebellione à Granatæ finibus in interiorem Hiſpaniã ſecedere imperauit. Illi vtebantur aurium ſcarificatione, quam poterit quiſpiam in hunc Hippoc. locum referre. Neque ſanè ego vt noxiam vitupero, neque vt omnino inutilem, debilem verò eſſe dicam, ac fortaſſe illi, vt mittendi ſanguinem timidiſſimi, atque adeò, vt raro profuſa miſſione indigentes ob parſimoniam, illa ſcarificatione contenti iuuabantur. Noſtris verò prorſus erit debile auxilium. Siquid vero conferet ad iſchiadem, faciet quidem id quod ſectio & vſtio ſolet, intercipiet fluxiones in via. Iuuat enim hanc interpretationem, præter id quod ex ipſis operibus poteſt colligi, & illa vox κέδματα, quæ ſignificat fluxiones in coxam: videturque ob id ſignificare ſimul paſſionem coxæ, & eius cauſam, putà defluxus à partibus ſupernis.

VEnus in morbis à pituita vtilis.

Venus eſt cauſa ſiccans & vacuans, in principio calfaciens, vt alia quæuis exercitatio (exercetur enim totum corpus) deinde verò refrigerans. Vbi igitur virtus erit robuſta, moderata Venus vtilis erit per morbos pituitoſos, quia calfaciet & ſiccabit. Immoderata verò nunquam proderit, quia vt ſiccabit, ita etiam refrigerabit, atque afferet noxam maiorem quàm vtilitatem, quinetiam etſi vacuando ſiccet, per accidens augebit excrementitiam humiditatem, per incoctionem, atqui ne moderata quidem erit talibus vtilis, ſi facultas ægrotantis valdè debilis ſit, quia non poterũt citra noxam ſuſtinere ſpirituum effuſionem, quę per coitum fit copioſa.

IIS qui ſunt ventre calido, fortes ibi & potus turbationem afferunt.

Fortes vocantur hoc loco cibi & potus, qui vim habent medicamentoſam, & vehementem, eiuſmodi autem ſunt, qui valdè calidi, ea enim tempe-

A ries eſt omnium efficaciſſima, conſtat vero talia ventri calido noxam, & turbationẽ allatura, quia augebitur eius intemperies. Vocauit vero ipſemet oratione 17. ſectionis 4. cibos fortes calidos.

ATræ bili ſimile quiddam hæmorrhoides effundunt.

Familiare eſt hæmorrhoidibus atræ bili ſimile, hoc eſt, ſanguinem melancholicum effundere, non tamen ita proprium, vt bonum ſanguinem B effundant numquam. Fiunt enim aliquando, natura per eam viam ſanguinis fæces expurgante, nonnunquam etiam ob multitutinem ſanguinis. Cumque fiunt facultate expurgante, inſaniam, & alios morbos melancholicos ſi adſunt tollunt: ſi nondum adſunt, ab eis præſeruant, vt in aphoriſmo dicitur: cum vero ſanguine redundante fundunt bonum ſanguinem, ſi tempeſtiuè ſiſtantur, liberant corpus à multitudine: ſin minùs, deijciunt vires, & refrigerant hepar, atque mali habitus, & hydropis cauſa ſunt.

INcreſcentes morbos coitus exaſperat.

C Μίξιν vocari coitum, ſeu Venereum congreſſum inter omnes interpretes ſemper conuenit, vt teſtatum reliquit Galenus in commentario. Verùm altercati ſunt quamplurimum, quinam ſint morbi increſcentes, & quid ſit quod Hippoc. ſibi velit, an mixtionem morbos illos lædere, an iuuare. Nam vox illa ἐπαυξέας omnino eſt ambigua, ipſe vero omnino non explicat, quid mixtio faciat. Nulla ergo eſt via alia ad interpretationem, quàm ex ipſis operibus coniectare: ad id D vero oportet definire priùs, quos vocet increſcẽtes. Ego de re tam incerta non auſim quidpiam certo affirmare. Producam interpretum ſententias, vt quiuis cenſeat pro ſuo arbitratu. Non enim res magni momenti eſt, neque detrahere multum aut apponere arti poteſt. Quidam increſcentes morbos dicunt eſſe eos, qui diuturnitate fiunt ſemper grauiores. Huiuſmodi quidem ſũt omnes, niſi enim aut ab ipſâ naturâ vincantur, aut artis opera curentur, morbi omnes per moras inualeſcunt, vt ille dicit: verùm dicuntur peculiariter E increſcentes, illi qui ſolent ſæpe ſine curatione derelicti, diuturnitate euadere incurabiles, vt podagra, arthritis, renum vitia, morbus comitialis, atrabilis, & alij eiuſmodi, qui niſi ætatis mutatione curentur, ſolent commori: qui ſequuntur hanc interpretationem, intelliguut Hippoc. affirmare increſcentes morbos lædi mixtione: videntur enim illi omnes, quos commemoraui, coitu lædi: quanquam quoſdam eorum aliquando moderato iuuari, non eſt inopinabile: magna autem ex parte, atque nimio ſemper lædi, F verè dicet quis. Proxima huic interpretatio alia ſtatui poteſt, vt increſcentes vocentur, qui in incremento ſunt morbi, quicunque ij ſint, atque affirmetur, etſi dictum ſit morbos pituitoſos Venere iuuari, non tamen id eſſe faciendum morbis increſcentibus, ſed inclinantibus, aut incipientibus. Hæc enim ſunt duo tempora euacua-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 356 sur 489

tionibus opportuna, vt tempus increſcendi concoctioni, itaque vt ab aliis omnibus euacuationibus morbis increſcentibus abſtinendum eſt, ita & à coitu. Alij cenſent vocari morbos increſcentes figuratè, eos qui ſolent inuadere infantes, & durare toto tempore creſcendi, vſque ad pubem ſcilicet. Nam ad eam vſque ætatem, creſcunt corpore manifeſtè, iam inde parum, & qui citò incipiunt hircire exiguo ſolent eſſe corpore, quod citò tardetur eorum incrementum. Hi dicunt Hippoc. docere, tales morbos Venere ſanari: quia eo tempore quo mulieribus incipiunt fluere menſtrua, & mares Venere vti, ſolent iudicari tales morbi, ſicceſcente corpore. Ecce duas interpretationes, prima placuit Galeno, ſecunda Sabino, vt Galenus narrat. Ego in ſecundam hanc inclino, quia nihil magis medicis receptum, & experimento cognitum, quam pueriles morbos fluentibus menſtruis, mulieribus; pueris verò in adoleſcentia ſolere finiri, aliis quidem incipiente adoleſcentia, aliis procedente, vt quibus tota adoleſcentia, quæ vſque ad vigeſimum quintum annum producitur, non finiuntur, ſoleant manere incurabiles, vt de morbo comitiali in aphoriſmo dicitur. Verùm videtur Galeno, epilepſiam, & prodagram puerilem, & lapidem veſicæ, & vermes, & alia eiuſmodi mala non curari Venere (ab hac enim potiùs lædi) ſed mutatione ætatis quâ ſicceſcunt corpora, atque ita malè dici coitu curari. Verùm etſi hoc reciperemus, non eſſet admodum durum, ætatem Veneri idoneam, vocari μάξιν, atque ita intelligi morbos creſcentes, ideſt, morbos creſcentium curari coitu, ideſt ætate coitus, ſeu coitui iam aptâ. Res autem exigit, vt definiam, an ipſe coitus curet tales morbos, an ætas. Ego certè non dubito iuuare aliquando eam ſeminis effuſionem ad curationem talium morborum, vt & menſtrui ſanguinis mulieres: nam vtraque harum euacuationum ſiccat, atque vt detrahit materiam corporis incremento, poteſt detrahere etiam morbis humidis & pituitoſis, cũ precipuè ea ætate maximè conſtent vires. Alioqui quo in caſu verum erit pituitoſos morbos Venere iuuari? Verum eſt Venere debilitari cerebrum, & neruoſum genus multò magis quã menſtruis vacuationibus, atque ita non eſſe eius vſum tam ſalutarem, quia menſtruis vtpote copioſiori euacuationi accidit, vt magis ſiccent & euacuent, debilitent verò minus, quia neque cũ tanto labore cerebri, neque cum tantâ ſpiritus fiunt exhauſtione. Quam ob cauſam meritò menſtrua euacuatio leuare poterit multos morbos, quos Venus exacerbabit. Nihilominùs Venus non eſt per ſe ac ſemper cauſa inſalubris ac noxia, vt cenſebant Epicurei, ſed aliquando ſalubris, vt docet Gal. in arte medicinali, atque Hippoc. hoc ipſo libro, eſtque eius quidam modus retinendus, vt aliarum omnium cauſarum, quæ nunc proſunt, nunc lædunt. Quandoquidem ergo ſiccatione & vacuatione poteſt conferre, labore verò & ſpirituum diſſipatione lædere, ij quibus ob magnam humorum redundantiam magis quàm ob cerebri propriam debilitatem videbitur accidiſſe epilepſia, vtilis erit Venus moderata: vacuabit enim, & ſiccabit citra debilitatem inſignem: quibus verò contrà debilitatis cerebri, quàm redundantiæ pituitæ erunt plura ſigna, ipſa per ſe Venus ſemper erit noxia, vtpote ad euacuationem non valdè neceſſaria, debili vero alioqui debilitatem magnam allatura. Igitur nimia Venere vti, nulli horum (neque vero aliorum) permittendum eſt; iis vero qui debilitatis alias notas non habent, ſed redudantiæ humorum, ſuntque ſalaces, & redundantes ſemine, etſi epilepſia laborent, permittendum in adoleſcentia vti Venere moderata, debilibus vero & bilioſis, neque valdè redundantibus ſuccis, iubendum vt omnino abſtineant, ſed ſolius ætatis beneficium expectent: caueántque, ne ſi ea vtantur plus lædat Venus, quam ætatis mutatio iuuet, & in poſterum habeant deteriùs.

Refrigeratio ea quæ ſunt circa aluum indurat.

Ea quæ circa aluum, aut in aluo ſunt, haud dubiè vocat fæces, hæ, velut res alia quæuis, indurari poſſunt duobus modis, nam aut per veram duritiem quam facit ſiccitas, aut per concretionem, quam facit frigus, vt dureſcit frigore glacies. Fæces intra aluum contentæ, haud poſſunt adeo refrigerari, vt dureſcant, citiùs enim, vt rectè Galenus cenſet, interierit animal. Supereſt ergo, vt ſiccitate dureſcant (neque enim plures quàm duę hæ ſunt cauſæ duritiei per ſe, vt alibi non ſemel iam monſtratum eſt) quare frigus haudquaquam poterit duritiem facere, niſi per aliquod accidẽs, atque quoniam per accidens facit frigus vt dureſcant fæces, non ſemper facit, ſed aliquando cõtrarium. Videmus enim ſæpe ob occurſum frigidi aëris, aut pedum nuditatem, aut potum frigidum, aut talem quamcumque cauſam refrigerato ventre fieri diarhœam: flante autem borea, aluum ſiccari teſtatur Hippoc. aphoriſ. 5. ſectionis tertiæ, conſtatque experimento. Igitur frigus fæces aliquando duriores, aliquando molliores reddit, & vtrumque quidem per accidens. Quâ ergo ratione id accidat, contemplemur. Certè non niſi per eas cauſas, quæ per ſe faciunt fæces duras aut molles. Nam omnis cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe. Oportet ergo ſcire cauſas per ſe earum paſſionum, illis enim perſpectis facilè intelligemus, quando & quomodo frigus indurat fæces, quod Hippoc. præſenti oratione teſtatur. Quandoquidem ergo concretione non poſſunt dureſcere, ſed ſolum ſiccitate, ſiccitatis vero eius cauſæ ſunt nimia conſumptio quam calor facit, aut nimia diſtributio, nimiæ conſumptionis cauſa erit calor nimius ventris: diſtributionis, calor partium, aut ſiccitas: trahunt enim valenter quæ calida ſunt & alliciunt humorem ad ſeſe quæ ſicca; Vt autem horum quiduis magis fiat, cauſa eſt longa mora fæcum in aluo. Nam etiamſi nulla dictarum cauſarum ſit nimia, tamen per longam moram nimium quid facit, ea etiam quæ mediocris: vt autem multum morentur fæces, facere poteſt debilitas expultricis, & ſtupor, ſeu inſenſibilitas inteſtinorum, per quam irritationem non ſentiunt: & ipſius exitus adſtrictio, & quidquid impedire poteſt villorum adſtrictionem, velut in primis flatus: humiditatis nimiæ fæcum erunt contrariæ cauſæ, ſcilicet exigua, aut diſtributio, aut alteratio; vt parum alteretur cauſa eſt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 357 sur 489

caloris penuria in ventre; vt parùm diſtribuatur, frigus hepatis, aut totius corporis redundantia. Impedit autem vtrumque, & coctionem dico, & diſtributionem, properata deiectio. Vt autem deijciatur citius quàm oportet, cauſa eſt debilitas retentricis, aut dolor, irritatiove. Conſidera ergo nunc, quæ horum poſſit facere frigus. Certè frigus ſi externas ſolùm attingit partes, facit calorem augeri in viſceribus, quare & concoctiones, & ſolidiores fæces, præcipuè ſi, vt alias externas partes, ita etiam attingat podicem, conſtringi enim faciet, & ſurſum moueri inteſtina, atque ob id detineri, & dureſcere fæces: ſi verò id frigus cum ſiccitate conjunctum ſit, vt in Borea, ſiciores reddet omnes partes corporis, quæ ſiccatæ allicient humorem, & ſiccabunt fæces. Quod ſi tale frigus attingat internum ventrem, ſiccando inteſtina debilitabit expultricem, quæ quadam humiditate indiget, & flatu replebit, qui expultricis motum impediat, atque vtroque modo faciet, vt fæces morentur, & ſicceſcant: ſtuporem, & inſenſibilitatem inteſtinorum frigus etiamſolet facere, atque ita facere deiectionem raram, & duras fæces: flatum etiam, ac proinde tardum deſcenſum quæuis cauſa refrigerans faciet, niſi interim debilitet concoctricem, aut dolorem inferat, vt accidit ijs quibus venter eſt natura frigidus. Ijs enim deiectiones liquidæ ob frigus fiunt. Hanc ob cauſam in quibuſdam, aquæ niue perfrigeratæ potu ſicceſcunt fæces, in quibuſdam fiunt liquidæ. Quibus ſcilicet venter eſt calidus ſicceſcunt, quia neque ſublata concoctione, neque excitato dolore, fit paucus quidam flatus, qui fæces detinet, ac præterea extinguit bilis feruorem, & tollit irritationem; quibus venter eſt frigidus incoctione & dolore, fiunt à frigidis cauſis deiectiones liquidæ. Quum igitur dicit Hippocrates, refrigeratio ea quæ ſunt circa aluum indurat, addendum eſt ijs qui ſunt calido ventre.

Mixtio, quæ in ventre ſunt, indurat.

Μίξις, ſeu congreſſus venereus cauſa eſt analoga nimiæ exercitationi, ſiccat enim, & commouet totum corpus, atque inſuper habet coniunctam euacuationem manifeſtàm. Ita fit, vt ſiccet alui fæces, niſi tamen adeò ſit multa, vt deijciat facultates coquendi, & retinendi in ventre, ita enim facere poterit diarrhœam, quæ autem nõ ſit adeò nimia, meritò ponitur in cauſis ſiccantibus.

Si epotum Helleborum celeriùs purgare volueris, lauare aut cibum ſumere oportet.

Enarrata à me eſt hæc oratio ſimul cum aphoriſmo decimo tertio ſectionis quartæ, quo ita dicitur; Qui accepto helleboro non facilè ſupra purgantur, iis ante potionem corpora præhumectare expedit multo cibo & quiete: eandem enim ſententiam continent ambæ hæ orationes, nimirum quam & illa, corpora vbi quiſpiam purgare voluerit oportet fluida facere. Nam hæc vltima oratio iubet fluida facere corpora, duæ illæ priores, quomodo id faciendum ſit, indicant: nimirum humectando. Quia quæ humida ſunt corpora, laxiora ſunt, & laxiores habent vias. Succi etiam humectatione liqueſcunt, & fiunt fluxiliores, humectant verò corpora cibus, quies, & balneum. Cibi meminit vtrobique, in aphoriſmo autem quietis, hic lotionis, ſeu balnei. Verùm, quia cibo ſolido replere eum, quem ad purgationem præparas, aut in balneo continere corpus impurum, alienum eſt à ratione, explicuimus, intelligi hæc de cibo medicinali, cuiuſmodi ſunt ſerapia, & apozemata, ſeu decocta, & aliæ potiones eiuſmodi, & de balneo particulari, vt de obſtruente fotu, aut irrigatione hypochondriorum. Iam verò quies cum reliqua præparatione plurimum poteſt, vt humores in ventrem fluant, quia motus in corporis habitum tenuem humiditatem diſtrahit: & præter hæc, quia quies iuuat quam maximè ad concoctionem, quam ante expurgationem eſſe procurandam conſtat, ſi quidem non oportet mouere cruda. Itaque, inquit, ſi celeriùs purgare velis eum qui pharmacum bibit, hæc facito, non ſane poſtquàm bibit: nam poſtquàm iam ceſſauit purgatio, nihil proficiet, vt agatur celeriùs, quæ omnino iam eſt acta: dum autem agitur, lauare non oportet, quia auertentur à ventre ſucci diſtracti ad corporis habitum: cibare verò multò minùs, quia vt alibi dicitur ab eodem Hippocrate, Purgatione in media cibos dare non conducit. Sed neque quies, accepto medicamento, facit ad celerem purgationem, cum alibi dicatur. Si velis magis ducere helleborum, moue corpus: quum autem minùs, ſomnum facito, & non moueto: igitur facienda ſunt hæc antequam helleborus (eadem eſt ratio cuiuſcunque alterius medicamenti expurgantis) accipiatur: nec ſic intelligendum, eum qui helleborum bibit lauare oportere, aut comedere, ſi velis celeriùs purgare: ſed ita, lauare oportere aut comedere (ante ſcilicet quàm bibat) ſi velis eum qui bibit, celeriùs purgare: non quidem dicit celeriùs, quaſi ad ſolam celeritatem expurgationis faciat, ac non etiam, vt purgetur meliùs: ſed quia cùm celeriùs fluunt humores, meliùs etiam agitur expurgatio, hoc eſt, perfectiùs, & cum minoribus ſymptomatis.

Sanguis per ſomnum ad interiores partes magis refugit.

Hæc oratio continet cauſam eius quod vndecimâ particulâ ſect. quartæ ſcriptum eſt his verbis, qui vigilat externis partibus manifeſtè eſt calidior, internis verò frigidior: qui dormit viceuerſa. Nimirum quia ſanguis in ſomno introrſum fertur, & in vigilia extrorſum, vigilantes ſunt exterius calidiores, & qui dormiunt interiùs.

Rigor a ſuperiori ventre, febris autem ab inferiori magis exoritur.

Dicens magis, apertè ſignificat non eſſe perpe-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 358 sur 489

tuum id quod dicitur, ſed aliquando accidere contrarium, fierique febres ſiccis in ventriculo putreſcentibus, & rigores ob paſſiones inteſtinorum. Verùm horum naturam paratiorem eſſe ad febrem, & illius ad rigorem conſtat, quia eſt ventriculus longè acutioris ſenſus, & inteſtina remiſſioris caloris: hæc ergo parata ſunt ad putreſcentiam, cum præcipuè ſint naturalia receptacula excrementorum, ille ad dolorem, & mordicationis ſenſum. Cum igitur ſentientium partium irritatio rigorem, & putredo febrem faciat, fit ventriculus paratior ad rigores & inteſtina ad febres. Si igitur ſuccus aliquis vitioſus in ventriculum confluat, rigorem faciet, quo partim reiecto vomitione, partim detruſo in inteſtina, conquieſcet, ac ſuccedet febris, eo qui in inteſtina incidit, putreſcente: ſi verò à principio cõfluat ſuccus ipſe in inteſtina, & ibi putreſcat (poterit enim mox deijci) faciet febrem ſine rigore, aut à minori multo rigore incipiente, quàm ſi confluaret in ventriculum. Vnde conſtat rigoris cauſam, non in ſpeciem humoris ſolum, ſed in partis in quam incidit naturam reijci debere. In ſatietatibus etiam, ſeu humorum corruptionibus euenit, dum corrupti cibi in ventriculo morantur, quendam rigoris ſenſum habere homines, poſtquàm verò iam deſcenderunt, ſi deijcantur affatim, ſuccedere febrem, imprimis quidẽ diariam, facilè tamen putreſcentiâ cõmunicatâ venis, abeuntẽ in putridã.

A gueſcunt: quia accidit eis multi alimenti multa concoctio: ſi verò qui valdè inaniti ſunt, aut parũ cibi accipunt, vtantur etiam ſomno longiſſimo, gracileſcũt multo magis, quàm ſi vterentur paruo ſomno pro cibi paucitate. Nam poſtquàm id cibi quod ingeſtum erat, concoctum eſt, ſucci excoquuntur, & conſumuntur, atque ob id, & quia ſãguis & ſucci ſimul cũ ſpiritibus inter dormiendum interius ſe continent, neque diffunduntur ad irrigandum corporis habitum, fit vt corpus tabeſcat. Huc accedit, quod & ipſum innatũ calidũ, B neque interius habens vberem materiã à qua alatur, neque exterius ventilatum tabeſcat, atque cum eo corpus. Quid ergo agendum, cum quis pauco vtitur cibo? Num vigilandum, & mouendum, vt ventiletur calidum? Non ſanè, quia vbi fames laborandum non eſt: ſed vigilandum, & quieſcendum, vt neque motus, neque ſomnus ſit maior quàm pro cibi copia, ſed congruens.

Attractio, pulmo, aridum incendium, Euacuatum ſiccat ſomnus multus.

In quibuſdam codicibus legitur ἐπισπασμὸς, ἢν πνεύμων ξηρὸς, ἢν ὑγρὸν κᾶυμα. Ideſt aëris attractio fit, aut quum pulmo ſiccus, aut adeſt humidum incendiũ. Verũ Galenus, vt ex eius cõmentario facilè colligitur, non eam habebat lectionẽ in ſuo codice; ſed hanc, quã ego ſequutus ſum. Videtur mihi hæc dictio in duas fuiſſe diuidenda, legendũque ſeorſum, attractio, pulmo, aridum incendium: atque deinceps, euacuatum ſiccat ſomnus multus: quandoquidem diuerſum admodũ reddunt ſenſum: quanquàm ergo ſimul ſcriptæ ſint, explicabuntur à nobis ſeorſum illæ partes. Prima quidem ænigmatis forma ſcripta eſt, quæ tamen ſi ad communem modum dicendi redigatur, habebit facillimam interpretationem: ita ſcillicet, attractionem facit pulmonis aridum incendium, aridum verò incẽdium eſt calor igneus: attractio verò quam calor igneus pulmonis facit, eſt aëris attractio. Itaque dicit reſpirationem magnam fieri ob intemperiem calidam pulmonis. Id verò eſt apertiſſimum, ſiquidem vſus reſpirationis eſt attemperatio caloris in corde: pulmo verò eſt, per quem cor accipit aërem, vt attemperetur; quum igitur incaleſcit pulmo, calidior aër cordi communicatur, ideóque paucus id non poteſt attemperare. Quam ob cauſam contendet animal trahere multum. Primæ igitur partis hic eſt ſenſus. Secunda pars ſignificat corpora vacua ſiccari à ſommo multo. Nimirũ corpora, quæ multum cibi capiunt, aut alioqui crudis ſuccis plena ſunt, velut voraces homines, & vrſi ſomno longo pin-

---

Rigidiſſimi cibi ſunt lentes, milium, cucurbitæ.

Galenus carpit hanc ſententiam, quod milium, & cucurbita frigida ſint, non tamen frigidiſſima, ſed milium primo ordine, cucurbita ſecundo, lentes vero ne frigidæ quidem, ſed in hac oppoſitione tenentes medium: fortaſſe autem dixit Hippocrates hæc frigidiſſima, non ſecundum qualitates medicamentoſas, ſed vt alimenta. Nimirum vt à Galeno dicitur tertio de temperamentis, omne alimentum quà alimentum eſt calidum, non quidem quod qualitatem augeat, ſed D quod ſubſtantiam calidam, hoc eſt ſanguinem & ſpiritus reponat. Illud ergo quod alimenti præſtabit plurimum, erit hac ratione calidiſſimum, & quod minimum, frigidiſſimum. Sunt vero lentes, milium, & cucurbitæ, cibi minimi nutrimenti, & pauciſſimi ſanguinis, quare vt alimenta, omnia ſunt frigidiſſima

---

Vlcera exoriuntur, ſiquis impurus exercitatione vtatur.

Non temerè iubere oportet, vt homines ſeſe laborandò exerceant, ſi enim ſunt pleni, à laſſitudinibus, & febribus, aut inflammationibus E multis & magnis, aut vaſorum rupturis periclitantur: ſi immundi, ſuccis bilioſis aut ſalſis, his in cutem diſtractis, & eam corrodentibus, vlcera multa fiunt. Si ſuccis pituitoſis, & craſſis, lentiſque fiunt renum, aut hepatis obſtructiones, & tumores ſcirrhoſi per corpus. Euacuandum igitur prius, & incidendum, & expurgandum, quàm F homo laboret, atque dum laborat, victus rectè inſtituendus. Nam qua ratione, ſi immundus laboret, vlcera oriuntur, eadem etiam orientur, ſiqui laborat, alioqui non immundus, vtatur cibis mali ſucci, acris, aut ſalſi.

Si mulier aut capra elaterium vel cucumerem ſylueſtrem comederint, pueri etiã purgãtur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 359 sur 489

Continent hæc verba optimam quandam rationem expurgandi lactantes infantes, quâ medici frequenter vtuntur, dato ſcilicet pharmaco ipſi nutrici, quia lac induit expurgatoriam medicamenti facultatem. Si igitur mulier elaterium, hoc, eſt ſuccum cucumeris ſylueſtris, aut aliud quodpiam medicamentum expurgans accipiat, aut capra depaſta ſit cucumerem ſylueſtrem, aut tithymalum, aut ricinum, aut cyclamen, aut aliam eiuſmodi herbam, & eius lac detur infanti, purgabitur infans. Duabus cauſis euenit nutricẽ purgare, aut vt infans ſimul purgetur, cum ſcilicet ſimili cacochymia laborant ambo, aut vt ipſa ſolùm purgetur, quo purgatum lac deinceps præbeat infanti, cum ſcilicet infanti adhuc ſano datur nutrix cacochymia aliqua laborans. Cùm vis, vt ambo purgentur, fac vt nutrix, dum purgatur, lactet infantem; cum autem purgas ſolam nutricem, ne lactet donec purgationis motus conquieuerit. Alia eſt huic præceptioni proxima cautio, vt qui neceſſitate quapiam capræ lacte vtitur, eam cuſtodiat, ne qua maligna herba veſcatur. Nam ſi tabeſcens vtatur lacte (ita vt fit) & capra aliquam dictarum herbarum depaſta ſit, ſoluetur aluus, quo tabeſcentibus nihil eſt nocentius, atque adeò qua ratione lac accipit expurgatoriam facultatem, accipiet deleteriam, ſi quid tale capra guſtauerit. Narrat enim Galenus in Doride, Bœotia, & Theſſalia, atque etiã Athenis, multos conuulſione correptos eſſe eſu coturnicum, quæ veratro veſcebantur.

C *Alido corpori cibus eſt interna refrigeratio, exteriùs verò lædunt Sol, ignis, & veſtes tempore æſtiuo: contraria verò contrario modo ſe habent.*

Videtur his verbis dici, calido homini vtile eſſe, eo quod comeditur refrigerari interiùs, exteriùs verò calefieri labore, ſole, igne, & veſtibus, in tempore æſtiuo; frigido contrà, vtile ſcilicet eſſe calefieri intus cibis, abſtinere verò à labore, & ſole, & igne, & veſtibus in æſtate: ſeu potiùs iuuari quiete, vmbra, & nuditate in hyeme. At verò repugnat hoc ſententiæ decimæquartæ ſectionis 4. qua Hippocrates dixit, Calido naturâ refrigeratio, potus aquæ, quieſcere conuenit. Od id Galenus hanc ita interpretatur: calido vtile eſſe cibo & potu intus refrigerari: laborem autem afferre, & noxium quiddam eſſe exteriùs calefieri ſole, igne, & veſtibus, præcipuè in æſtate: frigido contrà. Itaque calidus iuuatur frigidis, & læditur calidis; frigidus contrà iuuatur calidis, & læditur frigidis. Hunc ego ſenſum ſequor, ſatius enim eſt interpretationem eſſe duram quàm falſam.

C *Iborum alij quidem celeriter vincuntur, alij contrà.*

Alimentum nomen eſt rei victæ, non vincentis vt Ariſtoteles, & Galenus dicunt, quia ſuperatum nutrit; cum autem ſuperat, corrumpit, & morbos facit. Quod ergo facilè, ac citò nutrit, citò vincitur, & coquitur, contrarium, contrà. Eſſe verò cibos qui facilè coquantur, alios qui difficulter, eiúſque cauſam in ſubſtantiæ modo conſiſtere, quòd tenuia faciliùs, craſſa difficiliùs coquãtur, res eſt notiſſima. Iuxta quam, ſcriptum eſt ab Hippocrate illud. Eorum quæ velociter nutriunt, & quæ tardiùs: & illud, quicunque velociori appoſitione indigent, ijs humidum ad reficiendas vires medicamen optimum eſt, quicunque verò adhuc velociori, per olfactum: qui autem tardiore, ſolido alimento vtantur. Nimirum, quod forma ſolida accipitur, vincitur tardiùs, quàm quod liquida, & eadem ratione oua aſſatione durata, aut frixa tardiùs quàm ſorbilia vincuntur, & quæcunque, aut naturali mixtura, aut artificioſa præparatione ſunt ſolidiora.

SECTIO SEXTA.

C *Arnes attrahunt ex ventre & extrinſecus. Senſus ipſe ſignificat totum corpus eſſe expirabile & inſpirabile.*

Omnino eſt hæc eadem ſententia, & quam libello de alimento ſcripſit his verbis. In pilos alimentum, & in vngues, & in extremam ſuperficiem intrinſecùs peruenit; extrinſecùs alimentum ex extrema ſuperficie ad intima peruenit. Confluxio vna, conſpiratio vna. Vtrobique enim dicitur, alimentum trahi poſſe ab intima corporis parte, extrorſum vſque ad extremam ſuperficiem, & ab externa cute, introrſum vſque ad intima, non aliter atque per inſpirationem, & expirationem agitur introrſum & extrorſum motus. Quod quidem eſt, eſſe corpus confluxile, & conſpirabile. Confluxile quidem dicitur propter humo-mores, conſpirabile propter ſpiritalem ſubſtantiam, quæ inſpiratione, & expiratione, atque dilatatione, & conſtrictione arteriarum trahitur, & expellitur. In hanc igitur ſententiam dicit nunc, carnes tractrices eſſe, hoc eſt, vim attractoriam habere ex ventre (hoc eſt, ex profunda corporis parte, atque præcipuè ex eo, qui peculiariter vocatur venter, in quo cibi coquuntur) extrorſum: & extrinſecus introrſum: eſſe autem tales quoſdam motus (extrorſum ſcilicet & introrſum) naturalis nobis ſenſus indicat: ſentimus enim aperte expirationem & inſpirationem, quæ quidem motus quidam tales ſunt. Hec verba, & quæ in libello de alimento ſcripta ſunt, videntur ſapere antiquatam opinionem eorum qui putant, vſum reſpirationis eſſe diſtributionem alimentorum. Verum quoniã Hipp. placitis id non congruit, ſed alimenti diſtributionem per facultates naturales diſpenſari, haudquaquã in eo ſenſu accipienda ſunt: ſed carnes attrahere vndique alimenta quidem per naturales facultates; aërem verò, & ſubſtantiam quamcũque halituoſam per reſpirationem & pulſus. Ambo enim hæc cõmuni appellatione vocantur, expirationes, & inſpirationes. Hac ratione, ſi quod venenum ingeſtũ eſt, aut etiam cuti affixum (quædam enim etiam ita necant) tantò citius ſolet interimere, quanto

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 360 sur 489

hor_o calidior, ac maiori pulſu eſt, quia pulſu attrahitur. Hoc etiam facit, vt admota cuti medicamenta internis partibus non leuiter proſint, quæ niſi carnes eſſent tractrices prodeſſent nihil: hac quoque cauſa cẽſeo non eſſe vanum aliquando, res nutrientes exterius admouere.

Calidior venula ſanguinis multitudine exuſtum quid procreat, & illicò ſecernit.

Quidam (vt Galenus narrat) interpretabantur hæc verba de febris ardentis generatione, quaſi diceretur, venas ſolito calidiores, ex ſanguine reſtundanti procreare bilem, eamque poſteà ſecernere, atque vomitu, aut deiectione reijcere, ponit enim Hippocrates ipſe, in libro de ratione victus acutorum, in ſignis febris ardentis deiectiones liquidas, ſeroſas, & valdè pallidas. Non eſt certè ſenſus hic omnino ſpernendus. Nam id quod dicitur, nihil congruere cum proxima oratione, ſiue quæ antecedit, ſiue quæ ſequitur, nihil moror, euenit enim toto hoc opere fere ſemper. Galeno vero placet (quod non minùs probo) ſecundùm proximam ſententiam hanc orationem eſſe ſcriptam, continereque vſum conſtrictionis pulſus: dixiſſe enim cenſet Hippocratem anteà vſum dilatationis, carnes ſcilicet dilatatione trahere, nunc dicere vſum conſtrictionis, ſcilicet expellere fuligines. Dicit igitur calidiorem venulam vocari arteriam exuſtum vocari fuliginem: itaque dicere arteriã ex ſanguine gignere fuligines, háſque illico compreſſione excernere. Certè vterque ſenſus eſt verus, & conſentaneus.

Et quibus quidem pingue ineſt, bilis flaua gignitur; quibus verò ſanguis, atra.

His verbis nihil ſignificatur aliud, quàm quod Galenus dicere ſolet, ſanguinis, quum vritur aut putreſcit, tenuem partem abire in bilem, & craſſam in melancholiam. Nam oratione decima tertia ſectionis 5. cum Hippoc. diceret, bilioſum autem à pingui, oſtendimus pingue ab eo vocari tenuem partem ſanguinis: ſanguis igitur vocatur nunc reliqua ſanguinis pars excreta pingui: craſſa igitur: itaque tenuis pars abire dicitur in bilem flauam, craſſa in atram.

Qui frigidior eſt, frigido anni tempore & regione calidior erit.

Mihi quidem videtur ſonare hæc vox, idem quod aphoriſmo illo dicitur, ventres hyeme, & vere calidiſſimi ſunt naturâ: ſcilicet, qui tempore, & regione calidis eſt ventre frigidior, frigido tempore & regione calidior. Cauſa dicta eſt in eius aphoriſmi cõmentarijs. Præter hunc videtur ſe inſinuare alius ſenſus, quem Galen. ſequitur, ſcilicet eum qui ſit naturali temperamento frigidior, frigido tempore & regione calidiorem fieri.

A Quod videtur rurſum intelligi poſſe duobus modis, calidiorem eſſe, quàm tempore & regione calidis, aut quam is qui ſit naturâ calidior. Videtur autem vtrũque falſum. Nam ſi rectè à Galeno in commentario aphoriſmi ſecundi ſectionis 3. dicitur. Ad æſtatem frigidas, & ad hyemẽ calidas naturas optimè affici, malè verò contrà, cõſtat frigidiorem naturam calidiorẽ fieri æſtate, quàm hyeme, alioqui haberet ad æſtatẽ deteriùs & ad hyemem meliùs: atque adeo conſtat frigidiorem naturam hyeme eſſe frigidiorem, quàm naturam calidam, alioqui frigida haberet meliùs hyeme quã
B calida: at vero natura frigida habet hyeme deteriùs quàm calida, & deteriùs quàm æſtate, ergo vtcunque intelligatur, videtur falſum eſſe quod hic dicitur. In commentario aphoriſmi citati ex prima particula dixi, etſi pleriſque hominibus eſſent hyeme ventres calidiores, non tamen omnibus, debere_n. excipi eos, qui ſunt naturâ valdè frigidi, tales enim toto corpore habere deterius in hyeme, & gracileſcere, refici vero in æſtate: hinc fit, vt cùm Hipp. dicit, naturarũ hæ quidem ad æſtatem, hæ vero ad hyemem bene maleue ſe habent, &
C Gal. interpretatur frigidos ad hyemem habere deterius, id quidem non de omnibus frigidis intelligi, ſed de ijs, qui tales admodum ſunt: nam qui tales ſunt mediocriter, retroceſſu caloris fient hyeme calidiori vẽtre, atque ob id habebunt ad pleraque melius. Non tamen perinde de calidis dicere poſſis. Nam omnes, qui ſupra mediocritatẽ ſunt calidi, frigido iuuantur tempore, quia tale tempus naturalem caloreẽ auget, & morboſum extinguit. Vnde ſequitur, vt multo plures ſint, qui hyeme iuuentur, quàm qui æſtate. Nam & calidi omnes, & frigidorum multi. His dictis arri-
D det multo magis prima interpretatio, frigidior ideſt, qui æſtate eſt ventre frigidior, frigido anni tempore, & regione eſt calidior. Nam omnes calidi, & qui non ſunt vehementer frigidi, per æſtatem ſunt ventre frigidiores, atque hi omnes ſunt hyeme calidiores: qui verò non ſunt hyeme calidiores, quia ſunt naturâ frigidiſſimi, illi neque æſtate ſunt frigidiores, ſed tunc velut reuiuiſcentes, caleſcunt nonnihil. Quod ſi tamen non placet ſuppleri vlla verba, ſed ſimpliciter dici eum qui eſt natura frigidior, hyeme fieri calidiorem, id in-
E telliges de frigido, qui non eſt admodum talis, intelligeſque eum eſſe hyeme calidiorẽ quàm æſtate: calidiorem verò eſſe in hyeme, quàm alios homines qui ſunt naturâ calidiores, haudquaquam potes intelligere, niſi velis dicere calidiorem eſſe, ideſt, minùs dolere à frigore, & frigoris eſſe patientiorem. Hoc enim ita habet, nimirum corpora frigida denſa etiam ſunt, & calida rara; ob idque denſa & frigida hyeme frigoris moleſtiam minùs ſentiunt, videnturque eſſe calidiora, quàm rara & calida, quamquam revera non ſunt. Itaque ſi vis illud ἐνψυχρόπρος accipere, non quòd talis reuera ſit, ſed quòd exiſtimetur, aut etiam par-
F tibus externis (nam vt calidus & rarus internis, ita frigidus & denſus externis calidior eſt, quia detinetur ad obſtructam cutem effluuium calidũ) potes conferre natura frigidum cum naturâ calido. Prodeũntque iam ex dictis tres præſcriptæ orationis ſenſus veri, & nihil diſſonum habentes.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 361 sur 489

IN doloribus proximum ventrem expurgare, ſanguinis verò ventrem ſcindere oportet. Conueniunt vſtio, ſectio, calefactio, refrigeratio, ſternutamenta, plantarum ſucci ſecundùm variam illorum facultatem, & cyceon: malignis medentur lac, allium, vinum ferue-factum, acetum, ſal.

Refert Hippocrates hic multa & varia, neque ea quidem æqualia dignitate & viribus, quibus dolorificæ paſſiones ſolui poſſunt. Non quidem quòd in vllo dolore vtendum his omnibus ſit, ſed quòd in quouis horum aliquo, aut alio ſimili. Imprimis refert quæ ſunt maxima, ac præcipua, expurgationemque, & miſſionem ſanguinis: eſt verò in vtraque harum euacuationum ſeruanda rectitudo. In doloribus (inquit) proximum ventrem expurgare. Eſt duplex venter, per quem vacuare poſſis, inferior, qui & aluus vocatur, & ſuperior, quem vocamus ventriculum: horum verò vacuandus is eſt, qui dolẽti parti eſt proximus: quibus autem partibus, qui venter dicatur eſſe proximus, explicatur aphoriſmo decimooctauo ſectionis quartæ, quo ita habetur. Supra ſeptum tranſuerſum dolores qui purgatione indigent, per ſuperiora purgatione indigere ſignificant: quicunque verò inferiora moleſtant, per inferiora. Itaque in doloribus proximus venter eſt purgandus, quia ſi dolor ſit ſupra ſeptum tranſuerſum, vomitu expurgandum, ſi infra, deiectione. Sanguinis quoque ventrem, hoc eſt, venam ſcindere oporret, ſeruata etiam rectitudine ſuperiorum cum ſuperioribus, inferiorum cum inferioribus, dextrorum cum dextris, & ſiniſtrorum cum ſiniſtris, vt alibi non ſemel explicuimus. Neque obſtat, quod ob coxæ dolores, & vuluæ, & coli vomitus cietur, & ob cephalalgiam, & hemicraniã expurgatur aluus. Hæc enim ſunt prius agenda ob reuulſionem, illa poſteriùs ob curationem. Poſt totius corporis vacuationes quæ antecedere debent, accedendum eſt ad locales curationes, quæ igne, aut ferro, aut medicamento agũtur. Quæ tria enumerat Hippocr. non quo ordine agenda ſunt, ſed à maximis procedens ad minima. Nam vt in aphoriſmo dicitur medicamento primùm, deinde ferro, poſtremò igne tentandum eſt curare. Hic verò ab vſtione ſectionem nominat, deinde medicamen. Vſtione ad coxæ doloris curationem vtebatur Hippocrates. Sed & ob aliarum partium rebelles dolores, ea vti conſueuimus, aliquando ad intercipiendas in via fluxiones, aliquando ad deriuandum in proximas partes materiam. Sectio autem curat omnes dolores, quos parit aliquid in alto putreſcens, quod educi poteſt. Medicamentorum dolores ſedantium duplex eſt genus, quædam enim ſunt mediocriter calida, quæ proprijſſimè ſunt anodyna; quædam frigidiſſima, quæ dicuntur etiam anodyna, ſunt autem ſtupefacientia: dicit ergo, calefactio, refrigeratio: addit ſternutamentum, quod ſanè per ſeſe leue auxilium eſt, neque niſi ad exiguos capitis ex flatu dolores ſedandos ſufficiens; tamen inter alia ſternutatorjs etiam vtimur, ad diſcutiendos maximos capitis affectus. Addit, plantarum ſucci ſecundùm variam earum facultatem. Conſtat non in ſolis plantarum ſuccis vires medicamentoſas eſſe, neque vim anodynam, ſed in alijs omnibus plantarum partibus, & in multis etiam terræ generibus, & metallis, & animalium partibus: quare vt vnum quoddam medicinalis materiæ genus nominauit Hippocr. plantarum ſuccos: dicens verò ἐφ' ὧν τὴν δύναμιν ἔχουσι, videtur leue quiddam, & quod nullius momenti eſt dicere, nam omnia medicamenta admouenda ſunt ſecundùm eorum facultatem. Nam contra eorum facultatem, quorſum qui eis vtatur? Innuit autem Hippoc. illis verbis, quod libro quinto de ſimplicium facultate à Galeno indicatum eſt, eſſe facultates quaſdam quæ reſpiciant certa quædam membra, neque indifferenter medicamenta omnia omnibus partibus admouenda, ſed quædam habere vires pro capite, quędam pro ore, quædam pro hypochondrijs, atque adeò inde accipere nomen, vocarique alia cephalica, alia ſtomachica, alia hepatica, aut ſplenitica. Docet itaque Hippocrates, ſiue calidis ſiue frigidis ſit occurrendum, deligẽda ſemper eſſe, quæ dolenti parti rectè accommodentur. Κυκεὼν, interprete Galẽno, erat polenta quædam ex vino & farina, conſtat eam aliquando ſolitam accipere ſalem, aliquando ſecus, quandoquidem libro ſecundo de morbis mulieribus dicitur, cyceonem bibat non ſalſum. Itaque commendatur ad dolores vini potus inſperſo farinæ polline; quod quidem conſonum eſt illi aphoriſmo quo dicitur, dolores oculorum vini potio ſoluit, qui ſuo loco enarratus eſt. Tantum hic adijcitur farina. Quod quidem vt Galenus in commentario dicit tutius eſt, quam ſi quis ſolo vno vtatur. Quia vt mentis alienationem, & capitis grauitatem, & alia omnia mala magis facit vinum, ſiquis eo ſolo vtatur, quàm ſi cum cibis, aut à cibo, ita & fluxiones magis auget. Itaque ſi quando dolores oculorum, aut alterius cuiuſpiam partis vino curare tentandum ſit, cyceone id faciendum potius aut à cibo, quàm ieiunio dandum merum. Hæc dicta ſunt pro doloribus citra malignitatem vllam, aut venenoſam qualitatem concitatis. Apponit deinde quædam, quæ ſunt antidota malignorum, hoc eſt dolorum pendentium ex cauſa maligna, vt ex veneni potu, aut morſu venenati animalis. Hæc ſunt, lac allia, vinum feruefactum, hoc eſt, perfectè coctum, ne ſit muſtum (feruefactione enim perficitur) acetum, & ſal. Commendatur à Galeno 2. de antidotis ex Aſclepiadis ſententia lac ad eos, qui herbam Apollinarem biberint, aut leporem marinum ediderint, aut dorycnium, aut bupeſtres, aut cantharides, aut ceruſam. De allio hæc ſcripſit Dioſcorides, contra viperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi prodeſt, ita vt non aliud magis ſi cum vino iugiter aſſumatur, aut tritum in eodem ebibatur. Contra rabioſorum morſus, & illitu, & cibo valet. Vinum antidotum eſſe dicitur, eodem loco libri de antidotis, cicutæ, & coriandri, & toxici, & fungorum. Acetum ad concretum lac, & ad epotum taurinum ſanguinem. Sal ſolus non datur, ſed in muria contra hirundines, injicitur in thericam Apollonij. Sic autem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 362 sur 489

vtiliſſimus eius vſus in externis partibus ſcarificatis, vt putredo prohibeatur, & abſumatur venenum.

HOmo ex itinere defeſſus, debilitatus & grauatus expuit, tußiebat enim ex vertice. Febris eum corripuit acuta ad manum nonnihil mordens. Secunda autem die capitis grauitas aderat, lingua exuſta eſt, nares vnguibus exſciſſe ſanguinem non fuderũt. In ſiniſtra parte lien magnus & durus infeſtabatur dolore.

Miror Hippocratem prętermiſiſſe morbi huius euentum, neque dixiſſe, fuerit ne mortuus, an ſuperuixerit: multò magis miror, Galenum voluiſſe ex vrina id diuinare, cùm conſtet morbum hunc fuiſſe lienis inflammationem; vrina verò eorum ſolùm morborum ſit inditium, qui pendent ex ſuccis intra venas & arterias putreſcentibus: ego mallem eum dixiſſe, quo modo haberet pulſus, & reſpiratio, & mens quàm vrina, vt de morbi exitu iudicium ferrem. Sed quandoquidem Hippocrates id non narrauit, vtcumque ſe habeat, nos quæ narrauit interpretemur. Cauſa procatarctica, quâ cœpit ægrotare fuit defatigatio ex longo itinere, vnde grauitatem cum debilitate primùm ſenſit, & expuit tuſſiens ex vertice. Deinde febris illi ſucceſſit acuta, ad manum ſubmordens; ſecundâ die febris ſenſit capitis grauitatem, & exuſta illi fuit lingua, & habebat hypochondrium ſiniſtrum magnum, & durum, & cum dolore, quæ ſigna ſunt propriâ inflammationis lienis. Medici tentauerunt ſanguinem, narem vnguibus ſcalpendo, vacuare, tamen non exiuit ſanguis. Conſentaneum eſt hunc multitudine excrementorum laborantem ingreſſum eſſe iter, id enim maximè ſolet grauitatis ſenſum & debilitatem facere, & fluxiones commouere. Fluxio verò, & diſtillatio ex capite faciebat vt expueret, & tuſſiret ex vertice, hoc eſt, diſtillante acri humore ex ſuprema capitis parte. Id verò non aliter ſignificari poterat, quàm dolore & calore eius partis. Hæc autem omnia per neutram adhuc diſpoſitionem eueniebant. Creſcente magis humorum alteratione, & agitatione, cœpit acute ægrotare lienis inflammatione, & febre continua, cui mox ſucceſſit capitis grauitas, & linguæ vſtio, ob capitis cum liene, atque adeò cum toto corpore compaſſionem, & febris vehementiam. Malum autem fuit exciſſa nare, ſanguinem extrahi non potuiſſe, quia inflammationis internæ magnitudo ſolet eſſe in cauſa, vt non fluat. Interim notaruditatem illius ſeculi, quo vnguibus lacerabant venas in naribus ipſi medici, vt miſſionem ſanguinis molirentur: Nunc ſcalpellis vtimur. Quod dicit ἀειπρὸς σπλὴν, videtur dictum per pleonaſmum, vt dicimus lac candidum ſorbere, quamquam nigrum nullum lac ſit. Veriſimiliùs autem eſſe cenſeo, quod & Galenus coniectat, vitiatum eſſe codicem: legendúmque fuiſſe, naris ſiniſtra vnguibus exciſſa ſanguinem non fudit. Lien magnus, & durus infeſtabatur dolore. Nam ob lienem veriſimile eſt medicos tentaſſe ex ſiniſtra nare fundere; Inde enim maximè expediebat fundi, vt etiam erat grauius inde non poſſe fluere.

QVartanâ laborantes nullo magno morbo corripiuntur: ſi prius autem corripiantur, & quartana ſuperueniat, liberantur.

Dictum eſt ſectione tertia libri primi, ſecuriſſima omnium, & facillima, & longiſſima eſt quartana. Non enim ſolùm ipſa ex ſe talis eſt, ſed & ab aliis magnis morbis liberat. His addit nunc liberare, ſiue pręueniat, ſiue ſubſequatur. Si enim quis quartanâ corripiatur, liberatur ab aliis morbis magnis, qui alioqui ei accidiſſent, ſi verò cum iam acciderint ſuperueniat, illi ſoluntur, inſumptâ ſcilicet materiâ in quartanos paroxyſmos. Galenus hic intelligit nomine magni morbi epilepſiam, & non eſt quidem ea interpretatio parum vtilis. Nam is eſt morbus maximus inter diuturnos, & à quo per quartanam ſolent homines maximè liberari. Verùm quia libro primo plurali nomine dixit, ab aliis morbis liberat, innuens à multis aliis, non ab vno aliquo liberare, idem prorſus vtrobique dici intelligo, atque hic, etſi vtatur nomine ſingulari, ita accipi, morbo magno non capiuntur, quaſi dicat, nullo morbo magno capiuntur, cum præcipuè in aliquibus codicibus ita inueniatur ſcriptum, ὑπὸ πνος μεγάλης νούσε οὐχ ἁλίσκονται, ideſt, ab aliquo magno morbo non capiuntur; Galenus haud dubiè non ita habuit in ſuo codice, ſed ὑπὸ τῆς μεγάλης νούσου, ideſt à magno morbo, atque ille articulus, τῆς, videtur indicare certum quendam. Certè ſiquis certus hic eſt notandus, qui ſoluatur à quartana, nullus potius, quàm quem Galenus dixit, epilepſia ſcilicet.

PRo quibus quinam morbi ſuccedant videndum.

Non parum refert medicum ſcire, pro quibus qui morbi ſuccedere ſoleant, & qui morbi poſt quos bene & ſalubriter fiant, qui malè & lethaliter. Magna enim pars prognoſticæ artis eſt hæc, ad quam pertinent plurima eorum quæ in aphoriſmis, & in prognoſtico, & in aliis libris, de preſenſione ſcripta ſunt. Tractat verò hunc locũ præcipuè libro primo de morbis, vbi imprimis catalogum facit morborum, qui ex aliis fieri ſolent: deinde eorum qui ex aliis quibuſdam neceſſariò fiunt: deinde eorum qui ſalubriter aut inſalubriter ſuccedunt: non quidem omnium, ſed multorum, quibus tu per otium poteris reliqua adiungere, ex aliis locis colligens. Nunc verò tantùm apponamus quę illic habentur. ηι (inquit) in alios tranſeunt, pleuritis in febrem ardentem, phrenitis in peripneumoniam. Verum ex peripneumonia febris ardens non fit. In dyſenteriam teneſmus tranſit, & ad dyſenteriam lienteria conſequitur, ex lienteria in aquam intercutem tranſitus fit: ex pituita alba in aquam intercutem, & à peripneumonia ac pleuritide in pectoris ſuppu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 363 sur 489

rationem. Mala porro malis ſuperuenire neceſſe eſt, velut ſi rigor corripuerit, ardor igneus ſuperuenit: atque ſi neruus diſſectus fuerit, conuulſionem facit: atque ſi cerebrum concuſſum fuerit, ac doluerit, eum qui percuſſus ſit neceſſe eſt mutum fieri, & neque videre, neque audire: ſi verò ſauciatum fuerit, febrem neceſſe eſt ſuperuenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem ſyderatam fieri, ac perire. Si verò exciderit omentum, neceſſe eſt putrefieri. Et ſi ſanguis ex vulnere, aut vena effluxerit in ſupernum ventriculum, neceſſe eſt ipſum in pus verti. Quibuſdam interpoſitis, non ita multò poſt, addit. Talia autem ſua ſponte hominibus in morbis contingunt, tum bona, tum mala. Febricitanti ac bilioſo tempeſtiuè foras diſperſa bilis confert, diffuſa verò ac diſperſa ſub cutem toleratu leuior eſt habenti, & curatu facilior ſananti: diſperſa autem, & ad vnam corporis partem allapſa malum affert. Aluus turbata in pleuritico aut peripneumonico, aut ſuppurato malum portendit. Febrienti aut vulnerato aluus reſiccata, malum denunciat. Subaquoſo aut lienoſo, & alba pituita detento, aluus fortiter turbata confert. Eryſipelas ſi extra diffuſum intro vertatur malum. Si verò intra diffuſum foras vertatur, bonum. Profluuio alui vehementi correpto vomitus ſuperueniens confert. Mulieri ſanguinem vomenti menſes erumpere confert. A fluxione verò infeſtatæ ad nares, aut os fluxionem tranſire, bonum. Mulieri conuulſione laboranti ex partu febrem ſuperuenire bonum. Tetano ac conuulſione occupato igneum ardorem ſuperuenire, bonum. Huc etiam pertinet quod Hippoc. hic dixit, morbos magnos, ac præcipuè epilepſiam quartana ſuperueniente tolli, & multa alia, quæ tum in aliis locis, tum in ſexta particula aphoriſmorum docet Hippoc. quæ omnia huc transferre eſſet longum & tædioſum, cùm liceat cuique per ſe ipſum legere: hinc ſolum diſcemus attentè conſiderandum eſſe, pro quibus quinam morbi ſoleant bene aut malè ſuccedere.

B *Iliſ ſit vt dicebam de auibus, quòd bilioſæ ſint.*

Hæc verba non ſatis perfectam videntur reddere orationem, ſed aut ipſa quidem deciſa eſſe ab aliis, à quibus penderent, aut ab his alia eſſe detracta. Si quid tamen de hac, vtcunque ſcripta oratione, dicendum eſt, mihi videtur nihil aliud continere, quàm aues eſſe bilioſas, atque illis verbis, vt dicebam, referri orationem vigeſimam tertiam ſectionis quartæ, qua dicebatur, terra ſiccitatibus ſqualente, volucrum genus bene habet: quia oratio præſens continet illius cauſam. Nimirum aues terra ſiccitatibus ſqualente bene habẽt, quia ſunt naturâ ſiccæ & bilioſæ.

C *Aliditas acrimoniæ ſignum.*

Quia propria rei acris caliditas, acrimoniæ illius cauſa eſt, calidi autem eſt calfacere, fit vt quæ acria ſunt calorem corporibus inferant, & ita calor acrimoniæ ſignum ſit. Nam etſi acrimoniam, guſtandi facultate quæ in lingua eſt, facillimè ſentiamus, agnoſcimus tamen plurima acria eſſe ante etiam quàm linguæ admoueamus, quod calida vehementer ſint, præcipuè cum partium tenuitate.

Tvrbationes, tranſituſque morborum conſiderandi ſunt, vt quum delirantibus laterum dolores ceſſant: quibuſdam verò etiam febres: quibuſdam vero non, ſed cum ſudoribus, quibuſdam cum pertubatione. Quibuſdam cutis arida, circumtenſa, ſalſuginoſaque efficitur.

Modos omnes quibus ſolet finiri morbus aliquis, complexus eſt Hippocrates hac oratione, proferens exempli gratiâ laterum dolores. Ij ſunt iudicationes & permutationes: atque permutationes, vel in alias principes partes, & morbos graues, aut etiam grauiores prioribus. Vel in cutem, & partes externas. Vocat iudicationes turbationes, quia iis quibus criſis imminet, turbationes accidunt: permutationes vocat tranſitus, quia aguntur ab aliis in alias partes tranſeuntibus ſuccis. Itaque dicit turbationes, tranſituſque, quaſi dicat, duo hæc ſolent finire morbos, turbationes, & tranſitus. Vt aliquando ceſſant laterum dolores delirantibus, hoc eſt, permutantur pleuritis in phrenitidem: quibuſdam verò etiam febres ceſſant, ſcilicet delirantibus, hoc eſt, terminatur febris in phrenitidem. Dicitur autem hoc ſecundũ illam phraſim, quâ in aphoriſmo vſus eſt, dicens. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt delirio ſoluuntur: ibi enim dicitur, febres ardentes quas tremor comitatur, delirio ſolui, quòd in deliria finiantur, tametſi cum ipſa phrenitide adſit etiam febris. Ita etiam nunc dicitur, quibuſdã delirantibus febres ceſſant: nimirum ceſſant eſſe generis earum, quæ febres ſimpliciter vocantur, ſitque phrenitis. Quibuſdam verò (phreniticorum ſcilicet, aut febricitantium) non ceſſant cum tranſitu, ſed cum ſudoribus, quibuſdam cum perturbatione hoc eſt, per iudicationem. Nihil enim aliud eſt iudicatio quàm extinctio morbi affatim facta cum perturbatione, & euacuatione: internis autem inflammationibus, & febribus accommodatiſſima euacuatio eſt ſudor, quamquam iudicantur non rarò etiam per alias euacuationes. Quibuſdam (inquit) cutis arida circum tenſa, ſalſuginoſaque efficitur: hoc eſt, quibuſdam illi morbi finiuntur in ſcabiem, & pruritum curis. Vocatur δέρμα ἁλμυρῶδες, quod tanquam ſale inſperſo mordeatur.

S *Tupefactiones quales ex qualibus fiant videndum, & quales ſint ei cui coxa doluit.*

Quidam per νεφώσεις intelligunt ſtupores medicamentis illatos, vt cum ad dolorem ſedandum medicamentis narcoticis vtimur, atque hæc verba prolata eſſe aduerſus quempiam, qui cura-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 364 sur 489

bat talibus medicamentis coxæ dolorem. Velut facere ſolent quidam medici imperiti, aut nequam, qui cùm idonea ad affectiones dolorificas medicamenta ignorent, aut velint ægroto etiam cum magno eius malo blandiri, vtuntur ſæpe narcoticis, illis enim appoſitis, euenit mox ſedari dolores (quod ægrotantibus eſt gratiſſimum) etiamſi in poſterum affectio maneat deterior. In huiuſmodi medicos cenſent ſcripta eſſe hæc verba. Quaſi dicatur, conſiderandum quales ſtupefactiones, & ex qualibus medicamentis ſint faciendæ, neque faciendæ tales, quales fiebant ei cui coxa dolebat, cuidam ſcilicet, quem fortè medicus quidam curabat narcoticis. Nimirum faciendæ aliquando ſunt hæ curationes, ſed non niſi cũ dolor intolerabiter vrget, & veris anodynis non cedit, neque ex qualibuſcunque medicamentis, ſed ex correctis, & aliorum mixtione temperatis, quale maximè eſt, quod vocatur Philonium. Hic ſenſus verus eſt, ipſis autem verbis non videtur ſatis congruens. Proinde ego in alium feror, intelligóque, ſtupefactiones dici ſtupores quarundam partium: qui, quia diuerſi, & ex diuerſis cauſis eſſe poſſunt, iubet diſtinguere quales ſint, & ex qualibus cauſis, & memoriæ gratiâ mentionem facit cuiuſdam iſchiade laborantis, cui ſtupor cruris accidit, vt ſæpe profectò talibus ſolet. Stupor, vt Gal. dicit, eſt affectio quædam media inter bonam valetudinem & paralyſym: itaque eſt velut inchoata paralyſis. Quanquam videtur mihi communem loquendi modum conſulenti, ſtuporem ob ſenſus, paralyſim ob motus diminutionem potiùs dici: nam reſolutam partem immobilitate & demiſſione agnoſcimus: ſtupidam verò dicimus eam, cui ſenſus eſt hebes, etiamſi motum nulla læſio attingat. Itaque ſtupor accidit aliquando partium ſolùm ſentientium, aliquando etiam mouentium, atque hic aliquando fit ob intemperiem frigidam partium ſtupeſcentium, quia frigus aduerſum eſt omnibus viuentium actionibus, aliquando propter obſtructionem neruorum deferentium ſenſum, vel etiam ſenſum & motum: minorem tamen quàm vt faciat paralyſim: atque hanc obſtructionem aliquando facit ſuccus, qui ipſos neruos occupat, aliquando membra adiacentia, quæ ipſos comprimunt. Diſtinguenda igitur hæc, quia ſi refrigeratio in cauſa eſt, ſolis calorificis occurretur, ſi obſtructio, expurgatione: ſi compreſſio, hanc tollere curabimus. Facit eam ſæpe vicinarum partium tumor ex plethora, & tollitur ſola miſſione ſanguinis. Ijs quibus coxa dolet, ſolet crus è regione poſitum yſque ad extremum pedem ſtupeſcere, ob neruos crurum, qui omnes iuxta ipſum coxæ os ab vltimis lumborum vertebris decurrunt: precipuè verò ob ordinem quartum, qui etiam eſt poſtremus, & maximus eorum qui deſcendunt à lumbis, quia cum tribus ſequentibus ſacri oſſis neruis coaleſcit: is enim ſimul cum arteria & vena magnis, penetrat per foramen, quod ex oſſis ilij & ſacri coarticulatione, velut in hunc ſolum vſum formatum eſt. Euenit igitur propter fluxionem coxæ dolorem inferentem aliquid in neruum redundare, aut à venis, & arterijs, ac carnibus etiam multitudine tumentibus comprimi, atque ob diuerſum affectionis modũ, A quidam ſtuporem cruris, quidam dolorem quendam per totum crus productum, ſecundum illius nerui longitudinem ſentiunt. Cui malo occurrendum videtur ſectione venæ in contrario crure, quanquam niſi crus doleat, ob dolorem coxæ ſecanda eſt in eodem.

PRopter aures, & ex auribus ſæpe moriuntur tertia die.

B Hippocrates in prognoſtico ita reliquit ſcriptum, Aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi difficilis eſt, periculum enim delirij & mortis imminet. Quia igitur fallax hic locus eſt, citò etiam animaduertere omnia alia inditia à prima die, neceſſe eſt. Natu minores ſeptimo die, aut citiùs ab hoc morbo interimuntur: natu verò maiores multò tardiùs. Gal. in commentario inquit, Multi interimuntur per dolores aurium vehementes, in conſenſum perducto cerebro. Quo circa nonnulli ægroti delirant, necnon C aliqui repentè moriuntur, in eundem modum quo apoplectici, quoties in cerebrum decumbit vniuerſa dolorem aurium committens fluxio. His conſona eſt præſens oratio. Nimirum Hipp. dixit ſeptimâ die, aut citiùs mori, & Galenus explicans quantò citiùs mori ſolent, dicit, nonnullos breuiſſimè ac repentè, illud nunc definitè dicitur, tertiâ die. Hoc enim eſt breuiſſimè mori, cùm tertia ſit prima decretoriarum. Itaque mihi hęc oratio nihil aliud ſignificat quàm locum hunc adeò eſſe fallacem, & periculoſum, vt nonnun- D quam ex eius dolore contingat mori intra primum quaternarium. Id quod eſt veriſſimum, quia facillimè inde ſerpit in cerebrum malum, & homo conuellitur. In quodam fragmento cõmentariorum, quæ quaſi nunc denuo inuenta, ſub Galeni nomine nupperrimè ſunt in lucem edita, dicitur, illud ex auribus ſignificare fieri ex primario auriũ affectu, propter aures per conſenſum. Quod ſcilicet aliquando eueniat mori ob ipſam aurium affectionẽ per ſe, aliquando tracto cerebro in conſenſum. Mihi verò non videtur fieri poſſe, vt ob non videtur fieri poſſe, vt ob paſſionem vllam au- E ris moriatur homo tertia die (imo verò nec vt moriatur omninò) niſi cerebrum in compaſſionem trahatur. Quapropter geminationem illam verborum, propter aures, & ex auribus, illud potiùs ſignificare intelligo, propter aures mori homines tertia die, non tamen proximè, ac per ſe, ſed quod ex auribus malum incipiat, refundatur verò in cerebrum.

F *QVibus cutis arida & dura intenditur, ſine ſudore: quibus verò laxa eſt, ij cum ſudore moriuntur.*

Cerrò ſi quibus cutis intenditur, moriuntur ſine ſudore, & quibus laxa eſt cum ſudore: fit vt omnes ægroti moriantur: omnibus enim ſunt cutes laxæ, aut intentæ, ſiquidem hæ ſunt contrariæ diſpoſitiones. Non eſt igitur hoc quod docet, ſed cùm ex alijs ſignis conſtet hominem eſſe lethali-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 365 sur 489

ter affectum, cognoſcere ex his, ſitne cum ſudore, an ſine eo moriturus. Cum verò dixerit in prima orationis parte, cutes intentæ, aridæ, & duræ, quaſi tres hæ ſint diuerſæ qualitates, conſtat in ſecunda quoque parte, etſi tantùm dicat, quibus verò laxæ, ſuppleri debere humidæ, & molles. Nam reddi debent tribus illis contraria. Non eſt autem vnum pluribus, ſed vnum vni contrarium, vt millies dicit Ariſt. Prætereà quia laxæ tantùm cutes fieri poſſunt ob ſiccitatem, & extenuationem: nam vt dicebatur ſectione tertia huius ſexti, omnis extenuatio laxat cutem, deinde circumtenditur: laxæ verò, & humidæ, & molles, non niſi ob humiditatem extrorſum vergentem fieri poſſunt, quare illæ differentiæ meritò ſignificant ſudorem, atque in morituro mortem cum ſudore: contrariæ verò humoris in cute vacuitatem, ac proinde neque ſudorem futurum ſed ſine eo moriturum hominem, ſi alioqui ſit moriturus. Hæc eadem ſententia ſcripta eſt eiſdem ferè verbis in ſectione quinta aphoriſmorum iuxta calcem.

IN morbis doloſis & vagis mutationes proſunt: in his mutationes fieri debent ad loca opportuna, antequàm vitium aliquod ſit contractum, vt Cherioni accidit.

Morbi παλίμβολοι ſunt, qui cum videantur eſſe ſedati, aut etiam ſoluti, redeunt, præcipuè ſi id ſæpe fiat, vt accidit Cherioni, qui fuit quintus ægrotus libri tertij. Illi enim, vt licet tibi illuc redeunti legere, ter viſus eſt à febre liber, & totidem habuit recidiuas. Monet nunc Hippocrates, vt in talibus ſi quam oporteat facere mutationem, velut in locum alium, aut in aliam domum, aut tale aliquid huiuſmodi, quod magis deceat, id cito facere, dum ſubleuati videntur ægroti, antequàm euadant deteriores morbis malignis redeuntibus. Velut ſi fortè Cherionem iter agentem in diuerſorio febris corripuiſſet, fuiſſet ſanè ſatius in domo ſua ipſi ægrotare, atque ita in domum mutari decens, non fuiſſet autem expediens id facere, dum febris erat vehemens, & dolor capitis maximus, neque poterat dormire, & conuulſionibus tentabatur, & delirabat. Eſſet autem faciendum die octaua, aut ſeptima mox ac ſoluta eſſet febris, neque expectandum donec die nona rediret. Huc etiam ſpectant quæcunque alia ægrotos facere decet, neque tamen vigentibus morbis fieri poſſunt. Nimirum quicquid ægrotus ſit facturus, aut quæcunque mutatio circa eum tentanda ſit, ſi morbus quem alioqui malignum & fallacem eſſe ſuſpiceris, die aliqua ſubleuatus eſſe videatur, arripienda occaſio eſt, faciendumque quod deceat, ne fortè re infecta ægroti euadant deteriores. Velut ſiquis ægrotaret vt Cherion (non eſt enim quod recedamus ab exemplo) qui cœpit tertia die delirare, & vſque ad octauã non reſipuit, & præoccupatus eſſet delirio antequàm peccata ſua eſſet confeſſus, aut bonorum ſuorum hæredes deſignaſſet, profectò ſtultitiæ eſſet magnę, niſi mox ac reſipiſceret id faceret, antequàm ſcilicet malum reuerteretur. Ita etiam ſi quæ alia mutatio facienda ſit. Fiant autem illæ tantum mutationes, quæ ad decentia ſint. Nam neque cum antea iuberet Hippocrates per morbos longos mutare ſolum, quamcunque ſoli mutationem commendauimus, ſed eam quæ eſt commodior ad cuiuſque morbi curationem. Itaque hac oratione nõ cõmendat vllas mutationes, qui ſect. 3. huius ſexti ita ſcripſerat, Mutationes eſſe cauendas, ſed docet, ſi quam facere deceat aut omnino oporteat, quam morbo vigente facere non liceat, ſi quam remiſſionem is indicet, non eſſe præſtolandum, donec fortaſſe reuertatur peior, ſed in occaſione faciendum. Sed rogabis quæ cauſa erit, vt timeam; cum morbus ſolutus videtur, fore vt reuertatur? Certè ſi non videatur ſecũdum rationem ſolutus, iuxta id quod in aphoriſm. dicitur, Non eſt fidendum bonis quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talium durare non ſolent, velut Cherioni febris maxima, & maligna ſine concoctionis & ſine iudicationis vlla indicatione, ſoluta eſt die ſeptima, redijt verò nona. Artis tamen medicæ placitis magis conſonus ſenſus erit, ſi intelligatur hæc ſenrentia de humorum metaptoſi, quæ valdè laudatur in morbis, quum fit ad loca conferentia & opportuna, antequàm pars primario affecta labem aliquam contraxerit.

IRritantia ex quibus procedant videndum, in faucium aſperitates terminantur.

Vſum acrium & mordentium, atque adeo extergentium vehementius, denique irritantium dicit finiri in ſenſum quendã aſperitatis in faucibus & larynge, qui vocatur propriè κέρχνος: hac ratione probat Galen. oleum, etſi alias partes videatur lenire, & ſiquis ſit dolor, & quæ laſſitudo tollere, habere tamen aliquid mordax, & irritatorium, quod cum dealbatur deponit. Quia ſiquis illud lingendo accipiat, terminatur eius vſus in κέρχνον: quia τὰ ἐρεθιζόμενα ἐξ ὅλων τὰ κερχνώδεα ὄλεα. Hoc eſt, irritantium vſus κέρχνον facit.

QVibus quod ſanum eſt relinquitur, per inferiora ſubducta cauſa, eos aut purgato, aut deligato, aut eijcito, aut ſecato, aut vrito: quibus verò minimè, nil tale molliendum eſt.

Chirurgi cum partem quampiam putridam aut valdè alteratam curant, eum habent ſcopum, vt vſque ad ſanam partem pertingant, ſecando, aut vrendo, aut medicamentis exedendo. Nunc ergo monet ne prius deſiſtant, quàm vſque ad partem ſanam peruenerint, ſed ſi quod ſanum eſt relinquitur, id eſt, quod ſanum eſt non attingeris, ſed adhuc relinquatur ſub ſordibus, aut ſub parte putri, curationem perfice, deorſum verſus facta ſectione, vt ſanies quæ eius mali cauſa eſt, ſubducatur, aut vſu extergentium purga affectam partem, aut deliga, ideſt vinculo excipe quod emortuum aut alteratum eſt, vt ita excidat, aut exciſum eiice, aut ſeca, ideſt, ſcarifica, aut vre; quibus verò minimè, ideſt quibus ſanũ non relinquatur

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 366 sur 489

tur intactum, ſed ad illud vſque iam ſit curatione peruentum, nil tale moliendum eſt, ideſt, ne facias quidpiam tale, ſed vtere replentibus, aut cicatricem inducentibus, vt res exiget.

QVibus ſanguis fluit multus ex naribus, ſiquidem decolorationes immoderatæ adſint, ijs parum prodeſt; qui autem prærubro ſunt colore, in ijs non ita ſe res habet; & quibus capita facilè tolerant prodeſt, quibus verò ſecùs, minimè.

F. Vbi ego verti, quibus decolorationes immoderatæ adſunt, iis parum prodeſt, habetur in meo codice, οἷσι δὲ ἄχροιαι ἄκριτοι, τούτοισιν ὀλίγα ἀρήγουσιν: in aliis fortaſſe codicibus (non enim in eos incidi) ἀκεόμενος quia quidam vertunt, qui quidem decolores ſunt mero modo: in aliis etiam fortaſſe (nam neque in hos incidi) ἄκρητον τούτοισιν ὀλίγον ἀρήγει, quia quidam vertunt, iis merum modicè datum prodeſt. Prima quidem verſio, quæ Iani Cornarij eſt, ſenſu quidem haud multùm diſtat ab hac mea. Nam decolorationes immoderatas ego dici intelligo, quaſdam mutationes coloris in albidum, & debilitarem, ac naturalis caloris defectum præ ſe ferentem colorem: quales videmus quotidie in iis quibus hæmorrhoides largiter fluunt, aut mulieribus quibus menſes. Tales, etiam dici poſſunt decolores mero modo, quia omni viuido colore carent. Altera autem verſio plurimùm mutat orationis ſenſum, ſignificat enim eis, quibus ob multitudinem fluentis ſanguinis ſublatus eſt color, prodeſſe vinum merum modicè datum: iis verò qui rubri ſunt non prodeſſe, atque rurſum iis, qui firmo ſunt capite, vt meri potum ferre poſſint, prodeſſe; aliis verò ſecus. Mihi verò videtur merum fluente ſanguine noxium eſſe, vtpote quod fluxiones magnopere augeat, atque, ſi timetur ne tentet caput, timendum potiùs eſſe ne ſanguinem agat ſurſum, & faciat effluere abundantiùs: neque ſanè merum talibus dandum eſt, niſi forte in aliquo deliquio animi. Proinde mihi placet multò magis præſcripta lectio, videturque pertinere oratio non ad curatiuam, ſed ad diagnoſticam partem, continereque duo quæ conſiderare oportet, vt agnoſcas an fluxus ſanguinis creber ex naribus conferat. Alterum pertinet ad affectum, vnde naſcitur conferentia, aut contrarium; alterum ad facultatem, vnde tolerantia, aut contratium. Coloris ergo illa ſublatio, ſanguinis penuriam, & ſuccorum in aliam ſpeciem mutationem ſignificat, quare ita affecti miſſione ſanguinis non iuuantur: color verò ruber ſignificat abundantiam ſanguinis, quare eius euacuatione iuuantur. Quoniam autem non eſt ſatis, vt euacuatio iuuet, & eam affectio poſtulet, niſi etiam facultas ferat, conſiderandum etiam, an habeat homo firmum caput an debile. Nam cùm miſſio ſanguinis partes omnes, & omnes facultates quæ noſtra corpora regunt, poſſit debilitare, quæ omnium maximè ſanguinis penuriam perſentiſcit, caput eſt, quia eſt pars princeps & exanguis cerebrum, & ex ſanguine habet animalium ſpirituum refectionem. Vnde natum ſuſpicor maximum illum vulgi timorem ſecandæ venæ cephalicæ, quia, arbitror, intempeſtiuè ſecta cerebro affert noxam ſatis inſignem, quod quidem vbi ea non eſt opus, aut non bene fertur, effluxio ex naribus magis facit, quantò ea pars cerebro eſt propior. Qualia autem ſint capita quę fluxum ſanguinis bene tolerent, dixit Hippocrates in libro ſecundo ſectione 1. cont. 18. vbi ego hunc locum citani, quòd ad illius explicationem plurimum faceret.

QVibus nares ſunt humidiores naturâ, & ſemen humidius & copioſius, hi minùs firmâ vtuntur valetudine, plurimis autem quibus poſt morbum accidit, contrario ſe habet modo.

Hæc ſententia enarrata à me eſt in commentatione aphoriſmi ſecundi ſectionis ſextæ, vt non ſit opus eam rurſum enarrare. Illud ſolum lubet monere, hoc loco manifeſtè deprehendi fragmentum illud commentariorum huius libri, quòd nunc nomine Galeni venditur, legitimum non eſſe. Contrarium enim prorſus ibi affirmatur, atque in commentario aphoriſmi à Galen. adeo vt ſi Gal. eſſe cenſerem, eſſem duo ea loca in libellum de locis manifeſtè pugnantibus repoſiturus, verum ob quamplurima mihi iam id fragmentum videtur ſuppoſititium.

SPuta rotunda delirium ſignificant, qualia erant illi qui in Plinthio ægrotabat, huic fluxit ſanguis ex ſiniſtra nare, & ſolutus eſt morbus die quinta.

Sputum rotundum vituperat Hippocr. in prognoſtico, dicens eſſe inutile: nunc quatenus ſit malum explicat, dicens eſſe adeo graue, vt delirium ſignificet, huius cauſa eſt, quia ſignificat ingens incendium circa partes ſpirituales, à quibus facilè trahitur cerebrum in compaſſionem: velut cuidam in Plinthio accidit, cui reliqua quoque iuxta eandem rationem euenerunt. Nimirum cum raptus eſſet factus in caput, liberatus eſt per fluxum ſanguinis narium: ex ſiniſtra vero, quia fortè fortuna contigit ſecundum id latus laborare magis: die verò quintâ, quia erat morbus acutiſſimus exactè.

VRina multam ſubſidentiam habens ſoluit deliria, qualis fuit Dexippi poſt defluuium capillorum.

Velut hæmorrhoides, & varices, & quæcunque alia, quę ſuccos bilioſos aut atrabiliarios ad inferiora retrahunt, à delirio liberant, ita & vrina in qua multum ſubſidet. Nam ſi verè dicitur in prorrheticis, vrinam in qua tenue quiddam natat ipſamiam minari, certè in qua multum craſſumque reſidet inſaniam ſolui indicabit. Nam vt inſanię ſolutio ipſi paſſioni contraria eſt, ita & tenue craſſo, & ſupernatans ſubſidenti. Rurſum ſi rectè dicitur in aphoriſmo, vrinam albam & tenuem malam eſſe, ſi in

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 367 sur 489

delirantibus appareat, quia ſignificat raptum humorum in caput, erit ſanè in eiſdem bona quæ craſſa. Non autem quæ craſſa ſecundum ſe totam, & perturbata, qualis eſt iumentorum. Nam talis, vt in alio aphoriſmo dicitur, ſignificat dolorem capitis, qui adeſt aut aderit, quare malum minatur capiti: igitur bona eſt in talibus craſſa in qua craſſum ſubſidet. Nam neque flatum & perturbationem ſignificat, quæ in caput eleuet, neque ſuccorum in ſuperas partes raptum, ſed contraria omnia, æſtuationem ſcilicet, & agitationem in venis conquieuiſſe, & ſuccos deorſum retrahi. Hoc dicit accidiſſe Dexippo cuidam poſt defluuium capillorum. Scilicet ille, cum laboraret inſaniâ, defluuium capillorum paſſus eſt primum, deinde multo tempore (pauco enim nihil profeciſſet) vrinam reddens plenam multâ & craſsâ ſorditie, quæ in matula reſidebat, liberatus ab inſania eſt. Neque certè habet hæc narratio quicquam quod non ſit rationi conſonum. Nam defluuium capillorum ſæpe fit per abſceſſum, interno capite in cutem mittente ſua excrementa, eo igitur per cutem proximam expurgato, & maximâ ſuccorum copiâ in inferna retractâ, meritò melius habuit mens.

QVartana non producitur vltra annum.

Quidam vltimas duas voces orationis proximæ, ad hanc reuocantes ſcribunt, poſt capillorum defluuium quartana non producitur vltra annum. Ego verò non video, cur capillorum defluuium liberare poſſit à quartanæ febris longitudine. Nam ſi dicas, quia cerebrum expurgatum eſt, non placet: primum quia quartanæ neque generatio, neque productio refertur ad caput, ſed ad lienem potius, aut totum corporis habitum; deinde quia non ſemper fit defluuium capillorum per abſceſſum, ſed aliquando per redundantiam regurgitantibus excrementis vſque ad verticem: atque cum per abſceſſum fit, non opus eſt vt perpurget interna: fiunt enim plerunque imperfecti abſceſſus: atque ob hæc euenit, vt plerique quibus capilli exciderunt ſint excrementoſiori capite, quàm ij quibus nihil tale accidit, nimirum exciderunt iam multis bis & ter. Ego ſanè eum qui quartana corripitur, non putabo ab eius productione ſecuriorem, quòd paſſus ſit capillorum defluuium, niſi me aliquando experimentum ita docuerit eſſe: hactenus non contigit videre multos quartana laborantes, quibus excediſſent capilli, proinde probo multò magis ſeorſum legi, quartana non producitur vltra annum. Dicit ergo nunc Hippocrates quæ ſit quartanæ conſtitutio. Dixerat enim libro primo, quartanam eſſe longiſſimam, in prognoſtico etiam eam morbi longi exemplum eſſe facit, dicens, eſt etiam quartana febris ex hoc ordine, atque in aphoriſmo dixerat, æſtiuales quartanas eſſe breues, autumnales longas: itaque eſſe alias aliis longiores, tamen eius conſtitutionem definitè non dixerat: neque nunc dicit omnino, ſed vltra annum non prorogari. Itaque æſtiuales non producentur vſque ad annum, neque autumnales vltra. Cuius rei cauſa erit, quòd vt acutæ febres motum ſequuntur lunæ, ita longas ſequi motum Solis eſt conſentaneum: igitur vt acutarum febriũ fines ſunt intra menſem, ita chronicarum erunt intra annum. Atque vt acutæ quædam menſis dimidium, atque aliæ etiam minùs durant; quæ verò menſem ſuperant, ſunt decidentes ex acutarum conſtitutione, ita longæ. In hoc genere ſunt quotidianæ, & quartanæ, quædam dimidium anni durant, quædam menſes duos, & quæ longiſſimæ ſunt, annum integrum: quod ſi eum ſuperant, id quidem fiet ob prauum victum, vel ob ineptam curationem, aut etiam aliquando ob coniunctam viſceris cuiuſpiam intemperiem, eritque ea quartana producta vltra communem quartanæ conſtitutionem. Certè teſtari poſſumus paucas eſſe, quæ in iis qui prudenter ſe gerunt, non intra vnum annum terminentur.

IN aurium inflammationibus eruptiones æſtate fiunt die quintâ, aliquando quidem etiam longiùs producuntur, eodem modo quæ circa gingiuas & nares contingunt ſuppurationes.

De aurium inflammationibus ita ſcriptum eſt ab Hippocrate in prognoſtico, Auris dolor acutus cum febre continua ac forti horrendus eſt. Periculum enim eſt, deliraturum eſſe hominem, ac periturum. Proinde cùm hic locus minimè tutus ſit, citò mentem aduertere oportet etiam aliis ſignis, à prima ſtatim die. Pereunt autem iuniores die ſeptima, & adhuc citiùs ex hoc morbo: ſenes verò longè tardiùs. Nam & febris deliria minùs ipſi accidunt, & hac de cauſa aures anteà ſuppurantur. Verùm his quidem ætatibus recidiuæ morbi contingentes plurimos occidunt. At verò iuniores priùs quàm ſuppuretur auris pereunt. Hæc Hippocrates quibus apertè dicitur, eum affectum adeò eſſe periculoſum, vt plurimi moriantur antequàm morbus ſuppuretur, & ij qui ſuperſunt euadant per ſuppurationem. Nam addit, nam ſi pus album effluxerit, ſpes eſt iuuenem ſuperſtitem futurum. Itaque non ſenes ſolùm, ſed iuuenes etiam, erumpente ex aure pure ſolent liberari, ſenibus verò tardiùs fit pus, iuuenibus verò citiùs, intra ſeptimum ſcilicet, quia niſi præueniant ſuppurari intra id tempus, moriuntur ob ſymptomatum vehementiam. Neque ſolùm ætas, temporis ſuppurandi faciet differentiam, ſed & tempus anni. Omnes enim & concoctiones, & iudicationes citiùs fiunt æſtate quàm hyeme. Si igitur iuuenibus, qui ab hoc morbo liberantur, ſolet ſeptimo erumpere pus aliis temporibus, æſtate erumpet quinto aut etiam citiùs. Quoniam verò ea ætate, & anni parte rarò fiunt tardiùs eruptiones ſuperuicturis, neque hoc perpetuum eſt, ita vt non poſſit aliter contingere, vt neque aliud ferè quicquam in arte, addidit, aliquando quidem etiam longiùs producuntur, addit rurſum: Et quæ circa gingiuas, & ſecundum nares contingunt ſuppurationes: habent ſcilicet ſe eodem modo, & ſunt eiuſdem conſtitutionis. Hoc intereſt, quòd inflammationes circa nares & gingiuas non ſunt adeò periculoſæ, neque ea loca tam fallacia quàm auris.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 368 sur 489

QVibus in dentiũ dolore à ſupercilio tenuia aduenient, his à pipere probè affricto poſtridie prodeunt craſſiora, ſi etiam reliqua non obtinuerint. Nam Hegeſippo ſomniferum ibi non obtinuit, ſed potiùs conuocauit quiddam vehementius.

Commendat Piper ad dolores dentium, ex fluxione tenui deſcendente ex ſincipite (eam enim capitis partem vocat ſuperciliũ per ſynecdochem) vt eo affricto dolenti parti dicat poſtridie deſcendere craſſiora, poſſéque illud ita iuuare etiam, cum ſtupefacientia (quæ tamen cenſentur eſſe poſtrema ac maxima ad ſedandos dolores auxilia) non obtinent. Nam Hegeſippo dicit ibi admotum ſomniferum (nunc ſomniferum vocat ſtupefaciens, quod ſoporiferum diceret proprius) non obtinuiſſe, hoc eſt non effeciſſe id cuius gratiâ admouebatur, ſed potius conuocaſſe quiddam vehementius, hoc eſt, auxiſſe fluxionem & dolorem. Videtur autem conſentaneum intelligere, etſi id Hippocrates apertè non dicat, hunc poſteà curatum fuiſſe pipere. Huius ſanè cauſa fuit, quòd dolorem & fluxionem Hegeſippi excitauerit frigida cauſa, atque ob id ſtupefacientia auxerint paſſionem, atque ea aucta, ob id etiam & dolorem; aut ſi paulò poſt admotionem, ſtupore inducto, dolorem abſtulerint, ita tamen, vt poſteà redierit vehementius, auctâ cauſâ. In eo ergo meritò proceſſiſſet rectius curatio, affricto pipere, per materiæ concoctionem, & attemperationem partis. Nam in materia adeo frigida eſt piper concoctorium, atque ita materiam reddit craſſiorem, cum omnia quæ coquuntur craſſiora fiant. Non igitur hinc debes colligere, omnem dentis dolorem curari melius pipere quàm opio. Si enim intemperies & fluxio ſit calida, contrà fiet, ſed tunc conferre piper coquendo, cum ſtupefacientia non obtinent, quia tunc & paſſio & fluxio frigida eſt. Atqui tunc quoque conſtat, ſi in mittente parte multa ſit redundantia, non poſſe vinci piperis affrictu, niſi prius ea vacuetur, & expurgetur. Intellige igitur piper affrictum facere, vt fluxio vna die craſſeſcat, poſtquàm proſpectum iam eſt capiti, aut cum fluxio non tam copiâ exuperat quàm qualitate frigidâ.

A capite oſſium naturam perpendemus, deinde neruorum, & venarum, & carnium, & aliorum ſuccorum, & ſuperiorum, & inferiorum ventrium, & mentis, & morum & eorum quæ ſecundum annum fiunt, nam quædam aliquo anni tempore præcociùs contingunt vt exanthemata, & quæ huiuſmodi ſunt, ſimili modo accidit in ijs quæ quotidie citiùs aut tardiùs inuadunt.

Naturas hominum, & anni tempora, & ſingulorum dierum partes conſiderare, hac oratione iubet Hippocrat. Naturam quidem quæ eſt in compoſitione, & quæ in temperamento: eam quæ eſt in compoſitione, ex conſideratione magnitudinis ſingularum partium, ac naturalium ſuccorum, & cauitarum: eam quæ eſt in temperamento, ex conſideratione mentis & morum, quia hæc maximè omnium ſequuntur corporis temperaturas. Ergo dicit à capite oſſium naturam perpendemus, deinde neruorum, & venarum. Qui putaret neruos, venas, & arterias originem ducere à capite, atque inde in totum corpus deſtribui, vt libello de oſſium natura docere videtur Hippocrates (ſi modò Hippocratis is liber eſt) & nonnulli veterum ſunt opinati, certè in eam ſententiam acciperet hæc verba, vt oſſium, neruorum, venarum, & arteriarum (nam vno venarum nomine intelligit Hippocrates venas ſanguiflúas, & pulſantes) naturam conſiderare oportet, initio ſumpto à capite, vt à communi illorum omnium radice. Vocatur enim oſſium natura citato libello nihil aliud, quàm ipſorum compoſitio naturalis. Verùm cum conſtet eam non eſſe Hippocratis ſententiam, ſed ſolos neruos oriri ex cerebro, venarum vero radicationem eſſe iecur, & arteriarum cor, conſtat non ita eſſe accipienda hæc, ſed illud à capite, ſolùm eſſe coniungendum cum illis verbis, oſſium naturam, ſignificatique conſiderare oportere naturam oſſium, deinde neruorum, & venarum: oſſium quidem naturam à capite initio facto. Nam capitis oſſea pars eſt velut oſſium radix, à qua produci videtur ſpina, à qua pendent coſtæ, & artuum oſſa: deinde neruorum, initio etiam facto à capite, non tamen illius eadem parte, ſed à medulla, quæ cerebrum vocatur: deinde venarum, vtrarunque ſcilicet, ſanguifluarum, initio facto ab hepate; pulſantium à corde: deinde etiam carnium, muſculorum ſcilicet, quorum diſſectionem noſſe magni eſt momenti. Quoniam verò non partium ſolùm, ſed ſuccorum etiam naturas conſiderat medicus, dicit, & aliorum ſuccorum. Videtur quidem inepta loquutio, cum ſuccorum anteà non meminerit, ſed fortaſſe inſinuat inueſtigandam eſſe naturam aliorum ſuccorum, præter eum qui vnicuique parti proprius eſt. Suo enim ſucco quæuis pars nutritur, & præter proprios partium ſuccos, quorum natura ſimul cum ipſis partibus eſt inueſtiganda, ſunt ſucci naturales & communes quatuor, pituita, ſanguis, & duplex bilis. Et ſuperiorum & inferiorum, inquit, ventrium. Vocat Hippocrates ventres cauitates, & partes naturaliter cauas, ſunt autem duplices: ſuperiores, thorax & ventriculus, inferiores inanis pars ſub ſepto tranſuerſo, quæ peritonæo circumſcribitur, & inteſtina, & vterus, & veſica. Itaque numerum omnium partium, & ſuccorum ſecundum naturam in nobis exiſtentium tenere oportet, quæ omnia pertinent ad corpus: deinde etiam ea conſiderare oportet quæ pertinent ad animum, mentem ſcilicet & mores: quia hęc plurimùm valent ad temperamenti cognitionem, vt Gal. indicauit in arte medicinali, & commentario libri de natura humana, & libello quòd animi mores corporis temperaturam ſequãtur, & alibi ſæpe. Quod verò, & ea omnia, quæ ſecundùm annum fiunt oporteat animaduertere, conſtat, niſi fruſtrà Hipp. ſcripſit huius operis partem magnam, & tertiam particulam aphoriſmo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 369 sur 489

©BIUM

rum, & libellum de aëre locis, & aquis, & ſparſim alia quam plurima. Conſiderandum verò quibuſdam anni partibus quoſdam morbos eſſe familiares, & aliquando ob intempeſtiuam anni, aut alicuius illius partis conſtitutionem, morbos quoſdam fieri citiùs ſolito, vt gratia exempli exanthemata, quæ medio vere fieri ſolent, ſi hyems ſit auſtrina & veri ſimilis, meritò fient citiùs ſolito. Non diſſimilis eſt conſideratio partium diei cuiuſque, & totius anni, quòd Hippocrates ipſe docuit prima ſectione libri ſecundi huius operis non longè à principio, vbi docuit quoſdam morbos citiùs & ſummo mane, quoſdam tardiùs & ad veſperam ſolere apprehendere. Quod idem dicit modò his verbis, ſimili modo accidit in iis quæ quotidie citiùs aut tardiùs inuadunt.

Similiter conſiderandum biliоſum, & ſanguineum corpus fieri melancholicum, niſi habeat euacuationes.

Illud ὡσαύτως ne ita accipias, quaſi ſignificet eodem modo, ſed quaſi ſit particula copulandi. Nam & biliоſum & ſanguineum corpus, niſi habeat euacuationes, fit melancholicum, non tamen eodem modo. Nam biliоſi fiunt maniaci, ſanguinei ſimpliciter melancholici. Quia bilis exuſta migrat in atram bilem, ſanguis craſſeſcens in ſanguinis fęcem. Veriſſimum autem eſt, vtroſque ætatis mutatione fieri melancholicos, ſanguineos in ętate conſiſtendi, biliоſos in media iuuentute, niſi habeant conſuetas aliquas euacuationes quibus præſeruentur, vt biliоſi, vomitus aut diarrhœas biliоſas; ſanguinei, fluxus ſanguinis ex naribus, aut hæmorrhoidas, aut (ſi ſit mulier) menſtruas euacuationes. Scire autem licet, poſſe victus probam inſtitutionem euacuationum vices explere: ſanguineis quidem tenuem, vt minùs ſanguinis proueniat; biliоſis refrigerantem & humectantem, vt vſtio prohibeatur.

Lycino poſtremò ſplen intumuit cum dolore die quarta aut quinta.

Vt ſolet Galen. dicere, quæ ita ſunt prolata, vt conſtare non poſſit quid ſignificent, perinde oportet putare, ac ſi nunquam eſſent ſcripta. Huiuſmodi ſunt hæc verba, non quidem quod obſcura atque inuſitata, ſed quòd mutilata, & ab aliis quæ iam interierunt deciſa.

SECTIO SEPTIMA.

Tuſſes inceperunt circa ſolſtitia hyemalia, aut decimaquintâ, aut vigeſimâ die, ex crebra mutatione ventorum Auſtralium & Borealium, & temporum niuoſorum. Ex his quædam breuiores, quædam diuturniores erant, & poſt hæc peripneumonicæ affectiones contigerunt frequentes. Rurſus ante Æquinoctium pleriſque reuertebantur, vt plurimùm quadraginta diebus ab initio, & quibuſdam breues admodum & iudicatu faciles fiebant: quibuſdam autem fauces inflammabantur. Quibuſdam autem anginæ contingebant; quibuſdã leues partium reſolutiones, quibuſdam nocturnæ cæcitates, maximè verò pueris. Peripneumoniæ autem breues admodum fuerunt: faucium verò inflammationes poſt tuſſim aut parùm admodum protuſſi contingebant, atque hæ breues erant, magis autem nocturnæ cæcitates. Anginæ autem & leues partium reſolutiones, aut durę & ſiccæ erant, aut paruæ & rarò concocta educentes: quibuſdam etiam valdè educebantur. Qui igitur aut voce plus fatigabantur, aut rigore corripiebantur, in anginas ijs tuſſes magis deſinebant: qui autem manu laborabant, manuum reſolutionem ſolùm paſſi ſunt. Qui verò equitauerunt, aut multùm itineris confecerunt, aut alioqui cruribus fuerunt fatigati, his lumborum aut crurum impotentiæ ex reſolutione contingebant, & femorum & tibiarum laſſitudo & dolor: durißimæ autem & vehementißimæ tuſſes erant quæ ad eas partium reſolutiones perducebãt. Verùm omnia hæc in recidiuis fiebant, in principijs autem non admodum. Multis autem horum in medio tuſſes remiſerunt, perfectè autem non deſierunt, ſed cum recidiuâ adfuerunt. Quibus voces abrumpebantur propter tuſſim, horum plurimi non ſebricitarunt, quidam verò breuiter. Sed neque peripneumoniæ horum cuiquam contingebant, neque partium reſolutiones, neq; aliud quicquam ſignificationem præbebat, ſed in voce ſola iudicabantur. Nocturnæ autem cæcitates firmabantur, vt & aliæ quæ ex cauſis procatarcticis ortum habebant; nocturnæ verò cæcitates pueris præcipuè contingebant. Oculorum autem nigræ partes aliquantulum variegatæ erant, quæ pupillas exiguas habebant. In totum niger vt plurimùm oculus erat. Magnos autem potiùs quàm paruos oculos habentibus iſtud accidebat, & plurimis qui rectos & nigros capillos habebant. Mulieres autem non æquè tuſſi laborabant, ſed paucæ etiam febricitant, & harum paucæ admodum ad affectionem perineumonicam deueñerunt, atque hæ ſeniores, & omnes ſuperſtites manſerunt. Huius rei cauſam aſſignabam, quod non ſimiliter ac viri foras prodirent, nec ſimiliter ac viri morbis corriperentur. Anginæ autem acciderunt duabus liberis, atque hæ mitißimi moris: abundantiùs vero ſeruis, & quibus vehementißimæ contigerunt, eas etiam celerrimè peremerunt. Viris autem plurimis obortæ ſunt, quorum alij ſuperfuerunt, alij perierunt. In ſumma ijs qui deglutire ſolùm poterant, mites admodum e-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 370 sur 489

©BIUM

rant & toleratu faciles: qui verò præter hæc loquebãtur obſcuriùs, his & moleſtiores erant & diuturniores: quibus etiam venæ in temporibus & ceruice intumeſcebant, aliquantulum prauæ: quibus quoque ſpiratio ſublimis fiebat, peßimæ erant, hi namque etiam tepeſcebant; nam ſicut ſcriptum eſt, talia erant affectuum conſortia. Qui quidem primò deſcripti ſunt, etiam ſine poſterioribus accidebant; qui verò poſteriùs, non ſine prioribus. Celerrimè moriebãtur quũ febre correpti ſubindè riguiſſent. His ita oppreßis nullũ mentione dignum attulit auxilium, aut alui perturbatio, aut venæ ſectio, aut quicquam eorum quæ tentaui. Venas autem ſub lingua ſecui, quoſdam etiam per ſuperiores partes purgaui. Hæc igitur æſtate omnino acciderunt, velut etiam quæ proruperunt plurima. Primùm quidem per ſqualores ophthalmiæ dolore afficientes populariter graſſatæ ſunt.

Tempeſtatem deſcribit morboſam quæ incepit circiter quindecim aut viginti diebus poſt ſolſtitium hyemale, perducitur autem narratio vſque ad æſtatem eiuſdem anni. Intemperiei & eorum morborum cauſa fuit mutatio ſæpe & repentè facta Auſtralium & Borealium & niuoſarum tempeſtatum. Nimirum eo anno nunc erat tempus placidũ & Auſtrinum, nunc flabat Boreas, nunc etiam ningebat, eáque omnia alternatè & pluries. Exiſtimandum eſt autem eam temporis conditionem præceſſiſſe morbos. Ita enim eſt naturâ comparatum vt cauſa antecedat, id verò quòd ab ea fit ſequatur. Atqui corpora paulatim diſponuntur ad morbos. Cùm igitur morbi inceperint aliquantò poſt ſolſtitium hyemale, fuit quale dictum eſt tempus ab initio hyemis, quod numeratur à pleiadum occaſu, ineunte Nouembri, ac fortaſſe etiam priùs. Mutationes magnæ frigoris aut caloris in temporibus, vt dicitur aphoriſmo primo ſectionis tertiæ, maximè pariunt morbos. Eæ verò quæ ſunt ab Auſtralibus ad Boreales & niuoſas, natæ ſunt facere fluxiones multiplices, vt quiſque eſt paratus hac aut illa parte laborare. Nam per auſtralem conſtitutionem augetur humiditas, per aquilonarem exprimitur pelliturque à parte in partem, perniues refrigerantur & lædũtur partes quædam, præcipuè quæ ſpectant ad pectus & vocalia inſtrumenta, atque proinde recipiunt diſtillationes ex capite, aut etiam fluxiones ex toto corpore, vt certè factum eſt. Quamuis autem ob communem cauſam, magna ex parte ſimilis eſſet in quamplurimis hominibus morbi ſpecies, tamen ob diuerſos corporum apparatus, neceſſariò fiebant nonnullæ paſſionum differentiæ, patiebanturque multifariam, partim diuerſis morbis, commune tamen quiddam habentibus: partim eiſdem, ſed minoribus, breuioribus aut diuturnioribus, boni aut mali iudicij. Primùm igitur cœperunt tuſſes multæ circa ſolſtitium hyemale, quindecim ſcilicet diebus aut viginti, paulo plus minuſve poſt ſolſtitium, deſinente ſcilicet Decembri: & multis ex iis qui tuſſi laborabant degenerabat deſtillatio in peripneumoniã. Et hoc quidem tempore licèt intelligere ex narratione, nondum eſſe hæc mala grauia, leuiter enim percurrit vſque ad tempus recidiuarum, quarum mox facit mentionem. Et merito quidem fit (vt in aliis etiam epidemialibus conſtitutionibus animaduertimus) vt morboſus ſtatus à leuiori incipiens, tractu temporis ingraueſcat. Pleriſque ergo ante Æquinoctium vernum reuertebantur tuſſes. Magna ex parte quadraginta diebus à principio, hoc eſt, circa medium Februarij, quæ vltima hyemis pars eſt, & veris temperiem iam incipit imitari, flante Fauonio. Et quibuſdam erant tunc quoque tuſſes breues & boni iudicij, hoc eſt, ſoluebantur breui, & in nullum malum aliud trãſibant: quibuſdam autem inflammabantur fauces, hoc eſt, partes oris quæ interiacent inter gulam & laryngem: quibuſdã autem fiebãt anginæ, hoc eſt, inflammationes ſtrangulantes, quarum quæ grauiſſimæ ſunt, & citiſſimè ſtrangulant, fiunt intra ipſum caput aſperæ arterię. Alia huic proxima fit in eius muſculis. Dicuntur etiam anginæ eſſe ſpecies, quæcunque in ore, aut tota ceruice ſunt inflammationes; tanto autem minùs propriè, quanto minus ſtrangulant: atque tam latè patente nomine, etiam faucium inflammatio angina quædam dicitur, ſed quia non tam propriè, dixit, quibuſdam faucium inflammationes, quibuſdam etiam anginæ fiebant. Quibuſdã etiã facta ſunt παεσπληκικά, hoc eſt reſolutiones quarundam partium. Nam etſi paraplexia ab autoribus vocari ſoleat, ea ſolùm quæ dimidiati corporis eſt. ſic tamen hic vocari cuiuſuis partis reſolutionem, facilè conſtabit ex ipſa narratione. Quibuſdam autem nyctalopiæ, magis autem pueris. Nyctalopia eſt oculorum morbus, quo laborantes videre noctu nihil poſſunt, ſed mox atque tenebreſcit hallucinantur. Cauſa eſt nimia oculorum opacitas, ob quam niſi in ſplendore magno non poſſunt videre: is morbus fiebat multo magis pueris, quia ſunt humidi & excrementoſi, atque debiles cerebro & oculis. Peripneumoniæ etiam fiebant aliis, & eæ quidem valdè breues: φάρυγξις vero, hoc eſt, faucium inflammationes fiebant poſt tuſſes, hoc eſt, poſtquam homines tuſſi laboraſſent, aliis breui admodum fiebant pro tuſſi, hoc eſt, paulo poſtquam tuſſi fuerant correpti homines, fiebant, tuſſi ceſſante. Erant vero hæ etiam inflammationes breues. Magis autem (inquit) nyctalopes. Si diceret, breuiores eſſe nyctalopes quàm faucium inflammationes, repugnaret ſibi ipſi paulo poſt dicens, τὰ δὲ νυκτάλωπικὰ ἐδρυεν. Intelligere ergo hic eſt conſentaneum, magis autem durabant nyctalopię. Tria mala fuerunt in hac epidemiali conſtitutione difficilia & grauia, facta poſt recidiuas & procedente tempore (nam ante recidiuas, vt diximus, nihil fuit graue) anginæ, paraplexiæ, & nyctalopiæ. Anginæ quod multi ex illis morerentur: paraplexiæ & nyctalopiæ, quod ſolui non poſſent, ſed multis firmarentur, & inueterascerent. Hæc igitur rurſum deſcribit, dicens qualia fuerint & ex quibus occaſionibus initium cœperint, & quos habuerint exitus. Anginæ autem (inquit) & paraplexiæ, aut duræ & ſiccę erant, hoc eſt, per quas nihil excrearetur, etſi eſsẽt magnę: aut paruæ, & raro concocta educentes: quibuſdam autem etiam valdè multa concocta educebantur. Nimirum erant hęc quoque non omnibus equè grauia, ſed aliis plus, aliis minùs. Occaſiones morbo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 371 sur 489

©BIUM

rum deinde narrat, dicens· Qui igitur aut vocibus amplius ſeſe fatigarunt, vociferantes ſcilicet, aut riguerunt, hoc eſt, plurimum frigus ſuſtinuerunt, in anginas magis deſinebant tuſſes, ideſt incidebant ex tuſſi (omnibus enim inceperunt à tuſſi mala) qui autem manibus laborauerunt, ſolis manib⁹ ſunt facti paraplectici: qui verò equitauerunt, aut plurimum iter confecerunt, aut aliter cruribus ſunt fatigati, his lumborum aut crurum impotentię ex reſolutione contingebant, & femorũ & tibiarum laſſitudo & dolor, hoc eſt reſoluti ſunt ſecundum lumbos, & habebant crura reſoluta, idque indiſſolubiliter, ac pertinaciter, & habebant ſecundum femora & tibias laſſitudinis ſenſum, & dolorem. Itaque mouere non poterant crura, ſentiebant autem cum dolore fluxionem in ea decumbentem neruos obſtruere, adeò vt facultas quæ per eos deferretur, motui non ſufficeret: non tamen adeò, vt neque ſenſui. Eadem verò fluxio faciebat vt ſentirent cum dolore. Facta ſunt autem hæc dictas ob cauſas, quia vt dicitur in aphoriſmo, ſi quæ pars ante morbum laborauerit, in eam morbus firmatur. Iam verò frigus externum nullam partem lædere magis poterat, quàm eam per quam inſpiratur aër, refrigerata verò ea pars facilè recipiebat fluxionem, vt alia quæuis quæ ob quamcunque intemperiem debilitata ſit. Addit, duriſſimæ autem & vehementiſſimæ erant (tuſſes intellige) quæ ad eas partium reſolutiones perducebant. Veriſſimile eſt ex vehementiori pependiſſe cauſa, ea quæ maiores conſequerentur abſceſſus. Omnia autem (inquit) hæc quæ grauia & difficilia contingebant in recidiuis, in principiis autem non admodum. Tunc enim, vt dictum eſt, nihil fiebat præter tuſſes, & mites peripneumonias. Et multis horum in medio (hoc eſt inter primas inuaſiones & recidiuas) tuſſes remiſerunt, & ob id viſæ ſunt ſecundæ paſſiones eſſe recidiuæ: perfectè autem minimè deſierunt, ſed perſeuerantes à principio aderant ſimul cum recidiua. Rurſum percurrit ſingula mala, quæ in recidiuis ſimul cum tuſſi aderant, & explicat ſingulorum euentus. Hæc fuerunt, raucedo quædam tanta, vt vox interciperetur, & omnino eam emittere non poſſent (hoc enim vocat vocem tuſſi abrumpi) & nyctalopia, & paraplexiæ, & anginæ. Dicit itaque plurimos eorum quibus voces abrumperentur tuſſi, omnino non febricitaſſe, quoſdam autem febre, ſed breui correptos eſſe, neque peripneumonias neque paraplexias, neque aliud quippiam eis ſucceſſiſſe, & in ſolam vocis interceptionem finitum eſſe malum. Et hoc quidem meritò fiebat, quia quibus per raucitatem vox omnino intercipitur, plurimùm ſucci imbibitur in ipſam aſperæ arteriæ membranam, quæ pars non facilè commouet ſua excrementa, ſed ſuſtinet donec paulatim diſcutiantur. Quinetiam vidimus horum plurimos multùm temporis voce caruiſſe, & in poſterum toto vitæ tempore raucos manſiſſe, durata & indiſſolubili facta paſſione. Fiebat ergo hoc ijs quibus cerebrum non tanto impetu excrementa pellebat, vt in pulmonem truderet aut artus, neque materia erat adeò calida, vt anginam quæ inflammatio eſt pareret, aut febrem cieret, ſed frigida materia lentè pulſa, in ipſa aſpera arteria hæreret febrem non inferens. Nictalopiæ autem firmabantur, ideſt, manebant indiſſolutæ, vt alia quæ ex procatarcticis cauſis fiebant, ideſt, vt paraplexiæ. Dictum enim anteà eſt fieri eas, iis qui manibus laborauerunt, aut equitauerunt, aut iter fecerunt. Itaque dicit & nyctalopias & paraplexias firmatas fuiſſe. Factæ autem ſunt, inquit, nyctalopiæ pueris præcipuè. Huius cauſam eſſe cenſeo humiditatem nimiam cerebri, & omnium capitis partium, quæ in ea ætate eſt: oculus enim eſt exortus quidam ipſi cerebro valdè proximus. Fiebant verò per nyctalopiam nigræ oculi partes (quę ſcilicet inter iridem & pupillam ſunt) variegatæ, ob fluxionem inæqualiter membranæ hærentem: magnâ tamen ex parte tendebat ea pars in nigram, quòd craſſitie influentis ſucci opacus fieret oculus, quod ſpeciem refert nigritiei. Inter ipſos autem pueros illi maximè fiebant nyctalopes, qui erant grandioribus oculis, & habentes capillos rectos & nigros, non tamen qui paruis oculis. Nam oculi grandiores fiunt ob humidam naturam, aut ob calidam; quibus verò calida eſt natura, pili non ſunt recti, ſed criſpi: quibus igitur ſimul ſunt oculi magni, & capilli recti, natura eſt ſine calore humida, quæ parata eſt ad nyctalopias: qui verò ſunt paruis oculis neceſſariò ſunt ſicci, & ob id humidis morbis non capiuntur: eſſe verò ſiccos (niſi materiæ defectus fecerit exiguitatem) vtcunque ſe habeant reliqua, conſtat. Quia ſi ſint oculi parui, & capilli criſpi, erunt ſicci & calidi: ſi verò recti, frigidi & humidi. Vbi dicit Hippocrates μελανότριχες, ideſt capillis nigris, ego cenſeo legendum eſſe (quem etiam errorem alibi in Galeni ſcriptis animaduerti) μεγαλότριχες, ideſt magnis capillis. Nam nigrities capillorum potiùs ſignificat calorem, eſtque contrarium ſignum rectis: magni verò capilli fiunt iis qui ſunt excrementoſi & humidi, quibus etiam fiunt recti, vt in mulieribus videre licet. Itaque fiebant nyctalopiæ pueris habentibus oculos magnos, & capillos rectos & longos: non tamen fiebant habentibus oculos paruos. Videbatur his conſonum, mulieres hac tempeſtate deteriùs habere ſe quàm viros, & crebriùs ac periculoſiùs ægrotare: tamen non ita fiebat, ſed multo pauciores corripiebantur tuſſi, & cum iis quæ corripiebantur agebatur etiam meliùs, quàm cum viris, quia paucæ febribricitabant, & harum rurſum paucæ in peripneumoniam incidebant, & hæ ſeniores, & omnes ſuperſtites manſerũt. Huius rei cauſam ipſemet Hippocrates apertè exponit dicens, id accidiſſe ob euacuationem menſtruam, quæ fœminis eſt familiaris. Ea certè euacuatio à plurimis morbis mulieres præſeruat, & plurimos iudicat à quibus alioquin non euaderent, vt etiam cum intempeſtiuè ſupprimitur multorum malorum illis cauſa eſt. Itaque laborabant tunc temporis tuſſi mulieres paucæ, & eæ ſeniores, quibus ſcilicet deſiit fluere ea vacuatio: neque tamen moriebantur, quia talibus cum fluere deſiit, mutatum eſt temperamentum ad ſiccius, neque ea qua carent admodum indigent euacuatione. Aliam etiam cauſam eſſe dicit, ob quam mulieres non perinde ac viri ægrotabant, quod non eodem modo ac viri in publicum prodeant, id eſt non vt viri ſe exponant alterantibus cauſis, neque in negotiis verſentur, ſed domi ſe contineant: huic autem cauſæ atteſtabatur ipſe euentus. Nam anginæ duabus ſolùm liberis acciderunt, & eæ quidem mitiſſimæ, ſeruis verò fiebant multo plures, & vio-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 372 sur 489

lentiſsimæ, & citiſsimè iugulantes: quia ſcilicet liberæ vrebantur meliori victu, & minùs in aëre verſabantur, ſeruæ verò domo exibant vt viri, ob idque afficiebantur vt illi, atque eo etiam grauiùs quod deteriori vterentur victu. Viris enim etiam plurimis euenerunt anginæ, & alij quidem ſuperfuerunt, alij verò mortui ſunt. Morituri verò à ſuperuicturis his diſtinguebantur notis. Iis qui ſolùm bibere poterant, ideſt qui non aliter quàm deglutiendo noxam ſentiebant, quod nihil niſi potum deglutire poterant, valdè erant mites, & toleratu facillimæ, atque ita minimè periculoſæ: qui verò etiam loquebantur obſcurè, iis & moleſtiores, & diuturniores: moleſtiores quidem, quia ſpiritus viam magis obturabant, & ſuffocabant magis, nam ex prohibitâ deglutitione longè minus eſt periculum, quàm ex prohibita reſpiratione, maius tamen ex vtriuſque quàm ex alterius læſione: diuturniores verò, quod eſſent inflammationes maiores, quæ attingebant vtramque partem, gulam inquam, & laryngem. Quibus verò venæ in ceruice & temporibus attollebantur, aliquantulum prauæ, hoc eſt, malignæ & periculoſæ, quia illud magnæ ſuffocationis inditiũ eſſe inde agnoſces, quòd & in iis qui laqueo aut manibus ſtrangulantur, apparet. Quibus verò ſpiratio fiebat ſublimis erant longè peſſimæ, id enim eſt iam ſignum mortis proximæ, ſignificatque ſtrangulationem & debilitatem extremam. Quam ſignificationem augebat, quod & tepeſcebant, ideſt refrigerabantur ſecundùm extremas partes. Erant verò hæc omnia dicto ordine mala præter cætera, quia ſic erant dictarum paſſionum conſortia, vt quæ primùm deſcriptę ſunt, etiam ſine poſterioribus acciderent: quę verò poſteriùs, non ſine prioribus. Qui ſcilicet habebant ex angina ſublimem ſpiritum, his etiam attollebantur venę, & quibus attollebantur venæ, ij obſcurè loquebantur, & qui obſcurè loquebantur, hi malè deglutiebant: non tamen contrà, ſi malè deglutiebant, loquebantur etiam obſcurè; neque ſi hoc, etiam attollebantur venę; neque rurſum ſi hoc, etiam reſpirabant ſublime. Igitur vel ob hanc ſolùm cauſam neceſſe eſt, poſteriora eſſe deteriora prioribus. Signum autem ſuperueniebat, quod in his peſtilentibus anginis (talis enim erat iam hæc conſtitutio, cùm eſſent morbi communes, & ex eis plurimi morerentur) ſignificabat mortem iam iam imminentem, ὅτ' ἐπέῤῥιγωσεμαν πυρετώδει εἴχω, hoc eſt, quum iis ſuperueniebat rigor ſimilis ei qui ſolet per febres fieri. Nam ex tali rigore qui ęgris iam debilibus ſuperuenit, non ſolent recaleſcere, ſed cum ipſo rigore extingui. In quantam autem malignitatem euaſerit hæc conſtitutio, quæ benigna à principio fuiſſe videbatur, inde vult Hippocrates coniectes, quòd ita oppreſſos morbo (hoc eſt laborantes angina non leui) nihil iuuit manifeſte, tametſi multa circa illos molitus ſit. Nam & aluum mouit, & venæ ſectione eſt vſus, cum in brachiis, tum etiam ſub lingua, vt per anginas fieri conſueuit. Quinetiam quoſdam dicit ſe ſurſum purgaſſe. Ipſa verò phraſis indicat, eum non ita multos purgaſſe ſurſum per vomitum (nam neque id legitimum eſt per anginam fieri) ſed quoſdam, ob peculiares fortaſſe cõſiderationes. Hic anni decurſus iam proceſſerat vſque ad æſtatem, fiebantque dictæ anginę iam in æſtate, quo tempore iam fiebant multa alia quæ eruperunt, ideſt multa alia mala externa, vt exanthemata, & vlcera. Inter quæ primum quidem in ſqualoribus populariter graſſatę ſunt ophthalmię dolore afficientes. Annumerantur enim tertia particula aphoriſmorum ophthalmię morbis ęſtiuis. Et tales quidem ſunt ſiccę, & ex ſicca & acri pendent fluxione, quare, & dolent.

VEnarum ſanguinem ſiſtunt deliquium animi, figura aliorſum tendens, venarum interceptio, linamenti contorſio, appoſitio, deligatio.

Quibus rebus poſſit ſupprimi fluxus ſanguinis ex naribus, docet breui hac oratione, prima eſt λειποθυμίη 1. deliquium animi. Nam per animi deliquium colligitur affatim ſanguis verſus cor, atque ob id reuellitur introrſum à parte ex qua fluebat. Hęc eſt cauſa, ob quam plurimis tales fluxus ſponte ceſſant, quia ſcilicet ſuperueniente deliquio animi tolluntur. Alia eſt σχῆμα, ideſt figura aliorſum tendens, ſcilicet figurę mutatio facit nonnunquam ſola (ſemper autem iuuat) vt ſanguis fluere ceſſet, velut ſi cui fluit ex naribus caput erigat, ſirque ceruice rectâ. Alia eſt μετάμασις ξυμφορή, ideſt contortum linamentum, & inditum in partem ex qua fluit: alia eſt appoſitio, emplaſtri ſcilicet, aut omnino medicamenti agglutinatorij, aut cucurbitulæ. Alia eſt deligatio, ſi pars eſt apta ligaturæ. Interiecit (ἄλλη ἀπόληψις 1. alia interceptio) quia præter dictas ſunt aliæ cauſæ interceptionis. Nam & potu frigidæ, & eiuſdem infuſione, & vinculis extremarum partium, & reuulſoriâ ſanguinis miſsione (qua vt anteà etiam diximus, nulla ſecurior interceptio eſt) euenit fluxum ſiſti.

GLandularum tumores plurimi exoriebantur, quòd iecoraria vena affecta eſſet. Quod ſi ab arteria malignè affecta fierent, malum ſignum erat, quale quid Poſidoniæ accidit.

Meminit Hippocrates auxiliorum quibus ſanguinis fluxus ſiſtitur, ob quandam tempeſtatem morboſam (non dicit quo loco, neque quo tempore) per quam ob ſanguinis plurimam redundantiam, quibuſdam fluebat ſanguis multus adeo vt morerentur inaniti: aliis excreabatur per aſperam arteriam: aliis fiebant adenum phlegmonoſi tumores, qui vocantur βουβῶνες: alis aliæ affectiones, habentes tamen omnes communem cauſam, redundantiam ſanguinis. Dicit ergo de ea tempeſtate agens, ἐβουβωνόπλεῖσι, διότι ἥπατος, hoc eſt quòd vena caua redundantiã laboraret. Scilicet bubones plerunque fiunt, quòd hepar, & quæ ab eo oritur vena multitudine laboret. Si verò ſanguis ab arteriâ (aſpera ſcilicet) malignè affectâ, vlceratâ ſcilicet exiret, malum erat ſignum, vt accidit cuidam mulieri vocatæ Poſidoniæ. Nimirum paſſioni hæmoptoicæ ex tali cauſa ortæ ſuccedere ſolet magna ex parte tabes.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 373 sur 489

©BIUM

A

QVi ex ſanguinis fluxu moriebantur, ÿ tenui circa frontem ſudore non perfundebantur, ſed talia paſſi ſunt qualia qui præ ſiccitate contrahuntur:

Dictum eſt proxima ſectione, quibus cutis intenditur arida & dura, ſine ſudore; quibus verò laxa eſt, cum ſudore moriuntur: qui igitur à ſanguinis fluxu ſiccati erant, meritò moriebantur ſine ſudore, ἀλλ' ἀξυμπεπλακότες hoc eſt, ſed talia perpeſſi ſunt, qualia ij quibus moles corporis abſumitur & exiccatur.

B

ET qui ſpirandi difficultate laborabant, & qui cum ſudoribus deficiebant, malè habebant.

Duo ſigna mortis ſunt hæc, ſiue ſeparatè intelligantur ſcripta eſſe, ſiue quòd in aliqua tempeſtate accíderent, πνευματίας eſſe, ideſt difficilè reſpirantes ac anheloſos, & à ſudoribus deficere, id eſt animo linqui. Hæ enim ambo per morbos acutos peſſima ſunt, ſignificantque defectum facultatis, illud animalis (anheloſi enim dicuntur præcipuè, qui reſpirant ſublimè) hoc vitalis. Quid poteſt autem eſſe periculoſius, quàm per febrem continuam, qualis ab acuto morbo nunquam abeſt, non poſſe reſpirando recreari, aut cùm multa euacuatione opus ſit, non poſſe mediocrem ſuſtinere?

C

D

VEntrium abundantiæ turbationem ferunt, quale quid Poſidoniæ accidit, & quæ lumbricorum generationem promouent.

Quum eſt redundantia in ventre, aut cruditas multa, qualis quæ ſolet vermes gignere, purgatione eſt opus. Nihil enim magis celebratum apud Galenum, & medicos omnes, quàm ventrem expurgatione, quam ventris turbationem vocant, indigere. Modus autem mouendi ſit, ſi in ventriculo ſit vitium, vomitorio; ſi verò in inteſtinis, ſi quidem in craſſis clyſteribus; ſi intenuibus, ſubductorio medicamento. Redundantia quidem in quacunque ventris parte eſſe poteſt: vermes verò aſcarides in podice ſemper: rotundi in gracilibus plerunque, lati per omnia inteſtina generantur. Quare vomitu curari nunquam debent (niſi fortè ob antecedentes cruditates) proaſcaridibus clyſteres & glandes erunt ſatis.

E

F

IN extenuatione circunteníio ante mortem facta eſt, & vmbilicus protenſus extractus eſt ipſi, & gingiuarum dentes ambientium exulcerationes acciderunt.

Dictum eſt ſectione tertiâ huius ſexti libri, omnis extenuatio laxat cutem, deinde circunten-ditur. Idem eſt dicere, in extenuatione circuntenſio ante mortem facta eſt, cùm ſcilicet priùs laxata cutis ſit, ſit deinde eius circuntenſio ante mortem, dicit verò ante mortem, quia vicinam iam mortem indicat circuntenſio laxitati ſuccedens. Narrat verò hoc, & duo alia ſequentia ſigna, accidiſſe cuidam mulieri, tametſi non nominet. Quam ob cauſam videntur hæc verba deciſa eſſe ex aliqua narratione longiori, & perfectiori: quaſi poſt alia quę hic deſunt dicat, in extenuatione accidit circumtenſio ante mortem, & vmbilicus qui priùs laxatâ cute protenſus eſt, poſteà, circuntentâ, eſt retractus ipſi ſcilicet laboranti extenuatione, & factæ ſunt gingiuarum dentes ambientium exulcerationes: ſcilicet finduntur gingiuæ præ ſiccitate, vt & labia quibuſdam, & partes aliæ. Itaque extenuatis fiunt imprimis cutis laxitas, & vmbilici protenſio; proximis verò iam interitui ſit circuntentio cutis, & vmbilici retractio, & gingiuarum exulcerationes, vt cuidam mulieri accidiſſe Hipp. narrat.

MVlta ſunt quæ de quocunquo rectè præcipi poſſunt, alia quidem eadem potentia, alia autem minimè. Qualia ſunt eiuſmodi, diffundi, exolui, & educi, & indurari, & maturari, & vbi opus eſt timidos è lecto pellere, & mutatione excitare torpentes ad ea quæ ſerius agunt.

Optimè quidem ac veriſſimè dicit hæc Hippocrat. & eſt nobis ſæpe opus apud vulgares homines & indoctos hac defenſione. Sæpe enim accerſuntur, ad viſendum eundem ægrotum, duo aut plures medici ſeorſum. Et perrarum eſt in idem medicamentum indicere, ſed diuerſa fieri iubent, vulgus verò hominum ſtatim iudicat erraſſe alterum, quòd non eandem rem dixerint: & ob hanc vulgi opinionem ambitioſi medici, nihil non mutant eorum quæ, qui priùs acceſſerant ad ægrotos, fieri iuſſerant, alia quæ eiuſdem ſunt facultatis, aut fortaſſe etiam inferioris imperantes, id curantes ſolùm, ne quid eorum, quæ ab aliis imperata ſunt, videantur probare. Horum ambitionem detegit, & indoctæ vulgi opinioni occurrit, dicens non eſſe vnicam rationem occurrendi cuicunque morbo, ac multo minùs vnicum medicamentum, ſed multa de quocunque rectè præcipi poſſe. Alia quidem eadem potentia, alia autem minimè. Nimirum fieri poteſt, vt duo medici eandem prorſus ſequantur indicationem, & eadem intentione curent morbum eundem, vtantur verò medicamentis diuerſis, ſed eiuſdem facultatis. Nimirum cuiuſcunque facultatis ſunt innumera medicamenta, & quiuis vtitur ſuis. Fieri etiam poteſt, vt ad eundem morbum vtantur duo medici auxiliis diuerſis neq; eiuſdem facultatis, quod non eadem intentione curationem ſuſcipiant, neque tamen quiſpiam illorum erret. Nam fieri poteſt vt idem morbus diuerſis viis ac methodis curetur: vt ſi velit quiſpiam phlegmonem reſolutione curare, atque alius maturatione. Vtrouis enim modo ſæpe proceditur rectè. Quinetiam quæ reſolutione aut maturatione curata bene ſunt, aliquando ſi repercuſſione, & induratione à principio ad finem eſſent curata, nihilo

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 374 sur 489

deteriùs ceſſiſſent, ac fortaſſe aliquando curata eſſent cum minori diſpendio. Ægrotum aliquando curauit medicus miſſo ſanguine, hunc ipſum fortaſſe curaſſet alius ſine miſſione ſanguinis, nihilo deteriùs. Verùm hanc ob cauſam nihil periculoſius excogitari poteſt, quàm duos medicos accerſere ſeorſum, vt multi faciunt, quo vtriuſque deuitent inuidiam. Nam ſæpe fit, vt cùm eorum quiuis eum rectè curaret, ambobus ſeorſum tentantibus auxilia diuerſa, perdatur ęgrotus. Quapropter conſulo, vt in conſultationem, vocentur ambo, vt in vnicam conueniant curandi rationem aut eorum alteri tota curatio commendetur. Itaque dicit Hipp. multa ſunt quæ de quocũq; rectè præcipi poſſunt, alia quidem eadem potentia, alia autem minimè. Qualia ſunt eiuſmodi, diffundi, exolui, & educi, & indurari, & maturari. Hic ſcribit exempla habentium eaſdem facultates & diuerſas: quaſi diceret, vt ſi velint diffundere & reſoluere, quod idem eſt, & alius vtatur oleo itino, alius laurino, alius recinino. Aut educere expurgando, & alius decatapotia vocata aggregatiua, alius potionem ex infuſione agarici & electario ex ſucco roſarum; aut indurare, & alius admoueat ſolanum, alius ſedum, alius plantaginem: aut maturare, & alius admoueat pulticulam ex hydrelæo & farina triticea, alius ex vitellis ouorum cum oleo & exigua portione terebinthinæ: aut alius velit reſoluere, alius maturare, alius aliquid aliud facere. Nam hoc quoque fieri poteſt, vt diximus, nullo eorum malè ſuſcipiente curationem. Conſulit his dictis quiddam aliud, quod etſi videatur leue, nonnunquam eſt magni momenti, ne facultates torpeant, & ægroti plurimum debilitentur. Nimirum morbi quidam ſunt difficilis iudicationis, quorum ſolutionem ſi expectes antequàm ęgroti è lecto ſurgant, illi certè langueſcunt, & facultates obliuiſcuntur ſuorum munerum, & intereunt. Oportet ſæpe ita ægrotantes cogere, vt lecto ſurgant etiam nondum curati integrè: atque torpentes, ad ea quæ agunt ſeriùs, excitare, hoc eſt, cogere vt rebus agendis ſe inſerant, etiamſi pigri ſint, & demiſſi, & id faciant tardè ac ſegniter, euenit enim vt paulatim eam pigritiem deponant, & facultates velut reuiuiſcant, atque ita deinde morbos paulatim ſuperent, qui alioqui à iacentibus, & otioſis, ac de ſua tantùm miſeria cogitantibus nunquam ſuperarentur. In longis autem locum habet hoc præceptum, aut decidentibus ex acutis.

A rationis. Cur autem vituperarent, dicit plurimas fuiſſe cauſas, præcipuas verò, quod peritonæum neruoſum cùm ſit, non poſsit ſuſtinere ſine periculo punctionem aut ſectionem; deinde quod non facilè perficiatur niſi ſecto aliquo inteſtino: deinde quod non videatur aquæ eductio tollere effectionem, ſed ſymptoma, cum non tollat hepatis intemperiem, ſed aquæ redundantiam; poſtremo quod periculum maximum ſit, ne cum effuſa tota aqua effuſo etiam ſpiritu homo moriatur. Has ob cauſas affirmabant illi, neminem hydropicorum ſectione eſſe ſeruatum. Nihilominus teſtatur Aurelianus, ſe vidiſſe quoſdam, qui ſectione euaſerant, atque ob id probat eam curationem, qua etiam Hipp. vſum eſſe conſtat, cùm eius crebra in illius ſcriptis mentio fiat. Quod autem plurimi moriantur, dicit Aurelianus cauſam non eſſe quicquam eorum quæ alij obiiciunt, ſed quòd ea curatio ſeriùs ſemper tentetur, & cum iam morbus eſt diuturnitate factus incurabilis, id quod dicit his verbis. Plurimi verò moriuntur, ſiquidem medentium tardante conſilio ſeriùs paracenteſis adhibetur. Quibus apertè ſignificat, ſi tempeſtiuè fieret ſectio, antequàm plurimùm aquæ collectum, & hepar plurimùm intemperatum eſſet, nullum periculum eorum quæ alij timebant, acceſſurum. Nam aqua tunc non effluéret affatim plurima, & homo nondum eſſet adeò debilis, vt ſuſtinere non poſſet, neque hepar adeò intemperatum, vt non poſſet reſtitui ſemota aqua, quæ etſi intemperato ſucceſſerit hepati, eius tamen intemperiem ſeruat, & auget. Itaque ſectio ſi incipiente hydrope fieret, multos liberare fortaſſe poſſet: quoniam verò adhibetur ſerò, iuuat nullum. Hoc idem de tabeſcentium vſtione dicere par eſt, ſiquidem tabidi fiunt ex ſuppuratis, ſuppuratorum verò & hydropicorum idem periculum eſſe dixit Hippocrates his verbis. Quicunque ſuppurati aut hydropici ſecantur aut vruntur, hi pure aut aqua aceruatim effluente, omnino moriuntur. Hippocrates vt in hoc ipſo opere iam indicauimus, & ex aliis multis eius viri conſtat, inuſtione plurimùm vtebatur, & in ſuppuratis ac tabeſcentibus ſemper, mox ac ſuppurationis notæ incipiebant eſſe conſpicuæ, atque ob id plurimos magnificè iuuabat, hoc verò tempore meritò ſectionis & vſtionis in hydropicis & tabeſcentibus vſus dimiſſus eſt, quia vel ob ægrotantium molliciem vel quòd non valeamus autoritate apud eos, vt veteres illi medici, nunquam horum quippiam iubenti obtemperatur, donec morbus omnino vicit: tunc poſtulant nonnulli id ſibi fieri velut in re deſperatâ, quo tempore nihil aliud fit, quàm quòd quæ tempeſtiuè ſuſcepta contuliſſent, ſuſcepta ſeriùs infamentur auxilia. Simile quiddam euenire ſcimus in ſectione capitis. Nimirum vt Hippocrates docet libro de vulneribus capitis, multa eorum vulnerum ſecari poſtulant, vel quòd vlcus ſatis dilatatum non ſit, vel vt cognoſcatur an os læſum ſit, vel vt pateat melius curationi, cum tamen hæc quoque vulgaribus videatur dura curatio eſſe, plerumque recuſant id ſuſtinere, donec lethalibus iam ſignis terreantur, tuncque magna ex parte nihilominus moriuntur, & vulgus quidem hominum non intelligens factum id eſſe, quod ſerius ſectum ſit, videnſque paulò poſt ſectionem ægrotos mori, putat læſos eſſe ſectio-

HYdropicos celeriter ſecare oportet: tabeſcentes vrere ſtatim: ſecare caput, & huiuſmodi.

Tres curationes recenſet Hippocrat. nobiles, & & magni momenti, quæ tamen rarò admodum conferunt, quòd vix vnquam agantur tempeſtiuè. Hæ ſunt, hydropicorum ſectio, tabidorum vſtio, & capitis vulnerati apertio. Vt narrat Cælius Aurelianus libro 3. tardarum paſſionum, de hydropicorum ſectione, quam paracenteſim vocabant, magna fuit inter veteres contentio, Euenore, Eraſiſtrato, & Theſſalo vituperantibus; Aſclepiade, Themiſone, & Sorano laudantibus id genus cu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 375 sur 489

ne, & in posterum sectionem magis reformidant. Quapropter satius est, medicos, nisi tempestiuè voluerint ægroti parere, intempestiuè nihil facere. Non enim solùm in his quod dixi, sed in aliis quibusuis euenit curationibus. Euenit verò sæpissimè in tribus dictis, quas ob id mihi videtur Hippocrates rectè notasse, atque consuluisse hydropicos celeriter secare, mox atque hydropici esse incipiunt; tabescentes statim atque sunt supputari, & tabescendi periculum minantur, vrere; & caput vulneratum secare tempestiuè; alioqui neque secare, neque vrere, neque vlcus aperire, sed prædicere, ac sinere mori.

Hydropicorum omentum non oportet ferro tangere, neque interiora; simile enim ac in multis genibus accidit.

Ἔπιπλοον multas partes significare solet, hoc loco nihil aliud videtur mihi significare posse, quàm omentum. Si enim significaret hypomphalon, hoc est, partem imam ventris, haud diceret hanc tangi non debere, siquidem Paulus libro 6. quatuor digitos infra vmbilicum secare iubet: sed neque abdomen videtur posse significare, nisi enim feces peritonæum, nihil exibit aquæ. Peritonæum autem non potes secare, nisi feces prius abdomen intra quod est situm. Quod autem Hippocrat. dicit, nihil est aliud, quàm sectionem committi debere chirurgo perito, qui sciat secare abdomen & peritonæum, nec tangat omentum, aut aliquid interiorum, vesicam dico, vterum, aut intestinum. Est enim periculum in ventris sectione, ne lædatur aliqua subiectarum partium, vt etiam in aliis partibus, velut etiam in multis tumoribus genuum. Nimirum in eius quoque partis collectionibus quæ apertionem postulant, aut vlceribus quę requirunt contra apertionem quam vocant, cauere plurimum oportet, ne tendones, aut nerui aliqui crurum, aut vasa quæ prætereunt, lædantur. Comparat itaque sectionem ventris in hydropicis, cum sectione genu, non alia in re, quàm quòd habeant simile periculum. In sectione ventris illud nosse oportet, non debere sectionem abdominis esse è regione sectionis peritonæi, sed inferiorem, vt fistulam curuam, per sectionem abdominis immissam in sectionem peritonæi, educi possit quod oporteat aquæ: deposita verò fistula, sectio peritonæi à parte sana abdominis obturetur. Ita enim cauetur periculum copiosæ, & affatim factæ effusionis.

Videndum qualis sit vox iratis, nam si talis non irato, secundùm naturam est: & quales sint oculi, nam naturâ turbulenti, qui tales sunt quales habent qui irascuntur, non tamen irâ perciti: & alia pro ratione morborum, vt si quis morbus tabidam speciem inducat, videndum an æger talis sit à naturâ, vt in talem morbum incidat, & cætera eodem modo.

Hæc oratio partim pertinet ad physionomiam, partim ad prognosticam medicinæ partem: prima eius pars ad illam, secunda ad hanc. Actum vero est anteà in hoc ipso opere de physionomia, dictumque est vtilem esse ad medicinales considerationes, quia docet agnoscere, quæ hominibus insunt secundum naturam: quorum cognitio necessaria est ad cognitionem eorum quæ præter naturam: quia hæc collatione illorum cognoscuntur, quàm sint grauia, aut secùs: iuxta id quod initio libelli de officina medici dicit, considerandum similia sint an dissimilia, & rursum initio sectionis tertiæ libri primi, dixit, morbos dignoscimus ex communi natura, & ex cuiusque propria: & in initio prognostici, an similia sint beneualentium, potissimum sui. Itaque si vis accipere argumentum aliquod à voce, oportet scias quali voce sit homo. Si ab oculis, qualibus oculis, nam si talis esse videatur, qualis est naturâ, aut non valdè dissimilis, haud est graue malum: si verò plurimùm dissideat, graue est. Reddeamus ergo ad priora. Vnum quoddam argumentorum quibus physionomi vtuntur, vt licet videre apud Aristotelem libello de physionomia, est à specie motus animi ad affectum. Hoc modo, si quis non iratus habeat naturaliter vocem similem ei quæ est in iratis, is iracundus est: ita etiam si oculos naturâ turbulentos, & quales habent qui irati sunt, habeant quidam etiam irâ non perciti, illi sunt iracundi. Si ergo per morbum aliquis habeat vocem talem, & tales oculos, nosse oportet an tales habeat homo naturâ, si enim habet nihil significatur mali, sed solùm agnosces per physionomicam rationem eum esse iracundum: si verò non habet id secundùm naturam, neque modò ex occasione aliqua est iratus (oportet enim semper excipere occasiones) agnosces per rationem medicam, eum furori esse proximum. Alia etiam multa sunt huiusmodi secundùm rationem morborum, hoc est, in morbis considerandа, an secundùm rationem morborum fiant, an verò secundùm naturam ægrotantium. Vt tabidus morbus speciem quandam & formam vultus facit, nimirum acutum nasum, cauos oculos, & caua tempora; si tamen talis vultus homini insit naturâ, in talem euadit morbus, ideſt, facilè in morbum talem incidit, neque ob id graue malum est. Nimirum vt morbi naturæ similes facilè fiunt, & minus sunt periculosi, ita etiam & morbi illi, quos naturalis hominis species repræsentat. Nam vt species significat mores, ita & reliquam naturam, quare & in tales aut tales morbos propensionem: ob id addit, & cætera eodem modo.

Tusses laboriosæ incumbunt in partes læsas, sed maximè in articulos; quinetiam in inducentibus lassitudinem febribus tusses ficcæ fiunt. Tusses ficcæ firmantur in articulos cum febre, sibre, si intus relinquantur.

Βηχες κοπώδεις dicuntur, quæ comitantur febres laboriosas. Laboriosæ verò febres sunt, quas comitantur lassitudines spontaneæ. Quas à multitudine succorum pendere, haud dubiè indicat lassitudo. Hinc fit, vt abscessus in articulos plerunque

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 376 sur 489

faciant, vt in aphorismo 31. & 74. sectionis quartæ dicitur, nisi fluxus sanguinis copiosus anticipet: eandem quoque ob causam comitatur has febres tussicula sicca, quia omnis multitudo fluxiones commouet. Iidem igitur abscessus expectari debent ex tussibus laboriosis, qui ex laboriosis febribus, siquidem in laboriosis febribus tusses tales fiunt. Tusses igitur siccæ cum febre firmantur in articulos, vt scilicet ipsæ febres, si intus relinquatur (causa scilicet morbi) hoc est, nisi euacuatio insignis, & accommodata anticipet, vt fluxus sanguinis ex naribus, aut multa vrina. Cum itaque dicit tusses siccę cum febre, intelligere debes iuxta sermonis consequutionem, cum febre laboriosa. Nam tusses siccę febrium ardentium, quas in aphorismo 54. eiusdem sectionis dicit sitim tollere, nisi etiam sint laboriosæ (plurimæ autem ardentium laboriosæ non sunt) non minantur dictos abscessus. Cum itaque priùs dixit, tusses laboriosæ incumbunt in partes læsas; & posteà, tusses siccæ cum febre firmantur in articulos, eædem tusses intelliguntur, quæ fiunt in febribus laboriosis. Neque enim intelliguntur, quæ in aliis febribus, vt dixi, neque etiam quæ sine omni febre. Nam vt sectione prima libri secundi dixit Hippocrat. tusses diuturnę (nam ex non diuturnis, & sine febribus nihil timeas) quæ sine febre fiunt, finiri solent in tumores testiculorum, & amant abscessus in partes humiles, contrà ac tusses febrium laboriosarum, quæ finiri solent in abscessus circa maxillas. Rectè autem hic dicitur, incumbunt in partes læsas, sed maximè in articulos, etsi in aphorismo tantùm dicatur circa articulos. Nam in eo aphorismo dicitur, id quod maximè solet fieri: hic verò adiicitur, & quod alias etiam fit. Nimirum vt alio aphorismo dicitur, si quæ pars per morbum dolet, in eam fiunt abscessus. Quia si quæ pars est parata recipere, in eam potiùs abscessus est expectandus, quàm in vllam aliam; parata autem est, & quæ dolet, & quæ aliter vtcunque læsa est, vt si quam habet homo partem insigniter debilem, vt si sit mancus aut claudus, aut ex labore defatigatam, velut nuper dicebatur in hac ipsa sectione. Qui igitur aut vocibus ampliùs sese fatigarunt, aut riguerunt, in anginas iis morbus magis terminabatur; qui autem manibus laborauerunt, solis manibus sunt facti paraplectici; qui verò equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut aliter cruribus fuerunt fatigati, his lumborum, aut crurum impotentiæ ex resolutione contingebant.

SPirationes obscuræ in tabidis, & non parientibus malę sunt: & quæcunque alia huiusmodi ab eadem constitutione procedunt.

Τὰ πνεύματα ἄσημα vocantur respirationes obscuræ, & apneæ proximę. Talis respiratio in tabidis significat extremam facultatis debilitatem, & proximam mortem: in non parientibus, vt mulieribus semine abundantibus, abstinentibus verò à congressu, vt sacris, aut viduis, significat præfocationem ex vtero periculosam, quæ aliquando finitur in mortem repentinam, cum symptomatis similibus iis quæ ex veneno. Quoniam verò non solùm respiratio obscura, sed innumera alia mala sequi consueuerunt, tam à tabe quàm ab vterino morbo, addit, & quæcunque alia huiusmodi ab eadem constitutione procedunt.

TAbescentibus autumnus malus: malum autem & ver, cum sunt ficus folia pedibus cornicis similia.

Autumnus malus est tabescentibus ob intemperiem siccam, & caloris ac frigoris diuersitatem magnam, & facultatum omnium languorem. Est autem malus, & quòd eo tempore plurimi tabescant, ex morbis æstiualibus malè conualescentes, & quòd ij qui superiori tempore tabuerant, eo tempore soleant mori, vt dicitur secundo libro prorrheticorum. Ver non ita videtur esse posse malum, siquidem est saluberrimum, ac minimè lethale, vt sectione prima libri secundi dictum est: est tamen etiam quodammodo malum tabescentibus, non tam quòd eo tempore moriantur, quàm quod tabescendi initium multi eo tempore accipiant, ob hæmoptoicam passionem, quæ Veri est familiaris, & ob distillationes, quas pariunt humorum redundantia, & multi venti. In Vere solere ficus proferre folia similia pedibus cornicis constat, atque ea verba nihil continere aliud quàm veris descriptionem.

IN Perintho vere plurimi tabe laborauerunt. Simul in causa fuit tussis per hyemem populariter grassata, & quæcunque in alijs diuturna fuerunt, etenim in ijs qui ambiguè se habebant tabem confirmarunt. In quibusdam autem morbis diuturnis tabes non accidebat, velut in habentibus dolores renum, quinetiam in quibusdam alijs, qualis fuit homo ille, ad quem Cyniscus me induxit.

Hæc oratio ex proxima pendet, continétque exemplum quoddam eius quod vniuersim dictum est, putà ver esse malum tabescentibus. Dixit igitur in Perintho vere plurimos factos esse tabidos, causam verò simul fuisse tussim, quæ hyeme per populum grassata est, & quæcunque aliis diuturna fuerant desuisse in tabem, & πῆσιν ἐνδιαχῆσαι, id est, ambiguis confirmatam esse, hoc est, in illis, in quibus ambigebatur an tabescerent, confirmatam esse suspitionem, factis apertè tabidis. In quibusdam verò morbis chronicis nó ita accidisse, neque factam esse tabem, velut in dolores renum habentibus, & in quibusdam aliis, qualis fuit homo quidam ad quem Cyniscus eum induxerat: qui scilicet cùm diuturno morbo teneretur, non est factus tabidus. χρόνια vocat modo quæcunque solent homines diu pati, velut asthma, & hæmoptoicam passionem, & cæphaleam, & renum dolores antiquos, & alia huiusmodi, quibus valetudinarij homines solent continenter aut crebro molestari. Dicit itaque hyemem fuisse tussiculosam, & sequenti vere multos eorum qui tussi diuturnâ labo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 377 sur 489

rauerant, & qui alioqui erant morboſi, & macilenti, de quibus dubitabatur an tabeſcerent, factos eſſe tabidos. Euaſiſſe verò tabem, eos qui dolore renum diuturno vexabantur, & paucos quoſdam aliorum. Nimirum ſæpe qui renum malo diuturno, aut coxæ, aut podagra, aut hæmorrhoidibus, aut alio quopiam tali tenentur, ob hæc ab acutis morbis, & aliis periculis liberantur, verùm quoniam non narrat qualis fuerit eius anni temperies, haud poteſt magna hinc vtilitas accedere.

IN doloribus laterum, & pectoris, aliarúmque partium, tempora an multùm differant conſiderandum, quum aut meliùs aut rurſus deteriùs ſe habuerint, in alijs non delinquentes.

Pertinet hæc oratio ad aphoriſmum illum ſecundæ ſectionis, quo ducitur, iis quæ non ſecundum rationem leuant, non oportet fidere, neque admodum timere ea quæ praua fiunt præter rationem, plurima enim talium inconſtantia ſunt, & non valdè permanere, neque morari ſolent. Vnum quiddam eorum, quæ maximè indicare poſſunt, bona aut mala præter rationem eſſe, eſt ipſa mutatio temporum morbi, quæ plurimùm diſſideant, & pluſquàm ratio poſtulet. Nam ſi ij qui dolore lateris, aut pectoris, aut alterius partis, aut denique alio morbo (nam eadem eſt omnium ratio) plurimùm vexabantur, repentè ſequenti die aut horâ videntur ſubleuari, ita vt illæ morbi partes multùm differant, pluſque quàm ratio ferat fidendum non eſt, quia cum meliùs habuerint, ſtatim deteriùs habebunt, οὐχ ἁμαρτάνοντες, ideſt, etſi nullum erratum committant in victu. Hanc eandem ſententiam continet aphoriſmus 5. ſectionis ſextæ, etſi paucioribus verbis, in cuius commentatione hæc quoque enarrata eſt à me, etſi non omninò eodem modo. Neque mireris, multos enim, eoſque veros, ac conſonos ſenſus ferunt grauiſſimæ Hippoc. ſententiæ.

SECTIO OCTAVA.

IN longis dyſenteriis cibi faſtidium malum: tum aliàs, & præcipuè ſi febris ſuperuenerit.

Hic quoque eſt aphoriſmus tertius ſectionis ſextæ, verbis quàm minimum mutatis. Solùm enim quod hic dicitur, tum aliàs, & præcipuè ſi febres ſuperuenerit, illic explicatur magis, diciturque, ſi autem cum febre deterius. Explicatum verò à me eſt in commentario intelligi, non quidem ipſum faſtidium cum febre eſſe deterius quàm ſine febre, ſed faſtidium & febrem grauius malum eſſe quam faſtidium ſolum. Sed hoc loco dubitari poteſt quomodo faſtidium à longa dyſenteria malum, ſi vt dicitur primo de morbis, & aphoriſmo 15. eiuſdem ſectionis, à longa diarrhæa vomitum fieri bonum eſt? Videtur enim diarrhæa cum dyſenteria, & vomitus cum faſtidio habere analogiam? Certè & diarrhæa à dyſenteria, & vomitus à faſtidio diſſidet multùm. Nam per dyſenteriam, præter fluxionem eſt iam in inteſtinis exulceratio, & faſtidium vacuatio non eſt vt vomitus, ſed accidens quoddam corrupta iam facultate ſuperueniens, vel alteratione ventriculo communicata. Vomitus verò à diarrhæa reuulſio naturalis.

VLcera circumglabra maligna.

Hic aphoriſmus quartus ſectionis ſextæ, eodem ibi ordine poſt proximam orationem, quo hic ſcriptus, & à me enarratus.

LVmbos dolenti recurſus in latus, & tuberculæ quæ σκληρὰ vocantur, malum portendunt.

σκληρὰ tabifici cuiuſdam ſerpentis nomen eſt, datur verò etiam id nomen tuberculis cum putridis & ſanioſis vlceribus obortis. Duo itaque dicit, quæ lumborum dolori (intellige diuturno & magno) ſuccedere ſolent, recurſum in latus, & tubercula ſanioſa. Rectè verò dicit recurſum in latus, fit enim materia ſurſum recurrente, contrà ac per bonos abſceſſus fieri ſolet. Laudauerat enim libro ſecundo ſect. 1. abſceſſus infra morbos, velut varices, & lumborum grauitates ex ſupernis. Ergo ex lateris dolore lumborum dolor, & ex hoc varices, aut tale aliquid in cruribus vtiliter fieret, ex lumborum autem dolore dolor lateris perperàm fit, & contrà ac expedit. Fiunt tamen etiam abſceſſus praui, eiſdem viis quibus boni, ex contrariis in contraria. Velut quia ſurditas alui profluuio ſoluitur, ab alui ſuppreſſione ſurditas debet timeri, vt dicitur 28. aphoriſmo quartæ ſectionis. Ita quia lateris dolor vtiliter ſolet in dolorem lumborum deſinere, à lumborum dolore timeri debet dolor lateris. Tubercula ſanioſa non tam videntur fieri ob loci patientis naturam, quàm ob naturam materiæ, quę ſcilicet eſt cruor aliquis atrabiliarius, & ſanioſus. Verùm quia in humiles partes corporis ſanguinis fæces ſolent reſidere, fit ſæpe, vt graues lumborum dolores ex tali quapiam materia fiant, quali hæmorrhoides, & varices, & tubercula quædam crurum cancroſa, quæ nonnunquam vlcerantur, atque ita non rarò ex graui dolore lumborum, dictorum aliquid fit, in quibus ſunt tubercula illa ſanioſa. Ita Hippocr. narrat duos abſceſſus, alterum inutilem ob contrarium motum ei quem abſceſſus amant; alterum ob materiæ malignitatem laborioſum, etſi locus non ſit incommodus. Nam tametſi Hippoc. locum tuberculorum nullum nominet, ego ea quæ in ipſis operibus fieri ſolent animaduertens, intelligo eum de tuberculis talibus in cruribus obortis loqui.

REnum morbos non vidi curatos vltra quinquageſimum annum.

Hæc ſententia pertinet ad aphoriſmum ſextum ſectionis ſextæ, quo ita habetur. Vitia renum, & omnes

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 378 sur 489

omnes circa veſicam dolores, difficulter ſanantur in ſenioribus : hoc idem nunc docetur : præterquàm quod dolorum veſicæ non meminit, vt illic, ſed morborum renum ſolùm. Dictum verò à me ſæpe iam eſt à principio, longè aliam rationem ſcribendi tenuiſſe Hippocra. in hoc opere, atque in aphoriſmis. Hoc enim compoſuit ſcribens obſeruationes, & experimenta ; librum verò aphoriſmorum ſcribens generatim præceptiones, quas ex obſeruationibus multis dabatur colligere: quoniam ergo dum captaret experimenta, nullum renum morbum vidit curatum vltra quinquageſimum annum, aſſertionem illam aphoriſticam collegit, vitia renum ſenibus difficulter curari. Conſtat verò hoc de diuturnis renum vitijs intelligi, velut imprimis de lithiaſi, atque de perfectâ curatione, ita vt malum nunquam ampliùs reuerteretur. Nam ex renum dolore ſubleuari in ſaris multos dies, euenit ſæpe ſenibus, reiecto lapide : non ita tamen, vt non maneat in renibus ad ſimilem morbum apparatus. Intelligi etiam velim citra permutationem. Nam ſuccedente ſtranguriâ, aut podagrâ ſolui ſolet morbus renum, etiam ſenibus. Atque Hippocrates arbitror, id vidit, neque enim eſt adeò rarum.

OBſeruanda ſunt quæ per ſomnos exacerbantur, & quibus extrema refrigerantur, & mens perturbatur, & alia quæcunque circa ſomnum accidunt, & quibus contraria.

Nihil aliud continent verba hæc, quàm quòd aphoriſmo 1. ſectionis 2. dictum eſt, In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale : ſi autem ſomnus iuuerit, non mortale, qui à me ſuo loco enarratus eſt, ita vt ad præſentis orationis enarrationem nihil deſideretur.

QVibus autem nihil mali intra conſtitutum tempus accidit, ſingulæ partus vitales edunt. Apparentia quibus menſibus accidant videndum eſt. Labores certis circuitibus fiunt, & quicquid ſeptuageſimo die mouetur, in triplici temporis interuallo perficitur, & quicquid nonageſimo die mouetur, in triplici temporis interuallo perficitur. Obſeruandum etiam quod poſt menſtrua aliquando dextra, aliquando ſiniſtra hiant, & quòd humiditas quæ per exeuntia ſignificatur, victus ratione ſicca opus habet. Quod autem citiùs formatur & mouetur, rurſum augetur tardius. Labores vt plurimum contingunt tertio, quinto, ſeptimo, nono menſe, item ſecundo, quarto, ſexto, quæ ex parua tabula conſideranda ſunt.

Hæc omnia occurerunt iam anteà, non longè à fine ſectionis tertiæ libri ſecundi, in multas orationes ſecta, nonnihil diuersè ſcripta, quanquam quicumque vtrumque locum leget, intelliget luce clariùs, autorem idem prorſus voluiſſe ſcribere hic & illic, quinetiam fortaſſe altero tantùm loco eſſe hæc ab illo ſcripta (quorſum enim eadem verba repeterentur) ſed ab aliquo malè compilante Hippoc. chartas eſſe geminata. Neque mirum corrupta eſſe hæc, & multis modis permutata, vt & alia quamplurima huius autoris, in tanta vetuſtate. In cæteris quidem quàm minimùm diſſident duo hæc loca : plurimùm autem in vltimis his verbis, labores vt plurimùm contingunt tertio, quinto, ſeptimo, nono menſe, ſecundo, quarto, ſexto. Nam illic illud ἐπὶ πλέονα χρόνον coniungebatur cum prioribus ; poſteà verò legebatur, labores contingunt circa tertium diem ſupra quinquaginta, & circa ſextum ſupra centum : ſi per menſes numeres, ſecundo & quarto menſe, quæ noſſe oportet ad ſeptimeſtrem partum. Quoniam verò eam lectionem probaui, neque, quam eò loco ſcripſi, horum verborum enarratio diſplicet, non eſt, quod nunc dicam aliud, quàm cenſere, vt hic locus ſecundum illum reſtituatur, puteturque perinde ac ſi hic nihil eſſet ſcriptum.

VIctus ratio conſtat repletione & inanitione ciborum, & potuum. Horum mutationes ſunt conſideranda, prout ſe habeant, quum ex alijs in alia fiunt.

De ratione victus ſcripta ſunt ab Hippo. multa, cum in operibus non paucis ei ſolùm tractationi deſtinatis, tum etiam ſparſim in aliis omnibus, atque adeò gloriatur ſe hac medicinæ parte priores medicos ſuperaſſe, quòd illi de victu ægrotantium perperam tractauerint, de victu ſanorum omnino non egerint. Plurimi itaque facit rationem victus, neque immeritò, magni enim eſt momenti, & in curandis morbis, & in tuenda valetudine. Dicitur nomen διαίτης de moderato vſu omnium rerum non naturalium, peculiariter verò cibi & potus. Ob id de his agit hac oratione, aliis quæ iam ſequentur aget de aliis rebus externis, quas oportet medicum moderari : agit verò de eis omnibus adeò breuiter, vt duorum alterum videatur, aut ſcripſiſſe hæc ſibi ſoli memoriæ gratiâ, dilatanda alibi, & vt hinc acciperet materiam aliis libris componendis : aut facere velut epilogum multorum, quæ alibi dicta ſunt. Διαῖτα itaque conſtat peculiariter ijs quæ ore accipiuntur, quorum duo ſunt genera, cibus, & potus, quæ alibi vocat alimentum humidum, & alimentum ſiccum. Eſt autem potus, ſeu alimentum humidum duplex, quoddam enim eſt potio nutriens, quoddam tantùm potus : vnde oriuntur tres differentiæ, de quibus exactè diſſerit lib. de ratione victus in acutis, cibus, ſorbitio, & potus. Victus qui his conſtat, primas differentias accipit ex quantitate ingeſtorum, ex repletione inquam, aut inanitione, hoc eſt, adiectione, aut detractione : vnde fit victus craſſus, aut tenuis, aut moderatus. Horum mutationes dicit conſiderari debere, prout ſe habeant, quum ex aliis in alia fiunt, hoc eſt, qui & quando debeant potu pro cibo vti, aut contrà à potione ad ſorbitionem, aut ab hac ad cibos craſſos transferri, & omninò à victu craſſo in tenuem, aut à tenui in craſſum, & quomodo id agendum, an procedendum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 379 sur 489

©BIUM

detrahendo, an adijciendo. Huc ſpectant omnia, quæ in libris de ratione victus diſputata ſunt aduerſus medicos Gnidios, & quæ prima particula aphoriſmorum, & alibi, quæ omnia nunc repetere eſſet longum, neque admodum vtile, cùm ſint ſuis locis ſatis explicata.

A

Odorum oblectantium, moleſtiam inferentium, implentium, & placantium mutationes obſeruandæ ſunt, ex quibus contingant, & quomodo ſe habeant.

B

Odores etiam ponit Hippocrates in victus materia libello de alimento, vt & in aphoriſmo, & alibi dicens. Quicunque veloci appoſitione indigent ijs humidum ad reficiendas vires optimum eſt. Quicunque verò adhuc velociori indigent, per olfactum. Eorum nunc refert differentias, & præcipit conſiderare, vt fieri debeant mutationes. Odorum paucas differentias agnoſcunt homines, vt Ariſtot. dicit, atque ob id de bono aut malo, ſeu grato & ingrato odore ſolum loquuntur. Boni odores ſunt duplices quidam iucunditatem ſolùm præ ſe ferunt, ſine vlla alimenti qualitate, aut ſaporis ſignificatione, vt odor muſci, gallæ, & ambræ (his odoribus ſolos homines delectari putat Ariſtoteles, haud ſcio an id poſſit indicare) quidam alij ſunt propriè odores ciborum, vt carnium, & recentis panis. Primos odores vocat Ariſtoteles delectantes, ſecundos replentes. Quia primi delectant magis quàm nutriunt, ſecundi nutriunt potiùs. Hinc fit, vt primi odores ſint iucundi ſaturis, ſecundi nonniſi famelicis. Horum vtrique ſunt placantes, hoc eſt, ſedantes anxietates, & multas animi inquietudines. Multæ enim naſcuntur ex debilitate, aut ex qualitate aliqua maligna interiùs genitarum fuliginum, quas odores aut nutrientes, aut iucundi placant. Alij verò ſunt odores ingrati, aut moleſtiam inferentes. Quorum etiam video eſſe duplex genus, quidam enim ſunt fœtores putidi, quales ſtercoris, aut ſaniei, & tales ſemper naſcuntur à putredine: alij odores moleſti, qui citra omnem putreſcentiam rebus quibuſdam naturales ſunt, vt galbano & bitumini. In his quoque iubet conſiderare mutationes, quomodo fieri debeant, ſæpe enim expedit voluptatis gratiâ vti delectantibus, ac nonnunquam gratia refectionis pro eis vti replentibus, quinetiam pro placantibus oportet aliquando vti moleſtiam inferentibus. Velut ſi cernens mulierem animo linqui admoueas illius naribus odores delectantes, aut replentes, videâſque illam ob id magis ſuffocari, intelliges morbum eſſe vteri præfocationem, & commutabis cum inferentibus moleſtiam. Quia odores grati ſunt placantes, placaris autem cerebro & reliqua reſpiratione, ſuffocatur multò magis mulier: contrà inferentes moleſtiam irritant, & excitant cerebrum, & reſpirationem augent, & excuti faciunt morbi cauſam citiùs. Igitur oportet ſcias odorum ſpecies commutare, & qualibus vti debeas in quacunque occaſione.

C

Irruentes, ingredientes, & egredientes ſpiritus, aut etiam corpora conſiderare oportet.

Externa etiam ſpectant ad victum, vt dixi, ob id poſt ea quæ intra corpus aſſumuntur, externorum quæ contactu lædunt aut proſunt mentionem facit. Ἐπιπλοῦσα πνεύματα vocat ventos, illi enim irruunt in nos: aër verò quietus nos circumſtat. Ingreſſus & egreſſus horum iubet curam gerere. Non certè exigua pars medici muneris eſt, curare vt ingreſſum & egreſſum habeat aër, quantum, quando, & qua parte oportet, in domum quam inhabites ſanus, aut in qua decumbas ægrotus: idque iuxta naturam morbi, & qualitatem venti conſiderandum. Nam ad pleuriticum non admittes Boream, neque ad peſtilenti febre occupatum, Auſtrum. Porrò cui ſudores ciere, aut copioſam euacuationem inſenſibilem voles, concludes cubiculum; cui voles attemperationem moliri, aperies vt pateat vento introitus & exitus. Neque ſolùm ventos conſiderare iubet, ſed etiam corpora, hoc eſt, res alias omnes quæcunque corpus poſſunt tangere, denique res omnes exteriùs accedentes. Vocat verò corpora ad differentiam ventorum, quaſi venti corpora non ſint, iuxta eam phraſim, qua Ariſtoteles in phyſica doctrina dicit aërem eſſe incorporeum, quia tenuis eſt.

D

Sermones ſint meliores: quidam autem triſtitiam afferunt.

Curare debere medicum, vt apud ægrotum habeantur ſemper ſermones meliores, & non qui contriſtent dictum eſt anteà ſectione ſecunda huius ſexti libri his verbis. Vt omnia circa ægrotantem ſedulò adminiſtrentur, quædam de morbo ſunt interroganda, videndum qualia ſint quæ narrat, vt accipiendi ſermones, quænã pertineant ad ægrotantem, quæ ad aſſiſtentes, & ad externa.

E

In lingua etiam ex quibus quænam allician-tur, videndum.

Lingua, vt dictum eſt ſectione quinta, ſignificat humores noxios vt lotium. Ex pallore quidem vireſcens eſt à bile, rubra à ſanguine, nigra à melancholia: cauſa eſt vt in commentario eius loci explicuimus, quòd lingua alliciat ad ſeſe ſeu excipiat ab interno corpore fuligines ſuccorum qui redundant. Itaque à qualicunque excremento allicit fuligines illud referentes. Si igitur velis ſignificationes accipere à lingua, ſcire debes quænam ex quibus alliciat. Nimirum allicit ex bilioſis flaua, aut chlora, ex ſanguine rubra, ex pituitâ alba, ex melancholiâ nigra.

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 380 sur 489

A

VIdendum etiam quanta ſit aëris caliditas, frigiditas, craſſities, tenuitas, ſiccitas, humiditas, an repleat plus aut minus, in quibus quænam fiant mutationes, ex quibus, & quomodo ſe habeant.

Per πνεῦμα nunc intelligit aërem qui nos circumſtat, à quo magis ac faciliùs quàm ab vlla alia re noſtra corpora alterantur, quia & vndique nos continet, & intrà in ipſum cor continenter aſſumitur. Ob id maximè ſunt obſeruandæ aëris mutationes, procurandæque vtiles & cauendæ noxiæ. Nam, vt anteà diximus, morbos longos, & quos nulla alia cauſa curare poteſt, aëris ſola mutatio ſanare ſolet. Repentinæ autem temporum mutationes (mutatur verò aër, ſecundũ anni tempora, & regiones) maximè pariunt morbos, vt dicitur in aphoriſmo, & per aëris infectionem tranſmittuntur omnes contagiones. Conſiderandum ergo ab aëris differentijs mutationes, quænã, ex quibus, & quomodo ſe habeant, ideſt, quęnam mutationes ſint bonę, & quęnã malę. Id verò ſcire nequit, niſi qui ſciat priùs, quę ſint aëris qualitates, à quibus differentias poteſt accipere. Eæ ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, craſſities, & tenuitas, & replens plus, aut minùs. Eſſe tempeſtatem tempeſtate, & regionem regione calidiorem aut frigidiorem, & humidiorem aut ſiccio-rem res eſt notiſſima, ſed & craſſiori aut tenuiori aëre frui dicitur alia quàm alia regio, & minùs aut plus replente, replente inquam capita eorum, qui in eo aëre verſantur. Quanquam hæ differentiæ B C D videntur eſſe illis poſteriores, & ab eis naſci. Tenuis enim aër eſt, qui ſiccus & purus, velut qui in locis ſublimibus, & quę boreâ perflantur: craſſus, qui humidus & impurus, vt qui in locis humilibus, & iuxta aquarũ ſtagna. Et qui aër boreæ qualitates imitatur, frigidus, & ſiccus, & tenuis, & purus, hic minimè replet capita, ſed pura reddit, & ſenſus acutiores, & ingenioſores facit homines: qui contrà eſt calidus, humidus, craſſus, & impurus, hic replet capita, & ſenſuum parit hebetudinem, & homines ad diſciplinas ineptos reddit. E

COntinentia, contenta, impetum facientia corpora ſunt conſideranda.

Hæ ſunt tres ſubſtantiæ, quę naturaliter in noſtris corporibus ſunt, Continentia ſunt ipſæ partes: contenta, ſucci, ſeu humores: impetum facientia, ſpiritus. Qui duplices ſunt, alij vitales, qui in cordis ſiniſtro ventriculo gignuntur, & in omnes partes impetu feruntur per arterias, & facultatis vitalis ſunt inſtrumentum: alij animales, qui gignuntur in cerebri ventriculis, & in neruos irruunt, quoſdam eorum totos penetrantes, alios quadantenus, & facultatis animalis ſunt inſtrumentum. Horum demonſtrationes in libris phyſiologicis pluries ſcriptæ ſunt à me, & multò anteà à Galeno. F

SErmonis & ſilentij habenda eſt etiam ratio. Dicere oportet quæ velit æger, quibus ſermonibus vtatur videndum, ſine magni ſint ſiue multi, ſiue veri ſiue conficti.

Iubet Hippocrates medicum loqui, & tacere ad gratiam ægrotantis, & dicere quæ ille vult, & eis verbis quibus ille dici velit, ſiue opus ſit magna, ſiue ſummiſſa voce vti, ſiue multis dicere, ſiue narrare vera, ſiue aliquid fingere. Quid ergo? Num hęc ſcurrilitas eſt? Non certè. Non enim in aſſentationem, ſed in vtilitatem debent hæc tendere. Neque enim dicendum eſt, quod ęgroto obſit, etſi placeat, ſed quod ita placeat, vt etiam proſit, aut non obſit. Pertinet hæc ſententia ad illam ſectionis quartæ, quâ dicebatur; In his gratificandum eſt ægrotis, qualia ſunt introitus, ſermones: & ad illam quam nuper citauimus ex ſecunda ſectione, qua dicitur, vt omnia circa ægrotantem ſedulò adminiſtrentur, quędem de morbo ſunt interroganda, videndum gratia ſunt quę narrat, vt accipiendi ſermones.

SCire oportet vnde prodeuntia initium ceperint, & vbi ceſſauerint, & quantum diuulſa ſint; & colores ex quibus aut calor, aut ſalſedo, aut dulcedo, aut tenuitas, aut craſſities ſignificatur, num æqualiter vel inæqualiter corpori & quo tempore adueniant. Quales mutationes ex qualibus fiant conſiderandũ.

Quæ oporteat conſiderare in euacuationibus quibuſcunque hac oratione complexus eſt, imprimis vnde cœperint, & vbi ceſſauerint, hoc eſt, quantum productæ ſint. Illud enim maximè exoptandum in euacuationibus, ſiue ſpontè, ſiue cum medicamento factis, vt tempeſtiuè incipiant, & quouſque oportet producantur, neque ceſſantes priùs, neque procedentes vlteriùs quam oporteat. Incipiunt autem tempeſtiuè ſpontaneæ, poſt ſigna concoctionis in die decretorio: non ſpontaneæ à medicamento alterato, hoc eſt, tantò poſt acceptum pharmacum, quantum, vt illud ad actum deducatur, videatur eſſe ſatis. Ceſſandi verò tempus eſt, non ante perfectam, ſiue iudicationem, ſiue expurgationem, ſed mox atque perfectę ſunt. Vt neque ſũperpurgatio, neque ſuperflua iudicatio fit. Et quantum (inquit) diuulſa ſint, hoc eſt, quantùm intermiſerint. Vocat enim nunc diuulſas ſiue deiectiones, ſiue vomitiones, ſiue denique euacuationes quaſcunque, eas quę non continenter fiunt, ſed intermiſſiones habent, & ſunt interciſſæ. Hoc quoque ad earum multitudinem ſpectat, nam quę multos dies durauerunt, nullos interim intermittentes, multò magis proſternunt vires, quàm quę intermiſerunt. Iubet deinde conſiderare qualia ſint quę exeunt, plurimùm enim refert ſcire, an qualia oportet purgentur. Huc pertinent colores, ij enim ſpeciem ſuccorum exeuntium maximè indicant: quam ob cauſam tam multa de deiectionum, & vrinarum, & ſputorum coloribus ſcripta ſunt ab

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 381 sur 489

Hippoc. & Gal. & aliis omnibus medicinæ autoribus. Calorem quoque conſiderare iubet. Nam calor ſignificat bilis redundantiam, aut exuſtionem. Hunc verò debet ſentire ipſe ægrotus: non enim medicus debet excrementa tangere: atque multò minùs guſtare, vt ſentiat ſalſedinem, aut dulcedinem: quapropter duò hæc verba accipi hic debent metaphoricè, veluti ſectione prima, vbi dicebatur, febres aliæ ſalſuginoſæ. Illud enim ſalſuginoſum dicebatur ad tactum, quod rodit tactum, velut à ſalſugimoſo roditur guſtus. Dicimus hoc modo vrinam exire, ijs qui eius ardore laborant, calidam & ſalſam, hoc eſt, rodentem. Ita etiam ſentit is qui deijcit, exire quiddam vrens, & rodens podicem. Dulcedo verò dicitur, quod huic contrarium, hoc eſt, quod expers eſt mordentis, & rodentis qualitatis: tenuitatem etiam & craſſitiem conſiderari debere, conſtat, cùm ea ſit inſignis humorum differentia, & ad morborum & curationum differentiam plurimùm valens. Hæc omnia poſſunt accidere excrementis æqualiter, aut inæqualiter aduenientibus ſecundùm corpus, aut ſecundùm tempus. Deiectio ſecundùm corpus ſuum inæqualis eſt, cuius partes diuerſæ ſunt, ſecundum vnam aut plures dictarum qualitatum, vt variegata, aut alia parte craſſa, alia tenuis: ſecundum tempus inæqualis eſt, quæ nunc habet hoc nunc illud: vt quę ſemper habet eodem modo eſt æqualis. Quam æqualitatem in prognoſtico expoſuit, dicens æqualis per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Poſtremo conſiderari iubet mutationes, quales ex qualibus habeant, hoc eſt, vt habeant ſe, quæque bonæ quæ malæ mutationes ſint. Nam vt dicitur in aphoriſmo, mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat. Itaque ſunt mutationes ad bonum & ad malum, quas agnoſcere & conſiderare oportet.

NVm inceperit eructationem nec obtinuerit, videndum.

Dicta ſunt ea quæ ſpectant ad præcipuas & maximas euacuationes, vt ad deiectionem & vrinam. Nunc de quibuſdam puſillis agit peculiariter, vt de ructu, & de lachrymis. In ructu illud dicit conſiderandum, an is qui eructare incepit obtinuerit, ideſt, perfecerit eructationem, an non, ſed ſolum inceperit. Nimirum vt eſt quidam motus, per quem reijcitur quod in ventriculo continetur, ſiccum aut humidum, qui vocatur vomitus, & alius velut inchoatus tantum, per quem nihil reijcitur, quæ vocatur nauſea: ita eſt quidam ructus, per quem reijcitur facilè ex vētriculo aër: alius inanis ructus, & per quem incipit homo eructare; nihil tamen emittit. Quod fit cum adeſt flatus, qui ventriculum irritat, non poteſt tamen expelli, velut nonnunquam etiam euenit in inteſtinis, quod flatus plurimum diſtendat inteſtina, neque diffundi, & extenuari à calore poſſit, vel quod expultrix debilis ſit. Quod in colicis ſæpe fieri videmus. Ij enim torquentur vehementer, donec poſſint eructare, & pedere, interim vero neutrum poſſunt facere: cum vero poſſunt, ſubleuantur, vt etiam hypochondriaci cum eructant, ſi vero aggrediuntur, incipiuntque eructare, non tamen obtinent, anguntur, & malè habent. Neque tamen ſolum hoc in eructatione conſiderandum, ſed quanta etiam ſit, vt an multa, magnaque, an pauca & parua: & qualis, vt an nidoroſa, an acida, an qualitatis expers. Nam longè diuerſas præſtant hæ differentiæ ſignificationes. Multa enim & magna multum flatum: nidoroſa calidam corruptionem: acida frigidam: qualitatis expers, flatus generationem ſine corruptione. Putet aliquis non immerito hanc orationem partem eſſe narrationis alicuius longioris, pendereque ab aliis verbis, quæ deſiderentur, quandoquidem quaſi de aliquo homine agatur, dicit ἤρξατο ἐρυγεῖν, οὐκ ἐκράτησε. Vtcunque hoc habeat, nihil refert. Nam incipere eructationem, & non obtinere, ſignificat quod dictum eſt.

LAchrymæ conſiderandæ an volenti vel nolenti effundantur, multæ vel paucæ, calidæ vel frigidæ, in his quoque craſſitiem & ſaporem ſpectare oportet.

Quæ in lachrymis conſideranda ſunt continet hęc oratio, & ex quibus diuerſæ naſcuntur ſignificationes: imprimis volenti, an nolenti exeant multum refert, quia, vt in lib. 1. huius operis comment. 2. dictum eſt, lachrymæ ſpontaneæ inſalubriter affectis ſignificant fluxum ſanguinis, in aliis mortem. In prognoſtico etiam vituperauit ſponte exeuntes, atque etiam in aphoriſmo. Multæ etiam an paucæ ſint, oportet conſiderare, ſiue ſpontaneæ ſint, ſiue non ſpontaneæ. Si enim ſint ſponte exeuntes & multæ, deteriorem ſignificationem præſtant, quàm ſi paucæ. Quamcunque enim malam cauſam indicent, eam indicant maiorem: ſi vero non ſponte exeant, ſed ob mœſtitiam quis lachrymetur, copioſæ lacrimæ in bene valentibus ſignificant cerebri multam humiditatem: in iis, qui ſunt in acutorum morborum vigore ſignificant conſtantem facultatem. Qui ſunt morti proximi non poſſunt lachrymari, aut non copioſè. Frigidæ & calidæ lachrymæ, vt rectè cenſuit Ariſtot. ſectione 31. problematum, eaſdem ſignificationes habent, quas frigidus & calidus ſudor. Nimirum, vt dixerat ſectione 5. lachryma ſudor oculi eſt. Itaque frigida crudam humiditatem, calida concoctiorem ſignificat. Hanc ob cauſam dicit Ariſtot. eo loco, lachrymas eorum qui ob mœrorem flent calidas eſſe, eorum verò qui ob morbos oculi, frigidas. Id quod de morbis pendentibus ex crudis ſuccis intelligē. Nam ſunt quidam morbi oculorum calidi, per quos deſtillant lachrymæ etiam vrentes. Verum vt caliditas tanta ſignificat vſtionem, ita naturalis ſignificat concoctionem, & frigiditas cruditatem. Eaſdem habet ſignificationes tenuitas, & craſſities lachrymarum. Hęc enim concoctionem, illa cruditatem indicat, vt & in vrina. Quandoquidem enim vrina & ſudor ex eadem materia ſunt, & lachryma ſudor quidam eſt, profectò omnium horum tenuitas & craſſities indicant eodem modo. Hanc ob cauſam lippa, vt Ariſtot. 4. metcororum eſt autor, concoctionis & matu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 382 sur 489

ritatis est nota, quia ex crassescentia lachryma fit, crassitiem verò parit concoctio. Saporem quoque lachrymarum considerari iubet, quem sanè is ipse qui lachrymatur potest facilè sentire, cum defluunt per genas. Naturalis earum sapor, vt Arist. loco citato ex quinta sectione problematum dicit, est salsus, vt & reliqui sudoris, & vrinæ. Induit tamen alios sapores iuxta speciem succi redundantis; amaritudinem quidem, ob biliosam cacochymiam: aciditatem ob melancholicam, dulcedinem ob sanguinis redundantiam: Hæc verò præcipuè in capite lachrymæ significant.

Considerandum an æger sputum per se excreet, an tussiendo reiiciat.

Modus excreationis locum vnde exit indicat, quapropter ad loci malè affecti notitiam plurimum confert. Nam ex thorace nihil exire potest nisi tussiendo; excreatur verò citra tussim quod ex capite defluit, aut ex ventriculo regurgitat. Sputi conditiones; & differentias omnes in prognostico complexus est vno capite.

Vomitus.

Vomitum etiam ponit inter euacuationes, quarum haberi ratio debet, differentias verò hic non scripsit, tantum monuit ne omitterentur. Scriptæ autem sunt diffusè satis in prognostico, & in vnum caput repositæ.

Solis æstus, frigus, humectatio, siccitas considerandæ sunt. Mutatio per quæ, ex quibus, & ad quænam se habeat.

De temporum mutationibus scripsit hæc, easque maximè morbos parere libro tertio aphorismorum dicit. Hæ sunt autem temporum conditiones præcipuæ, secundum quas euenit mutationes fieri: Solis æstus, frigus vehemens, irrigatio, hoc est, pluuiæ multæ, & siccitas, hoc est, pluuiæ defectus. Nam aliæ conditiones, quæ præter has considerãtur, ad hac etiam referuntur. Tempus enim quo ningit frigidum & humidum est; quo flatus sunt boreales, frigidum & siccum plerunque; vt cum austrinis plerunque calidum & humidum. Qui verò cõditiones anni & temporum mutationes cõsiderat, non solum considerat qualia fiant, sed etiam ex qualibus, neque solum hoc, sed etiam per qualia. Multum enim refert, vt hi aut illi morbi fiant. Velut si trãseatur ab hyeme sicca & aquilonari, in æstatem calidam & siccam, qualis esse consueuit, per ver pluuiosum & australe, fient in æstate febres acutæ, & lippitudines, & dysenteriæ. Si verò contrà ab hyeme australi & pluuiosa transeatur in æstatem, per ver siccum & aquilonare, fient minus malignæ febres, abortiunt tamen mulieres. Si verò ab hyeme australi, & pluuiosa transeatur in æstiuum calorem, per ver etiam blãdum, longè periculosior esset annus, & magis malignæ febres, quia hyemis humiditatem veris flatus aquilonares emendant, faciúntque ne calor tantam excipiat humiditatem, & acutæ illæ febres quæ fiunt, cum ex hyeme sicca & aquilonari transitur in æstatem, per ver austrinum & pluuiosum, multò magis fierent, si hyems etiam fuisset blanda & veri similis, atque minus etiam si æstas non superueniret calida, sed à multis ventis perflaretur; itaque refert plurimum in qualia, & ex qualibus, & per qualia mutationes fiant. Vt in qualem æstatem, ex quali hyeme, per quale ver, & quodcunque horum est causa differentiæ alicuius in morbis qui superueniunt: Eadem autem est ratio considerandi aliorum temporum mutationes, vt ex quali æstate, per qualem autumnum, in qualem transeatur hyemen. Nam ita etiam dicitur in alio aphorismo: Si verò æstas sicca fiat, & aquilonaris, autumnus autem pluuiosus & australis capitis dolores ad hyemem fiunt.

Considerare oportet labores, otia, somnos, vigilias, insomnia, & quæ in somno accidunt, & cubilia in quibus ægri decumbunt, & ex quibus transferuntur.

Moderari oportet medicum labores & otia, somnos & vigilias: maxima enim pars est hæc artis tuendæ valetudinem, & curandi morbos: considerare etiam debet insomnia. Quantum enim conferat ea consideratio ad prædictionem in morbis, dixi ego in commentario prognostici, sed & ab Hippocrate, Galeno, Aristotele, & Theophrasto licet id discere, qui omnes de præsagitione ex insomniis scripserunt, præter alios quosdam neotericorum, qui etiam scripserunt de eo argumento. Cubilia quoque docet videre, in quibus debet ægrotus decumbere, & ex quibus in quę mutantur. Quidam contemplantur diligenter cubilis positum, an spectet caput decumbentis ad meridiem, an ad septentrionem, an ad orientem, & de his superstitiosa quędam loquuntur, & difficilem somnum, insomnia, aut inquietudinem in tales referunt mutationes. Verum hęc omnia vana sunt, & vulgaria. Ego cubilis positum non ad cœli, sed ad cubiculi angulos, & fenestras, ac ianuas, & vt anteà dicebatur ad irruentium spirituum ingressum, & egressum, velim eligi. Verum cubili lectè locato, in obscuro aut claro loco, vt cuiusque fert consuetudo, aut morbus, eæ videntur differentię esse, sublime esse ceruical aut demissum, molle esse cubile aut durum. In quibus eligendis consuetudo est facienda maximè, quo ægrotus decumbat sine dolore. Non contempsisse autem Hippocratem hęc minutulla, intelliges ex iis quę secundo de ratione victus in morbis acutis, his verbis scripsit. Nam & lectus præter morem mollis dolorem inducit, itemque præter consuetudinem durus, sed etsi sub dio præter morem lectus sternatur, corpus indurat. Considerandum ergo in quibus, & ex quibus. Si enim quis sub dio consueuit in solo decũbere, lędetur in valdè concluso loco, & molli lecto, atque hic si agrotet, rectius feceris, iubens decumbere in duro cubili, & loco qui plu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 383 sur 489

©BIUM

rimùm ventiletur, quia alioqui dolebit, angetur, neque dormire poterit: is vero qui aſſueuerit molliſſimo lecto in reconditiſſimo loco, non poterit ſine periculo dormire ſub dio, quia durabitur & denſabitur eius corpus, vnde ventilatione prohibitâ graues morbi fient.

Mentis cogitatio ipſa ſecundum ſeipſam ſine organis & rebus mæret, gaudet, & terretur, & confidit, & ſperat, & deſperat. Velut Hippothoi puellæ accidit, quæ in animo ſciebat per ſe ipſam, ea quæ in morbo fiebant.

Videtur hæc oratio multorum mirabilium problematum cauſam continere, & pendere ex philoſophica contemplatione. Nam ſi mentis cogitatio, ſeu mens ipſa quæ cogitat, per ſe ipſam moueri poteſt ſine rebus, hoc eſt, ſine externis obiectis, facilè intelligi poteſt cauſa diuinationis ſimpliciter, & eius quæ accipitur ex inſomnijs. Nimirum ſi mens per ſe moueretur, perinde intelligere poſſet, atque ſi à corporis vinculis abſoluta liberè vagaretur, quare cognoſcere poſſet tum quæ alibi agantur, tum quæ intra proprium corpus, etiamſi nullis externis ſenſibus ſint obiecta. Velut inquit accidiſſe Hippothoi puellæ, quæ in animo, ideſt, non per externos ſenſus per ſe ipsã, hoc eſt, nullo illi narrante, ſciebat quæ in morbo fiebant, vt fortaſſe partem internam, quæ malè eſſet affecta, & eius affectionem. Multa huiuſmodi narrant Hippocrates, Galenus, Ariſtoteles, & Teophraſtus, libellis de præſagitione ex inſomnijs, concedúntque hi omnes, videri animam multa vaticinando dicere. Narrantur etiam ab omnibus quamplurima, & ad me nonnulla delata ſunt, à viris non contemnendę autoritatis ad diuinationem pertinentia. Quæ ſanè omnia motus eſſe videntur animæ ipſius per ſe, non ex corporalibus incipiens inſtrumentis, neque ex obiectis rebus. Siquidem dicunt, quæ neque vident, neque audiunt, neq; vllo alio ſenſu percipiunt. Pendet autem quod hic dicitur ex philoſophica contemplatione, quia quibus placet Platonis de anima ſententia: hominem præcipuè eſſe ipſam animã, eamque eſſe intra corpus, & illi vinculis quibuſdam alligatam, non vt corporis actũ, ſed vt externum quiddam, & ſeparabile, & vt nautã in naue, aut moderatorem in vrbe. Denique ipſam vti corpore, vt re quadam extra ſuam ſubſtantiam conſiſtente: ij inquàm, quibus hæc ſententia placet, dicunt animã ipſam eſſe per ſe omniſciam, ſeu omnium rerũ gnaram, (nihil enim denuò diſcere) immerſam autem in corpore, & ei alligatã, vix poſſe quicquam cogitare, præter id quod ipſi ſenſus offerant: aliquando verò moueri etiam per ſeſe, & quædam contemplari: atque hac in re homines quoſdam aliis præſtare, quod non omnium animæ ſint æquè vinculis illis ligatæ: ſed aliæ plus alijs, ob diuerſam corporum naturam. Velut imprimis melancholicis corporibus cenſent minoribus vinculis alligatas eſſe animas: atque ob id horum multos, cùm dormiendo, tum etiam vigilando diuinare: quod ſcilicet animabus vtpote minùs alligatis liceat vagari magis. Hanc dicunt eſſe cauſam ob quam dormiendo magis quàm vigilando diuinetur, quòd ſcilicet mens minùs ab externis ſenſibilibus interturbetur, quominùs per ſeſe moueri poſſit, & in ea quæ longè abſunt ferri. Multa huiuſmodi dicunt Platonici, quibus facilis eſt huius orationis interpretatio. Cuibus verò ſententiam veriſſimam hac in parte certum eſt ſequi, hominem ſcilicet conſtare corpore & anima, atque hanc etſi ſeparabilis ſit, ſeparatam tamen imperfectum quiddam eſſe, & alterius partis indigum, quòd naturalis quidam actus corporis ſit, non concedent poſſe animam dum hoc corpore cõtinetur, ſeu, vt dicam meliùs, dum hoc corpus continet, poſſe quidpiam agere ſine corpore, nam ne ipſum quidem intelligere, ſecũdum quod ſeparabilis eſſe cognoſcitur, poteſt agi ſine phantaſmatis corporalibus: nedum timere, gaudere, ſperare, & deſperare, quæ ad cordis vim ſpectant. Hi de diuinatione aliter ſentiunt. Duplicem ſcilicet eſſe præſenſionem, alterã naturalem, quæ fluit ex naturalibus quibuſdam ſignis: alteram diuinam. Signa rurſum naturalia quædam eſſe extra nos, quædam intra, atque adeò ex externis præſentiri externa aut interna: & ex internis interna aut externa. Ex externis externa, vt agricolæ ex vento qui flat præſentiunt pluuiam, aut ex auium volatu, aut cœli facie: Ex externis interna, vt medicus ex cœli ſtatu præſentit futuros morbos. Ex internis externa, vt podagricus, aut hernia laborans ex doloribus præſentit pluuiam: Ex internis interna, vt ex dolore partis futurum in eam abſceſſum. Pertinet itaque ad hanc naturalem præſenſionem Aſtrologia iudicaria ſi quæ eſt, & medicinæ pars prognoſtica, cuius vna quædam pars eſt (vt in commentario prognoſtici Hippocratis indicaui) quæ vtitur inſomnijs. Fit enim etiam hæc naturaliter, neque anima quidem ſeorſum (neque enim poteſt) ſed ſimul cum corpore ſentiente. Proponatur enim nobis gratia exempli is quem Galenus narrat ſomniaſſe, crus ſibi factum eſſe lapideum, quod citiſſimè illi reſolutum eſt: allegoricè itaque præmonſtrauit anima reſoluendum crus, dicens eſſe factum lapideum. Nunquid anima cum ſeſe colligit ab externis ſpectaculis, quibus cum vigilaret homo detinebatur, perluſtrat proprium corpus, videtque quæ interiùs aguntur, & quæ vult declarat, nunc apertè, nunc allegorijs vtens poëtarum modo? Non ſanè. Nam hoc ipſum poëticum eſt, & inſomnio ſimile. Sed oportet hic meminiſſe, indicatum à me alibi eſſe, imaginandi vim, etſi in cerebro vigeat, non tamen in eo ſolùm contineri, ſed inſeparabilem eſſe à ſenſu, atque ob id in omni parte ſentiente eſſe. Cùm igitur ſenſu præditæ in nobis ſint, non minus internæ partes, quàm quæ ad cutem ſunt, euenit, vt ceſſantibus motibus ſenſuum, qui inter vigilandum ab externis rebus cientur, quibus animus occupatur, quominùs motus minores animaduertat, ſentiant partes internæ ſuas ab internis cauſis paſſiones cum imaginatione quadam, atque ea imaginatio inſomnium eſt. Cum igitur paſſionem diſtinctè ſentit, diſtinctè etiam imaginatur, atque tunc apertè ſomniat quid patiatur, vt fortaſſe

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 384 sur 489

puellæ Hippothoi euenit: cum autem non ſentit diſtinctè, imaginatur quaſi ſimilem quandam paſſionem, & inde naſcitur allegoria. Plurima horum cenſendum eſt accidere dormientibus, quorum ob leuem imaginationem, non eſt experrectis recordatio. Cum verò eſt paſſio vehemens, quæ cerebri excitat imaginationem, accidit ſomnij recordari, & ab eo accipere ſignificationem. Præſenſio diuina, quæ verè talis eſt, nullam habet intra nos cauſam, neque ex ipſis ſenſibus accipit exordium: ſed fit extrinſecus accedentibus phantaſmatis, & ſpectris quibuſdam oblatis ipſi animæ à dæmone, ſiue bono, ſiue malo. Eſt alia diuinatio vana, quæ vulgarib. & indoctis imponit, quaſi verè habeat aliquid diuinitatis, ea verò nullam habet cauſam certam, ſed caſu & temerè incidit, credulitas autem facit, vt quaſi certum quippiam accipiatur. Euenit verò hoc ijs præcipuè hominibus, quibus imaginatio eſt facillima, ita autem voco eam, quæ vix vlla in re conſiſtit, ſed per omnia agitur temerè; ſunt tales homines plerunque & loquaces, & hi ipſi vix vnquam dormiunt ſine inſomnijs. Atque quod ipſis ſeu ſomniantibus, ſeu tacite imaginantibus aliquando euenit, ſimile eſt ei quod loquentibus. Nimirum, vt quia loquaces ſunt temere loquuntur quædam, quæ cum poſtea eueniunt, videntur recordantibus cum quodam homine eſſe prolata; ita imaginantur, & ſomniant quædam, quæ qui hæc minùs intelligunt, putant referenda in numen. Res autem habet, vt dixi. Quare ſolum ſupereſt, vt præſcripta oratio, iuxta probabiliorem de anima ſententiam explicetur. Mentis cogitatio (inquit) ipſa ſecundum ſe ipſam, ſine organis, & rebus mœret, gaudet, & terretur, & confidit, & ſperat, & deſperat. Hoc eſt, cogitatio ipſa per ſe, ſine organis, hoc eſt, ſine ſenſibus externis, & ſine rebus, hoc eſt, ſine vllis externis obiectis, cauſa eſt vt homo mœreat, gaudeat, & aliis quibuſuis animi motibus moueatur. Nimirum, vt accidit melancholicis, qui non minùs mœrent & timent, nulla re triſti aut terribili ſenſibus externis occurrente, quàm ſi multæ tales occurrerent. Et hinc fit, vt multi ſomniantes, aut alioqui cogitabundi, omnia quæ ipſis per morbos fiunt agnoſcant, anima ipſa velut præſagiente, quod Hippothoi puellæ accidit.

Aetatem quidem ab ætate diſtinguere oportet, atque an priùs vel poſteriùs quàm conueniat aliquid accidat. Dentium eruptiones, pilorum ortus, ſemen plus aut minùs redundans, incrementum, craſſities, robur, diminutio.

Notas quibus ætates ab ætatibus diſtinguuntur continet hæc oratio, quas accipit Hippoc. ab iis quæ in quibuſdam vitæ articulis contingunt, cuiuſmodi præcipuè ſunt dentium eruptiones, ortus pilorum, in quibus ſunt coma, barba, & pubes, & ſemen, quod plus aut minùs redundat adoleſcentibus, & iuuenibus, cum quo ferè & barba & pubes incipiunt. Meritò autem dicit Hippocr. hæc diſtinguere ætatem ab ætate. Non enim definiendæ ſunt medicis, vt grammaticis, ætates annorum numero, ſed mutationibus temperamenti, quas mutationes conſequuntur ſigna illius modi: atque ob temperamenti differentiam illa ipſa fiunt quibuſdam priùs aut poſteriùs. Nimirũ differentia temperamenti cauſa eſt, vt neque æque viuaces ſint omnes, neque æquales habeant ætates. Conſiderare iubet, an hęc, aut horum quidpiam fiat priùs aut poſteriùs quàm conueniat. Conueniens eſſe dicitur omni in re, quod mediocre, & ad id dicitur quod plus aut minus. Velut nunc eſt quoddam tempus dentitionis, non idem omnibus, ſed mediocribus ſeptimus menſis, vt dentitio incipiat, ſeptimus annus vt dentium commutatio perficiatur: ſi cui ante id tempus incipit aut perficitur, id dicitur fieri prius quàm conueniat: vt ſi poſt fiat, dicetur poſterius quàm conueniat fieri. Pubes etiam & lanugo oriti incipit anno decimo quarto, vt & ſemen emitti. Quod prius aut poſterius fit, prius aut poſterius quam conueniat, fit. Id verò conſiderare expedit, quia non parum confert ad agnoſcendum temperamentum hominis. Quibus enim dentes citius ſolito oriuntur, calidiores ſunt & humidiores, quia calor vim augendi habet, & in humidis abundat materia: quibus tardius, ſunt frigidi & ſicci contrarias ob cauſas, aut alioqui debilem habent facultatem naturalem, impotentia enim quædam eſt. Seminis etiam præcox redundatia, indicat temperamentum calidum & humidum, nam illa eſt redundantia boni alimenti. Contrarium eſt ex cõtrariis cauſis. Pubes etiam & barba redundans, & priuſquàm expediat orta, caloris ſignum eſt, ſed non perinde humiditatis, quia fuligo cum ſit, ex qua pili accipiunt materiam, calidis etiam & ſiccis, ac proinde biliofis accidit: tardius fieri, eſt frigiditatis ſignũ vtcunque habeat altera qualitas. Nam & frigidi & humidi, & frigidi & ſicci ſerius pubeſcunt. His dictis enumerationem facit Hippoc. ætatum omnium. In quatuor eas omnes diſtribuens, quas his quatuor nominibus ſignificauit, incrementum, craſſities, robur, diminutio. Incrementi nomine intelligit pueritiam & adoleſcentiam, denique id quod vſque ad iuuentutem eſt, quę fere vigeſimo quinto anno incipit: craſſitiem vocat iuuentutem totam, quæ vſque ad trigeſimum quintum producitur: κράτιστον tempus conſiſtendi: reliquum vitæ eſt diminutio, & ſenium. Nimirum vſque ad iuuentutem creſcunt in longum corpora quantum poſſunt, tota iuuentute creſceſcunt, & corpulentiora fiunt: conſiſtendi tempore ſtant, corporis molem nullatenus amittentia, ac neque vires inſigniter: iam inde minuuntur omnia & corpora inquam, & vires. Hęc oratio in omnibus codicibus, tam græcis quàm latinis, habet verba quædam alia interiecta, quæ quia ineptam, & inconcinnam reddunt ſententiam, ego cenſui expungenda, & hoc modo reſtituendam lectionem.

Quod cognatum, & quod per ſe eſt, & quanto magis aut minus tale eſt, ſpectare oportet.

In morbis oportet conſiderare, quod cognatũ, & quod per ſe eſt, hoc eſt, quę pars laboret per

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 385 sur 489

se ac primario, & quæ per consensum. Vocat verò quod per consensum labotat ξυμπαθὲς .i. cognatum, quia causa sympathiæ est cõmunio quædam naturalis partium, velut os ventriculi & caput ob communes neruos, vterus & mammæ ob communes venas sese trahunt mutuò in compassionem. Refert verò quam plurimùm ad rectè suscipiendam curationem, an pars laboret per se, an per consensum, & quantò magis aut minùs tale est: nimirum hoc ipsum laborare per consensum, aut propriam passionem, recipit magis aut minùs. Quædam enim sympathiæ sunt, per quas omnino nihil passionis propriæ est in parte, vt cum pars tantùm priuatur, velut oculus, si neruus opticus obstructus sit: aliæ quæ habent aliquid, exiguum tamen & sine primaria passione non valens persistere, vt cum dolet caput ex ventriculo, & morbus nondum firmatus in capite est: aliæ etiam, quæ etsi secundariæ sint passiones, & ab aliis fluxerint, abierunt tamen iam in passiones proprias, vt si firmatus iam in capite sit dolor, qui aliunde inceperit.

ANni tempus spectandum est, in quo maturiùs aut seriùs aliquid contingit, & tempus in quo assiduæ pluuiæ aut siccitates acciduntˌ quod frigidum est aut calidum, in quo quidam flant venti aut nulli, & quales venti. Spectandum quoque est an hæc in temporis principio, vel medio, vel fine, aut assiduè, præterito aut præsente contingant.

Ad præsentiendum futurum temporis statum, aut ad cognoscendum statum præsentem, in quam causam referre debeas, considereꝭ oportet anni tempus quodcunque, vt ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Quæ tempora quia temperamentis à nobis definiuntur, possunt priùs aut posteriùs fieri, dicimúsque verissimè breuiorem hoc anno fuisse hyemem quàm superiori, quòd ver priùs inceperit. In tempore autem quocunque hæ conditiones considerandæ, vt paulò antè in hac ipsa sectione dixeramus, an pluuiosum sit aut siccum, an calidum vel frigidum, an ventis quibusdam aut nullis perfletur, & qui venti flauerint. Atque cùm soleant hæc, aut toto aliquo tempore sine intermissione fieri, aut quadam eius parte, considerandum an in principio, medio, aut fine. Neque parum refert, quia finis temporis cuiusque sequitur conditionem subsequentis: & principium antecedentis. Considerandum ergo, si rationem & causam morborum qui grassantur velis inuenire, quid præsenti tempore accidat, & quid præterito acciderit. Cùm enim ita natura sit comparatum, vt causæ effecta antecedant, morbi præsentes à præterita temporis conditione fluunt, accipiunt verò etiam differentiam à conditione præsentis, quare vtriusque oportet habere rationem. Hæc autem ita habere in enarratione tempestatum epidemialium, abunde explicatum est.

MOrbi horam & tempus considerare oportet, & quæ superueniunt, & circuitus, & ex circuitibus quinam maiores aut longiores sint, & incrementa: atque etiam totius morbi incrementum, aut remissio, aut vigor, & qui magis aut minùs perficitur, & quando & quomodo, & quo tempore & ætate.

Quæ considerandæ sint in ipsa temporis constitutione dixit priùs, nunc quæ in quocunque morbo considerandæ sint docet. Dicit considerandam horam morbi, & rursum paulo post eadem voce vtens dicit, καὶ ἐν αὐτῇ ὥρῃ, hoc est, & in qua hora, seu in quo tempore. Videri poterit repetitio inutilis & inartificiosa, quandoquidem eadem vtitur voce: verùm non est, illa enim vox ὥρη significat diei horam, vnde horologium dicitur & tempus anni, præcipuè æstiuum, vnde horarij fructus appellati sunt. In prima huius orationis parte significat horam diei, in vltima tẽpus anni: quod vt ego explicarem, in prima verti horam morbi, in secunda & in quo tempore. Dicit itaque considerari debere horam morbi, hoc est, quâ horâ inuaserit febris, aut qua hora exacerbationes fiant, an mane, aut vesperi, an noctis prima, an postrema parte. Non esse autem hanc considerationem superuacaneã docuit Hipp. in initio sect. 1. libri secundi, atque rursum in hoc sexto, vbi dixit, quatuor diei partes respondere quatuor partibus anni, & suum in quacunque earum moueri humorem, nocte media pituitã, medio die bilem, mane sanguinem, vesperi melancholiam. Hora igitur motus morbi confert nonnihil ad agnoscẽdum speciem humoris: considerare etiam iubet morbi tẽpus, quandoquidem autem temporis nomen aliud significat quàm horam, & quàm anni tẽpus, si quidem velut aliud quiddam dicitur posteà, & in quo tempore, non est aliud quod hic possit significare, quàm ipsam morbi constitutionem, hoc est, an morbus chronicus sit, an acutus, & natura breuis, in hanc aut illam partem finiendus citò. Hoc autem scire imprimis est necessarium, quia non poteris aliter victum instituere, neque agnoscere quantum debeas auxilijs instare. Vtrunque enim horum ad futuram morbi iudicationem accõmodatur. Ad hoc verò, ideſt, vt præsentiri possit morbi constitutio, considerari etiam debent quæ superueniunt, & circuitus, & ex circuitibus quinam majores, quinam longiores. Quia vt dictum est in aphorismo, atque in multis aliis locis Hippoc. cum huius operis, tum etiam aliorum. Paroxysmos & constitutiones indicabunt morbi, & anni tempora, & circuitum ad se mutuo incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue ex longiori tempore fiunt. Hoc ipsum colligitur ex ijs quę mox apparent, vt in pleuriticis sputum si statim ac incipit morbus apparet, cõtrahit: si autem posteriùs apparet, producit. Explicat deinde sigillatim circuituum partes, hæ sunt, incrementum, cuius nomine intelligitur tota accretio denuò repetentis paroxysmi, quæ constat principio & incremento. Et vigor, seu status paroxys-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 386 sur 489

mi: & remiſſio: & tempus interualli. In incremento conſiderandum, an tantùm creſcat ipſe morbus cuius eſt paroxyſmus, ſecundum ſpeciem propriam recipiens accretionem, an etiam accreſcat alter morbus: vtrunque enim fieri ſolet: Quibuſdam enim per paroxyſmum nihil noui accidit, ſed tantum creſcit quæ inerat febris: alij accedit delirium, aut coma, quæ paſſiones cerebri ſunt, quibuſdam etiam ſtranguria, aliis hæmicranea: aliis cardialgia: aliis alia eiuſmodi. In interualło conſiderandum, qui morbus magis, & qui minùs finiatur, quædam enim remiſſiones in ſolutiones integras perueniunt, quædam propè, aliæ etiam longè. Hoc autem ipſum confert, quando & quomodo fiat, hoc eſt, quomorbi die, & an per aliquam euacuationem. Si enim cum euacuatione inſigni in die decretorio ſit ſolutio, longè melius eſt quàm ſi aliter, aut alio die. Ad hæc autem omnia confert multùm, vt anni tempus (velut etiam in nuper citato aphoriſmo dicitur) ita & ætas ægrotantis. Nam vt ſui quique tempori ſunt familiares morbi, & ſolutionis modi, ita & ætati, vt præter multa alia loca tertia particula aphoriſmorum Hippocrates ipſe docuit.

Morborum populariter graſſantium natura ſpectanda eſt.

Conſiderare oportet naturam morborum populariter graſſantium. Ea enim conſideratio inter cætera confert quamplurimùm, ad agnoſcendam ſpeciem cuiuſcunque, qui ſe obtulerit. Vbi enim alioqui eſt dubia cognitio, talem eſſe morbum recte conijcies, qualem tunc temporis populariter graſſari noueris:

Atque ſi quis ſine vomitu inceperit, velut quum poſt epotum medicamentum aluus ſubſiſtit, aut parùm purgatur.

Cauſæ quoque procatarcticæ morborum conderandæ, quia illæ ſi adhuc manent cum morbo conferunt ad indicandam curationem, ſin non manent, ad cognitionem. Velut ſiquis morbus inceperit, quòd cùm biberit homo aliquid vomitorium, retinuerit, neque euomuerit, aut cùm acceperit alui ſubductorium, parum purgatus ſit. Nimirum multi apparatum aliquem morboſum ſentientes, vtuntur præſeruationis gratiâ medicamento vomitorio, aut ſubductorio, quæ res illud inter cætera habet periculi, vt ſi vacuatio non ſuccedat, motis excrementis, neque vacuatis, quæ anteà non aderat febris excitetur, quod & cauere debes, & vbi euenerit, perpendere mox, qualem reliquerit in corpore affectionem. Solet enim ventris, aut hypochondriorum inflammatio inde oriri: quare qui ob malè ſuccedentem expurgationem oborta febre, purgationem aliam adijciunt, quaſi priorem perfecturi, plurimùm errant, phlegmonem enim augent, deberent potiùs mox ſanguine miſso eius generationi occurrere.

Valdè candidi etiam ſunt ſpectandi quum fortaſſe febricitant, quorum etiam labia conſiderare oportet, qualis ſit modus, & tempora.

Illud ἴσως. τ. fortaſſe ſignificat, non ſemper ſed aliquando albidos eſſe febriculoſos. Quod revera ita habet, ſiue illud πυρετώδεις ſignificet homines febricitantes, ſiue febribus opportunos, & qui illis crebro corripiantur, etiam ſi nunc non febricitent. Nam quidam eorum quibus facies albida eſt & omni rubore vacua, febre tenentur aſſidua: quidam non ita, ſed crebrò in febres incidunt: quidam ex ijs omnino febriculoſi non ſunt, ſed cùm vitioſo illo ſint corporis habitu, febribus vix vnquam capiuntur. Quidam enim ſunt decolores & albidi, quòd multus illi aſſiduò fluat ſanguis ex hæmorrhoidibus, vt mulieribus ex vtero, aut etiam ex naribus: quidam ob frigidam intemperiem, & pituitoſam cacochymiam hepatis, & totius corporis. Atque hi omnes longè abſunt à febribus, etſi hydropi ſint opportuni. Alij ſunt decolores ob hypochondriorum, velut mulieres ob vteri obſtructiones, qui per ſanguinis ſuppreſſionem febricitant, quòd is qui oppilatus eſt ſuccus putreſcat, aut febribus corripiuntur crebrò, quòd ſcirrhoſi tumores viſcerum à ſanguine malè commeante fiant phlegmonoſi. Itaque πυρετώδεις ἴσως οἱ ἐχλευκοι, hoc eſt, quidam ſunt febriculoſi. Conſiderari verò debent horum labia, & qualis ſit eorum modus, & tempora. Nimirum quæ poſtremò his albeſcunt ſunt labia, vtpote quæ naturâ ſunt rubicundiora, quàm aliæ partes faciei, ac proinde cum ea ſunt iam alba maiorem temperamẽti corruptionem indicant, & ſunt quidem aliquibus ea ſola ruborem quendam retinentia, aliis iam partibus colore vacuis, aliquibus alternatè ex quibuſdam temporum interuallis ſunt nunc alba, nunc rubentia, idque vel ob interiùs excitatum motum, vt ſanguine aut calida fuligine in caput aſcendente, (id quod obſtructis viſceribus fieri cõſueuit) vel ob externam aliquam cauſam, vt cum ieiunis & nondum exercitatis albida ſunt, ſed in recens exercitatis, aut refectis ruborem quendam comparant, id quod accidit etiam frigidis & exhauſtis. Igitur refert conſiderare quomodo ſe habeant talium labia, & tempora quibus nunc rubent, nunc albida ſunt, ſi modò tales ſubeant mutationes, nam inde cognoſces quàm grauiter ſint affecti. Quia ſi ſunt etiam labia velut mortua ſine colore, grauis eſt corruptio; ſin nondum, leuior. Atque etiam inde dignotionem habebis febriculoſorum, & eorum qui tales non ſunt. Nam ſi erraticos quoſdam fumorum calidorum raptus in ſuperna ſequatur labiorum rubor, obſtructi ſunt & febriculoſi; ſin autem non, ſed ſolùm motum, aut refectionem, hi ſunt refrigerati, & abſunt longè à febre.

Corpus, opus in conſiderationem adducere oportet; viſus, auditus, naſus, tactus, lingua, ratiocinatio conſiderentur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 387 sur 489

Conſtat actiones læſas ante omnia conſiderandas eſſe à medico, quocunque ſe illi ægrotus offerat, ſiquidem ipſum ægrotare læſione actionum definitur, & dignotio loci affecti inde incipit. Ob id enumerationem facit Hippocrates actionum naturalium, quot enim naturaliter habent noſtra corpora actiones, tot modis poſſunt præter naturam lædi. Sunt autem duplices, quædam quę animalium ſunt propriæ, ac proinde animales vocantur, in quibus ſunt motus voluntarij, & ſenſus: aliæ, quæ non vt animalibus, ſed vt viuentibus accidunt, hæ ſunt quæ circa nutritionem, & naturalis caloris cuſtodiam verſantur. Has quæ non tam ſentientis animæ partis ſunt, quam ipſius corporis, vocat vno hoc nomine corpus. Itaque dicens corpus, intelligit actiones naturales, & quæ ſine ſenſu fiunt, in quibus ſunt etiam vitales vocatæ. Motum liberum vocat opus, omnia enim quæ hominum opera vulgò vocantur, in aliqua corporum aut partium tranſlatione conſiſtunt. Senſus enumerat, externos quidam ſigillatim, viſum, auditum, tactum, & odoratum, ac guſtum, quos partium nominibus vocat, naſum, & linguam: internos omnes ſenſus intelligit nomine ratiocinationis, qui autem & quot illi ſint, alibi eſt à me diſputatum.

TVmores in ſuperioribus palpebris relictos ſpectare oportet, nam quum alia extenuantur, morborum recidiuæ ſignificantur. Conſiderandæ ſunt etiam palpebræ in extremitate ſubrubræ & duræ, & quæ ex his ſunt viſcidæ & extumeſcunt, & quæ in his continentur, velut Pharſalo Polymedæ contigit.

Recidiuæ timeri debent, vbi corpora non manent perpurgata, ſed morborum cauſæ interiùs relictæ ſunt, id quod indicant vitia quædam immanentia, velut ſitis, & oris amaritudo, & faſtidium, & quæ nunc commemorat, & quæcunque alia eiuſmodi. Tumor palpebrarum ſupernarum relictus ex morbo aliis partibus extenuatis, ſignificat corpus impurum manere, atque ob id paratum ad recidiuas. Videmus enim eam partem ante alias intumeſcere, vbi corpora vitioſo abundant ſucco, & concoctiones malè in corporis partibus aguntur, velut in iis quibus leucophlegmatia fieri incipit. Fieri etiam ſolent in corporibus impuris alij oculorum morbi, vt in extremitate, hoc eſt, in palpebræ ipſius tarſo, tumores ſubrubri, & duri, qualis eſt affectus qui vocatur πτίλωσις. Quibuſdam verò hi tumores ex aliis morbis relicti fiunt per abſceſsũ, & ſine recidiuæ periculo, vtpote puro iam corpore. Diſtinguitur autem id, vt in aphoriſmo dicitur, ex excrementis, ita enim dicit Hippocrates, vbi fauces ægrotant (eadem eſt ratio aliorum omnium abſceſſuum, & particularium morborum) ſi enim ea benè habent, tutum eſt corpus nutrire, vtpote purum iam, ſin minus, opus eſt expurgatione: ſed eſt etiam alia ratio diſtinguendi ex adiunctis. His enim quibus ſcilicet vitium aliquod eſt in palpebris ob interiùs relictam morbi cauſam, adeſſe ſolent etiam κάνθοι γλίσχρα, hoc eſt, lentores quidam in ore iuxta dentes, aut in ipſis oculis ad eorum angulos, & ἀνισάμενα, ſeu erumpentia, ſeu extuberantia, hoc eſt, tubercula aliqua aliis etiam in partibus innaſcentia, & contenta, Græcè ἐνεχόμενα, hoc eſt, (vt ego interpretor) mala quæ ſub cute continentur, & latent, velut quibuſdam in partibus naſcuntur tubercula, aliæ compreſſæ aut motæ dolent, etiamſi neque tumorem, neque maculam præ ſe ferant. Hæc animaduertit Hippocrates in Pharſalo Polymeda. Hic, arbitror, ex morbo ſuperfuit, palpebra ſuperna tumente, & πτιλώσει affecta, habebátque in ore lentores, & tubercula, doloreſque in variis corporis partibus, & poſteà in recidiuam incidit. Caurum fuiſſet in hoc homine purgatione corporis recidiuam anteuertere.

PRorumpentes tumores vel liuores in ophthalmijs aut vlceribus ſpectandi ſunt, verumetiam ea quæ deferuntur ex tuberculis & ſuppurationibus, quod ſigna ſint.

Κατὰ ῥηγνύμενα vocat ruptiones quæ ſponte fiunt, vt cum finduntur partes quædam, & ſanguis erumpit, aut pus, aut ſanies. Tumores vocat, eos qui præter naturam, quorum ſunt multæ ſpecies, liuores, maculæ liuidæ. Hæc omnia dicit conſideranda in ophthalmiis (ita autem & in aliis inflammationibus) & in vlceribus: nimirum quædam ophthalmiæ finduntur & cruorem emittunt; ſuntque hæ multò magis doloroſæ; quædam etiam finduntur ſuppuratâ iam materia: tumores etiam habent quædam ophthalmiæ magnos, quædam aliæ exiguos, quæ aridæ ophthalmiæ vocantur: porrò liuores etiam habent quædam, vt & aliæ omnes partes, ſiue inflammatæ, ſiue vlceratæ, ſiue refrigeratæ, in quibus naturalis calor emoritur. In vlceribus labiorum etiam conſideranda ſunt hæc tria, ſolent enim fiſſuras habere, & tumores, & liuores. Quæ omnia conſideratione digna ſunt, quia habent inſignes ſignificationes. Rupturæ enim aut extenuatam exeſamque cutem à ſuppuratione ſignificant, aut ſiccitatem nimiam ab humore acri, aut ſalſo: tumores in ophthalmijs redundantiam ac multitudinem: in vlceribus tumores non ſunt mali, quia vt in aphoriſmo dicitur, qui eos habent, non valdè conuelluntur, neque inſaniunt, ſi verò in vulneribus magnis ac prauis tumor non appareat, magnum malum: atque etiam ſi cum apparere cœperunt, repentè diſſipati ſint. Liuores (vt dixi) ſemper ſunt refrigerationis ſoboles. Neque ſolùm eſt his, ſed ex qualitatibus eorum quæ deferuntur ex tuberculis ſuppuratis cum finduntur, & ex ſuppurationibus per excreationem (vocat enim ſuppurationes antonomaticè, puris intra thoracem collectiones) inditia accipiuntur. Nam quò meliùs pus exit, aut excreatur, eò affectio eſt mitior, quò deteriùs, eò eſt immitior. Eſt autem optimum pus, quod album, læue, & æquale, & quàm minimè fœtidum, quod huic contrarium eſt, deterrimum. Huc ſpectat illud ſuppuratorum prognoſticum, ex ſuppurationibus quęcunque, dum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 388 sur 489

ſpurum adhuc bilioſum eſt, ſuppurantur, pernicioſę valdè ſunt, ſiue bilioſum illud in parte, ſiue ſimul cum pure expuatur.

CIrca meſſem tormina circa vmbilicum, & dolores nonnumquam à porris, ſed etiam ab allijs poſteà his contingebant.

Porros & allia credit hominum vulgus eſſe ęſtate frigida. Hoc arbitror argumento, quòd videant meſſores illis vti, & qua die vſi ſint, melius Solis ardorem tolerare, & quòd nonnulli eorum ea tempeſtate ſentiant ab eorum eſu tormina circa vmbilicum, & dolores alios, ſiue capitis, ſiue lumborum, quos pati anteà ſoliti erant. Horum autem euentuum alię ſunt cauſę. Nimirum ruſticis, & talibus vti conſuetis ex eorum vſu roboratur & augeſcit naturalis calor, & proinde extraneus meliùs fertur. Tormina autem & dolores aliquando fiunt ab acribus ſuccis quos gignunt, aliquando à flatibus quos commouent. Atque vtraque ratione per ęſtatem maximè poſſunt dictas noxas inferre, quia tunc bilis maximè abundat, ſimúlque venter eſt frigidus, & ob illud lędit mordacitas, ob hoc flatus. In hanc ſententiam dictum eſt ab eodem Hippocrate quarto de ratione victus acutorum, allium flatum parit, caliditatemque in thorace, capitis item grauitatem facit, & anxietatem, atque ſi alius quiſpiam dolor infeſtare conſueuerit, ipſum irritat. Hoc idem eſt, quod nunc innuit dicens, ἢ ἀπὸ πορόδων πύπισιν ὕστερον, hoc eſt, ab alliis, qui prius inerant dolores, iterum excitantur. Explicatum vero à me eſt in illius loci commentatione, allia non eſſe flatuoſa quòd gignant, ſed quòd diſſipent & commoueant flatum. Poſſunt verò nihilominùs commouendo inferre tormina, & dolores alios quoſcunque. Prętęr hanc Valleſij interpretationem, aliũ etiam ſenſum recipit hęc ſententia, nam pro ἀμφὶ δμηπν vel ἀμφὶ ἀμηπὸν. i. circa meſſem, quidam legendum putant σημεῖον ἀμφιμήτριον, atque hanc hyſtericorum affectuum eliciunt diagnoſim, vt tormina circa vmbilicum & dolores vterum malè affectum ſignificent, etſi ex porrorum & alliorum eſu eadem contingere nonnunquam ſoleant.

ERyſipelas quibuſdam à ceruice exorieba-tur, & circa has partes in facie iudicaba-tur. Quibus verò nigra in ceruice appare-bant, mala erant, atque ſi puſtulæ erupiſſent, malæ, & quibus venter turbabatur.

Verba hęc videntur deciſa ex longiori quapiam narratione morboſæ tempeſtatis. Poſſunt nihilominùs ſeorſum intelligi, quæ hic dicuntur. Erat ſcilicet quædam tempeſtas per quam fiebant multis eryſipelata à ceruice incipientia, aut circumcirca ceruicem, à proxima aliqua parte, quæ ſerpebant in faciem, & ibi iudicabantur. Erat ſanè mirum ſurſum aſcendentia tam citò ac bene iudicari. Nam vt dicitur ab Hippocrate in prognoſtico, maximè euadunt ij quibus fauces & ceruix rubuerint, ſi & ceruix & pectus ruborem habuerit, itaque dicit illic ſi rubor deorſum repat, nunc verò etſi ſurſum & ad faciem aſcenderit, liberabantur multi. Eryſipelata à facie incipientia vidimus multa ſurſum & in capitis cutem ſerpere ſine periculo ægrotantium, atqui deſcendere à facie fortaſſe eſſet periculoſius, ne ſerperent in fauces, guttur, & pulmonem. Tamen à ceruice ad faciem ire bonum non eſt, quantò minùs expectares, vt ibi bene iudicarentur. Notauit itaque hoc Hippocrates vt rarum. Quod autem ſubdit manifeſtas habet cauſas, nigra ſcilicet à ceruice oborta, mala fuiſſe, maximè ſi puſtulæ nigræ ſimul orirentur. Nam id erat ſignum nigri & exuſti ſuccl, qui morbos plerunque facit inſuperabiles. Illis etiam dicit malè ceſſiſſe, quibus venter turbabatur. Conſtat θερακπικὰ vocari, quæ fiunt cum turbatione. Dici ſolet id nomen ab Hippocrate de turbatione alui, & de turbatione mentis, & de circunſtantium ea perturbatione quæ fieri ſolet, quum proximi iam ſunt morti qui ægrotant. Hic non congruit de hac vltima perturbatione dici, leue enim eſt dicere mala fuiſſe eryſipelata, quæ perturbarent circunſtantes. Congruum autem eſt dici ἐρυσιπέλαθα θερακπικὰ, quæ inciperent cum alui perturbatione, aut afferrent perturbationem mentis, aut vtrunque : vtrunque enim malignitatem humoris indicat, & eius redundantiam. Conſtat autem hæc maximè poſſe accidere nigris, & puſtuloſis. Niger enim & vſtus humor, maximè paratus eſt perturbare mentem, & aluum maximo cum periculo turbat. Porrò quæ erant & nigra, & puſtuloſa, & turbatoria, ea erant deterrima omnium.

MElancholicus Adamantus aſſumpto multo peplio vomuit aliquando nigra, quod quandoque à cæpis accidit.

Hippoc. vſum eſſe vomitoriis medicamentis ſæpe, & inter cætera peplio, ſciet quicunque vel tantillum ſit in eius libris verſatus : cepis tribuit facultatem *Dioſcorides* expurgandi, & facilem reddendi aluum, vomitorias eſſe non dicit : erunt verò ſi largiùs ingerantur, ſiquidem, vt ille dicit, ſunt faſtidioſæ. Quæ enim faſtidium inferunt, eadem in paratis, & nauſeam mouent, & vomitum. Neque obſtat, quod idem Dioſcorides dicit, cepas appetentiam excitare. Vtrunque enim fit, & experimento facilè eſt cuiuis agnoſcere. Cepæ ſcilicet parcè acceptæ mouent appetitum, ingeſtæ abundanter faſtidium, nauſeam, & vomitum mouent. Quare vt Dioſcorides vindicetur à contradictione, haudquaquam opus eſt interpretatione, quæ accipitur ex Auicenna transferente nomen appetitus ad libidinem, dicentiſque cepas libidinoſas eſſe ; neque Marcęlli Virgilij dicentis, ἀσπόδη quo nomine Dioſcorides eſt vſus, ſignificare quæ repletione inferunt faſtidium. Nam revera id nomen ſignificat faſtidioſa, aut anxietatem inferentia. Quòd hic Adamantus nigra vomuerit, cauſa fuit non propria peplij aut ceparum facultas, non enim ſunt melancholagoga, ſed redundantia eius ſucci, quod vt inſinuaret Hippocr. dixit melancholicus Adamantus.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 389 sur 489

©BIUM

Febres in quibus vlcerãtur labia, fortè ſunt intermittentes, & tertianis refrigerationes; vrentes vero ſtatim ad manum ſolutæ ſemper apparent.

Hæ omnes ſunt notæ tertianarum intermittentium. Solent enim per æſtiuales tertianas exire circa labia quædam puſtulæ, ex quibus vlcerantur. Quod quia non ita eſt earum proprium, vt non fiat aliquando per continuas, dixit ὅτως διϊσταμένης, innuens ſcilicet id non eſſe neceſſarium, ſed ſolere ita fieri. Vt autem explicet modum intermittendi, addit καὶ περιταίοισι ψύξιες, hoc eſt, & tertio quoque die habent refrigerationes, vnde fit vt tertio quoque die habeant intermiſſiones, iuxta ſententiam illam aphoriſticam, Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur, ita enim & quibus tertio quoque die, tertio etiam ſoluentur. Itaque ſunt hæ tertianæ intermittentes. Addit aliud, quod taliũ etiam febriũ ſignũ eſt, dicens, vrentes verò ſtatim ad manũ ſolutæ ſemper apparent. Nam vt dictum eſt in enarratione ſententiæ vigeſimæ primæ ſect. 1. huius ſexti, bilioſæ febres ſtatim ac quis admouet manũ vrunt, ſi tamen manus perſiſtat, vincuntur & vrere deſinunt: tertianæ autem fiunt à bile, vt in commentariis de febribus demonſtratum eſt.

Qvale quid inſit articulis conſiderandum, annon etiam ſuppurentur.

Conſiderare iubet, annon ſuppurentur abceſſus facti ad articulos. Quod duabus cauſis mihi videtur dicere, tum quòd ſæpe euenit falli chirurgos, putantes illis in locis, vt in genu, aut cubito pus eſſe, cùm tamen non ſit, ſed pituita quædam craſſa, inundationis quandam ſpeciem præſtans, vt in œdematis: tum etiam quia curare expedit, quoad fieri poſſit, vt ſine ſuppuratione illi abſceſſus ſoluantur, quia vlcera iuxta articulos ſunt periculoſa. Conſiderandum itaque ne fallaris, an non ſuppurentur, ſed id quod ſuppurationis ſpeciem exhibet, ſuccus aliquis ſit pituitoſus. Conſiderandum, quoque an fieri poſſit vt non ſuppurentur, ſed citra ſuppurationem ſoluantur.

In tuenda ſanitate conſuetudo ſpectanda eſt in victus ratione, tegumentis, laboribus, ſomno, rebus venereis, & animi affectibus.

Ad artem tuendæ valetudinis pertinet hæc oratio, continetque enumerationem earum rerum, quarum vſu conſtat victus beneualentium. Eæ ſunt ſex res non naturales vocatæ, & cauſæ à quibus perpetuo alteramur, quas Galenus in arte medicinali vno capite collegit, ſcilicet, cibus & potus, quod in ambitu eſt, motus & quies, ſomnus & vigilia, quæ excernuntur aut retinentur, & animi motus. Hæc ſex cauſarum genera inſinuat Hippocrates non obſcurè, victus nomine intelligit cibum & potum: nomine veſtitus, quidquid nos circunſtat: laborum nomine, motum & contrarium: vt etiam nomine ſomni, vigiliam: nomine Veneris, alias etiam excretiones, quæ fiunt aut non fiunt: γνώμης autem nomine, motus animi apertè ſignificantur. Conſuetudines beneualentium ex his conſtant, & cum quis interrogat, qua conſuetudine homo eſſet dum adhuc valeret, de modo quo his ſex rebus vteretur, interrogat. Nam medicamentorum non eſt conſuetudo bene valentibus, multò minùs cauſarum, quæ non ſemper ſed caſu quodam nos alterant, vt enſis, incurſionis ferarum, & fulminis. Superest ergo conſuetudinem bene valentium eſſe in ijs quæ perpetuò nos alterant, quæ quidem tantùm ſunt ſex illa rerum genera.

Conſiderare oportet quomodo morbos ferant, a quibus quas figuras habeant, in quæ loca conuerſi ſint, quo tempore inceperint, adſint, ceſſauerint.

Conſideranda dicit hæc, quomodo morbos, hoc eſt quales morbos quis patiatur, quod quidem poteſt pertinere ad ſpeciem, aut ad conſtitutionem: duabus enim is rationibus dicuntur quales, vt an bilioſos an pituitoſos, an acutos an chronicos patiatur: deinde quas mutationes faciant, fecerintve. Quæ quidem fieri poſſunt ſecundum figuras ipſorum morborum, aut ſecundũ affectas partes. Conſiderandũ ergo à quibus quas figuras habeant, vt ſi ex tertianis quartani ſint facti circuitus: & in quæ loca conuerſi ſint, vt ſi ex coſtis in pulmonem, aut ex pulmone in caput, ex renibus in coxam, aut ex hac in genu. Ac præterea conſiderandum quo tempore inceperint, adſint, ceſſauerint. Hoc eſt, initium, & finem, & id tempus vniuerſale quo nunc ſunt. Itaque cognoſcere oportet tempus quo inceperint morbi, aut illæ morborum mutationes, quæcunque illæ ſint, atque ſi adhuc adſint morbi, quo tempore vniuerſali ſint, ſin iam receſſerint, quo die finiti ſint. Eſſe enim magni momenti has tres conſiderationes, intelliges ex quàmmultis, quæ ad eas pertinentia ab Hippocrate ſcripta ſunt. Ad primam pertinet illud: Conſiderare verò futuræ ſuppurationis initium oportet, ab ea die qua primùm homo febricitauit, aut ſi fortè primum ipſum rigor prehenderit, atque ſi pro dolore pondus ſibi factum eſſe dixerit, in loco quo dolebat: hæc enim in principiis ſuppurationum accidunt. Ex his igitur temporibus eruptionem fore expectare oportet ad prædicta tempora. Itaque vt ſcias in quæ tempora expectare debeas eruptiones, refert conſiderare quando inceperint ſuppurationes. Quam vtilitatem præſtet agnoſcere tempora morborum qui adſunt, indicant illa, Inchoantibus morbis ſi quid videtur mouendum, moue, ſi verò conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere, & illud. Quum in vigore fuerit morbus, tenuiſſimo victũ vti neceſſe eſt. Itaque & curationis opportunitates, & victus inſtituendi rationem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 390 sur 489

©BIUM

rationem indicant tempora morborum, quæ adsunt: tempus autem quo ceſſauerunt facit ad ſecuritatem aut contrarium, quia niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolent recidiuam pati.

IN quibuſdam intemperantia terrorem incutit.

Quædam ſunt quæ ægroti per intemperantiam faciunt, quæ tamen ferenda ſunt à medicis, quia non ſunt adeò noxia, ſiquidem Hippocrates ipſe dicit, quoad fieri poſſit, gerendum eſſe morem ægrotanti, atque paulò deteriorem cibum & potum, ſuauiorem tamen, meliori & inſuauiori eſſe præferendum. Quandoquidem autem dicit paulò detetiorem, conſtat non quiduis eſſe permittendum agere pro arbitratu, ſed quædam eſſe valdè mala, & nequaquam ferenda, ὧν οἷόν ἀκρατὴς φοβερὸς quia ex quibuſdam erratis contingit plurimùm periclitari. Conſiderandum ergo in quibus intemperantia metum incutiat, quia ea minimè ferenda ſunt, ſed ponùs abſtinendum à curatione, ne quæ per intemperentiam ægroti euenerint, medico imputentur.

CONtraria victus ratio in morbis inſtituenda eſt.

Morbi petunt contrariam victus tationem, vt & curationem omnem. Iuxta hanc ſententiam dictum eſt illud, Omnis victus humidus febricitantibus conuenit. Nimirum vt alibi dicitur, medicamentum in alimento optimum. Itaque victus rectè in vnoquoque morbo inſtitutus quædam curatio eſt, omnis autem curatio agitur per contraria.

QVod facile, quod difficile toleratur etiam videndum eſt.

Hoc quoque magni ſemper fecit Hippocrates, nam ſiue quid medicus ſua arte circa ægrotantem molitus ſit, ſiue quid illi ſponte fiat, bona tolerantia conferentiæ, mala tolerantia noxæ inditium eſt.

VIctus ratio quantum fieri poteſt cognoſcenda, nam illius ignoratio multas affert calamitates.

Quàm multæ calamitates naſcantur, ex artis bene inſtituendi victus ignoratione, diſertiſſimè indicauit Hippoc. in eo libro, quem de ratione victus in morbis acutis ſcripſit. Reducam verò tibi in memoriam exemplum quoddam ex libro primo ſectione tertia, ibi enim legimus, Philonis filiam, quòd intempeſtiuè cœnata eſſet, mortuam eſſe ſeptima die.

OPtimis etiam medicis ſimilitudines imponunt, & dubitandi anſam præbent, ſed contraria efficit cauſa. Scio difficile eſſe ratiocinando curandi vias cognoſcere, velut ſi æger ſit acuminato capite, ſi reſimis naribus, ſi aliquantum ſiccus, ſi bilioſus ægrè vomat, atrâ bile refertus, ſi iuuenis, ſi negligenter vixerit, de his inter ſe collatis ratiocinari difficile eſt.

Empiricorum inſtrumentum quoddam vituperatur hac oratione, & rationis via laudatur, & indicatur eius difficultas. Empirici enim & vulgares omnes vtuntur in morbis tranſlatione à ſimilibus, ſimilibus vtentes auxiliis ad affectiones quæ ſimiles eſſe videntur. Quæ res imperitis plurimùm placet, quia cùm paucas affectionum differentias norint, quæ non ſunt manifeſtè diuerſa iudicant eſſe omnino eadem. Bonis autem medicis non ita, ſed ſimilitudines ſunt maximè ſuſpectæ, vtpote quæ imponunt & dubitandi anſam præbent, quòd prima quidem fronte ſimilia ſimilibus videantur curanda, ſciant tamen illi multos morbos, ſpecie etiam ſimiles, contrarias curationes deſiderare, quòd à contrariis cauſis nati ſint. Cauſæ ergo cognitio contraria efficit, hoc eſt, errores illos & dubitationes tollit. Velut ſi duo homines laborent dolore colico, alter ex potu aquæ gelidæ, alter ex flatu, alter ex bile, Empiricus quidem eundem videns morbum eadem admouebit: rationalis verò contrarias agnoſcens cauſas, contraria. Malè itaque procedit, qui ſolas ſimilitudines conſiderat; bene autem, qui cauſas diſquirit: adeò profectò vtilis eſt cauſæ cognitio, vt ſæpiſſimè obſit multò magis cauſæ ignoratio, quàm ſpeciei morbi, & loci affecti. Multò enim minùs ſuſcipere poteſt curationem, qui ignorat ſitne dolor à cauſa calida an frigida, quàm qui ignorat ſitne colicus an nephiticus: atque ad febrium curationem maioris eſt momẽti, contemplari humoris ſpeciem in exeuntibus, quàm modum circuitus, & reliquam figuram. Itaque ad agnoſcendam viam, ſeu methodum, qua morbus quiuis curandus ſit, plurimùm refert à cauſæ inuentione incipere. Difficilè tamen eſt ratiocinando cognoſcere vias, hoc eſt inuenire methodos, ſiquidem difficile eſt inuenire, quæ ſit affectio, quæ cauſa, qui locus affectus, quæ cuiuſque hominis natura, & conſuetudo, hæc autem omnia habent proprias indicationes, ſeu inſinuationes faciendorum, quas omnes oportet conſiderare ſeorſum, ac deinde ad ſeſe mutuò conferre, atque contrarias & minores à contrariis & majoribus ſubtrahere, ſimiles verò opere exequi plus aut minùs, vt quæuis indicatio potentior eſt, aut debilior. Hinc enim naſcitur curatio omnis. Profert exempla rerum quarundam, à quibus indicationes accipi poſſunt. Vt ſi quis ſit acuto capite, vt qui vocabantur macrocephali, aut ſimus, aut aliud vitium compoſitionis habens, ſi ſubſiccus, ita etiam ſi humidus, calidus, aut frigidus: atque ſi bilioſus, hoc eſt bile redundans, tuncque an facilè vomens an difficile (nam hoc quoque eſt in peculiaribus naturis) an

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 391 sur 489

biliosus niger, hoc est atrabiliarius, an iuuenis: ita etiam an puer, an senex, & an negligenter viuens, an temperatè. Omnia enim hæc indicationes habent, quas seorsum considerare difficile est, mutuò coniungere difficiliùs. Conferre figuram corporis ad naturæ cognitionem, intelliges ex iis quæ de physionomia scripta sunt in primo libro. Natura verò indicat similium vsum, calidiora enim calidioribus, frigidiora frigidioribus indigent auxiliis. Biliosum & difficilè vomentem esse, quodammodo sunt contrariæ indicationes. Nam biliosa cacochymia petit expurgationem per superiora, difficultas vomendi prohibet: tales ergo erunt purgandi per aluum, quia cachochymia petit purgationem, difficultas prohibet per superiora fieri. Biliosus niger, indicatione à succi specie, poscit expurgationem per inferiora. Iuuenilis ætas sustinet maiora auxilia, quàm senilis: puerilis indiget minoribus. Qui per bonam valetudinem sunt temperantes, exquisitiore victu vti debent per morbos: qui vtcunque viuunt, liberiori etiam victu curandi sunt.

A

B

C

CVi fistula rumpebatur, eum tussicula prohibebat quiescere.

Fieri poterat vt tussicula prohiberet hunc hominem quiescere, quia fistula, hoc est aspera arteria rumpebatur, aut vt rumperetur fistula ob tussiculam assiduam quæ prohibebat quiescere, aut vtrumque. Certè maxima causa ob quam vlcera spiritalium instrumentorum difficulter sanantur, est quia curari sine expurgatione & quiete non possunt, vt neque vlla alia vlcera, neque expurgari sine tussi, tussis verò prohibet quiescere.

D

EVm cui apex hepatis complicatus erat concussi, repente dolor cessauit.

Mirabilis casus, doluisse hepar complicato apice, & concussione explicatum, ac dolore liberatum esse. Vellem autem diceret notas quibus complicatum apicem agnouit, & hepatis ita mutati positus symptomata. Non arbitror fuisse alia, quàm dolendi modum, & ipsam ægroti phantasiam.

E

SAtyrus in Thaso, cognomento Grypalopex, cùm esset annorum circiter viginti quinque, semen per somnum effudit sæpe, & interdiu quoque sæpe ipsi prodibat, cùm autem ad annum trigesimum peruenisset, tabe correptus mortuus est.

Tabescunt ex gonorrhœa siue viri siue mulieres, quibus à quacunque causa inceperit, ad magnam retentricis debilitatem res peruenit, & iis quibus ob magnam corruptionem semen effluit. Illi quidem vnam ob causam, quòd scilicet solidæ partes ob nimium seminis fluxum priuentur alimento: hi ob duas, quòd præter euacuationem ipsa seminis corruptio faciat computrescere alimentum partium: quo fit vt vtantur pauco, & eo corrupto, est autem vtraque arescendi causa. Vt verò effluente semine, ob debilitatem retentricis vasorum seminariorum, membra solida alimento priuentur, eadem causa euenit, qua per diabetem ob debilitatem retentricis renum, priuantur omnes partes seroso humore. Scilicet partes genitales, quum id quod traxerant facilè deponunt, rursum trahunt, atque trahentia multùm aliis detrahunt. Est verò semen succus congener rori partium solidarum. Hoc accidit ei, de quo hæc historia narratur, in ætate calidissima, qui nescio an ob morbum vocetur ab Hippocrat. Satyrus, an id fuerit hominis nomen, nam Satyriasis nomen de Priapismo potiùs dici consueuit, quàm de Gonorrhœa. Hic verò Gonorrhœa tenebatur potiùs, nisi fortè teneretur vtraque, complicari enim possunt.

ABderis palestræ custos, qui Stheneus vocabatur, cùm multum luctatus esset cum alio fortiori, & in caput cecidisset, digressus frigidam multam bibit. Subsequentem autem noctem transegit insomnem & difficilem habuit, extrema frigida erant. Postridie domum ingressus est, & glande supposita nihil deiecit, parùm minxit cum prius nihil minxisset. Sub noctem lotus, nihilominus insomnem & difficilem habuit noctem, delirauit. Tertia die extremorum refrigeratio accidit, excalefactus sudauit. Epota verò mulsa mortuus est tertia die.

Iurauerim hunc hominem mortuum esse contulsum. Nam haud dubiè sustulit eum raptus humorum in caput, ob magnam contusionem, quam in illud cadens accepit, si autem lethargicam, aut phreniticam, aut talem vllam contraxisset affectionem, vixisset diutiùs, sunt enim illæ longioris constitutionis, quando verò tertiâ die interiit, cùm potuerit secundâ in domum suam venire, apoplectica aliqua passione aut conuulsione magna correptus est. Apoplexiæ verò nullæ notæ narrantur. Sed cùm huic caput grauiter læderetur, & vt solet, ceruicis nerui ac tendines macerarentur, cœperunt succi qui forte redundabant biliosi in caput occurrere, cùm verò ingruerent in neruos, accidit primâ nocte difficilis somnus, capite scilicet biliosam fluxionem recipiente, & difficilis item tolerantia ob eandem causam, & extremarum partium refrigeratio, ob neruorum mordicationem refugiente calore. Sed & quod sequenti die euenit, indicat raptum in caput. Nam neque supposita glande deiecit, neque minxit nisi parum, cùm anteà minxisset nihil. Suppressio enim euacuationum per inferna significat raptum in superna. Sub noctem die secundâ lauit, conciliandi scilicet somni gratiâ, nihilominùs cùm materia quæ se in caput collegerat esset multa, nihil profuit, sed habuit nihilominùs quàm nocte superiori difficiliorem, & somnum & tolerantiam, & insuper

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 392 sur 489

delirauit, atque, vt ego ſuſpicor, cœpit conuelli. Tertia die refrigerata rurſum ſunt extrema, & calfactus ſudauit. Mirum niſi medicorum qui aderant quiſquam, bonam hinc ſpem conceperit, ſuſpicatus aut bonam eſſe iudicationem, aut certè tertianum circuitum. Verùm hæc accidentia non figuræ ſed malignitatis etant inditia, ſequebánturque eundem raptum in caput, qui fieri cœperat à principio. Refrigeratus eſt ob mordicationem neruorum, calfactus ſudauit præ anxietate. Poterant malignitatis huius medicos admonere delirium, & conuulſiuus motus, quæ à ſecunda die cœperant, & per illum ſudorem non ſedebantur, ſed creſcebant potius. Nam neceſſe eſt, vt ſigna quę per ſe ſunt ambigua, ex aliis quæ accedant, bona aut mala diſtinguantur, cum igitur mortuus ſit, neceſſe eſt maligna affuiſſe. Quando autem hæc ita habent, conſentaneum eſt non eſſe hunc hominem læſum potu aquæ frigidæ. Ea enim non malè bibitur à recenti caſu, quippe quæ tardat motum ſanguinis, prohibetque fluxiones fieri. Quare non ideò ſuſpicor narratum ab Hippocrate eſſe, ſed quòd ita factum ſit, atque vt ſcias quo auxilio vſus ſit. Fuiſſet tamen bene conſultum huic mox copioſè mittere ſanguinem, & aſſiduo frictionum & acrium clyſterium vſu à capite retrahere, circa ceruicem verò vti anodynis.

Melancholici plerumque conſueuerunt fieri epileptici, & epileptici melancholici. Horum autem quiduis præcipuè fit, prout in alterutram partem morbus inclinauerit; ſiquidem in corpus, epileptici fiunt, ſi autem in mentem, Melancholici.

Hunc locum interpretatur Galenus libr. 3. de locis affect. dicitque conuerti in mentem eſſe afficere ſecundum temperamentum, conuerti in corpus afficere ſecundum compoſitionem. Epilepſiam ergo fieri ab humore obſtruente, melancholiam verò ab humore intemperiem inferente, & obtenebrante mentis ſedem. Itaque fiunt ab eodem humore eandem partem, ſed non eodem modo afficiente. Non tamen æquè parata eſt omnis epilepſia in melancholiam abire, atque melancholia in epilepſiam. Nam epilepſia fieri poteſt ab omni ſucco craſſo, melancholia non niſi à melancholico.

Abderis Phaëtuſa Pytheiconiunx per iuuentam antea fœcunda fuerat, cùm autem vir ipſius in exiliũ pulſus fuiſſet, muliebria multo tempore defecerunt, poſtea verò in articulos dolores & rubores acciderũt. Quæ cùm ei contigiſſent, tunc corpus virile factum eſt, & omnino hirſutum, & barba producta eſt & vox aſpera reddita, & cùm omnia feciſſemus vt muliebria elicerentur, non profluxerunt, ſed mortua eſt, cùm non diu poſtea vixiſſet.

Venit autem & Namyſia Gorgippi vxori in Thaſo idem. Videbatur autem omnibus medicis, quibus & ego forte adfui, vnica ſpes eſſe, vt in muliebrem naturam reduceretur, ſi menſes ſecundùm naturam prodirent, ſed neque huic potuerunt prodire, quamuis omnia tentaremus, ſed non multò poſt mortua eſt.

Mirabilis euentus, factas eſſe mulieres hiſpiditate, barba, & vocis aſperitate viro ſimiles, ob menſtruorum retentionem: vt videatur barba naſci viris, quòd tales euacuationes non fluant; fœminis autem non naſci, quòd fluant. Quaſi ſanguis ille redundans & vitioſus materiam præſtet pilis. Quod tamen alia conſideranti non probabitur, nam naſceretur barba etiam eunuchis, ſiquidem neque illis fluunt menſtrua. Non naſcitur autem, quia exciſſis teſtibus amittunt virilitatem, contrahuntque muliebre temperamentum. Non igitur tollunt barbam menſtruæ euacuationes, ſed illud ipſum temperamentum, quod menſtruorum neceſſitatem affert, tollit barbam. Sed rogabis, cur ergo eunuchi, qui carent barbâ, non habent euacuationes menſtruas? Certè quia eunuchi ſunt frigidiores etiam quam mulieres, & exercitatiores, quorum illud facit vt minùs ſanguinis gignant, hoc vt plus diſcutiant: ſunt verò frigidiores, quia nullos habent teſtes, fœminæ verò habent aliquos: exercitatiores verò, quia cùm mulieres non ſint virilibus negotiis ſeſe vtcunque inſerunt. Itaque videtur barba non à menſtruis vacuationibus tolli, ſed à muliebri temperie. Sed ſi non tollitur à menſtruis euacuationibus, quomodo factum eſt vt in his mulieribus, illis retentis barba naſceretur? Certè cauſa præcipua barbæ & hiſpiditatis temperamentum virile eſt, vt glabriciei muliebre, & hæc eſt quæ vim habet efficiendi. Accedit autem menſtruorum fluxio ad glabriciei cauſas, & eius euacuationis vacuitas ad cauſas hiſpiditatis. Quia materia pilorum eſt fuligo, ea verò naſcitur ex ſanguine calefacto, quem menſtruæ euacuationes cuti detrahunt: inſenſibilis autem effumatio, quæ per cutem viris copioſiùs fit, abundè ſuppeditat. Non ergo naſcitur barba quibuſcunque menſtruæ euacuationes cohibentur, quia ſine efficiente cauſa materia non eſt ſatis. In his autem euenit, ob raram quandam naturæ, & mulieris, & ſanguinis proprietatem, virili naturæ proximam, qua contigit mulierem, & ſanguine menſtruo alioqui abundare, & virilem referre calorem. Quod certè vt rarum, ita & mirabile: atque eò mirabilius, quòd mulieres fuerant anteà fœcundæ, nam viragines non ſolent fœcundæ eſſe. Ob id Hippocrat. velut admirationem augens, narrauit fuiſſe per iuuentam fœcundam. Cauſa ergo peculiaris ac propria his mulieribus mirabilis huius euentus fuit ſanguinis calor: qui cum ob mariti abſentiam effluere ceſſauit (quia, arbitror, cùm non ſatis muliebris eſſet naturæ, indigebat viro vt in muliebria ferretur) articulares fecit dolores cum rubore, quales ſcilicet per calidam podagram fieri ſolent. Quòd verò primùm podagrici fierent do-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 393 sur 489

lores, nihil habet admirationis, ſiquidem in aphoriſmo dicitur, mulier non laborat podagra, niſi menſtrua defecerint. Si igitur menſtrua liberant à podagra, menſtruorum defectus eam affert. Mirabile verò quod poſteà ſubſequutum eſt: effuſo enim in totum corporis habitum eo ſanguine, & multa fuligine in totam cutem lata, corpus virile factum eſt, & hirſutum, & nata eſt barba, & vox aſpera reddita, quia calefactione dilatata, & robuſtiora facta ſunt vocis organa. Viſum eſt medicis omnibus omnia facere, vt menA ſtrua effluerent, cum verò ea alteratio naturæ eſſet admodum aduerſa, neutrum fieri potuit, vt effluerent, neque vt diu viueret, ſed vtraque velut longiſſimè à ſua natura acta citò mortua eſt. Videtur mihi in his vtendum fuiſſe miſſione ſanguinis repetita ex quibuſdam interuallis, quæ naturalem ordinem imitarentur, & balneis aquæ dulcis, & victu refrigerante. Sed vtcunque tractentur, ſuſpecti ſemper haberi debent magni à propria cuiuſque naturâ receſſus.

LIBER SEPTIMVS EPIDEMIORVM

POST Canem febres graſſabantur, in quibus multi manabant ſudores, nec poſt ſudorem ægri omnino refrigerabantur, ſed rurſus incaleſcebant. Atque hæ mediocriter longæ erant & difficilem habebant iudicationem, nec admodum ſitim adferebant, paucis ſeptima aut nonâ die ceſſabant, alijs vndecimâ, decimaquartâ, & decima ſeptimâ.

Parum affuit quin hunc librum ſeptimum relinquerem ſine commentariis, quod viderentur eſſe in eo multæ dictorum iam antea repetitiones, & narrationes multæ, partim vitiatæ ac confuſæ, partim imperfectæ ac mutilæ, atque ob id nihil vtilitatis continentes. Viſum tamen deinceps de hac re cogitanti, hoc quoque præſentis operis perfectioni adiicere. Nam etſi ſint multa, quæ vt inutilia reiicientur, ſunt etiam nonnulla, quæ meritò ſtudioſi deſiderarent. Faciam igitur quod ſoleo, quæ dicta fuerint anteà & explicata, præteribo; quæ omnino corrupta, expungam: reliqua pro meo captu interpretabor. Hæc oratio à qua liber incipit, occurrit anteà in quinto libro contextu ſexageſimo octauo, nulla ferè vocum differentia, atque vt ego iudico, exactiùs ac meliùs quàm hic ſcripta. Quare hic nullam commentationem oportet me apponere, ſed hunc locum ſecundum illum emendare ac reſtituere. Quod hic dicit, μακροὶ ἐπεικὼς ἢ δύσκριτοι, dixit illic, μακροὶ ἢ ἐπεικέως ἄκριτοι. In quibuſdam codicibus legitur, aliis vndecimo, & duodecimo, & decimoquarto, & decimo ſeptimo. Libro quinto legebatur, & vigeſimo. In aliis etiam adiectum eſt, & vigeſimo ſecundo. Quî ſcias, quæ ſit legitima lectio? Neque enim vlla dies harum eſt, in qua iudicari non poſſent, neque in qua neceſſariò iudicarentur. Poterant quibuſdam paribus, quibuſdam imparibus moueri, atque ita quibuſdam paribus, quibuſdam imparibus iudicaB ri. Poſtremo in calce orationis legebatur illic, ἐκεῖνον, quod verbum deſideratur hic.

POlycratem febris corripuit & quoad ſudorem præſcriptis ſimilia acciderunt. Medicamento deorſum purgatus eſt multùm, & febris adeò lenis facta eſt, vt obſcura conſiſteret præterquàm in temporibus, & ſub veſperam ſudores exigui accidebant circa caput, ceruicem, & pectus, deinde etiam per totum ventrem, & rurſus incaleſcebat. Circa duodecimam autem & decimamquartam intendebatur febris, & paucæ erant alui deiectiones. Poſt purgationem autem ſorbitionibus vſus eſt. Circa decimamquintam autem dolores ventris ſecundum lienem, & lateris ſiniſtri inanitatem corripuerunt. Calidorum quàm frigidorum admotiones minùs proderant, cùm molli per clyſterem infuſo vſus eſſet, dolores ceſſauerunt (hoc ipſum etiam Cleocydi doloribus & febre eodem modo laboranti contulit.) Circa decimam ſextam calores mitiores eſſe videbantur, & deiectiones ex bile ſincera erant, & mens audacior. Spiratio autem moderata, aliquando tamen aërem aceruatim attractum rurſus confertum expirabat, quaſi deliquium animi pateretur, aut velut in vmbra reſidens ſpirare ſolet is qui per æſtum iter fecit. Decima ſeptima igitur veſperi in ſella deſidens animi deliquium paſſus eſt, & diu ſine voce & ſenſu iacuit. Aquam mulſam vix capiebat, fibras in collo diſtendens, vtpote faucibus reſiccatis, & exolutis omnino viribus. Vix itaque ad ſeipſum redijt, & calores mitiores erant. Tandem vigeſima ſecunda ceſſauit febris.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 394 sur 489

Polycrates, & Cleocydes duo quidem ægroti fuerunt, ex iis qui ægrotauerunt illa tempestate, quam proximis verbis descripsit. Narrat vero Polycratis historiam diffusè, de Cleocyde tantùm dicit obiter ac per parenthesim, eodem laborasse morbo, atque eodem modo. Cœpit etiam post præscripta verba in libro quinto narrare hanc historiam. Verùm quia illic ad decimam quintam solùm ducta narratio est, distulimus commentationem in hunc locum. Habuit Polycrates sudorem & febrem, qualia scripta sunt in ea narratione, scilicet febrem sudorosam, continuam, mediocriter longam, & difficilis iudicationis, & non valdè sticulosam. Hic cùm fortè videretur medicis purgationi opportunus (non dicit qua die) pharmaco per aluum purgatus est, & febris est facta mitior. Quadam autem die, cùm ob hæc non putaretur futurus paroxysmus, post meridiem cœperunt rursus sudores exigui, circa caput & collum (vnde scilicet solent plerumque sudores inchoari) deinde in totum ventrem processerunt (in libro quinto non reperitur vox illa ventrem, sed in totum) & rursus supercalfactus est auctò denuò paroxysmo, vt antequàm purgaretur, & morbus totus denuò creuit. Nam circa duodecimam & decimamquartam, rursus accepit febris intentionem. Circa decimamquintam superuenit illi dolor circa lienem, & ile sinistrum, qui ad intestina eo loco sita haud dubiè pertinebat, quandoquidem clystere molli sedatus est, pendebat verò ex bile, vt & morbus totus. Nam ex admotione frigidorum opem sentiebat potiùs quàm calidorum. Et sequenti die (decimasexta scilicet) calores erant iam mitiores, & deiectiones ex sincera bile erant, & mens audacior, & spiratio moderata. Nimirum quia deorsum excernebatur sincera bilis, fiebant calores mitiores, & mens audacior & respiratio moderata. Nam sincera bilis per sublimes partes agitata, & in cerebrum & cor fumos mittens, consuenit inferre anxietates, pusillanimitates, & spiritus frequentiam ob anxietatem. Hæc bile deorsum repente destiterunt, factaque est febris tactu moderatior, & recuperatus animus, & moderata respiratio. Verùm cùm morbus ob temporis conditionem non esset bonæ iudicationis, non adeò processit hæc bilis subductio, neque cum tanta conferentia & tolerantia, vt non etiam bona bilis pars rursum recurrerit in superna, & symptomata attulerit etiam prioribus magis horrenda. Nam aliquando eadem ipsa die, corripiebatur repentè respirandi difficultate, velut ab animi deliquio ingruente (nimirum cùm respiratione reficiantur spiritus, qui deliquium incipiunt persentiscere respirant crebrò & aceruatim) aut velut qui per æstus iter fecerit, & in vmbram se coniicit æstuans, multò enim tunc sudatur euidentiùs quàm in ipso sole, vaporum extenuatione & euacuatione insensibili remittente. Decima septima integrè iam animi deliquium passus est, nam vesperi desidens in sella cecidit sine sensu & motu, quod multum tempus durauit. Interim neque melicratum deglutire poterat, etsi illi in os infunderetur. Habebat fibras in collo distentas, tendines scilicet venientes à ceruice in clauiculas. Quod quidem dicit factum ob siccitatem faucium, & ob id ipsum non potuisse deglutire. Mihi verò videtur id conuulsionis signum fuisse, atque indicasse illud deliquium fuisse passionem aliquam apoplecticam, atque deglutiendi difficultatem ortam esse ex eorum tendinum conuulsione. Impedit enim eorum tentio gulæ motum ad deglutitionem necessarium. Atqui eam conuulsionem, quamuis post febrem ardentem aliquot dierum facta sit, non censeo fuisse ex siccitate (non enim arbitror esset tam breui soluta) nisi placeat Hippocrat. redundantiam bilis, aut rigorem illum & duritiem, siccitatem appellare. Accedebat ad difficilis deglutitionis causas, imbecillitas omnium facultatum quæ aderat, non profectò tanta re ipsa & in essentia, quanta ob passionem cerebri & cordis à bile esse apparebat. Atque id res ipsa indicauit. Nam cùm vix iam tandem ad se ipsum rediisset, calores cæperunt mitiores fieri, & vigesima secunda cessauit morbus. Mirum si sine aliqua euacuatione. Ego sanè suspicor vigesima, vtpote quam indicat decima septima, quæ adeo insignem attulit mutationem, euacuationem aliquam incœpisse, vt sudorem, aut alui fluxionem, eamque durasse vsque in vigesimam secundam, qua die cum morbo finem inuenit. Difficilis sanè fuit morbus, atque inter cætera illud habuit autumnalis, & maligni, quòd per dies pares maximè moueretur, illud vero constitutione legitimi, quod cùm illis moueretur, die etiam pari iudicatus sit, & quod cùm duodecima cœperit crescere, iudicatus sit vigesima secunda. Nam par dies quæ in viginti duobus medium tenet, duodecima est. Hæc itaque modo hoc acta sunt. Sed rogabis, cur hæc febris non desiit post expurgationem, si tempestiuè purgatus est? Huic dubitationi occurrit Hippocrates dicens, deiectiones exiguæ, sorbitionibus post purgationes vsus est. Quasi diceret, quia non est euacuatum quantum oportuit, & post purgationem deliquit in victu. Nam vt dicitur secundo de ratione victus in acutis, cùm cessauerit purgatio, minùs est sorbendum quàm quis consueuerit, posteà paulatim est redeundum ad maiorem copiam. Hic vero non ita fecit, sed mox à purgatione copiosis sorbitionibus vsus est. Quod sanè erratum committunt hodie vulgares omnes medici, mox ab ipsa purgatione, quin & in ipsa purgatione augentes cibum, quasi id quod est detractum cito sint exæquaturi. Quod quàm noxium sit vel ex hac historia intelliges: nam quasi graue quoddam, & periculosum esset erratum, animaduertit Hippocrates sorbitionibus post purgationem vsum esse hominem.

Pythodorum circa idem tempus febris continua corripuit. Octauâ die sudor contigit, & rursus incaluit: decimâ rursus sudor; duodecimâ sorbuit succum, & febris vsque ad decimam quartam obscura fuit, in temporibus verò erat, sine siti tamen, & ipse sibi sanus esse videbatur, singulis diebus sudores contingebant. Decimâ quintâ verò iusculum pulli sorbens vomuit bilem, & aluus deorsum turbata est, & febris exacerbata rursus desiit, & sudores multi contingebant, & corpus totum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 395 sur 489

©BIUM

exceptis temporibus refrigeratum erat, pulſus non defecit. Videbatur modico tempore laborare vt incaleſcere ſe putaret. Vigeſima quartâ cùm per multos iam dies cibos guſtaſſet, & pranſus eſſet, magna aderat febris, & ſub veſperam delirium, accedente ſimul ſomno. Iam itaque febris detinebat continua & vehemens, nunc vnam, nunc duas noctes ſine ſomno tranſigebat. Reliquo verò tempore ſomnus adeò profundus erat, vt vix excitaretur, in ſomno etiam delirium aderat, & ſiquando ex ſomno excitaretur, vix erat ſui tompos. Siti carebat, & ſpiratio erat moderata, talis aliquando qualis fuit Polycrati, lingua non erat decolor. Poſt ſeptimam. recidiuæ diem ſucci exhibebantur, poſt decimamquartam cibus, primis ſeptem diebus eructabat & euomebat quandoque cum potu biliosum quiddam ſine anxietate, donec deorſum ſoluta eſt aluus. Sudores poſt recidiuam defecerunt, niſi quis circa frontem tanquam ſignum appareret. Lingua à ſomno niſi collueretur præ ſiccitate aliquantùm balbutiebat, & in ipsâ vlcera rumpebantur, & in labio inferiore & circa dentes. Alui deiectiones paucæ erant, circa decimamquintam velut per recidiuam frequentiores & viſcoſæ, quæ à malicorij decocto ſedatæ ſunt. Vrinæ quales quæ morbi diuturnitatem portendunt. Sub vltimum tempus pectoris dolor erat quum potum deglutiebat, & manum pectori admouebat, qui cuminum & ouum abſorbenti ſedatus eſt, lingua aliquam raritatem præ ſe ferebat. Quinquageſima à prima circa Arcturum ſudores exigui circa lumbos & pectus contigerunt, & corpus exceptis temporibus perfrigerabatur exiguo admodum tempore. Quinquageſima prima remiſit morbus, neque ſecundâ corripuit.

Pithodorus fuit eiuſdem tempeſtatis alius ægrotus, habuitque iuxta temporis conditionem febrem ſudorificam, quæ à ſudore potiùs exacerbabatur quàm remittebat. Habuit verò recidiuam longiorem quàm plerique alij eiuſdem tempeſtatis. Nam primus morbi impetus fuit vſque ad decimamquintam, recidiua facta eſt vigeſima quarta, & durauit vſque ad quinquageſimam primam, quâ ſolutus integrè morbus eſt. Habuit itaque febrem continuam eodem tempore, hoc eſt poſt Canem, ad ortum ſcilicet Arcturi, hoc eſt, incipiente autumno: ſudoréſque fiebant omni die, qui ad febris ſolutionem nihil conferebant, quòd ſcilicet non tam vi facultatis expultricis fierent, quàm vi febris & multæ humiditatis redundantiâ, vt in malignis febribus ſolent. Vſque ad diem octauam, aut nihil habuit mentione dignum, aut Hippocrates dicere omiſit. Octauâ ſudor contigit, maior ſcilicet quàm prioribus diebus, & à ſudore rurſus incaluit, hoc eſt, aucta eſt denuò febris vſque ad decimam, qua rurſus factus eſt ſudor magnus, à quo non narratur denuò creuerit febris, tamen vtcumque hoc actum ſit, duodecimâ remiſſa iam erat febris, & ob id ſuccum ſorbuit: & iam inde vſque ad decimamquartam obſcura erat febris, ſolùm verò ſentiebatur in temporibus. Nimirum illic ob magnam venam & arteriam quæ præterit, ſentiri ſolet febrilis calor, etiam vbi in aliis partibus non eſt conſpicuus. Sine ſiti tamen erat, quod etiam illi tempeſtati familiare fuiſſe anteà narrauit. Denique adeò videbatur remiſſa febris, vt ipſe ſibi ſanus eſſe videretur. Sudores verò, vt dictum eſt, ſingulis diebus contingebant, quod quidem plus aut minus factum eſt, per totum primum morbi impetum, & vſque ad recidiuam. Decimaquinta die exacerbata rurſum febris eſt, & iudicationem quandam fecit, ita vt iam inde iudicaretur eſſe in inclinatione, atque ob id iam inde cibos homo guſtaret. Nimirum, vt in commentariis in librum de ratione victus in morbis acutis explicui, & ad præſentem hiſtoriam dicere neceſſe eſt, veteres medici longè parciùs cibabant ægrotos quàm hodie, ſæpe quidem vt arbitror cum maiori vtilitate, aliquando tamen fortaſſe cum minori ſecuritate: ſed nunc aliò properamus. Omnia quæ offerebantur in tria diuidebant, potum, ſuccum ſeu ſorbitionem, & cibos. Potum, vt aquam, vinum, aut mulſam; ſorbitionem, vt ptiſanam, mazam aut polentam, aut iuſcula: cibos, vt oua, piſces, & carnes. Cibos in acutis non præbebant ante vniuerſalem inclinationem: ſolo potu vtebantur in acutiſſimis, in acutis ſimpliciter ſorbitionibus. Et hactenus quidem Hippocrat. illis conſentiebat. Diſſentiebat verò quòd illi procedente morbo adiicerent, Hippocrat. detraheret. Hic igitur decimaquinta iuſculum pulli ſorbens, vomuit bilem, ſimulque aluus deorſum turbata eſt, & febris dum hæc fierent exacerbata rurſus deſiit cum multis ſudoribus, à quibus refrigeratum eſt corpus totum, hoc eſt attemperatum præter tempora, in quibus, vt dictum antea eſt, reliquiæ quædam manebant febrilis caloris. Per hanc iudicationem putatus eſt in inclinatione eſſe, & ob id cibis nutritus, quanquam pulſus non defecit, hoc eſt arteriarum motus non omnino ſedatus eſt. Nomen σφυγμὸς rarò inuenitur apud Hippocrat. & pleriſque in locis ſignificat motum arteriarum, non qualemcunque, ſed conſpicuum. Itaque pulſum eſſe, ſignificat apud Hippocrat. eſſe inſignem ac manifeſtum, vt in febricitantibus, aut valdè iratis, aut curſu defatigatis eſſe conſueuit: pulſum deficere eſt ſedari, ac deſinere eſſe talem. Igitur quod dicit, σφυγμὸς οὐκ ἔλιπεν perinde eſt ac ſi diceret, pulſus non omnino conquieuit. Ἔδόκει (inquit) κοπάσαι ὀλίγον χρόνον, ὡς δόξαι ἐπθερμαίνειν, hoc eſt, modico tempore ſingulis diebus, fortaſſe à cibo, aut veſperi, cum ſolent omnia ingraueſcere, videbantur pulſus laborare, hoc eſt cum quadam contentione concitatiùs moueri, ita vt opinio eſſet ei tunc temporis febrem quandam accedere. Itaque ſuperfuit homo ab illa iudicatione, non omnino liber à febre, & quotidie modico tempore videbatur exigua quædam febris acceſſio fieri, putabatur verò eſſe in morbi inclinatione. Neque mirum, videmus enim nonnunquam etiam in conualeſcentibus (non tam perfectè iudicatis)

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 396 sur 489

©BIUM

huiusmodi quandam. Vigesima quarta, cum multos iam dies cibos gustasset (scilicet à die decimaquinta) post prandium magna denuò febris rediit, & ad vesperam delirium, accedente simul somno. Detinebat itaque iam continua & vehemens febris hominem, nunc cum peruigilio, nunc cum comate, quia nunc vnam, nunc duas noctes sine somno transigebat, reliquo autem tempore ὕπνος καθεκτὸς. In quibus accidentibus duo erant mala, alterum quòd erant nimia & somnus & peruigilium, alterum quòd vtrunque intempestiuè fieret, ac præter id quod natura & consuetudo poscebat: vigilabat enim noctu, & sopore tenebatur interdiu, ita vt difficilè excitaretur, & in somno erat delirium. Sed quo pacto erat in somno delirium? Nam qui dormit non videtur posse delirare? An quia (vt inquit) cùm ex somno excitaretur, vix erat apud se ipsum, hoc est, expergiscebatur delirans? Aut fortasse etiam habebat insomnia delira. Siti carebat, & spiratio erat moderata, qualem interdiu fuisse Polycrati nuper dicebatur. Lingua non erat decolor, hoc est à naturali colore non admodum aberat, ex quibus constabat spiritalia non valdè laborasse sed multò magis mentis sedem. Cùm videretur incidisse homo in recidiuam cibatus est denuò, vt à principio morbi acutiillo seculo cibabantur. Et septem primis diebus recidiuæ solus dabatur potus, post septimam recidiuæ, hoc est, à trigesima prima offerebantur succi, post decimam quartam, hoc est à trigesima octaua offerebatur cibus. Quem sanè ordinem procedendi in ciborum adiectionem vituperat Hippocr. libello dicto, cùm contrarium sit faciendum, donec morbus inclinet, nunc verò narrat quod factum est. Vt constare hinc possit quæ in hoc opere Hippocr. facta esse narrat, non semper ab eo probari neque imitanda esse, nisi cum dicit adiutum esse ægrotantem eius rei vsu. Sed redeamus ad historiam. Primis septem diebus recidiuæ, cum cibum iam insolitum malè ferret, eructabat crebrò, euomebat quandoque cum potu subbilioſum sine anxietate (quòd arbitror, facile vomeret) donec deorsum soluta sit aluus, quod intra primum septenarium recidiuæ euenit. Sudores qui priùs aderant, ex quo recidiua facta est, defecerunt, nisi quis sudor velut signum quoddam fieret circa frontem. Lingua à somno, nisi colluereturpræ siccitate erat balbutiens, & eruptiones vlcusculorum in ipsa, & in labio inferno, & iuxta dentes, & alui egestiones exiguæ. Hæc verò putare oportet accidisse in secundo septenario recidiuæ. Nam in primo, vt dictum est, siti carebat, & lingua non erat decolor, & aluus est soluta deorsum. In secundo itaque septenario crescente vstione, facta est affectio siccior. Initio tertij septenarij scilicet circa decimam quintam recidiuæ, quæ erat iam morbi totius trigesima octaua, factæ sunt deiectiones frequentiores, & viscosæ, velut per recidiuam, deiectionum scilicet, hoc est quasi facta fluxus alui recidiua. Suspicor autem hunc fluxum qui repetiit, fuisse dysenteriæ initium, fuisseque ob irritationem crebras deiectiones, viscosas verò ob intestinorum pinguis partis deciſſionem. Si enim excretione succi crassi factæ fuissent, non curassent medici cohibere, neque decocto malicorij essent vsi, siue in potu siue in clysteri. Vtrouis enim licebat vti in hac dysenteria, cum iam putaretur corpus vacuatum esse non parum. Οὗος dicit fuisse ἐπὶ τὰ πλυχρόνια, hoc est, quales esse solent vrinæ multo tempore detentæ, crassæ scilicet & perturbatæ, ac fortasse etiam fœtidæ, quum corpus per eas expurgatur. Exacto tertio septenario, cumque iam esset morbus quadraginta quatuor dierum, sub vltimum tempus, hoc est, vltimo septenario, superuenit dolor pectoris, qui sentiebatur inter potandum. Quem dolorem verisimile erat ex flatu proficisci, quia potu exacerbabatur, præstat enim potus quam maximè materiam flatui. Sed & curatio huic coniecturæ attestabatur. Nam manus apposita conferebat, vt fomentum scilicet calidum & familiare: & curatus est accepto cumino ex ouo. ἠγλῶσσε, inquit, τὸ μανῶδες ξυνιώγκε, hoc est, expedita erat iam, & proferre poterat quiduis consumpto penè iam humore. Quinquagesima à prima quæ erat vigesima septima à recidiua, sudores exigui circa lumbos & pectus facti sunt, quas ambas partes pati significauerant anteà vrina & dolor, & accidit eadem die breue quoddam frigus, per quod totum corpus præter tempora refrigerabatur. Producta verò est hæc indicatio vsque ad diem sequentem, qua cessauit febris, neque iterum rediit. Dixit quinquagesima à prima circa arcturum, nihil aliud innuens quàm quod dictum erat, incepisse hunc morbum in arcturi ortu. Hic morbus difficilioris fuit iudicij, quàm Polycratis, & Cleonactis: atque diuturnior, quia ex maiori humorum quantitate productus erat, in cæteris tamen valdè similis.

Eratolai filius circa Æquinoctium autumnale dysenteria cum febre correptus est. Deiectiones erant biliosæ, tenues, multæ, & mediocriter cruentæ, dolor autem ventris vehemens. Cùm serum & lac potasset, ex lacte igneto moderatiores euadebant dolores, & deiectiones subcruentæ, sed biliosæ comitabantur, & exurgebat crebrò, verùm cum minore dolore. Febricula autem post primos sex dies neque ægroto neque multis prorsus adesse videbatur toto morbi tempore, adeò erat obscura. Circa tempora autem pulsatio aderat, & lingua ob siccitatem aliquantùm balbutiebat, & moderatè siticulosus erat & insomnis. Sorbitionibus autem iam & vino vtebatur. Cùm iam ad decimam quartam diem peruenisset, tumores duri & crudi circa aures oborti sunt, circa vnam primò deinde vtramque, omnes euanuerunt, moderatos verò dolores afferebant. Cùm autem deiectiones non cessarent, sed biliosæ semper manerent, herbam in farina absorbuit, & deiectiones biliosæ & dolores ad aliquod tempus mitiores euaserunt. Humida autem multa crebrò demittebat, & cibum magnopere auersabatur, nec nisi summa necessitate coactus accipiebat. Quoad calorem verò & linguam & sitim, talia perseuerabant qualia dicta sunt, neque vlli manabant su-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 397 sur 489

©BIUM

dores. Talis autem quædam erat obliuio, cùm interrogaſſet de eo quod paulò antè audiuerat, aliquo interpoſito tempore rurſus interrogabat, & repetebat quaſi non interrogaſſet, atque ſedeſidere obliuiſcebatur, niſi quis ipſum admoneret, & ipſe ſibi conſcius erat eius affectionis, neque ignorabat. Spiratio qualis eſt per ſanitatem. Vltra trigeſimam verò diem vſque ad quadrageſimã dolor vētris multùm creſcebat, & ſupinus decumbebat, neque ſe tantillùm conuertere poterat, & quia dolor erat vehemens, aliorum ope qui cibum exhiberent, indigebat. Alui deiectio multa erat, diſcreta, tenuis, & coloris vinoſi, quacunque tandem ingeſtiſſet, & aliquando ſubcruenti. Et corporis robur in extremam colliquationem & impotentiam degenerauit, vt ſurgere amplius non poſſet vel alio ſubleuante. In medio autem vmbilici & cartilaginis, quæ eſt circa hanc regionem manu appoſitâ, talis percipiebatur palpitatio, qualis neque à curſu, neque à pauore ſuſcitari poſſet. Cùm per duos dies bibiſſet nouem circiter heminas Atticas lactis aſinini excocti, bilioſa purgatio exorta eſt vehemens & dolores ceſſauerunt, & ciborum appetentia acceſſit. Poſteà bubuli lactis crudi quatuor circiter heminas bibit, ſingulis diebus duos cyathos, primùm aquæ ſextã partem, & vini nigri & auſteri modicum admiſcens. Semel autem cibum capiebat ſub veſperam, panis ſubcinericij dimidiatam circiter chœnicem & piſciculum ſaxatilem ſimplicem, aut caprinæ vel ouillæ carnis fruſtulum. Lac potabat vſque ad quadraginta dies, poſt primos decem dies ſine aqua, ſed cum vini nigri modicâ portione. Poſt ſeptuageſimum iam diem à primo poſt balneum, ſub noctem ſudor exiguus accidit. Exiguo vero potu vtebatur, eoque poſt cibum, aut auſteriore, quod eius cupiditate caperetur.

A

B

C

D

E

Non narrat quis fuerit huius morbi exitus, an liberatus iam tandem poſt tam longam ægrotationem homo ſit, an prorſus in tabem inciderit. Ego certè omnes ferè ita affectos vidi poſtremò perire tabidos: euenit tamen nonnunquam in ætate florente, hominem alioqui natura robuſtum paulatim velut reuiuiſcere. Vnicus mihi nunc in mentem ſubit ita affectorum, quem liberari viderim. Sed quæ fuerit hæc affectio, quàm adeò periculoſam dicimus, enarremus. Imprimis dyſenteria cum continua febre laborauit. Vnde conſentaneum erat mox timere morbi malignitatem, quòd ſcilicet febris inuaderet à principio cum euacuationibus. Scitum enim eſt illud ſecundi libri huius operis, decretoria ne ſtatim appareãt. Sed & qualitas exeuntium malignitatem indicabat, cùm eſſent deiectiones bilioſæ, tenues, multæ, & mediocriter cruentæ. Fiebant enim multa bile tenui regurgitante per inteſtina, adeò acri, vt vlcerando ac radendo, ſanguine tingeretur, & vehementem moueret ventris dolorem. Veterrimi, vt nuper notauimus, continebant ægrotos primam ſeptimanam cum ſolis potionibus, ſecundâ ſorbitiones præbentes, veniebant deinceps ad cibos: potiones verò tribuebant non eaſdem omnibus, ſed cuiuſque morbo accomodatas, vt & ſorbitiones, & cibos. Huic datum eſt primò potãdum ſerum lactis, deinde χύλα πυρομένον, hoc eſt in quo extincti eſſent igniti lapilli, aut orbiculi ferrei. Quod quidem iuxta dyſenteriæ indicationem eſt factum rectè. Nam vtendum primum extergentibus, & expurgationem faciliorem reddentibus, quale certè ſerum eſt, deinde temperantibus ſuccorum mordacitatem, & oblinentibus vlcera, & nonnihil adſtringentibus, quale eſt lac ita paratum. Nam lapillorum ignitorum immerſione abſumitur ſerum, & deponitur facultas expurgandi, & comparatur adſtrictio quædam: ipſum verò per ſe lac eſt temperans, & pingue, præcipuè verò craſſius igne factum. Ita meritò factum eſt, vt huius potu dolores miteſcerent, & deiectiones eſſent minùs cruentæ: quoniam vero materia ſupererat adhuc multa, bilioſæ deiectiones procedebant, & exurgebat crebro, etſi cum minori labore: vt diceres iam curatam eſſe lactis qualitate dyſenteriam, ſupereſſe verò ob bilis redundantiam diarrhœam. Febris poſt primam ſeptimanam adeo eſt remiſſa, ſedatâ ſcilicet iam in inteſtinorũ vlceratione affectione phlegmonoſa, quæ talia vlcuſcula ſæpe comitatur, vt ipſi ægroto & multis eorum quiaderant, nulla prorſus eſſe videretur. Cùm vero nondum maneret purum corpus, & inteſtina adeo aciem & exuſtam fluxionem pati ceſſarent, factus eſt exuſtæ bilis in ſuperiora recurſus, & obid cœperunt ſuperiores partes bilioſiores eſſe, quod indicabat pulſus circa tempora (dictum iam ſæpe eſt vocari ab Hippocr. pulſum, inſignem & conſpicuum arteriarum motum) & lingua ob ſiccitatem ὑπαχαυλος (nimirum vt nimia linguæ humiditas facit balbutiem ob molliciem & infirmitatem, ita ſiccitas ob immobilitatem) & quod ſiticuloſus eſſet, quamquam id non nimis, quia febris erat exigua, ſatis vero ob ſiccitatem, cui etiam atteſtabatur peruigilium, erat enim etiam ſine ſomno. Ita tranſegit totam ſecundam ſeptimanam, deinde ſecundùm conſuetudinem vtebatur ſorbitionibus, & vino. Sorbitionibus quidem, quia erat elapſa ſeptimana prima: vino vero quia febricula, vt dixi, erat exigua, (nam alioqui vinum in potionibus ponebant, non in ſorbitionibus.) Cum iam ad decimam quartam peruenisſet, oborti ſunt tumores circa aurem vtramque duri & crudi, dolores vero moderatos afferebant, itaque erant phlegmones ſcirrhoſi cerebro deponente excrementa in partes adenoſas facti. Nihil tamen attulerunt vtilitatis, quia euanuerunt, hoc eſt diſparuerunt repentè, neque reſoluti ſunt paulatim, neque ſuppurati, quod periculoſiſſimum eſſe teſtatur Hippocrat. ſæpe, atque fortaſſe tuberculorum retroceſſu factus eſſet internus aliquis phlegmon, niſi deiectiones bilioſæ perſeueraſſent. Verùm hæ nunquam ceſſabant, & ſemper erant bilioſæ. Cumque vellet iam diarrhœæ occurrere, ſorbuit (inquit) in farinâ herbam. Non dicit quam herbam, licet vero intelligere aliquam

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 398 sur 489

earum quæ ad cohibendam aluum ſunt accommodatæ, vt plantaginem, aut anchuſam, aut pentaphyllon. Parata ergo illi eſt ſorbitio ex farina triticea, & tali quapiam herba coctis, & moderatiores facti ſunt dolores, & egeſtiones bilioſæ eſſe deſtiterunt, & factæ ſunt multæ & crebræ humidæ, hoc eſt, aquoſæ. Atqui neque hoc quicquam contulit, cum ne tunc quidem expurgatum eſſet ſatis corpus, vt liceret cohibere bilioſas deiectiones. Suppreſſa iterum eſt bilis, & rurſum recurrit ſurſum in hypochondria & caput. Quod indicarunt faſtidium ingens adeo, vt cibum vehementer abhorreret, nec ſine magna vi acciperet, & calor, & linguæ ariditas, & ſitis, quæ tunc demum aucta ſunt. Sudores vero nulli fiebant, natura ſcilicet nihil notatu dignum per corporis habitum expellente. Accidit etiam tunc oblivio quædam illi (quæ haud dubiè ex mentis alienatione erat potiùs, quàm ex memoriæ ipſius per ſe læſione) ſimilis illi obliuioni, quæ fieri ſolet in phreniticis, aut iis quibus iam iam inſania imminet. Nam cùm interrogaſſet quod paulo ante audierat, rurſum interrogabat, & rurſum repetebat, quaſi nunquam interrogaſſet, atque cum alicubi ſederet obliuiſcebatur inde ſurgere, niſi quis ipſum admoneret. Atqui erat ipſe ſibi conſcius huius paſſionis, neque ignorabat. Hęc certè melancholica erant, ſignificabantque mentem nigra euaporatione in caput delata ex bile vſta lædi. Nunquam autem hæſit multum talis bilis circa ſpiritales partes, & ob id reſpiratio erat qualis per ſanitatem. Hæſit verò plurima circa hypochondria, quæ à trigeſima vſque ad quadrageſimam diem tantum dolorem ventris excitauit, vt niſi ſupinus decumbere non poſſet, neque tantillùm ſe poſſet conuertere, neque cibum quidem præ doloris vehementia ſua manu caperet, ſed opus eſſet, vt alius ei indulgenter tribueret. Adeò erat dolore fractus. Alui egeſtio erat multa, διαπεπεμμένη, hoc eſt diuerſa & malè cohærens, tenuis & coloris vinoſi, quæcunque tandem ingeſſiſſet: hoc eſt colores potuum & eduliorum, apparebant in deiectione, quæcunque eſſent ingeſta. Quod incoctionem ſignificabat, & debilitatem maximam facultatis ventriculi, quę quidem in ita affectis fieri conſueuit, vt & acida cruditas naturali calore debilitato per caloris ignei exuperantiam: aliquando etiam erant colores ſubcruenti, ſimilem etiam (arbitror) iam patiente hepate debilitatem. Nam per talem, vt ex prima concoctione exeunt tenuia referentia coloribus ipſos cibos, ita ex ſecunda ſubcruenta quædam ſimilia carnium loturæ. Inter vmbilicum verò & cartilaginem appoſita manu, talis ſentiebatur palpitatio, qualis neque à curſu, neque à pauore circa cor ſuſcitari poſſet. Conſtat hic palpitationem vocari, non eam ſolum quæ à Galeno exactiùs diſtinguente nomina ita vocatur, ſed omnem ſubiectarum manui partium motitationem. Nam is cordis motus qui à curſu fit non eſt palpitatio ſed pulſus, neque qui à pauore, ſed tremor. Atque is etiam motus, qui in præſentis hiſtoriæ ægroto ſentiebatur, erat pulſus. Fit verò multis ęgrotantibus eo in loco pulſus quidam inſignis eius arteriæ, quæ per ſpinam deſcendit ob affectum phlegmonoſum eius loci, qui quidem aliquando fit in acutis morbis, & vt dicitur in prognoſtico, ſignificat periculum & furorem, aliquando etiam manet poſt acutos morbos, bile vſta collecta in hypochondrio, fitque affectio eo loco cancroſa, ex qua perpauci euadũt, plerique tabeſcunt. Velut hic, cuius corporis robur in extremam colliquationẽ & impotentiam degenerauit, hoc eſt, totus corporis habitus talis erat, qualis in tabidis, & extrema macies, & debilitas tanta, vt neq; alio quidem ſubleuante ſurgere poſſet. Hac occaſione purgatus eſt copioſo hauſtu lactis aſinini excocti. Accepit verò duobus diebus circiter nouem Atticas cotylas, quæ capiunt vncias 81. Erat veteribus familiaris vſus huius lactis ad purgandam bilem, vt facilè cõſtat legenti librum ſecundum de ratione victus in acutis: quem vsũ ego nõ ſine magna vtilitate ſum aliquando imitatus, cogens ægrotos accipere huius ſeri aut huius lactis, quod etiã eſt valdè ſeroſum, pluſquàm duos ſextarios. Lac coqui debet, vbi non poteſt eſſe recens mulctum, & per ſe calens, ne aceſcat: ſerum datur meliùs frigidum: huic certè bilioſa purgatio vehemens oborta eſt, & dolores ventris ceſſauerunt, & recedente bile acceſſit ciborum appetentia. Poſteà accepit per dies duodecim ſummo manè lac bubulum, quod facultate expurgandi longè inferius eſt aſinino, pingue tamen eſt, & nutrit multò plus quapropter tabeſcenti ex dyſenteria poſt expurgationem erat accommodatiſſimum. Tabes enim poſt corporis expurgationem petit nutritionem: dyſenteria poſt exterſionem petit inunctionem ex aliquo pingui. Acciebat verò quotidie cyathos duos, hoc eſt vncias. 3. Itaque accepit his omnibus diebus fere cotylas quatuor Atticas. Addebatur verò huic potioni matutinæ aquæ pars ſexta, & vini nigri auſteri parùm. Itaque potio accipiebat lactis bubuli vncias 3. aquæ vnciam ſemiſſem, vini auſteri nigri parùm. Fiebátque ita potio pinguis, nutriens, & nonnihil adſtringens, anteà etiam per totum ferè morbum (nam à decima die vſque ad quadrageſimam) accipiebat ſummo mane potionem dictæ ſimilem, præterquam quod non accipiebat aquam, ſed ſolùm lac (non explicat quale, fuerit verò aſininum, aut equinum quod illi eſt proximum, fortaſſe etiam caprinum, nam & hoc probatur) & vini nigri partem modicam, vt fortaſſe ſextam. Hæc quoque potio ex lacte & vino commiſtis familiaris erat antiquis, vt ex aliis etiam huius operis locis conſtat: hoc autem tempore nullus eſt eius vſus, quòd timeant medici ne facilè aceſcat. Sed victus quoque quo vtebatur, ſapiebat plurimùm veterrimam illam medicinam. Nam accipiebat cibum ſemel in die ſub veſperam, contrà ac nunc fit, niſi in raris quibuſdam morbis. Verùm hoc non eſt mirum, eadem enim ratione veteres dabant cibos veſperi, & nunc dantur in meridie, vtrumque enim fit iuxta temporis conditionem, & hominum mores. Accipiebat verò panis ſubcineritij dimidiatam circiter chænicem, & piſciculum ſaxatilem tenuem, aut caprinæ vel ouillæ carnis fruſtulum. Ἄνρπς ἐγκρυφίης, autore Galeno cap. 2. primi de alimentorum facultate, omnium eſt deterrimus, quia præterquàm quòd inæqualiter coquitur, malam qualitatem à cineribus accipit. Fortaſſe vocat hic ſubcinericium ad ignem toſtum, poſteà quàm ſit in furno coctus. Talis enim per diarrhœas non inutiliter datur. Sin autem vocat ſubcinerium, eum qui proprié talis eſt, ruditati illius ſę-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 399 sur 489

©BIUM

culi imputandum eſt, quo malè paratis & pane & obſoniis in commune homines vtebantur, non tamen hoc & alia huiuſmodi imitanda nunc ſunt. Fruendum enim potiùs culiori victu quem tempus attulit, & hominum ingenia. Chænicis dimidium eſt paulo pluſquàm libra nunc vulgaris & mercatoria. Nam duo ſextarij conſtituunt chænicem, ſextarius verò capit vncias duo de viginti. Piſciculum ſaxatilem Galenus commendat lib. 7. Meth. pro areſcentibus, ſimplicem intelligo vocari ſimpliciter paratum ſine muria aut garo, quaſi non ſalitum dicas, neque aliter conditum. Carnem caprinam & ouillam vituperat Gal. etiam 3. lib. de alim. fac. cap. 2. quaſi mali ſuccı, & alteram excrementoſam, alteram acrem. Quare neque hoc imitandum eſt, niſi forte χριάδιον dixerit, vt tenellam ætatem animalium ſignificaret, dederitque carnem capellæ, & agninam. Has enim in tam longo morbo & areſcente homine, non erat nimis licentioſum concedere. Itaque hoc victu peruentum ad quinquageſimum diem eſt. Poſteà cùm balneis vteretur, quotidie corripiebatur ſub noctem poſt balneum ſudore modico. Non vtebatur autem multo potu, neque crebro, ſed ſolùm poſt cibum, & tunc auſteriore, quod eo delectaretur. Non narrat quem exitum habuerit morbus. Fortaſſe, quandoquidem non dicit eſſe mortuum, liberatus eſt paulatim. Ego vero quod certo affirmem non habeo. Sudor enim ille fieri ſolet ſub noctem, non ſolùm iis quibus corpora excrementoſa paulatim purgantur, ſed etiam tabidis. Abhorrere vero à potu, & auſteriore delectari, eorum eſt quibus bilis redundat, & effuſa per totum eſt, aqua enim illis & omnis moderatus potus inſuauis fit, ſolus vero auſterus gratus, quod auſteritas bilis amaritudini occurrat. Itaque erat adhuc corpus excrementoſum, gracile, & debile, neſcio quid de eo actum ſit. Certè non euaſit breui, ſed ſi quàm maximè erat natura robuſtus, vix longo tempore fuit liberatus.

Cteſicrati autem quod in farina aſſumptum eſt magis contulit quam caprinum ſerum, cum dolores & labores totum ventrem occuparent, & crebrò exurgeret, & ſubcruenta deÿceret, & pedes tumerent à viginti quinque ferè diebus. Contulerunt eadem Adriano: filio autem Cænei lac aſininum coctum.

Hi quoque laborauerunt dyſenteriâ, & eiſdem remediis vſi ſunt, putà lacte aſinino, & ſero caprino, & ſorbitione ex herba & farina. Quorum facultates in hiſtoria filij Eratolai dictæ ſunt. Hoc autem Hippocratis diligentiam teſtatur, quod notauerit quonam maximè auxilio leuarentur, quicunque ſimili morbo per eam tempeſtatem correpti ſunt. Cteſicrati quod in farina aſſumptum eſt dicit contuliſſe magis quàm caprinum ſerum. Hęc phraſis, Τὸ ἐν τῷ ἀλείφῳ ſignificare ſolet nihil aliud quam farinam ipſam. Hic fortaſſe refert id quod nuper eſt dictum, ſignificatque herbam in farina coctam. Dicit vero habuiſſe hunc dolorem, & labores per totum ventrem, & multam ſurrectionem & ſubcruentam, quod eſt habuiſſe dolorem inteſtinorum ob eorum affectionem, labores vero ex crebra ſurrectione ad deiectionem, eam vero fuiſſe ſubcruentam cum tumore pedum, quia viginti quinque iam diebus hominem tenebat. Quæ notæ euidenter ſignificabant dyſenteriam cum debilitate concoctricis in hepate, vnde hydropis periculum ob refrigerationem impendebat. Hoc caſu merito ſerum erat inutile, vtpote refrigerans, & aqua magis replens; iuuabat vero herba aliqua corroborans in pulticula, vt alterum firmaret hepar, alterum muniret inteſtina. Eadem inquit contuliſſe Adriano, quod, vt arbitror, eodem modo laboraret. Puer vero Cænei iuuatus eſt aſinino lacte, quod, arbitror, ſine hepatis debilitate eſſet bilioſior.

Cydis filium circa Solſtitium hyemale corripuit rigor & febris, auris dextræ & capitis dolor. Huiuſmodi autem dolor ſtatim à puero illum comitabatur cum deſtillatione, & fiſtula & graui odore. Cùm autem ita ſe haberet, plerumque erat ſine dolore: tunc verò dolor aderat vehemens, & capitis dolore conflictabatur. Secundâ aut tertiâ die bilis vomitus accidit, deſidenti ſubbilioſum quid lentum prodÿit, velut ex ouo ſubpallidum. Quartâ & quintâ ſub noctem aliquantulum delirabat, & auris capitiſque dolor vehemens & febris aderat. Sextâ à mercuriali alu° deiecit, & calor & dolor ceſſaſſe videbantur. Septimâ velut ſanus erat, in temporibus autem pulſatio non ceſſauit, ſudor non eſt obortus. Octauâ ſuccum ſorbuit, ſub veſperam autem betam ſumpſit, & noctu dormiuit omnis etiam doloris expers. Nona ſub Solis occaſum lætabatur, ſub noctem verò capitis & auris dolor vehemens accidit. Aurem autem pus effundere contigit circa hoc tempus, cùm maximè doleret ſtatim à principio. Per totam autem noctem nonæ diei, & ſequentem diem, & noctis maximam partem nullum cognoſcebat, ſuſpirare verò perſeuerabat, die autem ad ſeipſum redÿit, & dolores ceſſauerunt, & calor factus eſt mitior. Cùm autem Mercurialem ſorbuiſſet, vndecima demiſit aluus pituitoſa, mucoſa, graueolentia. Duodecima & decima tertia moderatè ſe habuit, decimaquarta à ſummo mane incipiens vſque ad meridiem toto corpore ſudabat cum ſomno & graui ſopore, nec niſi ægrè excitabatur: ſub veſperam autem experrectus eſt, & corpus moderatè quidem refrigeratum eſt, ſed in temporibus pulſatio perſeuerauit. Decima quinta & decima ſexta ſuccis vtebatur. Decima ſeptima vero dolor eorumdem rurſus ſub noctem redÿit & delirium, & pus effluebat. Decima octaua, & decima nona, & vigeſima furioſo ſeſe habebat modo, & vocifera-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 400 sur 489

batur attollere ſeſe tentans. Cum autem caput ſuſtentare non poſſet, manibus protenſis ſemper aliquid fruſtra venabatur. Vigeſimâ primâ exiguus accidit ſudor circa dextrum latus & pectus & caput, vigeſima ſecunda circa faciem plurimus erat. Per illud verò tempus, ſi quidem voce plurimùm conaretur, loquebatur perfectè quæ volebat; ſi verò temere, ſemiperfecta proferebat, & ore reſoluto tum maxillæ tum labia ſemper mouebantur, quaſi vellet loqui, creber erat etiam oculorum motus ac intuitus, & in oculo dextro color qualis dictus eſt, aliquantum cruentus, & ſuperior palpebra intumuit, & circa maxillæ extremum rubor erat, & omnes faciei venæ adeò compactæ erant, vt manifeſtæ eſſent, nec oculis amplius nictabat, ſed intentè intuebatur & palpebras in ſuperiorem partem diſtrahebat, quaſi aliquid in oculum incidiſſet. Et cum biberet, potus in ventrem & pectus deſcendentis ſonitus audiebatur, qualis etiam Chartadi accidit. Spiratio autem ferè ſemper moderata fuit. Lingua qualis eſt peripneumonicis, ab initio ex pallido candida, & dolor capitis perſeuerans. Ceruix ſemper immobilis, niſi quum eam cum capite circumferre cogebatur, & pars quæ ex cernice in ſpinam excurrit, recta & inflexibilis erat, & decubitus erat qualis dictus eſt, nec ſemper ſupinus erat. Pus autem iam ſeroſum & album effluebat, operoſum erat illud ſpongijs detergere, graui odore exuperabat ſub extremum tempus, nec pedum contactum admodum percipiebat.

Hic haud dubiè mortuus eſt, tametſi id dicere Hippo. omiſerit, niſi fortè id inſinuauerit, dicens ſub extremum tempus, ſub extremum ſcilicet vitæ tempus. Hic puer ſtatim à paruulo laborauerat ris dextræ humiditate, quem morbum Hippocr. aphor. 24. ſect. 3. dicit eſſe pueris recens natis familiarem. Habebat verò dolorem dextræ auris cum deſtillatione, ac fiſtula, & graui odore, hoc eſt, patiebatur cum dolore & fiſtula diuturnitate iam facta puris fœtidi effluxum. Verùm etſi ſemper haberet, non ſemper dolebat, ſed plerunque effundebat ſine dolore pus. Quodam autem anno circa ſolſtitium hyemale, concitata illi in aurem (vt ſcilicet fieri ſolet in partes, quæ ſunt alioqui debiles) noua fluxione, atq; adeò in totum caput, præcipuè ſecundum id latus, obortus illi eſt in auditorio poro, & proximis partibus phlegmonoſus affectus, qui tametſi adhibitis idoneis auxilijs aliquoties mitigaretur, tolli verò omnino non potuit, quin poſtremò, communicato malo ipſi cerebro, quod eſt mentis ſedes & neruorum principium, cum delirio & conuulſione moreretur. Principiò rigor eum apprehendit, quòd, arbitror, partes ſentientes humor acer tangeret, mox firmato humore & inflammatione oborta, ſucceſſit febris & dolor vehemens, & patiente ſimul toto capite cephalalgia. Secunda aut tertia die (non alia cauſa vtitur ea particula diſtinguendi, quàm, quòd non ſatis recordaretur) accidit vomitus bilioſus. Hoc quoque ſymptoma fieri crebrò ſolet per cephalalgiam & hemicraniam, vt & per capitis vulnera, ob eam compaſſionem quæ inter caput & in os ventriculi intercedit. Hoc ipſo tempore cùm deſideret, deiiciebat ex aluo ſubbilioſum quid lentum, velut ex ouo ſubpallidum. Ne putes hac periphraſi deſcriptionem bilis vitellinæ contineri (vt fortaſſe quiſpiam cenſeret ſequutus ſententiam Auicennæ, qui eam bilem miſtione bilis & pituitæ fieri putat) ſed deiectionis cuiuſdam ex pituitæ & bilis miſtione factæ, ſimilis non vitello oui, ſed albumini bile tincto. In ouo enim non vitellus, ſed albumen lentum eſt. Dicit ergo eſſe quod egerebatur ſubbilioſum lętum, quaſi albumen oui, quod tinctum redditur ſubpallidum. Itaque ab exeuntibus ſupernè & infernè bilis & pituitæ redundantia ſignificabatur in toto corpore. Quarta & quinta die ſub noctem delirabat aliquantulum, & dolor capitis & auris vehemens, & febris aderat inſignis ſcilicet. Quòd morbus hic noctu ingraueſceret conſonum eſt rationi. Dictum iam enim eſt non ſemel anteà in hoc ipſo opere morbis capitis & oculorum (eſt autem eadem ratio & aurium) id eſſe familiare. Creſcebat verò hactenus malum, & cùm eius impetus in ſeptimum vſque diem timeretur, iuxta id quod in prognoſtico dicitur, natu minores ſeptimâ aut citiùs ab hoc morbo intereunt, ob morbi vrgentiam volentibus medicis periculum anteuertere, & deorſum repellere materiam, ſextâ die mercuriali purgatus eſt per inferiora, & res optimè ceſſit. Nam peracta purgatione calor & dolor ceſſaſſe videbantur, & ſeptimâ erat velut ſanus. Hoc exemplo ſeſe tuebuntur vulgares medici, qui omnes ægrotos qui continuis febribus tenentur die ſextâ pharmaco purgant, vt magna noxij humoris pars detrahatur, antequàm prælium quod dies ſeptima ſolet afferre ſuperueniat. Verùm id non eſt faciendum incautè neque temerè. Intereſt enim quæ ſit morbi conſtitutio. Nam ne acutis quidem omnibus eſt ſeptima iudicatoria, ſed alijs vndecima, alijs decima quarta, alijs etiam vigeſima ſeptima. Scire oportet an turgeat materia, an non vrgeat multitudo, an ſit aliqua concoctio, an ceſſauerint principij fluxiones, an ſecùs: his omnibus perſpectis iuxta communes præceptiones expurgandum erit, aut ſecus, non ſextâ die ſolùm, ſed & quinta, & quarta, & tertia, aut etiam prima, ſi res ferat, quod in commentarijs quarti de ratione victus explicuimus. Huic non male videtur neque præter artem datum medicamentum, quia nondum ſentiebatur ceſſaſſe fluxio, & in reuulſoria expurgatione non opus eſt expectare concoctionem. Poſſet non deterius dari die tertiâ cum lenta & bilioſa deijci cœperunt, fuiſſetque fortaſſe deuitata moleſtia quartæ, & quintæ: niſi id prohibuit vomitus bilioſus, qui ex eadem accidit occaſione. Quæ verò antea non potuit, rectè eſt acta die ſextâ expurgatio: à qua cùm quammaximè ſanus eſſe videretur, reſtitit tamen quiddam (ita vt fieri in ijs quibus eſt futura recidiua, Hippocrates ipſe anteà

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 401 sur 489

dixit (quod nondum esse hominem liberum à morbo, sed rursus deteriùs habiturum indicabat: pulsatio scilicet non cessauit in temporibus, quæ affectus phlegmonosi nondum soluti integrè erat symptoma: cui accessit non esse obortum sudorem, neque verò vllam aliam decretoriam euacuationem, qua id quod in capite fuerat firmatum, solutum iam esse putaretur. Vbi animaduerte Hippoc. etiam post euacuationes arte factas, quæ videbantur plurimùm contuliſſe, desiderare spontaneas & decretorias, eásque non succedere, suspectæ salutis censere esse signum. Atqui cùm medicus, siue is fuerit Hippoc. siue alius quispiam (plurima enim, vt in superioribus historiis vidimus, narrat in hoc opere Hippoc. quæ ab aliis gesta sunt) videret nondum esse solutum morbum, in victu ægrotantium hominem continuit, deditque octauâ sorbendũ succum (fortasse ptisanæ) ad vesperam autem dedit succum betæ, quem constat esse medicamẽtosum, & aluum subducere. Quoniam arbitror, viderat mercuriali esse hominem adiutũ, etiam sequebatur viam quam monstrare videbatur fortuna. Quod consilium ego in curationibus magnopere probo, modo nihil agatur nimis. Non narrat an hac die aluus sit soluta, tamen vtcunque euenerit, homo habuit meliùs. Nam ea nocte somnus accidit, & fuit admodum sine dolore, & nona ad Solis occasum lætus erat, & sine omni querela confabulabatur. Atque cum omnes (ita vt fit) essent domi læti, & incipetent morbi curam deponere, eadem nocte redit capitis & auris dolor vehemens, simulque cùm maximè doleret, statim à principio, hoc est, antequàm dolores vlla ex parte mitescerent, pus fluxit ex aure, & per totam eam noctem (quæ nona erat morbi, & diem sequentem) & maximam noctis (sequentis scil. diei) partem non agnouit quenquam, & perseuerabat suspirare, quod delirij signum erat. Nam suspirare est spiritu magno & raro vti; quod vt in prognostico dicitur, delirium indicat. Sed miraberis, quomodo fieri potuerit, vt in ipso doloris impetu pus effluueret, videtur enim vt in aphorismo dicitur, tunc maximè generari, quum dolores ac febres fiũt, exire verò cum iam est confectum. Certè coniectandum est, hoc pus per dolores quartæ & quintæ diei esse genitum, erupisse verò per dolores nonâ & decimâ, in interuallo quo confectum pus erat, neque adhuc rumpebatur absessus, mitiùs habuisse omnia. Non tantùm autem per hos secundos dolores priùs geniti puris accidit eruptio, sed cùm corpus adhuc esset impurum, noua fluxio est concitata & noua puris generatio: itaque alius motus priori omnino similis, præterquàm quod interuallum vsque ad dolorum recrudescentiam (vt Hippocratico modo loquar) habuit longius. Nam à fine decimæ diei vsque ad decimam septimam, quâ febres, dolores, deliria, & puris eruptio redierunt, meliùs habuit. Itaque inter primos & secundos dolores vnicus fuit quaternarius, inter secundos & tertios duo quaternarij. Causam autem fuisse existimo iudicationem quandam imperfectam, quæ die decimaquarta intercucurrit. Sed quid duobus his quaternariis actum sit exponamus. Cùm dolores & deliria per maximam partem noctis decimæ diei perseuerassent, sequenti diei initio ad seipsum redijt, & dolores cessauerunt, & calor febrilis factus est moderatus. Medicus verò eadem die, eodem prorsus consilio quo anteà fecerat, dedit mercurialis succũ sorbendum, & successit tunc quoque bene. Nam fluxere deorsum pituitosa, mucosa, maleolentia. Duodecima & decimatertia habuit se moderatè. Decimaquarta à summo mane incipiens vsque ad meridiem toto corpore sudabat cum multo sopore, vt ægrè excitaretur. Vespere autem experrectus est, & corpus moderatè refrigeratum, vt videretur scilicet extincta febris. Mirum si hæc iudicatio non adeò placuerit medicis qui aderant, vt putarent iam inde ægrotum futurum sine periculo. Nam erat sudor calidus (dixisset enim Hippocrates haud dubiè, si esset frigidus) per totum corpus, sine anxietatibus, (siquidem cum somno) & tactu quidem videbatur febrem substuliſſe, & hæc omnia in die decretorio sunt acta. Restirit tamen nunc quoque idem imperfectæ solutionis, & futuræ recidiuæ signum, quod prius aderat, putà pulsatio in temporibus: quapropter decimaquinta, & decimasexta, non cibis vt qui bene iam se haberet, sed succis vsus, vt qui adhuc ægrotaret, decima septima sub noctem correptus rursum est dolore earundem partium, & delirauit denuò, ac pus effluxit iterum, processitque delirium ad maniam, & durauit vsque ad vigesimam primam, & vociferabatur attollere se tentans: non poterat tamen miser caput sustentare, sed protendebat manus, & semper frustrà venabatur, quod qua ratione accidat phreniticis, in prognostici commentario & multis aliis locis explicatum à me est. Vigesima prima accidit sudor circa dextrum latus, & pectus, & caput: hoc est, circa dextrum latus pectoris & capitis. Qui sudor non decretorius (fuisset enim æqualis) sed symptomaticus multitudinis & debilitatis inditium, iuxta id quod in aphorismo dicitur, Vbi sudor, ibi morbus. Laborauit enim toto hoc morbo dextrum latus præcipuè: Iam hinc abire cœperunt signa omnia in deteriora manifestè. Nam sudor vigesima secunda die accidit circa solam faciem, quæ deteriori sudoris est species, & cæpit conuulsiuos habere motus in partibus faciei, qui processerunt vsque ad tetanum, & puris conditio mutata est, abijtque in serosum, donec postremò extremarũ partium cœperit amitti sensus, & homo mortuus sit. Vt iam hinc constet, quàm verè dixerit Hippoc. in prognostico, & in huius operis libri sexti sectione quintâ, aurem esse locum fallacem: fallaces enim vt in commentario sectionis sextæ libri eius dixi, morbi sunt, qui cum videantur esse sedati aut etiam soluti, redeunt. Cuius præsens historia præstat accommodatissimum exemplum. Sed redeamus ad pensum. Est notatu dignum, quod si quid (inquit) voce conaretur plurimùm, loquebatur quæ volebat perfectè, si verò temerè, atque vt aliud agens, & sine magno conatu loqui inciperet, loquebatur semiperfecta, hoc est, non perfectè proferebat sed velut ore resoluto. Hoc accidens vidimus in quibusdam per abolitam memoriam, aliis etiam per irrationalẽ obliuionem, qualem habebat Eratolai filius, cuius historia nuper narrata est. Nam quibus abolita est memoria, accidit aliquando vt vel in media prolatione verborum obliuiscantur, atque ita semiprolata dimittant, cum verò quis ipsis dictat, & simul proferre iubet, perfectè proferunt, vtpote nullo vitio consistente in sermonis instrumentis: melancholici etiam aliquando per mentis alienationẽ balbutiunt, & quædam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 402 sur 489

dam imperfectè prolata effutiunt, tamen cum aliquando conantur aliquid proferre, & aduertunt animum, nullum in prolatione vitium eſt, vt neque in eius inſtrumentis. Ab hoc homine mentis alienatio non aberat, verùm aliorum ſymptomatum concurſus indicat, in aliam potiùs cauſam reijci debere quàm in dictorum vllum. Nam genæ & labia mouebantur ſemper tremulè, quaſi ſemper aliquid loqui vellet, oculi quoque crebrò mouebantur, & in varios vertebantur intuitus: quæ non aliter quàm incipiente reſolutione, aut conuulſione partiũ fieri poterant. Fuiſſe verò conuulſionis initium exitus declarauit. Nam deſijt hæc agitatio in immobilitatem oculorũ, vt non ampliùs nictarent, ſed attentè intuerentur, & in tetanum, vt ceruicem cum capite circumferre cogeretur, & pars quæ ex ceruice, hoc eſt, ſpina ceruicis recta eſſet & inflexibilis, vt ſimul cũ capite & pectore moueretur. Conſentaneum ergo eſt dicta omnia in conuulſionẽ reijcere. Nimirum antequàm conuulſio muſculos apprehendat, mouentur conuulſoriè, imprimis quidẽ facultate vim magnam retinente, cauſa verò præter naturam adhuc lædente exiguum: deinde conuelluntur paulatim præualente morbo, & ſuccumbente facultate. Igitur cùm imprimis conuelli inciperent muſculi, qui os claudunt, & qui buccas mouẽt, loquebatur ſemiperfecta, & ore velut reſoluto, quòd ſcilicet conuulſio aperientium claudentibus repugnaret, & labia, & genæ, & oculi, conuulſiuo motu mouerentur. Deinde creſcente conuulſione infixi ſunt oculi, & diſtortæ palpebræ verſus ſuperiorem partem, velut conſultò fieri ſolet, cum aliquid in oculum incidit. Poſtremò ſecundum caput, ceruicem, & totam ſpinam ſuperuenit tetanus. Factam eſſe conuulſionem multitudine ſanguinis in caput irruente indicabant color ſubcruentus, & tumor palpebræ in oculo dextro, & genarũ rubor, & venarũ in tota facie tumor: ſiquidem erant manifeſtæ & compactæ, hoc eſt, tumentes, & ſolidæ, atque obſtructæ multo ſanguine. Commemorata itaque ſigna erant conuulſoria: reliqua extinctionem facultatum quibus corpus regitur, & naturalis caloris ſequebantur. In quibus eſt illud inſigne, quòd cùm biberet perciperetur potus deſcendentis in ventrem & pectus ſonitus (quod & Chartadi dicit accidiſſe, cuius hiſtoria paulò poſt narrabitur,) hoc ſignum vidi ego in multis moribundis, atque haud ſcio an viderim in vllo eorum qui ſuperuixerint, certè in vno tantùm eorum qui acutè ægrotarent, & id accidens acutæ febri ſuperueniſſet. Cauſam verò eſſe cenſeo eius accidentis, quòd corruptis iam facultatibus naturalibus potus pondere & propria fluxilitate feratur, velut in obmortuum corpus, atque ob id ſonitum edat. Accedit etiam ſonitus edendi alia cauſa, quòd moribunda corpora flatum iam admittant intra naturales cauitates, qui ſonitum edit verberatus ingreſſu humoris, qui non ſugitur paulatim à naturalibus inſtrumentis, ſed propriâ naturâ decidit. Has ob cauſas ego hoc ſignum in peſſimis pono, ſubſcribitque meæ opinioni præſens narratio. Pus etiam redditum eſt ſeroſum, & graueolens, tale naturalis caloris debilitatem indicabat: ac multò magis illa pedum mortificatio, quæ ſub extremum iam tempus ſuperuenit, per quam tactus non ſentiebatur. Cum dicit ſpiratio fere ſemper moderata, ne intellige fuiſſe per totũ morbum moderatam (nam vt dictum anteà eſt nonâ nocte ſuſpirabat) ſed nunquam fuiſſe maximas ſpiritus immoderationes, vt orthopnœam, aut ſublimem ſpiritũ, aut offendentem aut talem alium. Lingua ὠχρόλευκος erat à principio, qualis eſſe ſolet peripneumonicis, taliſque ſecundùm naturam redundantium humorum fiebat. Siquidem indicatum antea eſt, pituitam & bilem redundaſſe. Dolor capitis cur ſemper affuerit, nemo dubitabit, cùm locus præcipuè affectus fuerit caput. De huius ægroti curatione illud vnum lubet nunc monere, purgationes reuulſorias bene ac tempeſtiuè eſſe actas, miſſionem tamen ſanguinis (ſi modo vt ſermone, re etiam ipſa omiſſa eſt) perperàm, neque ſine pernitie hominis eſſe omiſſam. Fuiſſet huic prima & ſecunda die, quibus vehemens erat auris dolor & cephalalgia, mittendus ſanguis ex cephalicâ dextri lateris, quantùm vires ferrent, & ea ventris ſuppurgatio ex mercuriali, quæ die ſexta facta eſt, fuiſſet faciẽda die tertia aut quarta, cùm adhuc humores motu principij agitabantur, ferebanturque ſua ſponte in aluum, & exibant lenta velut ex quo bilioſa ſubpallida. Fortaſſe enim, his tempeſtiuè actis, inflãmatio ante ſuppurationem fuiſſet reſoluta, & ea quæ accidit ſeptimâ die fuiſſet firma morbi inclinatio: quod ſi tunc quoque exacerbatum fuiſſet denuò malũ nocte diei nonæ, redeunte motu ſimili, eadem curatio fuiſſet rurſus repetenda, mittẽduſque tunc denuò ſanguis ex eodem loco; quanquam parciùs, vtpote facultate minùs iam cõſtante. Quod ſi videretur peti à morbo copioſior miſſio ſãguinis, quàm à facultate poſſet ferri, affigendæ eſſent dorſo & ſcapulis cucurbitæ cum ſcarificatione, & rurſum (vt eſt factum) molienda aliqua alui ſubductio. His actis, corporeque adeò vacuato, fuiſſet fortaſſe iudicatio diei decimæquartæ perfectior, quòd ſi fuiſſet nihilominùs imperfecta, & decima ſeptima ſuperueniſſet tanta exacerbatio, malum cenſeri debebat pernicioſum, & inſuperabile. Neque enim omnia vinci poſſunt, quantumuis quis arte repugnet. Interim non fuiſſent omittenda (vt neque medicis, qui hunc ægrotum curandũ ſuſceperunt, veriſimile eſt eſſe omiſſa) collyria ad aurem mitigantia imprimis, ac mediocriter repellentia, vt roſaceum, aut lac: deinde coquentia, aut tantillum reſoluentia, ſimulque anodyna, vt mulſam calidam, aut chamæmelinum: poſtremò extergentia, & prohibentia putredinem, vt mulſam cum aliqua mirrhæ portione. Fuiſſent quoque toto morbi tempore vtiles frictiones crurum reuulſoriæ, & clyſteres. Fuiſſet quoque affundendum capiti oxyrrhodinum, quum phrenitica incipiebant apparere accidentia & nerui iuxta ſpinam emolliendi amygdalino, aut violaceo, aut alio eiuſmodi vnguento, cùm inciperent conuulſione rigere.

HArpalidæ ſorori circa quartum aut quintum prægnationis menſem tumores pedum aquoſi contingebant & oculorum orbes intumeſcebant, & totum corpus velut leucophlegmaticis in tumorem eleuabatur. Tuſsis ſicca, orthopnœa autem & anhelatio eiuſmodi, atque aliquando a ſpiritu adeo ſtrangula-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 403 sur 489

batur, vt in lecto ſedere cogeretur, nec decumbere poſſet, & ſi qua ſomni opinio accidiſſet, deſideret. Febris erat admodum moderata, nec fœtus longo temporis ſpatio mouebatur, veluti corruptus eſſet & delaberetur. Anhelatio autem per duos ferè menſes comitabatur, cùm autem fabis mellitis, & eclegmate mellis vſa eſſet, cúmque ex vino Æthiopicum cuminum potaſſet, melius ſe habuit. Poſteà tuſſiendo excreauit multa concocta, pituitoſa, alba, & ſpirandi difficultas ceſſauit: peperit verò fœmellam.

Fieri in prægnantibus tumores œdematoſos pedum rarum non eſt, neque verò eos in corpus totum procedere, quaſi leucophlegmaticæ ſint, accidunt n. in iis quæ pituitoſæ ſunt ob menſtrui ſanguinis ſuppreſſionem, vt certè in aliis citra prægnationem quibus ſupprimitur. Hoc tamen intereſt, quòd ob ſolum affectum præter naturam ſupprimi, quàm ob prægnationem grauius ſit, neque expectatur auxilium à partu, vt in prægnantibus. Verùm tantam anhelationem illi partium tumori accedere rarum eſt, etiamſi id quoque viderimus aliquando, & ſimul cum prægnatione finiri, atque ab his omnibus ſimul mulierem liberari. Nimirum morbi quibus affectus alioqui naturales occaſionem præbent, adeò periculoſi non ſunt. Eſt verò dignum admiratione, hanc non feciſſe abortum ob tuſſim adeò crebram & diutinam, niſi fortè admirationem minuat eam vtero geſtaſſe fœmellam. Maiores enim hæ quàm mares ſuſtinent occaſiones, & minùs abortiuntur, ſaltem poſt primos menſes: fœmellæ enim rarò excidunt, niſi initio prægnationis, & antequàm formationem & molem receperint: mares verò faciliùs, vbi iam augeri & moueri cœperunt, velut à quarto aut quinto menſe, quibus hæc mulier cœpit pati: cauſam eſſe exiſtimo, quòd acetabula maſculorum ſint ſicciora, & motus vehementiores. Itaque hanc ne abortiret, non parùm fortaſſe iuuit, fœmellam gerere. Atque ob id videtur Hipp. animaduertiſſe, & vt exemplo etiam indicaret, id quod medici omnes docent, difficiles & morboſas prægnationes indicare fœmineos conceptus. Eſt præter hæc multorum medicorum opinio, quæ non videtur ratione omninò deſtituta, eas quæ fœmellas conceperunt, vt morbis huiuſmodi, qui ex retentione excrementorum fiunt, ſolent magis capi, ita magis ab illis (pares ſint) liberari, quia ſcilicet earum habitui magis congruunt, quàm earum quæ mares conceperint. Deteriori enim & morboſiori habitu ſunt illæ, quàm quæ mares conceperunt magna ex parte: quare filias enixæ in lethales morbos magis incidunt, ab æqualibus verò magis liberantur: potuit igitur præter dicta, hoc quoque Hipp. innuere dicens, peperiſſe fœmellam. Scilicet ob id minus mirum fuiſſe euadere. Multis itaque de cauſis fuit rationi conſonum mulierem hanc parere fœmellam, vt quæ prægnationem habuerit adeò morboſam, vt quę non fecerit abortum, vt quæ euaſerit. Percurramus igitur breui omnia quæ mulier hæc paſſa eſt. Circa quartum aut quintũ (dubitantis eſt illa phraſis) menſem prægnationis tumores aquoſi circa pedes accidebant. Primis tribus menſibus ſolent fieri vtero gerentibus vomitiones, nauſeæ, & picæ, vtpote ventriculo citò conſentiente cum vtero: tumores verò pedum & alia eiuſmodi nõ ante quartum, aut quintum, quum iam menſtruæ euacuationes pluries defuerunt, & hepar diuturnitate cacochymiæ debilitatum eſt. Sed euenit dubitare, ſi tumores tales fiunt menſe quarto aut quinto, velut maiori iam facta patiendi cauſa, cur eo iam tẽpore ceſſant nauſeæ & picæ? Quæ enim à minori cauſa nata ſunt fieri, acceſſione maioris cauſæ non ſolent extingui, ſed augeri aut cum aliis morbis qui ſuperueniunt commorari. Gal. primo de ſymptom. cauſ. cap. 7. dicit, earum pleraſque ſic affici vſque ad ſecundum & tertium menſem, in quarto verò deſinere vomitionem partim vacuato humore, partim ſpatio temporis concocto, muliere ipſa præfaſtidio pauca comedente: atque fœtu, vtpote iam grandiori plus trahente: atque ita totum corpus deſinere plenitudine laborare, & adeò vitioſo eſſe ſucco. Verùm hæc ratio non videtur poſſe omnibus congruere. Sunt enim nonnullæ adeò excrementoſæ, vt ex illis maior aut deterior excrementorum copia ſingulis menſibus excerneretur, quàm ea quæ à fœtu trahi poſſit. Quibus conſtat futuram in dies per totum prægnationis tempus maiorem cacochymiam. His ſiue ſuperueniant tumores pedum ſiue non, nulla cauſa eſt cur faſtidia & picæ & nauſeæ ceſſent. Minùs autem excrementoſis, in quibus ſcilicet vomitiones primorum menſium, & inedia, & maior fœtus grandioris iam facti fœtus, plus poterunt cacochymiam minuere, quàm diuturnitas ſuppreſſionis menſtruorum augere, ceſſabunt illa menſe quarto: atqui fieri poterit, vt his ipſis tunc incipiant aquoſi pedũ tumores, quòd diuturnitate ſit hepar debilitatum. Multò enim citiùs trahitur in compaſſionem vteri ventriculus quàm hepar, verũ diuturnitate intemperatũ hepar rẽtinet cõpaſſionem, quam ventriculus vomitione iam expurgatus deponit. Hoc verò non accidet quibus hepar erit firmum, ſed deponent ventriculi paſſiones, nullis tumoribus ſuccedentibus. Quamquam contrarium quoque poteſt quibuſdam euenire, vt nullis inſignibus ventriculi paſſionibus laborent, & deinde tumoribus pedum & aſthmate corripiantur, quibus ſcilicet eueniet ventriculum eſſe firmum, & infirmum hepar. Itaque tumores pedum rarò fiunt ante quartum, picæ plerumque finiuntur intra tertium, neutrum tamen horum eſt perpetuum, neque eas quibus tumeant pedes, ventriculo anteà laboraſſe, neque ſecùs. Huic non narrat quid ante quartum acciderit, potuit vtrumuis accidere. Tumoribus pedum, creſcente crudorum humorum copiâ, ſuperuenit oculorum & totius corporis tumor, qualis eſt leucophlegmaticis, & reſpirationis inſtrumenta occupata ſunt adeò, vt laborauerit maxima orthopnæa, tanta ſcilicet, vt dormiret etiam erecta. Succi etiam principio erant adeò crudi, vt vexaretur ſicca tuſſi. Febris exigua erat, quia non ex humorum in venis putreſcentia, ſed ex crudorum oppilatione in vijs ſpiritus naſcebatur. Erat ergo qualis eſſe ſolet hydropicis & aſthmaticis, vtriſque enim niſi quis alius accedat morbus, exigua tantùm eſt febricula. Illud verò videbatur in hac muliere horrendum magis, fœtus motum multo tempore non ſentiri, & velut mortuum translabi ex latere in latus, quum mu-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 404 sur 489

lier conuertebatur. Quod ſanè magnum incuteret timorem, videretur enim id fieri, quòd fœtus eſſet deciſus ex vtero & mortuus. Mortuum non fuiſſe conſtat, ſiquidem eſt ſuo tempore in lucem editus, tamen ægrotaſſe eo tempore fœtum intra vterũ non eſt dubium, adeò vt non poſſet ſeſe proprio impetu loco mouere, neque verò continere, cùm matris corpus verſaretur, ſed pondere excideret, vt valdè debilibus ægrotis videmus accidere, ipſi enim non poſſunt ſeſe erigere, ſed facilè decidunt ſi quis eos conetur erigere, neque ſuſtinet. Laborare verò fœtus intra vterum morbis ſatis grauibus, quique plerumque quadraginta dierũ habent conſtitutionem, Hippo. docet libello de partu ſeptimeſtri. Durauit ergo fœtus ea debilitas fortaſſe plus quàm menſem, quod ſignificauit dicens, longo temporis ſpatio non mouebatur: Anhelatio verò durauit duos menſes. Dicit meliùs habuiſſe vſu fabarũ admixto melle, & eclegmate ex melle, & potu cumini Æthiopici ex vino: concocta enim eſſe excrementa, & tuſſiendo excreata. Faba (dicit Galen. ſeptimo de ſimpl. facult.) ſi quid aliud, excreationibus ex thorace & pulmone eſt idonea. Mel eſſe thoraci congruentiſſimum ad extergendum, & ad coquendum, inter omnes medicos conſtat. Atque ob hæc ſerapia omnia, & eclegmata pectoralia parantur ex eo, & alia quæcunque ſiue catapotiorum formâ, ſiue bolorum pro thorace parantur, nullo ſucco meliùs quàm melle conformantur. Duobus modis potuit hic vti faba, atque vterque fuit vtiliſſimus, aut ex fabacea farina melle ſubacta formatis catapotijs aut bolis, aut melle cui farina inſpergebatur. Ego verò intelligo, vſam eſſe farinâ melle ſubactâ, atque ſeorſum eclegmate ex melle, aut ſolo & deſpumato, aut cum re alia, ſuccone alio, velut eclegmate ex adianto, aut hyſſopo, aut alio ſimili. Dicit enim, quaſi duo diuerſa medicamẽta innuens, κυάμοισι δὲ χρῶ μᾶλλον μὲν χρῶσι καὶ μᾶλλον μέλιτος ἐλίζει. Cumini genus omne habet vim calfaciendi tertio ordine, & diſcutit flatus valenter, probatur maximè inter omnia eius genera Æthiopicum, vt inquit Dioſcorides. Quoniam verò eius puluerem ex vino potare iubebant medici, conſtat eos concoctu tentumacem eſſe cenſuiſſe ſuccum, qui in mulieris thorace redundabat: neque ſanè aliter vti oportebat in hac tam valenti auxilio, cùm præcipuè in diureticis eſſe à Galeno dicatur cuminum, quorum vſus in grauidis periculoſus eſt.

Polycratis vxorem æſtate circa caniculæ ſydus febris corripuit. Spirandi difficultas manè minor erat, à meridie vero maior & paulo frequentior, tuſsis & excreatio ſtatim ab initio qualis eſt purulentis. Intus circa arteriam & fauces aſperitas erat aliquantùm ſtridula, facies bene colorata, in maxillis rubor non intenſus, ſed moderatè floridus. Procedente autem tempore & vox rauca facta eſt, & corporis colliquatio, & circa lumbos eruptiones, & aluus ſub extremum tempus liquidior. Septuageſima die febris eam corripuit cum inſigni exteriorum partium refrigeratione, in temporibus autem quies erat. Spirandi difficultas vero intendebatur, verùm poſt hanc requiem ſpirandi difficultas adeo aucta eſt, vt ſedens vſque ad finem permanſerit & mortua ſit. In arteria vero ſtrepitus multus erat, & ſudores praui, & intuitus admodum compoſiti ad extremum vſque tempus. Superuixit iam refrigerata dies plures quàm quinque, poſt primos autem dies purulentum quid excreare perſeuerauit.

Vxor Polycratis, vt ex ſymptomatum narratione licet colligere, laborauit primum peripneumoniâ, deinde ex ea breui incidit in ſuppurationem, & à ſuppuratione poſtremò in tabem, à qua citò eſt mortua. Inſumpti enim ſunt in has omnes mutationes paulò plures quàm ſeptuaginta dies, cùm ſoleant quidam tabidorum durare plures etiam annos. Neque tamen hoc non fuit rationi valdè conſonum, quia ex peripneumoniâ, vtpote quæ eſt breuioris conſtitutionis quàm pleuritis, ita citiùs fit ſuppuratio, & illius vomica rumpitur priùs, & niſi priùs etiã perpurgentur, tabeſcunt ab ea priùs ſuppurati, vt in commentariis ſectionis 5. aphoriſmorum indicauimus. Iam verò tabidi facti, qui ex interna inflammatione tales facti ſunt, breui moriuntur, atque tantò breuiùs, quantò ex inflammatione acutiori. Qui enim tabeſcentes durant diu, ij ſunt qui ex deſtillationibus à capite, aut toto corpore, vel ex congeſta inter latera pituita inceperunt. Meritò igitur hæc quæ à peripneumoniâ proceſſit ad tabem, adeò breui conſumpta fuit: futuram verò citò mortem ſignificauerunt lethalia ſigna citiſſimè apparentia, & celeriter alia ex aliis ſuccreſcentia. Laboraſſe enim à principio pulmonem, indicauit hæc ſyndrome ſignorum, febris continua, difficultas ſpirandi, tuſſis. Si enim fuiſſet pleuritis, adfuiſſet etiam dolor, qui tamen non adfuit. Sed & rubor genarum, & ſibilus, & κάρχνος, hoc eſt, aſperitas ſtridula circa aſperam arteriam & fauces, pulmonis & arteriarum eius indicant affectionẽ. Quod ſpiratio veſpertina maior eſſet & denſior matutinâ, ſignum erat malum, paſſionem ſimul indicans, & periculum. Nam peripneumonia non rarò eſt pituitoſa inflammatio, cuius febris quotidiana habet incrementa. Fieri verò hæc veſperi à prandio, familiare eſt omnibus catarrhoſis, & quacumque ex cauſâ tabeſcentibus, quorum vtrunque huic aderat, fluxionem ſcilicet ſecundum pulmonem pari, & ad tabem vergere. Nam erat ſtatim ab initio tuſſis, & excreatio ſimilis purulentis, hoc eſt qualis in iis qui tendunt in ſuppurationem. Huiuſmodi autem eſt tuſſicula quædam moleſta, partim omnino ſicca, partim cũ tenui excreatione & alba. Cum ergo maligna inciperet pulmonis inflammatione laborare, citò proceſſit in ſuppurationem & tabem pariter. Cùm ſupra ſuam conſtitutionem, quæ ſeptem dierũ eſt, prorogata ſit peripneumonia, procedente tempore etiam vox eſt facta aſpera, & accidit corporis colliquatio. Siccefcẽte ſimul toto corpore, & aſpera arteria. Nam φωνὴ βραγχώδης, quæ ob ſiccitatem arteriæ fit, vocatur aſpera. Factæ ſunt circa lumbos eruptiones, quæ etiam recenſentur ab Hippocrate inter ſigna ſuppuratorum in prognoſtico, vbi ita dicitur, Cæterùm omnes ſuppuratos

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 405 sur 489

©BIUM

ex his ſignis cognoſcere oportet. Primum quidem ſi febris non dimittit, ſed diu quidem tenuis eſt, noctu verò amplior, & ſudores multi oboriuntur, tuſſiſque ac tuſſiendi promptitudo ipſis adeſt, & nihil memorabile expuunt, & oculi caui fiunt (hoc fit ſimul cum corporis colliquescentia) & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum curuantur, digiti verò caleſcunt, & potiſſimùm ſummi; in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & puſtulæ per corpus enaſcuntur. Horum plurima adfuerunt vxori Polycratis. Cui puſtulæ factæ præcipuè ſunt circa lumbos. Illud quoque accidit, vt reliquis tabeſcentibus conſueuit, quod extremo iam tempore aluus liquidior facta eſt. Aphor. 12. ſectionis quintæ dicit Hippocrates, quibuſcunque tabe laborantibus capilli de capite defluxerint, hi alui profluuio accedente moriuntur. Capillos defluere tabeſcentibus, ſignum eſt eos in extremo conſtitutos eſſe, quod huic mulieri non narratur accidiſſe, neque verò neceſſarium eſt adeſſe omnibus, & mulieribus quidem multò minùs, vtpote quarum capilli radices habent firmiores, & ex craſſiori ac lentiori fuligine. Poſtremò acciderunt poſtrema iam ſigna, quæ accidere ſolent moribundis. Nam ſeptuageſima die refrigerata ſunt extrema, videbaturque extincta febris, quia & in temporibus facta eſt quies, hoc eſt, ceſſauit pulſus in temporibus ſentiri, id quod extinctione naturalis caloris factum eſt. Reſpirandi verò difficultas intendebatur, atque adeò poſt hanc requiem, hoc eſt, poſt hanc apparentem infebricitationem, tantò aucta eſt, vt niſi ſedens eſſe non poſſet, idque durauerit donec mortua ſit. Erat verò etiam ψόφος πνευς in aſpera arteria, contingebant hæc pure in aſperas arterias pulmonis regurgitante, & vias ſpiritus obſtruente, atque ita demum ſuffocante. Quod quidem in tali ſtatu conſtitutis facilè fit, quia debiliſſima facultas non poteſt diu laborioſam reſpirationem ſuſtinere. Aderant quoque ſudores praui, quales ſcilicet per ſyncopem ſolent, frigidi ſecundum faciem, & frontem. Nihilominus conſtabat mente, atque ad extremum vſque vitæ finem conſtitit, quod ἐμβλέψιες ἐμφρονώδεες indicabant. Scilicet cùm iam loqui non poſſet præ anguſtia, non erat vnde quis iudicium ſanæ mentis acciperet, niſi ex oculis. Modum verò quo ægroti intuentur, magnam præſtare ſignificationem mentis, ex ijs quæ in prognoſtico docet Hippocrates facilè intelliges. Congruens autem fuit huic mortis generi, mentem ad extremum vſque conſtare. Ita enim conſueuit in iis qui tabeſcunt ex ſuppuratione, ſicut & in extremo, & cum iam iam videntur extingui, durare pluſquam quis ſperet. Velut hæc quæ iam refrigerata, & pulſu deficiente etiam in temporibus, durauit plus quàm quinque dies. Id verò ſit in ijs, qui extinctione moriuntur potiùs quàm morbi magnitudine, exſoluitur enim vis ſenſim. Concludit Hippocrates narrationem dicens, poſt primos autem purulentum excreare perſeuerabat. Quæ verba non ad extremos hos dies debent referri (in his enim excreare iam deſinebat) ſed ad totum morbum: ſignificant enim poſt primos dies, velut poſt primam ſeptimanam, toto reliqno tempore excreatum eſſe pus.

Mvlieri quæ ſupra portas habitabat, iam ſeniori febricula oborta eſt, quæ cùm iam deſineret, ceruicis dolor vſque ad ſpinam & lumbos extendebatur, nec his partibus admodum valebat. Maxillæ verò & dentes in ſeipſos adeò compingebantur vt ſpecillum non admitterent, & vox balbutiebat, quod reſolutum corpus eſſet immobile & imbecillum, mente tamen conſtabat. Calefacientium & aquæ mulſæ tepidæ vſu hæc remiſerunt tertia ferè die, & poſtea ſuccis & iuſculis conualuit. Hoc autem ſub extremum Autumni contigit.

Huic mulierculæ abſceſſus factus eſt in ſolutione febriculæ lentæ, quales ſenibus ſunt familiares: congruens ſanè ſolutio, & febris naturæ (ſiquidem erat lenta) & ætati mulierculæ, ſiquidē ſenior iam erat. Factus verò eſt abſceſſus ad articulos ſpinæ, à ceruicis initio vſque ad lumbos; neque ſolùm in articulis fecit dolorem humor, ſed in neruorum etiam initia refuſus omnium eorum fecit reſolutionem, in quibuſdam maiorem, in quibuſdam minorem. Nam aliarum omnium partium, quæ motum à ſpina recipiunt, non valdè potens erat, ideſt, non bene eas poterat mouere, quòd reſolutum, & immobile, & debile eſſet corpus. Manifeſtè autem reſoluti ſunt muſculi mouentes linguam, & aperientes os. Nam balbutiebat, & habebat os clauſum, & dentes adductos, adeò vt ſpecillum non admitteret. Quod quidem accidens fieri poterat, ob conuulſionem claudentium, aut ob reſolutionem aperientium, ex aliis verò quæ vnà aderant, veriſimilius eſt in reſolutionem reiiciendū eſſe. Præterquàm quod Hipp. id noluit ſub dubio relinquere dicens, quòd reſolutum & immobile & debile eſſet corpus. Velut etiam quod affecta eſſet lingua cum maxillis, conſtat affectionem ad totam ceruicem pertinuiſſe. Nam nerui eas partes mouentes deſcendunt ab ipſo cerebro, à quo iamiam ortum ducit ſpinalis medulla. Itaque ipſum etiam cerebrum abſceſſus partem accepit. Atque ob id Hippocr. cùm dixiſſet maxillæ compingebantur, & vox balbutiebat, velut quiddam notatu dignum adiecit, conſtabat autem mente. Nimirum cùm laboraret cerebrum, videbatur conſentaneum, vt mens quoque eſſet læſa. Verùm non adeò mirum eſt, vt non occurrant ſæpe læſiones motus ſine ſenſuum læſione, vergente, vt dixit in proximo libro Hipp. ſucco ad corpus. Calefactoriis (vt fortaſſe frictione olei vulpini, aut ricinini) & collutione oris ex melicrato tepido, atque etiam eiuſdem melicrati potione ἐχάλασε περαίνη σκέδον cepit ſcilicet laxare os, vt poſſet iam abducere dentes, & accipere pluſquàm melicratum, & poſteà ſuccis & iuſculis vtens (quod ſcilicet nondum haberet maxillas adeò ſolutas & firmas, vt poſſet cibis vti) paulatim euaſit omnino ſana. Videbitur curatio fuiſſe leuior, quàm pro magnitudine affectus. Verùm ſcire oportet, affectus partium iudicatione factos, multò faciliùs curari, quā quum ob multitudinem, aut cacochymiam fiunt, præcipuè cùm nondum iudicatorij abſceſſus ob medi-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 406 sur 489

ci incuriam, aut quòd eius copia non fuerit, induruerint, aut inueterauerint. Nam perpauci sunt particularum affectus curatu difficiles, nisi quòd foueatur à multitudine, aut à cacochymia corporis totius, aut aliarum partium. Quod in iudicatoriis abscessib⁹ non euenit. Hinc fit, vt morbus regius in febris solutione ortus, per quē & vrina & deiectio sunt quales in bene valētibus, facillimè soluatur, ac breui: qui verò ob biliosam fit cacochymiā, non nisi sæpe, ac vehementer expurgato corpore. Dicit euenisse hoc sub autumni extremum. Meritò profectò. Nam autumni finis partim retinet autumni cōditionem, partim hyemis conditionem imitatur. In autumno verò fiunt dyscrisiæ, seu difficiles iudicationes, quales præcipuè quæ per abscessus: in hyeme fiunt dolores laterum, & lumborum, & resolutiones, vt in aphorismo dicitur. Contigerunt igitur huic omnia secundum temporis conditionem.

VNctor apud Harpalidem imbecillior cruribus & manibus circa autūnum factus est, bibit tunc medicamentum sursum ac deorsum purgans. A purgatione autem febris eum corripuit, & tale quid in arteriam defluxit, vt loquelam impediret, & inter loquendum anhelaret, quasi ăgina & raucedine laboraret. Suffocatio deglutienti & cætera anginæ symptomata acciderunt, tumor tamen non aderat. Febris & tussis intendebantur, & humidam & multam pituitam excreabat. Progressu autem temporis dolor etiam circa pectus & mammam sinistram exortus est. Cùm autem exurgeret aut commoueretur, anhelatione multùm angebatur, & sudor à fronte & capite dimanabat, & faucium affectus detinebat, remissiùs tamen, ex quo dolor in pectus descendit. In principio igitur fabis melle conditis vtebatur, at postquàm febres detinuerunt, potius oxymelite calido, & multo mellis linctu. Trāsactis quatuordecim diebus omnia desierunt, nec multò post manibus & cruribus validus euasit.

Hic ob redundantiam crassorum & frigidorum succorum, quibus eum in autumno contigit esse plenum, cœpit pati crurum & manuum pariter resolutionem. Casus sane satis periculosus. Nam vbi omnes pariter artus pati incipiunt, meritò timetur communi omnium principio, cuius resolutio apoplexia est. Hanc arbitror ob causam, bibit tūc (nam illud tunc festinationem significat) pharmacum sursum & deorsum purgans. Cum verò esset excrementorum copia maior, quàm vt posset vni quantumuis forti expurgationi cedere, factum est vt febris & multæ fluxiones excitarentur, alteratis scilicet & exagitatis succis magis quàm euacuatis, & periclitatus inde est, siquidem febris fuit acuta, fluxio autem in spiritales vias abundanter incubuit: primùm quidem in superiores, & quæ ad cernicem sunt, vnde cum asperitate arteriæ anginosus & raucus factus est, & suffocabatur deglutiens, omniaque apparebāt vt in anginoso, quāuis tumor exteriùs nullus appareret, quia non tam erat causa horum inflāmatio, quàm multa fluxio in gulam, & asperam arteriam incūbens. Adeò angebatur, vt cùm exurgeret anhelaret, & præ anxitate sudaret ex capite & frōte. Deinde cœperunt, descēdente fluxione ad pectus, quæ circa fauces erant affectiones, habere se remissiùs & tunc adhærente lateribus pituitā, superuenit dolor circa pectus, & mammam sinistram. In initio quum scilicet fluxio partes faucium & colli magis afficiebat, & curationis gratiā, atque ob raucedinem vtebatur eo medicamine, cuius nuper in historia vxoris Polycratis facta est mentio, ex farina fabarum & melle: postquam verò febris visa est intendi, & fluxio altiores partes obsidere, cœpit vti oxymelite calido abundantiùs, & multo linctu ex melle, seu solo, seu cum succis quibusdam parato, velut fit in pleuritide, & peripneumonia, & alijs huiusmodi passionibus. Transactis quatuordecim diebus omnia hæc desierunt cum febre, atque adeò crurum etiam & manuum robur paulò post recuperauit: eadē prorsus ratione, qua is qui à conuulsione tenetur, febre superueniente liberatur. Nam vt soluatur febre, eadē ratio est resolutionis & conuulsionis à repletione, & aliorum morborū qui ex multitudine crudorum humorum ortum habent.

CHartadem febris ardens corripuit, copiosus bilis vomitus, & per aluum deiectio, vigiliæ aderant, & circa lienem rotundus tumor. Ipso die manè surrexit strepitu circa ventrem sine dolore oborto. Cùm verò aluum exoneraret, sanguinis recentis plusquam congium demisit, & cùm parùm cohibuisset, concreti grumi etiam tertiò effusi sunt. Anxietas autem aderat circa os ventriculi, & per totum ferè corpus, sudor exiguus & febricula, frigescere videbatur. Primò quidem mentis erat compos, procedente verò die & anxietas maior, & inquietudo, & spiratio paulò frequentior, & confidentiùs ac benignius quam pro tempore homines alloquebatur & excipiebat, & quædam animi deliquia videbantur superuenire. Cum autem quidam offerrēt succos & aquam in qua farina macerata erat, non soluebantur, sed spirandi difficultas sub vesperam admodum magna erat, & vehemens corporis iactatio, & in dextra ac sinistra sese conuertens nullo tempore quiescere poterat. Pedes erant frigidi, in temporibus & capite maior calor, Instante iam morte & multi sudores parui manabant, & quum bibebat strepitus descendentis potus circa pectus & ventriculum percipiebatur, quod pessimum est. Cum vero dixisset sibi aliquid velle demitti, & oculos intendisset, non diu se cohibens mortuus est.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 407 sur 489

©BIUM

Hic eſt Chartades, cuius nuper meminit in hiſtoria filij Cydis, ob illud ſignum quod huic quoque accidit in ventre dum biberet, ſtrepitus ſcilicet potus velut deſcendentis in thoracem & ventrem. Quod ſignum tanti momenti facit Hipp. ad mortem ſignificandam, vt non contentus narraſſe dicat, quod autem peſſimum, quaſi diceret, hoc autem peſſimum eſt. Sed enarremus hiſtoriã à principio. Hic, quantum intelligo, intra diem naturalem mortuus eſt, ex febre ardente cum cholera morbo, quę in profuſam ſanguinis deiectionem proceſſit, ex qua per ſyncopem interijt. Quamquam legatur in quibuſdam codicibus, ἐν τρίτῃ πρωΐ iuxta quam lectionem eſt mortuus Chartades intra diem tertiam. Et fieri quidem potuit vtrumque. Nam choleram, quantumuis vehementem, in diem tertiam protrahi mirum non eſt, præcipuè ſi ſanguinis deiectio non acciderit vſque ad tertium mane, quod intra ſecundum eſſet diem. Neque mirum adeò fuiſſe vehementem, vt intra diem hominem tolleret, ſi in ipſo primo mane ſuperueniſſet deiectio ſanguinis. Iuxta hanc ergo lectionem, videtur Chartades cœpiſſe febricitare veſperi, & totam noctem tranſegiſſe vigilem, mouendo, ac deijciendo, & primo mane deſcendiſſe ad deiectionem, ac deieciſſe ſanguinis optimi, ac velut effuſi ex iugulata victima pluſquàm congium, hoc eſt, pluſquàm duodecim cotylas (congius enim capiebat ſex ſextarios) atque ab ea tam copioſa ſanguinis effuſione, cum ſignis inſtantis ſyncopis perſeueraſſe diem totum, donec veſperi, ſuperueniente alia effuſione ſanguinis, non extra corpus iam ob debilitatem, ſed in ipſa inteſtina. mortuus eſt. Quam autem cauſam affectionis huius fuiſſe Hipp. conijciat, nunc ſupereſt vt dicam. Cùm errore facultatum naturalium, ob malignam aliquam ſanguinis totius qualitatem, & debilitatem lienis, multa ſanguinis copia ad eum ſeſe collegiſſet, intumuit adeò, vt rotundi tumoris ſpeciem præberet tactui ſatis conſpicuam, vt ex manifeſta ac facili eius cognitione conſtaret eſſe magnum, ex rotunda figura pertinere ad viſcus potiùs quàm ad vllum muſculorum. Putreſcentibus igitur ijs qui oppilati erant ſuccis, orta eſt febris ardens. Irritata verò lienis facultas multitudine ac qualitate, cœpit in ventrem ſuperiorem pariter & inferiorem reuouere, primùm bilioſos ſuccos, ſecernens inutilia ab vtilibus, paulò autem poſt non potens iam ſe continere, (vt fieri ſolet quum euacuationes incipiunt à maxima irritatione) reiecit omnia affatim, adeò vt vel ipſe ſanguis colore integer, & ſimilis ſanguini victimæ effunderetur, peneque exhaurirentur venæ per ipſum lienem. Niſi fortè tunc quoque hepar conſpirauit cum liene, atque, vt ita dicam, ſimul cum illo ſeſe præcipitauit. Vtcunque hoc habeat, iam inde, velut cum ſyncope reliquum eius diei collu-ctatus, veſperi mortuus eſt. Fuerunt verò ſyncopis duæ cauſæ: nimia euacuatio ſanguinis, cum qua non potuit non exhauriri vitalis ſpiritus maxima copia, quia boni atque integri ſanguinis erat effuſio & ex impotentia facultatis naſcebatur: tum grumi deterenti intra ventrem. Nam cùm ille virium exolutionem ſentiens, ſemel atque iterum cohibere curaſſet, atque valenter ſphyncterem aſtrinxiſſet, compacti ſunt grumi. Sanguis enim mox ac in ventrem incidit, hoc eſt, extra venas & arterias effun-

A ditur, concreſcit in grumos & corrũpitur, atque eius quàm vllius alterius ſucci corruptio multò majorem infert noxã cordi. Symptomata, quæ totã eam diem affuerunt quandiu ſpirauit, apertã habent interpretationem. Nam anxietas & iactatio, & febris extinctio, & ſudor exiguus, & ſpiratio frequentior, exolutionis vitalis facultatis ſunt ſigna, vt etiam frigiditas pedum cum calore maiori temporũ & capitis. Exiguum enim quod vitalis calidi reliquum eſt, ad pedes aut manus nõ effunditur, expirat verò per arterias capitis & temporales, vnde & ſudores ea

B parte ſolùm orti ſyncopales ſunt. Iam verò ſtrepitũ deſcendentis potus eſſe ſignũ corruptionis facultatum, quæ regunt noſtra corpora, interpretati anteà ſumus. Delirauit quoque, tametſi non maniacè. Scribit enim id ſolùm habuiſſe delirij, quod alloqueretur & exciperet homines confidentiùs, & benigniùs quàm pro tempore, hoc eſt, quàm conueniret homini in tanto periculo conſtituto. Omnia verò huiuſmodi deſipientiam indicant, non verò qualem phrenitis facere ſolet, ſed qualem nonnunquam debilitas, quam medici mentis vacillationem vocant. Narrat etiam Hipp. quid ſit actum

C Cùm autem (inquit) quidam (medici ſcilicet, aut adſtantes) ſuccos offerrent, & aquam in qua farina macerata fuerat, polentam ſcilicet ad reficiendum hominem, & ad cohibendas euacuationes, (nam farina vt & amylum cohibet, non quidem adſtrictione, ſed agglutinatione & lentore) non ſoluebantur deliquia, ſed procedebant, augebanturque ſigna ſyncopes. Memini me aliquando ad ægrotantem in hoc eodem periculo conſtitutum, accerſitum eſſe, ſimul cum alio medico non vulgari, qui eum à principio ſuſceperat curandũ, in quo quod

D conſilium cœperimus dicere non grauabor, quandoquidem optimè ceſſit, & ille euaſit. Tenebatur quidem ille iam per aliquot dies febre continua, ſuperuenit illi quadam die morbi (neque enim memini quâ) deſidenti ad deiectionẽ, fluxus ſanguinis non minùs copioſus quàm Chartadi, & ex effluxu ſimiliter atque ille periclitatus eſt. Cibum concoctu facilem, & tenuem, & reficientem facilè dari crebrò iuſſimus, vt iuſcula gallinæ refectoria, qualia quæ ſucci alicuius permiſtione parantur. Interim odoribus retum eſui aptarum, vt carnium,

E panis recentis, & vini refocillari, cordi aliquid eorum quæ proprietate quadam dicuntur illud roborare, admoueri, & clyſteres diſſoluentes grumos ſine irritatione infundi, vt ex mulſa, & ventrem totum vnguento diaphœnicon illinire. Erat itaque tota curatio in refectione virtutis, & ventris adſtrictione, & grumorum paulatina diſſolutione, & euacuatione. Si enim ſine reliquis agatur ſola refectio, non erit ſatis, grumi enim inferent mortem, ac multò magis ſi quis ſimul adſtringat: ſi verò grumos curet diſſoluere ſiñe roboratione, non

F poterit euacuatio ſuſtineri, ac multò minùs, niſi quis etiam adſtringat. Itaque ea omnia ſimul facere expedit, in hoc & quocumque alio caſu ſimili. Chartadi fortaſſe non fuiſſet ea curatio ſatis, quòd non mediocriter iam debilitato ex cholera, ea ſanguinis effuſio ſuperueniſſet.

Hermoptolemi vxorem hyemis tempore febris & capitis dolores corripuerunt, &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 408 sur 489

©BIUM

cùm biberet quasi difficulter deglutiens surrexit, & cor sanum esse dixit, lingua ab initio liuida fuit. Ægrotandi occasio visa est esse ex horrore post balneum, nocte dieque insomnis erat. Post primos dies interrogata, non solius capitis sed totius corporis dolore se affici dicebat, sitis aliquando intensa erat, aliquando moderata. Quinto & sexto, & vsque ad nonum diem ferè delirium, rursúsque apud seipsam semiperfecta cum sopore loquebatur. Interdum etiam manum extendebat ad dealbatum parietem, & puluinum quendam frigidum qui capiti supponebatur, etiam lateribus admouebat: interdum etiam stragula proÿciebat, & in oculo dextro subcruentum quid & lachryma aderat. Ea verò erat vrina quæ in pueris semper peßima est. In principio quidem deÿciebat aliquantum rufa, deinde verò aquosa admodum & eiusmodi coloris. Vndecimo die remißius calere videbatur, & aliquando sitis expers adeò erat, vt nisi quis daret non peteret. Somni post primum tempus mediocres contingebant interdiu, noctu verò insomnis erat, & ad noctem magis laborabat. Nono venter turbatus est aquosis excrementis, & similiter etiam vndecimo: sequentibus autem moderatè, sed frequens exuirectio erat, & eadem deiectio. Prioribus autem diebus excandescebat & instar pueruli plorabat, & vociferabatur, & terrebatur, & circũspiciebat, quando ex sopore excitabatur. Decimo quarto verò die operosum erat eam continere, repentè & vehementer exilientem & clamantem, velut ob acceptam plagam, grauèmque dolorem & timorem, adeò vt quis eam apprehensum pauco tempore detineret. Deinde rursus quietem agebat, & sopore pressa dormire perseuerabat, nihil omnino videns, aliquando etiam neque audiens. Crebrò autem in vtrumque modò in tumultum, modò in quietem per totam ferè hanc diem transmutabatur. Sequente verò nocte per aluum prodÿt quiddam subcruentum, veluti mucosum, rursùsque velut limosum, postea verò porracea valdè & nigra. Decimoquinto vero vehementes aderant corporis iactationes & timores, & clamor erat remissus: consequebatur autem efferatio & excandescentia & tiulatus, nisi cito ei quod vellet esset porrectũ, & cognoscebat quidem omnes & omnia statim iam post primos dies, & quod in oculo erat sedatum est, mania autem secundùm occasionem, & vociferatio, & prædicta mutatio ad soporem consequebatur. Audiebat inæqualiter, quædam quidem promptè, etiamsi summißè quid diceretur; quædam vero altiori voce pronunciare oportebat. Pedes semper æqualiter cum toto corpore calidi vsque ad vltimos dies, verùm decimo sexto die minùs. Decimo septimo cùm pacatiùs quàm alÿs se haberet, ad noctem velut horrore suborto contrahens se magis febricitauit, & magnopere sitiebat, cætera autẽ similia consequebantur. Tremores manuũ contingebant, & caput concutiebat, & oculorũ intuitus erant praui; & sitis vehemens, cùm bibisset, rursus petebat, & rapiebat, & copiosè bibebat, auellere autẽ non poterant. Lingua sicca erat & valdè rubra, & totum os ac labra exulcerata & sicca, manus etiam ambas ori admouens manducabat tremula, & siquid comedendum aut sorbendũ offerretur, auidè ac furiose deglutiebat & sorbebat, ea etiam quæ circa intuitum considerãtur praua erant. Tribus autẽ aut quatuor diebus ante mortem tanti aliquãdo horrores ipsi incidebant, vt corpus cõtraheret, & contegeretur & anhelaret: crura cõuellebantur, & pedes refrigerabantur, sitis verò similis erat, & quæ ad mentem pertinent similia, & exurrectiones aut inanes erant, aut pauca & tenuia cum exiguo quodam conatu deÿciebãtur. Postremo die qui fuit vigesimus tertius oculus mane magnus erat, & circunspectio breuis, & quietem agebat, aliquãdo etiam sine integumentis, & sopore. Ad vesperã autẽ dexter oculus ab externo angulo ad nasum mouebatur, quasi intueretur aut aliquid vellet, & cognoscebat, & interrogatis respondebat. Vox post multa aliquantum blesa erat, & præ vociferatione fracta ac rauca.

Longa certè & difficilis est hæc narratio. Magna enim ex parte est incondita, & præpostero cõtexta ordine, & verbis obscuris. Qua propter maximus labor erit in ipsius dictionis expositione. Quod ad huius morbi speciem, seu essentiam attinet, constat fuisse febrem ardentẽ, cui successit phrenitis. Quod verò ad internam causam, & succos qui in mulieris corpore redundabant, multiplices fuisse, ac multam omnium copiam. Nam bilis erat multa, & ea quidem partim flaua, partim nigra exustione. Sed & crúdi ac pituitosi inerant non pauci. Ex hac succorũ varietate & copia, nata sunt adeò multa & varia symptomata, atque adeò contraria, & hanc ob causam morbus fuit adeò magnus & pernicios̃us. Cerebrũ præcipuè passum est, vt in reliquis phreniticis, sed & cor satis insigniter, vt in melancholicis, ad hęc facilè est si percurramus referre symptomata omnia, quæ cõtinet hæc narratio. Dicit hyemis tempore accidisse hanc febrem, nõ quòd talis cum hyemis natura congruat, sed vt intelligas, ideò fuisse adeò periculosam, quòd non congrueret. A principio adfuit febris, & capitis dolor, vt par erat futuro phrenitico, quia si quæ pars per morbum dolet, in eam fiunt abscessus, atque si ante morbum, in eam morbus firmatur. Initio morbi cùm offerretur illi potus, surrexit ad bibendum more eorum qui difficulter bibunt, & hausto potu dicebat se cor sanasse, quia scilicet magnum sensit secundum cor solatium

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 409 sur 489

©BIUM

ex potu, vt faciunt plerũque qui anguntur, & patiuntur deliquia. Hæc melancholici ſucci erat nota (quia hic ſuccus cor debilitat, & angit) ſicut & quod mox apponit, lingua à principio liuida. Occaſionẽ febricitandi dicit, videri fuiſſe horrorem poſt balneum. Vulgus hominũ diceret, illum horrorem cauſam fuiſſe febris, & eſſe mulierem refrigeratam, revera tamen non ita erat, ſed balneũ intempeſtiuum rigorem fecit, & toti morbo dedit initium. Neque mirum. Nam vbi corpora prauis ſuccis, aut crudis, aut multis ſunt referta, balneũ periculoſum eſt, niſi priùs vacuentur, aut expurgentur. Quia balneũ in talibus fundit, & mouet magis quàm euacuat, & ita fluxiones multas mouet, & putreſcẽdi ſæpe præſtat initiũ. Cùm igitur hæc mulier eſſet plena prauis & varijs excremẽtis, non mirum læſam eſſe adeò, vt rigeret primùm excremẽtis per ſentientes partes delatis, & deinde putrefactis febricitaret acutè. Primis diebus erat vigil die ac nocte, ob magnitudinem febris & capitis dolorem, poſt primos (duos aut tres fortaſſe) dies interrogata dicebat, non ſolũ caput, ſed totũ etiam corpus dolere, creſcente febre & debilitate. Sitis quandoque vehemens, quãdoque moderata. Hæc enim & alia ferè omnia inæqualiter ſecundum tempus inerant ob ſuccorum varietatem. Quinta & ſexta, & vſque ad nonam ferè delirium, hoc eſt, ferè continẽter delirabat, & ſtatim ad ſeipſam redibat, loquebatur cum ſopore ſemiperfecta. Quæ etiam diuerſa ſunt, & diuerſorũ humorum ſigna. Erat etiã tunc quoque vehemens exuſtio, nam manus extendebat ad dealbatum parietem, quem propè habebat, & vertebat ceruical, atque quà frigidum erat admouebat capiti, & lateribus, & aliquando proijciebat ſtragula. In dextro oculo ſubcruentum erat, & lachrimabatur. Quod ſignum vituperabatur ab Hippocrate in prognoſtico. Si involuntariè lachrymentur, aut albas partes rubentes habeant, hæc mala & pernicioſa eſſe putandum eſt. Vrina verò (inquit) qualis pueris peſſima eſt. Hac periphraſi ſignificat vrinam albam & tenuem, iuxta illud prognoſtici, at tum in viris, tum mulieribus, nigræ vrinæ peſſimæ ſunt, in pueris autem aquoſæ. Erant verò hæ vrinæ peſſimæ huic mulieri, vtpote deliranti, ita enim dicitur in aphoriſmo. Vrinæ albæ & perſpicuæ malæ, maximè ſi in delirantibus appareant. His dictis deſcribit ſpeciem deiectionum dicens, à principio deijciebat ſubrufa, & bilioſa. Deinde autem (hoc eſt, nonâ die) aquoſa & eiuſmodi coloris, hoc eſt, ſubſtantia & colore aquoſa. Narrat mox per anticipationem ea quæ acciderunt die vndecimâ, & mox redit ad nonam. Meliùs autem ſit me ordine texere narrationem. Anteà igitur deiecerat ſubrufa, deinde aquoſa. Nam nonâ venter perturbatus eſt excrementis aquoſis, eodem modo etiam vndecimâ, in qua videbatur iam mulier calere remiſſiùs, & ſitis expers aliquando erat, adeo vt niſi quis offerret potum, non peteret. Somni (inquit) poſt primũ quidem tempus, hoc eſt, poſt hos dies (non enim primis duobus aut tribus totius morbi, ſiquidem in illis vt dicebatur, vigil erat & nocte & die) contingebant interdiu mediocres, ad noctem autem vigil erat, & laborabat magis ad noctem. Hoc certè graue eſt ſignum, & in morbis ſit periculoſis, tantò enim deterius eſt noctu vigilare, & diu dormire, quàm contrà, quantò diſſimilius eſt ei quod

A ſecundum naturam ſit in bene valentibus, Ita habebat vſque ad vndecimam, ſequentibus autem moderatè, ſed frequens exurrectio erat, & deiectio huiuſmodi, hoc eſt, durauerunt vſque ad decimam quartam deiectiones, & crebra ad deijciendum exurrectio, & eiuſdem modi, putà exeuntibus aquoſis, moderatiùs tamen fiebant omnia. Hæc aquoſa deiectio, quæ à nona fuit vſque ad decimam quartam, ſignificabat redundantiam ſeroſorum & crudorum, atque bilis raptum in ſuperiora, ſicut & aquoſa vrina. His eiſdem diebus, qui ſcilicet fuerunt vſque ad decimam quartam, erant ex-
B candeſcentiæ & fletus velut pueruli, & vociferatio, & terrores, & circumſpectiones quum ex ſomno excitabatur. Hæc omnia melancholica ſimul erant, & phrenitica, quæ die decima quarta aucta ſunt plurimùm, factaque ſunt iam maniaca, ſeu ferina, raptâ in caput atrâ bile. Nam decima quarta operoſum iam erat ipſam continere, & exilientem, & clamantem repentè, & pertinaciter, quaſi accepiſſet plagam, aut grauis dolor repentè incidiſſet, aut quaſi timore aliquo repentino eſſet percita, quaſi quis ipſam apprehendens occultè, contineret for-
C titer. Rurſum hoc tumultu velut paroxyſmo aliquo exacto quieſcebat, & premebatur comate, & perſeuerabat dormire, aliquando quidem concluſis oculis non videns, etſi non omninò dormiret, aliquando etiam neque audiens, quòd omninò dormiret. Tanta erat humoris caput occupantis diuerſitas, vt mutaretur ferè totam eam diem crebrò in vtrunque tum tumultum tum quietem. Deiectiones quoque ſpontaneæ indicabant multiplices humores, nam nocte diei decimi quarti ſubiit quiddam ſubcruentum velut mucoſum, & rurſum velut limoſum, poſteà valdè porracea & nigra. De-
D cima quintâ vero ὀξεῖς ἐκπλασμοὶ καὶ οἱ φόβοι: vocat, arbitror, acutas iactationes, celeres & repentè factas, quales cum timore fieri ſolent. Vociferatio fiebat nunc lenis, nunc conſequabatur efferatio, hoc eſt, ferocitas, ſeu furor, nunc excandeſcentia, & eiulatus, niſi citò eſſet porrectum ei quod vellet. Tantos animi motus ciebat, & tantam debilitatem inferebat vitioſus ſuccus, præcipuè melancholicus. His dictis de die decimaquinta, repetit rurſum quædam eorum, quæ ſuperioribus diebus in eam vſque contigerant. Cognoſcebat (inquit) omnes
E & omnia, ſtatim poſt primos dies, & quod erat in oculo ſedatum eſt. Mania autem ſecundum occaſionem, & clamor, & dicta mutatio ſequebatur ad ſoporem. Quaſi diceret, etſi die quintâ inceperit delirare, & iam inde parùm apud ſeſe fuerit, tamen non ſemper eodem modo, neque æqualiter inſaniebat, ſed cùm primis delirij diebus, hoc eſt, quintâ & ſextâ, & fortaſſe vſque ad nonam non agnoſceret eos qui aderant, ſtatim poſt primos & toto reliquo morbo agnoſcebat omnes, & omnia (nimirum non errabat imaginatio) & illud quod in oculo dextro erat, ſedatum eſt. Corripiebatur verò
F mania παρὰ καιρὸν hoc eſt, quum occaſio aliqua furendi ſeſe offerebat, & clamabat etiam ſecundùm occaſionem, & vt dictum eſt, mutabatur, nunc ad ſoporem, nunc ad peruigilium. Habebat quiddam aliud notatu dignum, audiebat enim inæqualiter, quædam promptè, etſi ſummiſsè qui aderãt loquerentur, quædam nonniſi clariùs. Hoc neceſſe eſt fiat organo eodem modo habente, aut mutato. Mutari

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 410 sur 489

quidem adeò crebrò, vt nunc videretur audire nimis, nunc non ſatis. fieri non poterat niſi ob flatuoſam aliquã & tenuem ſubſtantiam, quæ obuerſaretur: velut iis qui ob ventriculum aut partem aliam laborant ſuffuſione. Quædam enim vident expeditè, tunc fortè nullo vapore oppoſito; quædam mox obſcurè, vapore intercurſante: eodẽ modo habente organo fieri poteſt ob mentis alienationem. Quibus enim mens non ſatis cõſtat, ſolent quædam eorũ quæ adſunt, neque audire, neque videre & rurſum quædam facilè ſentire. Præcipuè verò hoc accidere ſolet melancholicis, & ex eo ſucco inſanientibus. Sunt enim ſicca & excarni aure, atque ob id, ſi adſit animus, nimium audiunt; ſin autem abſit, non audiunt. Huic mulieri vtramque cauſam adfuiſſe eſt veriſimile, quia & melancholica tenebatur inſaniâ, & vapor ei multus ferebatur in caput. Decimaſexta, cùm anteà habuiſſet ſempet æquè calidos pedes, cæpit eos habere minùs calidos, quàm reliquum corpus. Quod ſanè erat deterius iam, nam debilitatis caloris erat id ſignum, & ſanguinis ad ſuperiora multò magis effuſi. Decimaſeptimâ, cùm interdiu videretur moderatiùs habere quàm anteà, ad noctem cœpit ſeſe cum ſenſu frigoris contrahere, quaſi rigor ei ſuperueniſſet, & inde rurſus magis febricitauit, & ſitis vehemens iam aderat. Reliqua verò vt anteà. Iam hinc habuit multò deterius, & cerebrum ac neruoſum genus multò magis eſt affectum, & ſuccus qui anteà mentẽ ſolùm lædebat, cæpit ad corpus verti, & conuulſiuè cœperunt moueri partes. Quod proceſſit eò vſque vt conuulſa interierit. Fiebant (inquit) tremores in manibus, & concutiebat caput, & oculorum intuitus praui, cõtortis ſcilicet oculis. Hæc omnia erant conuulſoria, quæ eò erant grauiora, quò poſt maiorem, & cum maiori febre fiebãt. Aderant verò ſimul maximæ febris ſigna. Nam erat ſitis fortis, & cũ potaſſet, rurſus petebat, atque ſi denegabatur, rapiebat, ac latgiter bibebat: auellere autem ab eius manibus potum non poterant qui ei aderant. Lingua erat ſicca. Ferebat in os ambas manus, & manducabat, cùm eſſet tremula. Dicens, cùm eſſet tremula, cauſam reddit, quaſi dicat, illud manducare per conuulſorium motum mandibularum fieri. Erat itaque illud, manus ferre in os, anxietatis & maniæ ſignum, illud manducare, conuulſorium. Si quis offerebat aliquid comedendum aut ſorbendum, auidè ac maniacè deglutiebat ac ſorbebat. Hoc accidens anxiis & furentibus accidit, quibuſdam etiam moribundis, quòd langorem ſentiant, & inde expectent auxilium. Erant tunc quoque quæ circa intuitum ſpectantur praua, cõuulſione ſcilicet procedente. Tribus autẽ (inquit) aut quatuor diebꝰ περὶ τὴν πλευρῖτιν hoc eſt, antequã interiret, à vigeſima ſcilicet vſque ad vigeſimam tertiam qua interiit, incidebãt quandoque ipſi horrores, & ſenſus frigoris, vt contraheret corpus, & contegeretur, & anhelaret more eorum qui horrent, aut rigent, & pedum refrigeratio. Hæ iam erant refrigerationes perniciosæ, de quibus primo prorrhetici ita dicitur. Perfrigerationes ex rigore non recaleſcentes, malum portendunt, fiunt enim hæc iam extincto naturali calore. Proceſſerũt ſimul conuulſio & mania, nam crura conuellebantur, & quæ ad mentem attinent, ſimilia. Poſtremò tentante naturali facultate, & apponente extremos conatus ad expellendum, nihil tamen proficiente, ſurrectiones ad egerendum, aut inanes omnino, aut per quas pauca & tenuia egerebantur μετὰ πνεῦματος βραχέος τινός, hoc eſt, cum quodam exiguo impetu, qui mox remittebatur. Vltimâ iam die, quæ vigeſima tertia morbi fuit, erat oculus magnus, alter ſcilicet altero maior, & circumſpectio breuis, quod eſt, circumſpiciebat omnia breui, quaſi furtim. Ad veſperam dexter oculus mouebatur ab angulo externo verſus internum, qui eſt iuxta naſum, quaſi vellet aliquid videre, quæ vt & priora conuulſionem indicabãt. Eadie quietior videbatur eſſe quàm ſuperioribus, neque ſe contegebat, neque ſopore tenebatur. Cognoſcebat, & interroganti reſpondebat. Erat verò hæc alleuatio, qualis ſolet iam iam morientibus fieri, concidentibus facultatibus, & cedentibus morbo. Vox vltimò lædi cœpit, vt non poſſet quis iam intelligere quæ loqueretur, clamabat, quod non parùm faciebat ad exhauriendas vires, & facta eſt illi vox fracta & rauca, deficiente virtute & ſiccata arteria, & poſt tam multa tandem obijt.

Filium Amphiphradis æſtate lateris ſiniſtri dolor, & tuſsis corripuit. Multa etiam aluus excernebat aquoſa & aliquantum bilioſa, & febris circa ſeptimam ſoluta eſſe videbatur, tuſsis aderat, & ſubalbidus & ſubpallidus. Circa duodecimam autem diem ex virore ſubpallidum exſcreabat. Spiratio procedente morbo ſemper denſior erat, & anhelatio, & ſtridula quædam aſperitas circa pectus & arteriam, ſorbitionibus vtebatur, mente conſtabat toto tempore. Circa vigeſimam octauam mortuus eſt, quandoque ſudores foras erumpebant.

Hic filius Amphiphradis laborauit pleuritide bilioſa ſiniſtri lateris, à qua ob humoris copiam liberari non potuit, quin ad ſuppurationem verteretur, cœpitque ſuppurationis adeſſe nota ſeptimâ die, vt videretur hic mórirurus intra decimam quartam iuxta id quod ab Hippoc. dicitur in prognoſtico. Vt liceat coniectare, adfuiſſe huic aliquod aliud bonum ſignum, præcipuéque conſtantiam facultatis, ob quam vixerit duplum, durauerit que vſque ad vigeſimam octauam. Ita enim habetur citato loco. Ex ſuppurationibus, quæcunque dum adhuc ſputum bilioſum eſt, ſuppurantur, pernitioſæ valdè ſunt, ſiue bilioſum illud in parte, ſiue ſimul cum pure expuatur, atque hoc potiſſimùm, ſi morbo ad ſeptimum diem progreſſo, ſuppuratio ab hoc ſputo procedere incipiat. Timor autem eſt, eum qui talia ex puit, moriturum eſſe decimaquartâ die, niſi aliquod bonum ſignum ipſi acciderit. Interpretor verò fuiſſe hoc, quod præſenti ægroto accidit, quia habuit à principio dolorem lateris cum tuſſi & febre continua (nam dicens febris videbatur ſoluta circa ſeptimam, inſinuat fuiſſe anteà continuam) & difficultate reſpirandi (nam dicens πνεῦμα προϊέντος τοῦ νοσήματος ἀεὶ πυκνότερον, inſinuat ab initio fuiſſe ſpirationem denſam, qualis ſcilicet eſt ſignũ doloris) quapropter pleuritidem habuit: (Nã pulſus ratò meminit Hipp. fuit is reliquis quatuor

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 411 sur 489

ſignis congruẽs) eam verò fuiſſe bilioſam, licet colligere ex cõditione temporis quo ægrotauit homo, ſiquidem æſtate, & ex deiectionibus aquoſis ſubbilioſis, quæ non aliter quam ob redundantẽ bilem fiebant. Suppurationem verò pernitioſam eſſe factam breuiſſimè, vt in talibus ſolet, agnoſces, quia circa ſeptimam videbatur febris eſſe ſoluta, & tuſſis nihilominus aderat. Et denſior ſpiritus, & color (ſputi intelligo) ſubalbidus, & ſubpallidus, qualis .ſ. fit admiſtione puris cum bile. Procedente verò alteratione in deteriorem, nõ fiebat in dies ſputum candidius, vt oportuiſſet, ſed bilioſius, vt circa duodecimam ὑπόχλωρον iam excrearet. Iam inde fiebant omnia, vt in ſuppuratis, & priorem ſuſpitionem confirmabant. Nam ſpiratio fiebat ſemper denſior, & anhelatio, & ὑπερχαλέον περὶ τὴν θέσιν τῆς ἀρτηρίας, hoc eſt aſperitas quædã pectoris & aſperæ arteriæ quæ ſibilum & ſtridorem edebat (κέρχνον vocant) & erumpebant ſudores aliquando qui in noctu ſolent accidere ſuppuratis. Vtebatur (inquit) ſorbitionibus, quibus ſcilicet tales vti ſolent. Mente conſtabat toto tempore, vt ſolent qui ex iſtis morbis moriuntur. Mortuus eſt vigeſimâ octauâ, moriturus, vt dixi, decimaquartâ, niſi virtute valuiſſet. Eſſe autem hoc in caſu adeò velox periculum, ob malignitatem alterationis materiæ dictum eſt in cõmentario prognoſtici. Animaduertit Hippoc. dolorem fuiſſe lateris ſiniſtri, quaſi aliquid fortaſſe intereſſet, vtrius eſſet. Auicenna hanc nobis dubitationem ingeſſit, quam Aponenſis poſt illum ſuſcepit diſcutiendam, fecitque id tenuiter, fortaſſe quia ipſa quæſtio leuis eſt, neque adeò magni momẽti, neque medici qui pleuritici curationẽ aggrediuntur, adeò multùm curant, vtrum latus doleat. Nihilominùs videtur id Hipp. conſideraſſe, atque ob id dicendũ aliquid de ea etiam eſt: Auicenna non reſpondit ſatis diſtinctè, dicit enim ob partis dignitatem deteriorem eſſe pleuritidem ſiniſtri lateris, quòd cor eo loco ſitum ſit, tamen ob cordis calorem faciliùs diſcuti, ſi modò ea ſit pleuritis quæ diſcuti poſſit. Tamen hoc non eſt quæſtionem decidere, ſed argumenta ab vtraque parte proponere. Fuiſſet dicendum, vtrum horum pluris faciendum ſit, dignitas partis ad morbi malignitatem, an facilis diſcuſſio ad contrarium, vt inde flueret aſſertio, ſiniſtri lateris pleuritidem deteriorem eſſe, aut minùs malam. Falſò etiam affirmat Auicenna, latus ſiniſtrum præſtantius eſſe, & calidius dextro. Nam revera eſt tantò frigidius, & ignobilius, quantò lien hepate: cor enim in medio thoracis ſitum eſt, & arteria, etſi oriatur à ſiniſtra parte cordis, mox reflectitur dextrorſum ad ſpinã, indeque demittit in vtrãque partem ramos numero pares: ſed in dextrã ampliores. Quod vel pulſus indicat, qui pleriſque hominibus ſentitur in dextra manu maior. Has ob cauſas cenſet Raſius lib. 3. continentis, deteriorem eſſe pleuritidem dextri lateris, quia .ſ. eſt partis nobilioris. Cõſtat verò nihil adeò facere ad periculũ, quàm principatũ partis affectæ. Huius ſententiæ videtur fuiſſe auctor librorum de morbis, ſiue is fuerit Hipp. ſiue quiuis alius. Nam lib. 2. ita ſcriptum eſt. Quum tempus longius protrahitur, & febris vehemens, ac tuſſis corripit, & latus dolet, & in ſanam partẽ decumbere non poteſt, ſed in dolentem, & pedes & oculorũ cauitates intumeſcunt. Hunc vbi decimus quintus ab eruptione dies adeſt, multa calida lotum in ſede firma collocato, & alius ipſius manus quidẽ teneat, tu verò humerũ concutito, vt audias in vtro latere affectio ſtrepitum edat, optandum autẽ eſſet vt in ſiniſtro. Hæc eo in loco, quibus verbis videtur præferri pleuritis ſiniſtra, vt minùs periculoſa: quandoquidẽ dicit fuiſſe optandũ, vt ſiniſtrũ teneret latus. Verùm ſi rectè cõſideres, hic autor non loquitur de pleuritide, ſed de ſuppuratione ex pleuritide, fieri verò poteſt, vt non idem iudiciũ ferendũ ſit de pleuritide, & de ſuppuratione ex pleuritide. Conſideretur ergo ſeorſum vtrũque. Pleuritis hos exitus habere poteſt, reſolutionẽ, & ſuppurationẽ. & corruptionem. Reſolutione liberantur homines breui, & intra morbi conſtitutionem; corruptione moriũtur breui: ſuppuratione magna ex parte moriuntur lentè, tabeſcẽtes aliquando etiã liberantur, multo tempore repurgati. Tres ergo cùm ſint pleuritidis exitus, optandus maxin è qui fit reſolutione: timendus qui corruptione: timendus etiam, etſi minùs, qui ſuppuratione. Pleuritis dextri lateris, quãtum in partis natura eſt, erit maior & acutior, quia calidior & ſanguinolentior pars ad calidas & acutas inflãmationes eſt paratior, ſiniſtri lateris erit minor & tardior: igitur dextra pleuritis paratior erit ad citam aut ſalutem aut mortem, per reſolutionem aut corruptionẽ. (acutorum enim eſt hoc propriũ) ſiniſtra verò ſæpiùs in ſuppurationem abibit. Vide vtrum eligas. Poſtquã facta iam eſt ſuppuratio (fieri enim poteſt vtroque in latere) deterior ſit haud dubiè quæ in dextra. Nam non potuit fieri, niſi ea parte plurimùm debilitata, debilitatam verò eſſe partem alioqui fortem grauius eſt, quàm debilem. Accedit quòd ſiniſtra pars, vt ignobilior, opportuniot eſt curationi. Nam cum minori periculo ſecatur & vritur. Huc reſpexit autor librorum de morbis dicens, optandum autem eſſet vt in ſiniſtro: ſubiungit enim, hunc igitur locum ſeces, minùs enim lethalis eſt. Videtur ergo mihi Hipp. hic appoſitè narraſſe, quod latus doluerit, quum filius Amphiphradis in ſuppurationem incidit.

CAuponi qui peripneumonia laborabat aluus ſtatim ſubijt, circa quartam diem ſudor multus accidit, febricula ſoluta eſſe videbatur, tuſsicula nulla erat, vt ita dicam. Quintã & ſexta & ſeptima detinebat febris, ſudor octauâ, nonâ excreabat pallidum. Decima affatim non ſæpe aluus deijciebat, circa vndecimam mitiùs ſe habuit. Decima quarta ſanus euaſit.

Rarum exemplum eſt hoc peripneumoniæ, bene per alui profluuium ſolutæ, nam vt in aphoriſmo dicitur, à peripneumonia malum eſt. Neque ſanè ſucceſſiſſet, niſi pariter ſudaſſet, & excreaſſet homo. Excreatio enim peripneumoniæ eſt principalis, vt Hippocraticè dicam euacuatio, ſudor omnibus inflammationibus eſt conueniens. Acceſſit peculiaris quædam cauſa, ob quam huic alui profluuium contulit, ſpecies ſucci. Nam color ſputi pallidus bilis indicauit redundantiam, ea verò per aluum vtiliter ſubit aut ſubducitur. Itaque etſi morbi eius ſpecies ſoluere ventrem

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 412 sur 489

non ſuadeat, ſi tamen bilis redundare videatur, licet ob cacochymiam etiam in eo morbo aliquando facere. Illud etiam habuit egeſtio alui conueniens, quod deiiceret aceruatim non ſæpe. Nam talis egeſtio quia eſt copioſa confert, quia rara rectè fertur. Neque tamen bene ac citò ſolui potuit fluxu alui peripneumonia, non enim intra ſuæ conſtitutionis tempus ſoluta eſt, ſed vt quæ difficilis fuerit iudicij producta eſt duplum. Solet enim intra ſeptimam terminari.

Hermoptolemo poſt Pleiadum occaſum febris ſuperuenit, tuſsis non valdè vexabat, lingua autem qualis eſt peripneumonicis. Nona die ſudauit, totus refrigeratus eſt velut videbatur, obtulerunt ipſi ſuccum, & circa meridiem caleſcebat. Vndecimâ ſudauit, & aluus demiſit. Siccatæ ſunt bilioſæ deiectiones & tuſſicula ſuperuenit. Decima quartâ excreabat & ſtertebat: decima quinta cùm toto tempore mentis compos fuiſſet, mortuus eſt.

Hic mortuus eſt eodem morbo, & eodem ferè tempore, quo Caupo liberatus. Nam ex peripneumonia obiit hic die decima quintâ, ille ex eodem morbo liberatus eſt decimaquartâ. Illud habuit ſimile hic morbus priori, quòd ſudores & alui profluuia acciderint. Verùm hæc ipſa fuerunt deterioris conditionis, & lethalia. Nam à ſudore refrigerabatur, & aluus cùm fluere cœpiſſet, ſuppreſſa eſt intempeſtiuè, & recurrente ſurſum bile, tuſſicula aucta eſt denuò, cùm à principio fuiſſet exigua. Superuenerunt poſtremò illa duo peſſima ſigna, excreare pallidum decima quartâ, (nam morbo adeò progreſſo, is color eſt ſignum materiæ inuictiſſimæ) & ſtertor, qualis ſcilicet accidere ſolet iis qui ſtrangulantur. Quod quidem ex inſtrumentorum ſpiritalium paſſione mori indicauit, neque admodum conſentiente cerebro, ſi quidem mente toto tempore conſtitit. Poſt pleiadum occaſum hyemem eſſe, ſæpe iam antea dixi.

Alius quidam in palato ſtertens, Lingua ſicca erat qualis eſt peripneumonicis, mente conſtans mortuus eſt.

Duplex eſt ſtertor in gutture & in palato. In gutture ſtertunt, quibus ibi feruor quidam cum ſtrepitu eſt, vt Hermoptolemo; in palato, quibus is ſtrepitus fit ea via, quæ eſt inter palatum & nares, vt fieri conſueuit multis dormientium. Hermoptolemum dixit habuiſſe linguam peripneumonicam; hunc alium ſiccam peripneumonicam. Nimirum linguam peripneumonicam dici, qualis peripneumonicis eſſe ſolet, par eſt intelligere. Fit verò plerisque peripneumonicorum craſſa, & excrementoſa, humidáque: aliis ſicca, exuſta cum rubore, vt ſcilicet ipſa peripneumonia, in erysipelatis naturam magis inclinat, aut ædematoſi phlegmonis.

Poſidonius etiam ineunte adhuc æſtate pectoris & hypochondriorum, & lateris dolore circa febres diu affectus eſt, multis verò antea annis ſuppuratus eſt. Hyeme autem cùm inhorruiſſet, dolor intendebatur & tenuis febricula, & excreatio purulenta erat, tuſsis cum aſperitate ſtridula circa fauces & ſtertore, mente autem conſtans mortuus eſt.

Multis euenit vt afficiantur dolore aliquo diuturno partium thoracis, aut ventris ſine febre, & tandem ſuppurati fiant, iuxta illud quod in aphoriſmo dicitur, à dolore diuturno partium circa ventrem ſuppuratio. Nimirum, vt externis in partibus euenit aliquando tubercula quædam cruda fieri, quæ febrem nullam excitant, donec ſuppurentur, tunc verò, etiamſi ſint ſucci ſubiecto frigidi, ob putreſcentiam quæ ſuperuenit, febrem inferre incipiunt, ita etiam in internis ventribus, ſiue inferiori, ſiue ſuperiori. Febres enim fiunt quum pus conficitur magis quàm iam confecto, & quàm antequàm conficeretur. Itaque quibus antequàm confici inciperet febres erant, tunc fiunt maiores: quibus non erant, tunc ſuperueniunt maiores aut minores iuxta ſucci putreſcentis naturam. Huic ita euenit. Laborauit enim ſine febre multo tempore, dolore pectoris, lateris, & hypochondrij, pituitâ lateribus, qua parte alligantur hypochondrio, hærente & impacta, neque tamen putreſcente: deinde ſuppuratione oborta febricula ſuperuenit, & horror, & dolor intentior, quæ omnia ſuppurationis fientis eſſe ſigna, dictum eſt ſæpe in hoc ipſo opere, & in prognoſtico. Accidit etiam huic aliud quiddam notatu dignum, quodque multis euenit. Nimirum ſunt nonnulli quibus ob debilitatem partium illarum ſæpe redit hoc malum, fiuntque ſuppurati leui ex cauſa, ſed quia leui ex cauſa, facilè etiam liberantur, atque ita fit, vt crebrò id patiantur, donec aliquando debiliores ſolitò fortè exiſtentes effugere non poſſint, & moriantur. Quam ob cauſam ſit, vt pleroſque interimat is morbus in quem ſunt paratiores, vt quorum natura vergit ad tabem, tabes: tametſi verum etiam ſit, ab eo morbo faciliùs eos quàm alios homines liberari. Sine delirio mori frequens eſt in morbis thoracis.

Balis filius cùm in monte plurimùm aberraſſet, ſexto lingua praua erat & ſubrubra, & in aberratione vociferatus eſt multum. Oculi colorati, natantes quales nictantium. Color etiam reliqui corporis non valdè auriginoſus, ſed ſubpallidus & liuidus. Vox praua, obſcura, lingua qualis eſt peripneumonicis, non erat mentis compos. Spiratio ad manum praua, non frequens, neque magna, pedes frigidi, lapidei. Circa nonam mortuus eſt.

Hic puer cùm aberraſſet plurimùm in monte, atque in aberratione plurimùm eſſet vociferatus,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 413 sur 489

ex defatigatione, & labore & anxietate incidit in febrem acutiſſimam, malignam, ex qua nonâ die mortuus eſt. Habuit verò, vt par erat in febre tam citò interemptura, citrò ſigna pernitioſa, & referentia cauſam à qua læſus eſt. Nam cùm errarèt, & clamaret plurimùm, euenit efferri illi in caput ſanguinem, & excrementa quæ in corpore contigit abundare, vnde facta eſt lingua praua ſubrubra, hoc eſt ſubrubra & referens malignum morbum, velut ſicca plurimùm & aſpera, & oculi etiam colorati, rubri, & πλέοπες, hoc eſt tumidi velut dormientium. Effuſus etiam eſt illi vitioſus humor per totum corpus, vnde factus eſt color corporis velut inter ſubpallidum & liuidum. Quorum alterum ſignificabat excrementa, alterum extinctionem caloris naturalis, quem labor & timor anxius extinxerant. Vox praua, hoc eſt aſpera & clangoſa, lingua obſcura, hoc eſt obſcurè loquens, peripneumonica qualis deſcripta eſt, φωνὴ ἔμφρων hoc eſt delirè loquens. Hæc quoque omnia raptam eſſe bilem in omnes capitis partes ſignificabant: ſpiratio ad manum praua, hoc eſt frigida. Nam hæc ſolùm differentia reſpirationis exploratur tactu, non frequens, neque magna. Itaque praua & rara & frigida, quæ vt in prognoſtico dicitur, valdè pernicioſa iam eſt. Pedes poſtremò facti ſunt frigidi, lapidei, hoc eſt frigidi & ſine ſenſu, atque velut emortui.

ANginoſa apud Metronẽ dextræ manus & cruris dolore affecta eſt. Febricula eam tenebat, tuſsicula, ſuffocatio tertia die remiſit. Septimâ conuulſa eſt, vox intercepta, ſtertor, dentium colliſio, maxillarum rubor. Hæc non multùm vitam protrahens, quintâ aut ſexta mortua eſt. Signum circa manum apparuit ſubliuidum.

Quo pacto mortua eſt hæc quintâ aut ſextâ, ſi ſeptimâ conuulſa eſt? Duorum alterum licet ſuſpicari, aut vitiatum eſſe codicem, legendúmque aliter: aut dici quintam vel ſextam diem, ab ea qua cum conuulſione, & ſtertore, & colliſione dentium, & maxillarum rubore vocem amiſit, vt mortua fuerit mulier vndecimâ aut duodecimâ à morbi initio. Ego primum cenſeo probabilius, atque ex lib. 5. epid. pro ἑβδόμῃ σπασμώδης legendum πεμπτῃ σπασμώδης, nam cum tam graui morbo non potuiſſet tamdiu durare. Morbi quidem eſſentia & permutatio pernitioſa non eſt obſcura. Nam febricula, tuſsicula, & ſuffocatio anginam indicabant, reliqua accidentia conuulſionem vniuerſalem, à qua facillimè mori euenit ob ſpiritus interceptionem. Duo ſigna ſunt hic notatu digna, alterum quod anteceſſit morbum velut futuri morbi ſignum, alterum quod ſuperuenit, fuitque mortale. Dolor manus & cruris conuulſionem præmonſtrauit. Quia artuum dolor plerumque fit patientibus neruis, qui in eos inſeruntur, ſi autem pars aliqua ante morbum dolet, in eam morbus firmatur. Liuorem verò manus lethalem eſſe in prognoſtico dicit Hippocr. his verbis. Si digiti ac pedes omnino nigreſcant, minùs peſtiferi ſunt quàm ſi liueant. Quod ſignum citra rigorem, aut occaſionem eiuſmodi, tanti facere ſua deo, vt quum apparet, nulla deinceps ægris certò morituris præſcribas auxilia, quinimò neceſſaria citra moram edicas poſtrema, tameſi ægrotus de ſe aliter cogitet. Quia in proximo eſſe iam mortem, experimento didici. Exemplo eſt etiam hæc anginoſa.

BIon ex hydrope diuturno cibos faſtidiebat multis diebus, & vrinæ ſtillicidium patiebatur. In ſiniſtro genu abſceſſus contigit, & ſuppuratus mortuus eſt.

Hydropici meritò fiunt faſtidioſi ob redundantiam aquæ putridæ & ſalſæ, in ventriculi tunicis imbibitæ. Stranguria fit eadem aquâ ad vrinæ vias deriuatâ, atque ob id redditâ ſalſiori quàm pro naturæ modo. Vix autem habent vllum exitum ſalutarem, ſi diuturna iam ſit paſſio. Nam præ debilitate ſuſtinere non poſſunt vllos abſceſſus. Euacuatio verò nulla eſt eis ſatis idonea, niſi fortè aquoſum alui profluuium.

CTeſiphon ex ardente febre valida in hydropem incidit, & cùm anteà hydrope & lienis tumore laboraſſet, plurimùm repleta ſunt & ſcrotum & crura & peritonæum. Circa mortem tuſsis & ſuffocationes contingebant ſub noctem, magis à pulmone, veluti pulmonis affectu laborantibus. Tribus aut quatuor diebus ante mortem rigor & febris eum corripuerunt. Ad internam dextri femoris partem iuxta venam mediam quæ ab inguine fertur, collectio velut ignis agreſtis facta eſt, quæ ruborem habebat ſubliuidum. Ad noctem os ventriculi doluit, nec multo poſt vox intercepta eſt, ſuffocatio cum ſtertore, & mortuus eſt.

Velut ille hydropicus, cuius narrata eſt hiſtoria, mortuus eſt cum ſuppuratione tumoris circa genu, ita hic mortuus eſt cum carbone, qui in interna parte femoris dextri iuxta inguem obortus eſt tribus diebus ante obitum. Signa verò carbonis erant euidentiſſima, erat enim rubor ſubliuidus, vrens vt ferus ignis. Ortus eſt cum rigore & febre. Dicit ortum eſſe hunc carbonem iuxta venã mediam, quoniam verò in femore non ſunt multæ venæ inſignis magnitudinis, ſed vnica, conſtat mediam venam vocari eam, quæ per medium femur repit in alto recondita. Conſentaneum eſt, huic potiùs quàm illi factum eſſe carbonem, quia fuit hydropicus ex multa febre ardente. Nam quibus fit hydrops ex febre ardente, manet ſimul cum aqua ſanguis exuſtus, quo in partem aliquam truſo carbones fiunt. Facile autẽ erat agnoſcere, hunc hydropicũ in malum tendere, quia per ea proceſſit ſigna, quę in hydrope vituperãtur. Nam plurimũ repleta ſunt ſcrotum & crura & peritonæum, quod quidem ſignum eſt hydropis plurimùm aucti, deinde tuſsis accidit. Dicitur autem in aphoriſmo, hydropicum ſi tuſsis

vexet,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 414 sur 489

vexet, desperatus est. Fiebat verò huic tussis non qualiscunque, sed suffocationes etiam ad noctem μᾶλλον ἐπὶ τὸ πνεύμονος ὥσπερ τῆς πνευμονώδεσι. Tota hac phrasi nihil aliud significat, quàm fuisse tantam suffocationem, vt videretur esse peripneumonicus. Postremò crescentibus his eisdem symptomatis, & materia superiores partes affatim occupante, mortuus est. Nam καρδίης ἄλγος, hoc est, oris ventriculi dolor superuenit, & vocis interceptio, & suffocatio cum stertore.

A venter. Nam erat hypochondriorum & ventris dolor, collecta in eas partes maxima succorum copia, ex qua multæ humidæ & biliosæ deiectiones nascebantur. Tussis verò non inerat, vtpote vitalibus non perinde laborantibus. λλῶσσα fiebat πεπνευμονική, ob hypochondria. Nam, vt dictum est sæpe, exposita est lingua excrementis & fuliginibus omnium ferè internarum partium: nam ventris, hypocondriorum, pulmonis, & capitis. Vocatur verò Hippocr. vt explicatum antea est, lingua peripneumonica, quæ vtcunque est excrementosa. Sopor diurnus, ardentis febris erat symptoma, cum quadam portione pituitæ. In tanta succorum multitudine & differentia, non poterat morbus non esse diuersus, inæqualis, & difficilis iudicij, habuit verò præcipuè quandam diuersitatem, qua putatus est habere recidiuam; cùm tamen revera inęqualitas quędam esset motus, non tanta, vt mereretur nomen recidiuæ, quod innuit dicens, in ea quæ deinde censebatur morbi recidiua. Intermissio visa est fieri, inter decimamquartam, & extremum decimæsextæ. Contulit huic ad solutionem deiectio copiosa, quæ per totum morbum durauit, fuitque vtilis, etsi inceperit symptomaticè, sed multò magis sudor, qui superuenit iam concocto morbo. Tempus quoque fecit ad difficilem iudicationem.

B

ET in Olyntho hydropicus repente voce priuatus est, desipiens per noctem & diem mortuus est.

Exemplum aliud est hoc hydropici mortui per aphoniam. Quo pacto dignosci possit desipientia, in homine qui loqui non potest, explicatum antea non semel est. Nimirum ex oculorum iactatione, & gestibus.

C

PRodomi filius æstate subblæsus febre ardente laborabat, lingua ipsi subarida, obscura, deiectio multa, seruatus est.

Alui deiectionem conuenientem esse febri ardenti iudicationem, indicatur hoc exemplo, quod testatur Galen. vt in aliis locis, ita 3. de crisibus cap. 3. dicens, si sit febris ardens, vel sanguis è naribus fluet, vel post vehementem rigorem, sudor multus & calidus per totum corpus emanabit, aut per vomitum aut aluum aliquid biliosum excernetur.

D

TEoclis cognatam quæ supernè habitabat, sub Pleiadas febris acuta corripuit. Sextâ desiisse videbatur, lauit velut sedata febre. Septima mane maxilla valdè rubebat, vtra non memini. Sub vesperam vehemens accidit febris, & animi deliquium, & vox intercipiebatur, nec multò post sudor contigit, & morbi sedatio septimâ.

Non est facilè scire quod tempus vocet ὑπὸ πληιάδα. Nam alibi interpretati sumus sub Cane dici tempus quo regnat Canis, inter exortum scilicet eius & occasum, nunc verò non possumus hanc interpretationem sequi. Nam æstas & autumnus totus sunt sub pleiadas, esset verò in tanta anni parte incerta narratio. Consentaneum ergo est nunc intelligi ad exortum aut occasum, neque scio vtrum potiùs ea phrasis significet, tempora certè ea multùm dissident. Acutissima febris, qualis hæc fuit, multò magis congruit æstatis initio quàm hyemis. Fiunt verò etiam sæpe morbi non congruentes. In hac narratione nihil est notatu dignum, præter iudicationis formam, ea verò est rarissima. Fuerunt enim decretoria signa, maxillæ alterius rubor, febris vehemens, animi deliquium, & vocis interceptio. Quis autem non putasset ea esse lethalia? Subsecutus autem est mox sudor, & solutio morbi. Adeò non oportet terreri malis in initiis iudicationum.

E

LEophorbidam post Solstitium hyemale corripuit febris acuta, hypocondriorum & ventris dolor, deiectiones erant liquidæ, biliosæ, multæ, & interdiu sopore premebatur, lingua qualis est peripneumonicis, tussis non aderat. Duodecima nigra, pauca, & porracea per aluum demittebat. Decimaquartâ soluta videbatur febris. Postea verò sorbitionibus vtebatur: decimasextâ os valdè salsuginosum & siccum fuit. Ineunte autem vespere horror & febris acciderunt. Vigesima prima circa meridiem rigor & sudor. Febricula soluta est, calor verò suberat exiguus. Sub noctem rursus sudor accidit, & vigesima secunda sub noctem sudor adfuit, & calor remisit. Omnibus autem diebus prioribus siue sudore fuerat, verùm aluus humida fuit, etiam in ea quæ deinde censebatur morbi recidiua.

Ardens erat hæc febris, & pendebat ex multiplici ac varia materia. Nam nunc indicabatur bilis flaua, nunc viridis, nunc nigra, nunc salsa pituita. Cōsentaneum verò est ab his omnibus succis causam fieri, siquidem à quocunque horum fieri consueuit. Laborauerūt in hoc homine præcipuè instrumenta naturalia, hypochondria. I. &

F

ET Theodori vxori in vehementi febre sanguinis è naribus fluxus hyeme contigit. Cùm verò desiisset febris circa nonam, non multò post lateris dextri velut ab vtero grauis-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 415 sur 489

©BIUM

tas adfuit. Tum primùm autem & sequentibus diebus grauis dolor pectoris ortus est, calidóque fomento lateri dextro adhibito, quarta die dolores remiserunt. Spiratio frequentior erat & arteria vix respirãs sibilum quendam edebat, & quum supina erat difficilè se conuertebat. Sub noctem acutior febris adfuit & breue delirium. Quinta mane mitior esse videbatur, sudor paruus è fronte fundebatur, primùm paucus, deinde longo tempore per vniuersum corpus & pedes, post hæc autem ipsi videbatur febris remisisse. Arteriarum verò corpus ad manũ frigidius sentiebatur, at temporum arteriæ etiam magis saliebant, & spiratio frequentior erat, & subinde delirabat, & omnia in peius vergebant. Lingua vsque ad finem erat valdè alba, nulla tussis, præterquam tertiâ & quinta die pauco tempore, sitis nulla aderat sed sputatio. Hypochondrium dextrum circa quintam valdè intumescebat, posteà verò emolliebatur. Supposita glande paucum stercus deiecit, quinta rursus paucum humidum, aluus autem mollis erat. Vrinæ acerbæ erant, & cineris (vel succi) speciem referentes, oculi veluti delassatæ, difficulter suspiciebat, & oculos circumferebat. Quinta sub noctem grauiùs se habebat, & delirium sequebatur. Sexta rursus eadem hora qua plenum solet esse forum, sudor copiosus dimanabat, à fronte incipiens per totum corpus diffundebatur, multò tempore prudenter res suas disponebat. Circa meridiem autem vehementer delirabat, & perfrigeratio similis erat, grauiora autem omnia erant circa corpus. Sub vesperam ipsius tibia ex cubili decidit, & præter rationem puero minata est, rursúsque tacuit, & ad quietem conuertebatur. Circa primum autem somnum sitis multa & insania aderat, & residebat, & præsentibus conuiciabatur, rursúsque tacebat, & quiescebat & per reliquam noctem sopore detineri videbatur, verùm oculos non claudebat. Ad diem verò plurima nutibus indicabat, corpore quiescens & mediocriter intelligens. Rursus eadem hora sudor accidit, similiter oculi demissi, ad inferiorem palpebram magis inclinantes, intentè ac rigidè intuentes, albæ oculorum partes pallidæ erant & mortuis similes, & totum corpus pallidum & nigrum. Manum plerunque ad parietem aut stragulum admouebat, & quum bibebat magni edebantur strepitus, respuebat, rursúsque in nasum regerebat, & floccos legebat & faciem obuelabat. Post sudorem autem manus crystalli in modum congelatæ, sudor frigidus subsecutus est, corpus ad manum frigidum, exiliebat, vociferabatur, insaniebat, spiratio multa, manus erant tremulæ, instante verò morte conuellebantur. Septima mortua est. Sexta noctu exiguum minxit, quod minxerat palea trahebatur, lentum, & genituræ simile. Insomnis omnibus morbi diebus, & post sextam vrina fuit subcruenta.

Hæc mulier primùm habuit febrem, à qua die nonâ liberata est, facto vehementi sanguinis fluxu, & cùm ab ea liberata esse videretur, non multò post incidit in febrem aliam acutiorem & grauiorem, atque symptomatis vrgentem, cuius die septimâ mortua est. De priori febre nihil aliud narrat, quàm accidisse hyeme, & cum fluxu sanguinis solutam esse die nonâ, secundam describit fusiùs. Quam etiam constat in hyeme accidisse, siquidem paulò post primam. Morbus certè vterque fuit temporis naturæ contrarius, atque ob id periculosior: sed & iudicationis species, & constitutio. Quia in hyeme longiores fieri, & iudicationes minùs habere solent morbi. Verùm omnes fieri possunt in omnibus temporibus. Secundæ febris descriptionem enarremus. Lateris dextri dicit factam esse ab vtero grauitatem, & prius autem factum esse grauem dolorem pectoris. Hoc nihil aliud est, quàm quod secundo de morbis mulierum dicitur his verbis. Si vteri ad costas allapsi fuerint, tussis tenet, & dolor sublatus. Nimirum aliquibus ex vteri morbo fit dolor lateris, & est id tam graue, vt in eodem loco paulò post citata verba dicatur, nonnullas ab eo morbo perire, vt certè accidit huic. Quæ autem causa sit ob quam id fiat, requires. Veterrimi nihil dicebant aliud, quàm quòd vteri in partes dolentes illaberetur, aut quod ita revera putarent, esse scilicet vterum errabundum animal, aut quod ea in re loqui vellent iuxta vulgi & ipsarum mulierum phantasiam. Revera tamen vterus non errat, neque proprio impetu agitur huc aut illuc, sed flatu, aut humore, aut vacuatione contrahitur, laxatur, inflatur, aut subsidet, atque inde nascitur imaginatio proprij motus. Genitalia cum spiritalibus instrumentis habent magnam communionem, vt lib. 2. explicatum est, per venas communes vtrisque partibus, quæ per rectos musculos abdominis producuntur, præter communes neruos ex sexta coniugatione. Quum ergo totus redundat excrementis vterus, refunduntur in partes pectoris: quum altera vteri pars insigniter, in alterum latus. Hanc ob causam ex partu difficili, & menstruorũ suppressione multę fiunt pleuriticę: sed & sine vera pleuritide, dolet latus multis ex vtero. Ego verò hanc, suspicor, primo quaternario fuisse pleuriticam, secundo (vt fieri solet) peripneumonicam. Vtrunque verò fluere ex vtero, vt latus & pulmo esset pars recipiens, vterus mittes. Pleuritidem agnosco ex dolore, febre, & tussi, ac difficili respiratione. Differentiam pulsus rarò explicat Hipp. quam tamen hic etiam attigit dicens, arteriarum corpus ad manus frigidius sentiebatur. Id enim nihil est aliud, quàm maiorem calorem indicari arteriarum motu, quàm tactu. Itaque habebat pulsum vehementer aucti vsus. Duritiei pulsus non video vbi vnquam meminerit Hippoc. Tussim ter-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 416 sur 489

tiâ & quintâ die fuiſſe dicit, ſpirationem frequentiorem dicit, à principio innuens. Dolorem dicit fuiſſe granem, quod non videtur indicare pleuritidem, ſiquidem eſſet pungens. Verùm neque pulſus neque doloris differentiam adeò exactam reperies in omni pleuritide, ſed magnam vtriuſque in alias differentias inclinationem, ob partis differentiam & humoris, & complicationem aliarum paſſionum. Quis verò dubitabit febrem habuiſſe à principio eam, quæ adeò acutè ægrotauit, vt à prima die mortua ſit ſeptimâ, aut eam quæ cum febre, & dolore lateris, & crebra ſpiratione, & tuſſi, etſi rara, & ſpuitione ad tam citam mortem venit, fuiſſe pleuriticam? Tranſitum in peripneumoniam indicat mihi dolor remiſſior die quartâ, & ſpiratio facta crebrior, & arteria aſpera ſubſibilãs, & vix reſpirans, & quòd ſupina difficilè ſeſe conuertebat. Id enim etiam eſt difficilis reſpirationis ſignum, niſi fortè id faciebat vteri phlegmonoſa paſſio; poterat enim ea quoque facere. Primariam verò affectionem fuiſſe vterinam agnoſco, quia Hippoc. dicit. Neque certè eſt hæc incommoda agnoſcendi affectionem ratio, nam vt ipſemet teſtatur, bonam partem dignotionis accipim⁹ à medico, præterquàm quòd omnia ſymptomata maligna, quæ hunc morbum comitata ſunt, refrigerationes ſcilicet quarundam partium, deliria, & conuulſiones, & illa repentina hypochondrij intumeſcentia, & rurſum laxatio ex vtero fieri conſueuerunt. Suſpicor tamen Hippocr. agnouiſſe vterinam eſſe affectionem, quòd cognouerit anteà mulierem, & eius naturam, atque familiares ei affectiones. Atqui fortaſſe præter ea quæ narrantur, habuit ea etiam ſymptomata, quę loco citato ex ſecundo de morbis muliebribus recenſentur his verbis. Si vterus in coſtas illapſus ſit, tuſſis obtinet, & dolor ſublatus, & inſidet vterus durus velut pila (hoc eſt quod in dextro hypochõdrio ſiebat huic mulieri) & ad contactũ dolet velut ab vlcere, & contabeſcit, & videtur ipſi peripneumonia eſſe, & contrahitur, & gibboſa ſit, & menſes non apparent: aliquæ autem quibus priùs apparuerunt (hoc eſt quibus iam fluebant antequàm inciperent ægrotare) etiam pereunt: atque ſi tunc prodeant, imbecilles ſunt & pauci, ac deteriores, & genitura non ſit hoc tempore. Hoc eſt, ſemen non excernitur, ſed ſupprimitur, quod, vt medici omnes affirmant, longè grauiora affert mala, quàm ſuppreſſio ſanguinis: ſupreſſum verò eſſe huic ſemen, ſatis indicauit ea mictio, quæ ſexta die mulieri iam morti proximæ accidit. Minxit enim ſexta ad noctem exiguum, & id erat album & lentum ſemini ſimile, adeò vt velut oui albumen paleâ traheretur. Quod putridum ſemen, quod tanti mali fuerat cauſa, per impotentiam retentricis iam (vt fieri ſolet) exire indicabat. Et eadem ratione dictæ vrinæ ſucceſſit ſubcruenta, exeunte poſt ſemen etiam ſanguine, quæ ambo ſoboles erant propriæ cauſæ morbi, retenti ſcilicet ſanguinis & ſeminis. Mirum verò quod ex ſanguinis ſuppreſſione ægrotauerit paulò poſt, ac per vehementem fluxum ſanguinis ab alia febre fuerit liberata. Hoc verò indicat malignam potiùs qualitatem ſuppreſſi ſanguinis, quàm multitudinem fuiſſe morbi cauſam.

A

ANtiphanis filio hyeme accidit dolor lateris dextri, tuſsis, febris, edebat, ambulabat aliquantùm febricitans. Videbatur ruptura laborare. Nonâ die remiſit febris, non reliquit, tuſsis multa, & craſſa & ſpumantia exſpuit, lateris dolore afficiebatur. Circà decimam quartam rurſuſque vigeſimam febres deſinere videbantur & rurſus corripiebant. Calor verò tenuis erat, & per breue temporis interuallum relinquebat. Tuſsis autem aliquando quidem relinquebat, quandoque intendebatur cum multa ſuffocatione, tunc autem remittebat, & poſt illos dies excreatio multa cum tuſsi ſuffocante, & purulenta ſupra vas feruentia & ſpumantia prodibant, & in faucibus multa aſperitas ſtridula ſubſibilabat. Anhelatio crebra ſemper detinebat & ſpiratio denſior, raro ſpirabat facile. Vltra quadrageſimam diem, prope ſexageſimam (vt arbitror) oculus ſiniſter cum tumore ſine dolore occæcatus eſt, non multo autem poſt etiam dexter, & pupillæ valdè albæ & ſiccæ erant, nec multo poſt cæcitatem mortuus eſt, non vltra ſeptem dies cum ſtertore & multo delirio.

B

C

D

EOdem etiam tempore ſimilia ex ſimilibus cauſis Theſſalioni contigerunt, feruentia, ſpumantia, & purulenta prodibant, & tuſſes aderant & ſtridulæ faucium aſperitates.

E

Antiphanis filius haud dubiè tabuit ex fluxione pituitoſa, quæ ex capite facta eſt in thoracem, hæſitque in latere dextro, ibique putreſcens excitauit primùm pituitoſam pleuritidem, deinde & pulmonem occupauit, ibique feruentiùs putruit, & ſuppurationem malignam fecit ac tabem. Veniſſe autem hanc fluxionem à capite, nihil magis indicat quàm cœcitas illa, quæ paulò ante mortem aduenit, candidis & arefactis pupillis. Id enim factum eſt eandem ob cauſam, ob quam tertio lib. ſect. 3. dicebatur, fuiſſe tabeſcentiũ faciem charopam. Ibi enim interpretati ſumus, charopum dici pro glauco. Fieri verò tabeſcentibus, quibuſdam glaucos oculos, quòd ſucci crudi oculos occupent, & ibi dureſcant, & ſiccentur. Ergo, inquit, Antiphanis filio hyeme accidit dolor lateris dextri, tuſſis, & febris, ex pituitoſa ſcilicet fluxione. Edebat (id dicit, quia pleuritici neque ſolent neque debẽt primis diebus cibos capere) ambulabat aliquantum febricitans, & cũ ambularet, non videbatur eſſe pleuriticus, ſed putabatur πυϱματώδης εἶναι, hoc eſt fractura aliqua oſſis, aut carnis diuulſione laborare. Hæc opinio multos vulgares fallit, plurimos. n. putant luxatione aut fracturâ laborare, qui ob alias cauſas dolẽt. Nonâ die remiſit febris, non reliquit, tuſſis multa. Iam hinc cœpit humor à latere in pulmonem abſcedere,

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 417 sur 489

©BIUM

Nam latus dolebat minùs multò quàm anteâ, & incipiebat excreare multa & craſſa ſpumoſa. Febres & tuſſes iam inde inæqualiter, nunc deſinebant, nunc creſcebant, nunc ſuffocabatur cum tuſſi. Et tunc, hoc eſt cùm maximè ſuffocari videretur, repentè aliquando deſinebat tuſſis. Hęc fiunt, quum fluxiones ipſæ fluunt au fluere deſinunt, & ſuppuratio per partes fit, aut ceſſat. Excreabat aliquando purulenta, & ſpumantia, & feruentia ſupra vas, hoc eſt ſi incidiſſent illa ſputa in teſtam aliquam, aut in vas quodcunque, feruebant & ſpumabant. Id quidem fiebat ob igneum feruorem in pulmone, ob quem citiſſimè tabuit. Cur ſtridula aſperitas in faucibus, & ſibilus, & anhelatio adeſſet, & crebra ſpiratio, non eſt cur interroges. Cur oculi excæcati ſint, dictum antea eſt. Poſtremò neque intemperiem tantam, neque redundantiam exeramentorum ſuſtinente natura, mortuus eſt. Perinde autem & Theſalion. Quamplurima eorum quæ ſuperſunt, vt nonnulla eorum quæ præceſſerunt, occurrerant antea in libris prioribus ſcripta, præcipuè in quinto, & ſine vlla vtilitate, neque (vt arbitror) conſilio auctoris, ſed temeraria cõgeſtione chartarum. Quare ego neque ſcribere iterum laboro, ſed præteribo. Ea verò ſunt, quæ mox ſequitur hiſtoria vxoris Polemarchi, & alia Ariſtippi, & alia cuiuſdam cui hepar percuſſum eſt iaculo, & alia cuiuſdam percuſſi capite à Macedone, & paulò poſt alia Neapolis, & alia Billi percuſſi in dorſo, & alia infœliciſſimi filij Philes: & alia filij Parmeniſci: & alia Æniatis in Delo iaculo percuſſi, & alia filij Callimedontis: & alia Aſpaſij vxoris: & alia Meliſandri, & alia Eutychidis: & alia Timocharis: & alia pueri Cleomenis: & alia vxoris Simonis: cuius tacito nomine, hiſtoria in calce quinti narrata eſt, & alia filij Phaniæ, & Euergetæ: alia Harpali filii: & alia Thrinonis Damonis filii: interque has, verba quædam de hemicrania & deſtillatione: & alia quædam mulieris quæ ſine nomine dicitur pharmacum ad perdendum fœtum accepiſſe: & alia Pythoclis; & rurſum alia puellæ quæ ex rupe cecidit. Atque inter duas has hiſtorias repetuntur etiam verba quędam ſpectantia ad pernionum curationem, & quædam medicamenta oculis commoda, & curationem doloris lumborum, & coxæ, & crurum, & origani naturam, & rurſum alia fullonum habentium tubercula in inguinibus, & alia Nicanoris, & alia Timoclis, & alia Phœnicis: & alia Cononis ſeruæ, & alia ſerui Timocharis: & alia Diophetis ſororis, & alia vxoris Epicharmi, & alia ipſius Epicharmi, & alia Metrodori, & alia mulieris Abderæ, & alia Tychonis in obſidione circa Darum percuſſi: neſcio an vllæ aliæ me fugerint repetitæ, ſeu hiſtoriæ, ſeu dictiones. Hoc certò ſcias, quicquid videbitur tibi, codices alios librorum Epidemiorum conſulenti, in hoc, ex libro ſeptimo ſublatum, te cum enarratione reperturum in quinto.

THeodori filium, cum nona die in Sole verſaretur, febris corripuit decima die, ex oſſis denudatione nullius momenti. In febre autem os denigratum eſt, diſceſſit cutis, valde clangoſus erat. Vigeſima ſecunda die venter intumuit, præcipuè verò ſecundum hypocondria. Vigeſima tertia mortuus eſt.

Multis exemplis indicauit iam Hippocr. in hoc opere, quod primis verbis libri de capitis vulneribus docuit, nullum vulnus capitis leuiter eſſe contemnendum, etiamſi ſola cutis eſſet inciſa, addit in eandem aſſertionem nunc exemplum aliud filii Theodori. Qui cùm ictus eſſet (capite vt ego coniecto) ita tamen vt nulla eſſet oſſis fractura, ſed ſolùm denudatio nullius momenti, hoc eſt, quam quiuis chirurgus contemneret, quòd eſſet exigua, & in loco tutiſſimo, vt forté in occipite, aut vertice, & longè à commiſſuris, nona die ab ictu, contemnens iam vulnus, in ſole verſatus eſt, & die ſequenti, decimâ ſcilicet febre eſt correptus, & cum febre cœperunt lethalia fieri ſigna, denigratio oſſis, & deceſſio cutis ab oſſe (decedit quæ in labiis eſt vlceris, eadem ratione qua ſiccatur, fitque ſalitæ ſimilis, arida enim facilè deciduntur) & vox clangoſa. Hæc duo ſigna, deceſſionem inquam cutis, & vocem clangoſam, habuerunt filij Phaniæ & Euergetæ, quorum hiſtoria enarrata eſt in libro quinto, ibique explicatum in quas referantur cauſas, & cur ſint lethalia: non minùs atque in hiſtoria pueri Nicolai, cuius in eodem lib. enarrata eſt hiſtoria, explicatum eſt, cur quibuſdam morti iam proximis aluus intumeſcat, quod huic etiam puero accidit vigeſimâ ſecundâ, cùm eſſet vigeſimâ tertiâ moriturus.

QVibus oſſa fracta fuerint, his ſeptima die febres accidunt: ſi verò calidius fuerit anni tempus, etiam citius: at ſi magis fracta fuerint, etiam illicò.

Præcipuum ac maximum ſignorum ſuperuenientium, quibus fractum eſſe os in capitis vulnere indicatur, eſt febris. Hanc dicit ſolere die ſeptimâ ſuperuenire: ſi verò ſit calidius anni tempo, etiam citiùs, velut quartâ aut quintâ, ac ſi magis fracta ſint oſſa, etiam ſtatim. Quibus verbis videtur ſignificare, in temporibus aut frigidis, aut temperatis ſuperuenire febres die ſeptimâ, in æſtate verò priùs: idque ſi fractura ſit mediocris, ſi verò ſit maxima, multò citiùs, vſque adeo vt aliquando ſuperueniant ſtatim. Hoc ſanè prima fronte videtur conſentaneum. Quia vt calor temporis plurimùm facit ad faciliorem partium vlceratarum corruptionem, ita etiam faciet fracturæ magnitudo. Quod enim à fractura natum eſt fieri, id à magna fractura fiet magis, ac citiùs. Inſurgit tamen duplex obiectio; prima, Hippocr. lib. de cap. vulneribus dicere, vbi fractum eſt os, & vulnus taĕ, vt ſeruari homo non poſſit, ante decimamquartam incidere eum in febres magna ex parte in hyeme: in æſtate verò, poſt ſeptimum: nunc verò dicere in tempore calidiori fieri ante ſeptimũ. Quodnam autem eſt aliud tempus calidi quàm æſtas? altera, chirurgos ferè omnes cenſere, grauius ſignum eſſe febrem vlceri aliquantò

poſt ſuperuenire, quàm ſtatim fieri: neque ſanè ea aſſertio videtur ratione deſtituta: quandoquidem, ſi mox ſit, cenſetur naſci ex recenti fluxione, & inflammatione: ſi verò ſuperuenit, quo tempore ſolent iam inflammationes & dolores conquieuiſſe, non videtur poſſe referri, niſi in partium putreſcentiam. Si autem febris ſtatim fiens minùs malum ſignum eſt, non poteſt profectò fieri ob maiores fracturas: eſſet enim deterius, quod naſceretur ex cauſa deteriori. Pro prima obiectione, ſcias Hippocrat. in lib. de vlceribus capitis loqui de vlceribus adultorum, hic verò ob filium Theodori agere ſolùm de puerorum fracturis. Dictum verò ab eodem eſt in eodem libello, pueros ex capitis fracturis citiùs quàm adultos & liberari & mori, vtrumuis ſit euenturum. Citiùs igitur lethalibus puerorum fracturis accident lethalia ſigna, quàm adultorum. Quare non eſt rationi diſſonum, in æſtate fieri febres adultis poſt ſeptimum, pueris citiùs. Pro ſecunda obiectione, ſcias febrem quæ mox accidit vulneratis, animaduerſione indigere. Eſſe enim poteſt ſimplex, & ob dolorem & recentem phlegmonem oriri: aut maligna, & naſci ex fracturæ magnitudine, & internarum partium læſione. Dignoſci poſſunt hæ, quòd illam non comitentur accidentia alia maligna, ſed videatur qualitate diaria, & conquieſcit intra primum quaternarium: hæc durat vſque ad finem, & mox incipit malignitatem præ ſe ferre, accedúntque citò peruigilia, deliria, aut conuulſiones, & oſſis malignus color, & ſaniei, odor malus, atque alia ſigna.

ET Exarmodi famulus ſimiliter dolorem habebat ad femur, non ſecundum rectitudinem vulneris, & factus eſt clangoſus, & dolor ceruicis adfuit.

Haud dubiè hic quoque percuſſus eſt capite, & mortuus cum conuulſione. Nam dolores ab infernis partibus procedentes ad ceruicem, conuulſionem minantur in vulneratis. Dolore verò contrarias lateri vulnerato partes, ſignificat id quod fieri ſolere in capitis vulneribus ſæpe iam diximus, contrarias partes conuelli. Habuit etiam hic, præter ea quæ narrantur, alia ſigna lethalia, vt ſcilicet habuit clangoſam vocem, quam in lethalibus ſignis eſſe ſæpe iam dictum eſt.

ET Poſidocreon tertia die conuulſione correptus eſt, calor non relinquebat, mortuus eſt decima octaua.

Nihil aliud eſt hic notatu dignum, quàm tandiu duraſſe ægrotum, cùm tam citò conuulſionem pati cœperit.

ISagoræ filius poſteriore capitis parte vulneratus eſt, contuſo oſſe ac denigrato die quinta, liberatus; os autem non abſceſſit.

Rarum ſanè eſt, quodque niſi in puero expectare non datur, contuſo oſſe ac poſteà nigreſcente liberari, nullo oſſe abſcedente, ſed ab ipſa natura firmato, vnito, & emendato. Non parùm contulit, ne fractura ad interna penetraret, & ſaniem in cerebrum tranſmitteret, poſterioris capitis os eſſe vulneratum, quod omnium quæ in eo ſunt eſt firmiſſimum. Hinc expunxi hiſtorias magnæ nauis gubernatoris, & Harpali filij, & Thrinonis Damonis filij, quæ requirendæ ſunt in quinto libro.

MEnonem ſub Arcturum, prius quidem febre æſtiuâ, & alui profluuio ægrè affectum & ex itinere delaſſatum, lateris etiam ſiniſtri dolor corripuit, & tuſsis, quæ quidem etiam prius ex catarrho aderat, tunc verò intendebatur, & inſomnis erat & ſtatim à principio febrem implacide ferebat, & reſidens tertiâ die ſpuebat pallidum, arteria cum ſtercore ſubſibilabat. Circa quintam ſpiratio erat moderate denſa, pedes, tibiæ, & extrema plerunque frigida erant & extra ſtragula. Alui excrementa à principio demittebantur bilioſa, neque valde pauca neque multa. Septimâ, octauâ, & nonâ faciliùs ferre videbatur, & ſomni quidam contingebant, & quæ excreabantur crudiora erant, decima & vſque ad decimam tertiam valde alba & pura. Et hypocondrium mollius factum eſt, ſiniſtrum vero contentum erat, & melius ſpirabat: Suppoſita vero glande mediocriter aluus deiecit. Decima tertia rurſus pallidum exſpuit, decimaquarta vero magis, decima quinta porraceum. Aluus vero maleolentia, bilioſa, liquida crebro demiſit, ſiniſtrum hypocondrium eleuatum eſt, decima ſexta valde etiam intumuit, & ſpiratio erat iam cum ſtercore, ſudor circa frontem & ceruicem, raro pectus occupabat. Frons & partes extremæ moderate frigidæ permanebant, ſaltatio vero venarum circa tempora detinebat. Somni comatoſi poſtremis temporibus noctu diúque premebant, vrina à principio cruda cineris ſpeciem referens. Circa decimam & vſque ad decimam tertiam tenues & non decolores, à decima tertia vero quales à principio.

Non eſt dubium deeſſe huic narrationi verba aliqua, quæ niſi reſtituantur, intelligi quidem non poteſt quid dicatur. Velut ſtatim in initio vix intelliges, an hunc ipſum morbum de quo

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 419 sur 489

©BIUM

agitur vocet febrem æstiuam, an loquatur de morbo alio, qui conualescenti ex febre æstiuâ superuenerit. Verùm paucis verbis appositis euadit res clarior; vt si ita legatur. Menoni sub acturum, & prius quidem febre æstiuâ, & alui profluuio ægrè affecto, & ex itinere delassato febris superuenit, & lateris sinistri dolor, & tussis, & reliqua. Ita sit apta & concinna oratio, significaturque quod verissimum esse coniecto, eum cum debilis adhuc esset ob prægressam febrem, iter egisse, atque vt par erat esse defatigatum, & ob eam occasionem incidisse in aliam febrem cum sinistri lateris dolore. Dubium tamen tunc quoque est, an dicat habuisse æstiuam febrem sub arcturum & priùs, an incidisse in hunc morbum de quo narratur historia, sub arcturum & priùs. Mihi videtur illud primum magis consonum verbis Hippocratis. Nam sub Arcturum & prius, significat orto iam Arcturo, & antequàm oriretur. Itaque significat febrem incepisse antequàm oriretur, & durasse illo sydere iam orto. Ortus eius est initium autumni, incepit ergo nondum finitâ æstate. Quapropter hæc fuit febris æstiua, de qua agitur, alia verò superuenit posteâ, fortè in fine autumni: nisi fortè laborauerat priori febre, quam æstiuã vocat, ad exortum Caniculæ, aut ante in vocatis Prodromis, & posterior superuenit paulò ante ortum Arcturi: & quasi hæc iam esset autumnalis, quia autumnum attigit, vocauit auctor priorem æstiuam. Aut fortè non ob tempus, sed ob acutiem, velut in aphorismo, vbi dicitur, in autumno & morbi æstiui. Vtrumque potest dictio ferre, neque sanè plurimum refert, an facta fuerit hæc febris initio aut fine autumni: quanquam in initio solent fieri morbi acutiores, in fine redolentes iam hyemem. Sed, vt dictum sæpe est, possunt fieri omnes in omnibus temporibus. De hoc igitur dubitantes, cætera exponamus. Menon itaque cum adhuc esset debilis ex febre æstiua & alui profluuio (quod alui profluuium, aut simul cum ipsa febre fuerat, & ita vtpote symptomaticum deiecerat plurimum vires, aut febri superuenit iudicatorio modo, tamen productum est plus satis, ita enim etiam retardauit corroborationem) iter agens lassatus est. & ob eum laborem intempestiuè susceptum correptus est febre, & dolore lateris sinistri, & tussi, quæ tenebat quidem hominem ex catarrho etiam prius, tunc autem erat multò copiosior · & erat homo insomnis, & statim ab initio malè ferebat febrem. Huic etiam (vt ex ijs quæ mox dicentur intelliges) facta sunt mox hypochondria dura & distenta. Vnde constat calore & motu concitata esse corporis excrementa, & auctas eas, quæ priùs inerant fluxiones, & concitatas alias, atque ita distillationem à capite in pectus quæ prius inerat, auctam esse adeò vt pleuritidem sinistri lateris attulerit, & tussim plurimùm auxerit: hypochondria verò calore quem labor excitauit, & debilitate totiús corporis, quæ ex priori morbo adhuc supererat, alioqui commota excrementa traxerint & receperint in sese. Facta est itaque continua febris cum pleuritide, & affectu phlegmonoso vtriusque hypochondrij. Nam esse febrem putridam, & morbum per sese, non solum inflammationum accidens, indicabat vrina quæ à principio ac semper signis concoctionis caruit. Esse verò pleuritidem, non est quod quisquam neget, cum adsunt febris continua, dolor, tussis, & respiratio difficilis. Nam pulsus differentiam ab Hippocrate quis requirat? Erat insommis (non mirum, nam vel tussi prohiberetur dormire, nedũ febre) & implacidè ferens febrem statim ab initio. Statim ab initio incepit habere signa facultatis concidentis, & malignæ alterationis materiæ. Nam residens iam die tertia, factúsque ὀφθαλμοειδὴς spuebat pallidum, hoc est bilioſum & crudum, & aspera arteria subsibilabat ex stertore: nimirum hæc omnia pleuritidis in exitium tendentis signa esse, & in malignas referri causas, dictũ iam sæpe est. Morbi verò qui breui sunt interempturi, citò incipiunt à salutaribus plurimum dissidere. Deiectio etiam fiebat á principio morbi biliosa, quod multam versus quaque bilis redundantiam, & facultatis debilitatem indicabat. Neque boni quicquam promittebat, quia in pleuritide ab alui profluuio nunquam expectatur auxilium. Non tamen deiecit statim vires, vt primis quaternarijs moreretur homo, quia neque erat valdè pauca, neque multa. Circa quintam spiratio facta est moderatè densa. Illud ἐμεσικῶς πυκνὸν non significat parùm densum, sed densum mansuetè, sine ortopnæa, & sine sibilo. Quæ quidem spirationis mutatio non semper fit in meliùs procedente morbo, sed aliquando in deterius. Nam spiratio recta & stertorosa aliquando conquiescit euacuata materia, & expurgatis vijs, & tunc agitur bene cum ægroto: aliquando succumbente facultate, & id est pessimum: aliquando cessante aliquo materiæ motu, quod sine insigni neque bono neque malo fieri consueuit, sed vt mitescunt morborum paroxysmi. Huic non esse sedatum illum stertorem ob salutarem quampiam causam, sed facultate concidente, & materiâ altiùs reconditâ, produnt symptomata reliqua: nimirum crebritas, quæ non est imminuta, & pedes, ac tibiæ, & extrema (manus scilicet, brachia, & nasus) plerunque frigida erant, & extra stragula. Quod quidem grauius esse videtur, quàm si partes frigidas sub stragulis contineret. Nam non continere, pereuntis cum calore sensus signum est, aut nimiæ anxietatis. Septimâ, octauâ, & nonâ faciliùs ferre videbatur, hoc est minùs anxiùs esse, & symptomata omnia habere mitiora, & inter cætera vigiliam, nam somni quidam contigebant. Neque tamen huic remissioni fidendum fuit, quia præter rationem accidit, & sine signis concoctionis. Nam quæ excreabantur (inquit) erant crudiora. Explicans quæ vocet ἀπὸ πέψεως dicit, decima & vsque ad decimam tertiam erant valdè alba & pura, hôc est, aquosa, alba, & tenuia puræ aquæ similia. Et hypochondrium fiebat mollius, vt phlegmonem deposuisse videretur. Sinistra verò hypochondrij pars distenta, & meliùs spirans. Quod durum propriè est, separari facilè potest à distento, etiamsi vtrumque tactui resistat, sed modo diuerso. Durities nascitur à corporis soliditate, & concretione, quæ in tumore phlegmonoso aut scirrhoso fieri consueuit: distentio à flatu. Itaque solui cœpit phlegmon hypochondrij, & flatus colligi ad partem sinistram. Sed est consideratione dignum, quid sibi velit vocans hypochondrium meliùs spirans. Non. n. dicit illud meliùs spirans de homine, sed de hypochondrio, liquet in græca lectione. Ita. n. habet τὸ δὲ ἀειστερὸν ξυμπεφυκὸς καὶ σπουστερον: si verò spirare non pertinet

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 420 sur 489

ad hypochondrium, ſed ad thoracem, quo pacto dici poteſt hypochondrium meliùs aut deteriùs ſpirans? Certè ſpiratio thoracis & ſepti tranſuerſi eſt, tamen hypochondriorum diſtentio, aut durus tumor ſæpe facit reſpirationem difficilem, quia comprimunt ſeptum tranſuerſum, & in pleriſque hominibus habent viſcera, quæ in hypochondrio ſita ſunt, vincula quibus alligantur, vtrumque ſuo lateri: ergo ab effectu, quòd difficilem faciat reſpirationem, dicitur hypochondrium δυσπνοῦν, quòd non faciat difficilem εὔπνουν. Tunc ergo erat εὐωνύτερον ſiniſtrum, quòd minùs quàm anteà impediret reſpirationem, Sed quomodo fieri poterat, vt eſſet diſtentum, & meliùs ſpirans? Certè quod ea diſtentio ad externas, & cuti proximas partes ſpectatet, ſeptum verò minùs traheretur ad tentionem aut comprimeretur, glande verò ſuppoſitâ (inquit) aluus mediocriter deiecit. Itaque non ſuppreſſa erat aluus, neque fluens. Decimatertiâ redire cœperunt rurſum ſigna concoctioni contraria. Nam ſpuit ea die pallidum, & decima quarta magis adhuc pallidum, & decima quinta porraceum: aluus verò iam inde demiſit maleolentia, bilioſa, liquida & crebrò: aucta. ſ. toto corpore cacochymiâ, & corruptione. Siniſtrum hypochondrium eleuatum adhuc magis eſt: decima ſextâ verò etiam magis intumuit, non tamen erat adhuc ἔυπνουν. Erat enim πνεῦμα ὕδωρ. ῥιγῶδες occupantibus iam excrementis pulmonem & laryngem, & ſepto tranſuerſo impedito. Nam difficilis ſepti motus facit ſublimem ſpitationem, ſucci verò faciunt ſtertotem, & feruorem in gutture. Iam erant omnia velut in moribundo, ſudor circa frontem & ceruicem, qui vel ad thoracem deſcendebat rarò: extrema, & frons frigida πηδώμος φλεβων. i. ſalatio venarum circa tempora, quæ cum frigore extremorum peſſima eſt, quia ſignificat vri interiora & ſuperiora cum extremorum refrigeratione. Somni comatoſi nocte & die poſtremis temporibus premebant, ea ſcilicet die & ſequenti, quæ vltima fuit. Mortuus enim eſt, quantum coniecto, decimaſeptimâ. Nam cùm decima tertia inceperit fieri lethale incrementum, id exigit ratio legitimæ conſtitutionis, præterquàm quod ſigna decimæ ſextæ erant qualia reperiuntur in ijs qui eadem die aut poſtridie moriuntur. Fuiſſe verò vſque ad decimam tertiam morbi principium, & inde incepiſſe incrementum, conſtat facilè ex ijs quæ de vrina addit. Siquidem præcipua temporum diſtinctio eſt per concoctionis ſigna. Dicit verò, ὕρεα ἀπ' ἀρχῆς ὠμὸν, σποδοειδὲς hoc eſt cineris ſpeciem referens (colore ſcilicet) à decima & vſque ad decimam tertiam tenuis & non decolor à decima tertiâ vſque ad finem qualis à principio, cineritia ſcilicet. Nimirum eo modo proceſſerunt ſigna concoctionis & contraria in omnibus exeuntibus. Nam & ſputa, quæ a principio fuerant pallida, facta ſunt alba & pura à decima vſque ad decimam tertiam, ab hac rurſum pallida. Deiectio etiam quæ à principio fuerat bilioſa, & à decimaquarta cœpit ſubire mediocriter ſuppoſitâ glande, decimatertiâ rurſus cæpit fieri deterior, malè olens, bilioſa liquida, & crebra. Itaque decimatertiâ cœperunt omnia abire à crudis ad malignè putreſcentia. Sed rogabis, cur morbus videatur proceſſiſſe à malignis ad cruda, & ab ijs rurſum ad maligna, cùm à crudis incipiant omnes morbi pendentes ex materia. Certè cruda excrementa ſunt duplicia, quædam quæ neque habent concoctionis manifeſtæ vllas notas neque corruptionis malignæ, habent tamen notas humorum à quibus morbi pendent: alia ſunt quæ ne horum quidem vllas notas habent, ſed ſolius incoctionis. Sæpiſſimè primis morbi diebus apparent excrementa cruda primi generis, deinde ſecundi à quibus proceditur in lethalibus morbis ad malignè putreſcentia, in ſalutaribus ad concocta. Quod quidem fit, quia incipiunt morbi agitatis excrementis, & ab agitatis neceſſariò excidit aliquid cum exeuntibus. Cum verò ceſſat is motus, & concoctio nondum incepit, fiunt exeuntia tantùm cruda, durantque ea per totum principium, donec ſcilicet aut malignæ putreſcentiæ, aut concoctionis manifeſtæ notas accipiant. Sed & alia etiam ſymptomata talem quendam habent progreſſum. Maiora enim ac difficiliora fieri conſueuere in prima parte principij, in quo iam conquieſcit ob motum materiæ, quàm procedente principio, donec procedente in vigorem morbo, ob materiæ alterationem & incrementa morborum redeant maiora. Hinc fit vt multi inexperti, & vulgares medici putent, quum adhuc ſunt in initijs, peruenisſe morbos ad inclinationem, ſcilicet remittentibus doloribus, & excretis quandam puritatem accipientibus.

Cleocho lateris dolor & febris accidit, remiſit febris, ſudauit per corpus totum. Per vrinam multa efferebantur, hæc poſteà turbata eſt.

Sudor & vrina ex eadem ſunt materia, proinde ſæpe in eoſdem morbos incidunt ambæ iudicationes, & qui ſudando iudicari cœperunt, poſtremò per vrinas iudicantur perfectè: porrò vrina turbata diuerſis occaſionibus fieri conſueuit, aliquando fit in initio, agrediente natura concoctionem, eſtque ſignum concoctionis occultæ; aliquando fit in morbi decurſu, ob perturbationem in totis venis fientem, eſtque ſignum doloris, ſeu morbi capitis: aliquando fit inclinante morbo ob excrementorum exeuntium perturbatam mixtionem, eſtque tunc decretoria euacuatio, qualis huic facta eſt poſt vrinas concoctas, & poſt ſudores. Illud ἐθορυβήθη non ſine ratione referri poteſt ad quandam corporis aut mentis perturbationem, quę inſtante criſi ſolet contingere, quem in ſenſum nomen θορυβὸς ab Hippocrate frequenter vſurpatur.

Circa pleiadum occaſum Olympiadæ vxorem octimeſtrem fœtum geſtantem, ex caſu febris acutæ corripuit, lingua erat ardens, ſiccа aſpera, pallida, oculi pallidi, & corpus mortuo ſimile. Quintâ die fœtum corrupit, facilè liberata eſt, & ſomnus cum ſopore eſſe videbatur, veſperi cùm excitaretur non ſenſit, ſternutatorio adhibito ſubaudiuit, potionem accepit & ſucci nonnihil, aliquantum tuſſijt cùm deglutiuiſſet potionem. Vox non ſoluebatur, neque ipſa quicquam leuabatur, oculi demiſſi erant, ſpira-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 421 sur 489

zio ſublimis quæ naribus trahebatur, color prauus, ſudor accidit circa pedes & crura inſtante morte, mortua eſt.

Cùm periculoſum ſemper ſit vtero gerentibus cadere, aut percuti ita vt allidant fœtus, multò tamen magis octimeſtribus, quia fœtus magnus cùm ſit, & alioqui ægrotet, facilè ex colliſione moritur, quod periculoſiſſimum eſt, præcipuè cum inflammatione vteri, quæ ex caſu etiam fieri conſueuit, vt huic accidit. Inflammationem enim in vtero factam indicabat febris ſtatim acuta: fœtum mortuum, corpus νεκρῶδες & fœtus corruptio, hoc eſt abortus mortui. Quinta die dicit liberatam eſſe facilè, intellige facilè emiſiſſe fœtum, liberata enim omnino non eſt, nedum facilè. Non parum fuit emittere ex inflammato vtero mortuum, tamè fecit id irritatio magna, & fortis expultrix. Nihilo tamen habuit meliùs, quin potiùs in deterius lapſa eſt cum maxima cerebri compaſſione cum vtero, quam indicabat coma tantum, vt eadem die excitantes non ſentiret, ſed tamè ſternutatorio videretur exiguum quiddam excitari & audire, non tamen ita vt loqueretur, neque ipſa quicquam alleuaretur, & cum prauis ſignis circa oculos, & ſpirationem, & totius corporis colorem ad mortem proceſſit. Haud ſcio an intra ipſam diem quintam, certè non multò poſt. Quod ſudor huic iam iam morienti factus eſt circa pedes, & crura, vt ſolet alijs circa frontem & ceruicem, cauſam eſſe exiſtimo, quòd calor igneus qui per extrema expirauit, partem humilem hoc eſt vterum teneret:

Nicolai vxori ex febre ardente tumores circa vtramque aurem exorti ſunt, paulò poſt alter velut tumor laxus, cùm iam febris remittere videretur. Circa decimam quartam magni ſine iudicationis ſignis ſubſederunt. Recidiua facta eſt, color mortuo ſimilis, lingua aſpera, valdè denſa, ſubalbida, ſiticuloſa, deiectio alui copioſa, liquida, maleolens per totum tempus. Ante obitum corpus deiectionum multitudine abſumptum eſt. Mortua eſt vigeſimâ.

Non narrat qua die ardentis febris parotides factæ ſint, conſtat factas eſſe multò ante tempus iudicationi idoneum, nam multò ante decimam quartam: ſiquidem die decima quarta tumores magni ſubſiderant, cùm anteà ortæ eſſent parotides, ac poſt eas alius tumor, in quas eruptiones non potuit non inſumi ſatis multum tempus, ſiquidem non ſunt factæ ſimul, ſed ordine aliæ poſt alias, Itaque non longè poſt morbi initium cœperunt abſceſſus apparere, quod vitioſiſſimum eſſe Hippocrates millies ſignificauit, maximè lib. 2. his verbis, decretoria ne ſtatim appareant. Certè rarò bene agitur cum ægroto, cui citò apparent abſceſſus, aut eæ quæ decretoriæ eſſe ſolent euacuationes. Exemplo eſt hæc ægrota, quæ cùm per morbi decurſum aliquoties videretur meliùs habuiſſe, vt aliquando interim febris videretur ſolui, poſtremò mortua eſt. Quę autem fuerint ſigna grauiora, oportet notemus, vt meritò eum finem habuiſſe morbum intelligamus.

A Imprimis factos eſſe abſceſſus ante tẽpus, deinde & ſubſediſſe tumores, alioqui magnos, die decretoria, ſine ſigno, hoc eſt nullo relicto veſtigio. Hoc enim nihil eſt aliud quàm euanuiſſe repentè, & feciſſe in altas partes impetum, quod in magnis tumoribus tantò periculoſius eſt, quantò minùs debemus opinari, magnos quàm paruos fuiſſe per inſenſilem euacuationem reſolutos: & quanto grauiùs eſt, multa quàm pauca excrementa in partes nobiliores conuerti. Omnia autem lethalia ſigna diebus decretorijs facta, firmiorem habent ſignificationem quàm alijs, ac proinde deteriora ſunt. Meritò ergo, quandoquidem non multò poſt initium factæ ſunt parotides, fuit morbus difficilis iudicationis: quandoquidem verò die decima quarta magni tumores ſine ſigno ſubſederunt, meritò eſt facta recidiua, longè pernicioſior primo morbo & habens lethalia ſigna, colorem faciei morbo ſimilem hoc eſt, qualem in cadaueribus videas, linguam aſperam, valdè denſam, hoc eſt craſſam, & duram, ſubaldidam (qui color ob emorientem etiam calorem fieri ſolet, eſtque deterior quàm cum eſt aperté alba ob pituitam) & ſiticuloſam ob calorem igneum, & deiectionem multam liquidam, malè olentem per totum tempus, quæ deiectiò corruptionem ſignificabat, potiùs quàm iudicationem, & quia male olens (non ſcilicet vtcunque, ſed grauiter & malignè) quia per totum tempus. Tempeſtiuæ enim ſunt quæ bonæ, non quæ per totum tempus fiunt euacuationes. Atqui euentu confirmata eſt hæc coniectura. Nam πρὸ τῆς πλευρῖτις, ἐφθάρη τὸ σῶμα τῷ πλήθει, hoc eſt mortua eſt præ multitudine deiectionum, corrupto corpore, & colliqueſcentibus ſimul ſuccis, & carnibus. Mortua eſt vigeſima, à primo inſultu morbi arbitror, quia ita ſolet Hip. numerare: recidiua fortaſſe fuit facta decima-ſeptima, fuitque totus morbus acutus ſimpliciter: in recidiua verò ſeorſum acutiſſimus, & pernicioſiſſimus.

Andream ante Pleiadum occaſum horror, febris, vomitus corripuit, ab initio ſemitertiana apparebat, verùm tertiana erat. Rurſus cum in foro ageret horruit, febris acuta fuit, vomitus bilis ſinceræ, ſub noctem delirauit, rurſus meliùs ſe habuit. Quintâ ægrè. Sextâ à Mercuriali bene aluus deiecit. Septimâ grauius habebat, & ſequentibus iam diebus affligebat febris, & ab initio ſine ſudore & ſiticuloſus erat. Maxime autem os reſiccabatur, nullúmque potum libenter admittebat, cum multa eſſet in ore inſuauitas. Lingua erat arida, inarticulata, aſperitas efflorescebat cum pallore abbicans, inſomnis erat, & anxius, exolutus, fractus, lingua præ ſiccitate aliquantum balbutiebat, donec madefeciſſet, ſuccum præcipue admittebat. Nonâ aut decima circa aurem ſiniſtram & circa alteram tumores parui ſine iudicationis ſignis apparuerunt. Vrinæ per totum morbum non fuerunt decolores, ſed ſine ſubſidentia. Decimaquarta ſudor exiguus circa partes ſuperiores non admodum moderatus exortus

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 422 sur 489

est Color circa decimam septimam mitigatus est. Alvus post decimam sicca erat, nec nisi subditis glandibus deijciebat. Circa vigesimam quintam exanthemata per totum corpus exorta sunt pruriginosa, calida, velut igne ambusta. Dolor autem aderat circa alas & latera, in crura sine signis transiit & desiit. Balneum proderat & illitus cum aceto. Mense verò secundo fortasse aut tertio dolor ad renes, qui anteà etiam aliquando adfuerat, sedatus est.

Πρὸ πλειάδος dicit, nec explicat an ante ortum pleiadum dicat, an ante occasum Mihi videtur consonum ante occasum intelligere, quia morbosius multò tempus est, & difficilis iudicationis morbis magis opportunum, quod occasum antecedit, quàm quod ortum, & quòd occasus quàm ortus pleiadum rationem potiùs haberi velit Hippocrates. Siquidem libello de aëre, locis, & aquis, ita dicit: oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & pleiadum occasum. His verbis haud dubiè ortus Canis & Arcturi potiùs quàm occasus rationem haberi vult, occasus verò pleiadum. Itaque idem est ante pleiadem dicere, ac autumni tempore Morbus hic vsque ad diem septimam fuit tertiana febris, naturâ quidem intermittens, vt quæ ab horrore inceperit, adeò verò producta & molesta, vt fortasse ægrotum nunquam eueniret sine febre esse. A septima die cæpit esse febris continua, magna simul & maligna, à qua post dies multos vix per multos abscessus liberatus est. Dicit itaque περὶ πλειάδος, hoc est, in autumno, horror, febris, vomitus corripuit, hoc est, febris quædam ab horrore incipiens cum vomitu, neque solum, arbitror, vt aliæ tertianæ solent, incepit ab horrore, & mox in apertam febrem euasit, sed horrida etiam per totum ferè tempus, aut magnam diei partem exiſtit. Nam (inquit) ab initio semitertiana apparebat, quia scilicet hemitritæus febris est horrida, multarum febrium complicatione constans: verùm non erat semitertiana, altera dies duos, altera vnicum paroxysmum habens, sed tertiana. Itaque erat tertiana simplex, sed notha, semitertianæ ob horroris productionem similis. Præteriit paroxismus primus, & (ita vt fit) exurrexit, ac domo exiit, & rursum die tertia in foro agens, correptus est febre eiusdem prorsus figuræ cum prima. Nam horruit, & febricitauit, & vomuit bilem meracam. Ad noctem eius diei delirauit, paraphreneticus scilicet vi febris factus, rursus verò die sequenti, quæ fuit totius morbi quarta, melius se habuit: quintâ rursus difficulter, vt primâ scilicet & tertiâ. Sextâ mercurialem accepit expurgationis gratiâ, & aluus quidem bene deiecit, nihil tamen iuuatus est, quin potius septima difficiliùs habuit, & sequentibus iam inde diebus magis continenter, hoc est, citra intermissionem febricitauit. Optimum sanè exemplum læsionum quas infert purgatio susceptа intempestiuè, & ante materiæ concoctionem: nimirum febres auget, & ex simplicibus duplices, & ex intermittentibus facit continuas: etiam si aluus fluat, & purgatio iis qui adsunt videatur rectè succesſisse: quinetiam eò aliquando magis homo læditur, quò purgatio videtur abundantiùs facta, quia colliquatione fiunt tales deiectiones. Et vidi multos mox ab intempestiua expurgatione incidere in tabem. Vsque adeò vitari debet vulgaris praxis eorum, qui die sexta omnibus febricitantibus pharmacum tribuunt, cùm tamen ea die perpaucis possit vtiliter dari. Quia plerisq; acutè laborantium sextâ die finitum est, aut iam finitur principium, tempus verò concoctionis nondum venit. Circa hæc autem tempora rarò, aliquandò tamen vrgentiæ gratiâ, expurgamus. Ducta vsque ad septimam narratione, rursum repetit ea quæ ab initio febribus his aderant. Sine sudore (inquit) ab initio, & sticuloſus, maximè verò os resiccabatur, & potum nullum libenter accipiebat, cùm multa esset in ore insuauitas. Hæc maximè siccitatis erant signa, & succorum siccissimorum, bilis, & salsæ pituitæ. Ab his enim resiccabatur corpus adeò, vt neque inclinantibus paroxysmis sudaret, & esset sticuloſus, atque sicco ore, tamen nullo potu delectaretur, ob oris insuauitatem. Lingua sicca ἄκρητος, hoc est, inarticulatè proferens verba, πεπηγὸς ἐπίγλωσσον ὠχρόλευκος, hoc est, asperitas erat in lingua, velut innatis quibusdam granulis, quasi floſculis, cum pallore quodam albicante, velut mixtione bilis & salsæ pituitæ facto. Erat insomnis, quod siccæ & calidæ intemperiei signum etiam est, anxius, exolutus, fractus, hoc est defatigatus, quasi fractis artubus. Lingua præ siccitate aliquantùm balbutiebat, donec madefecisset, hoc est ob siccitatem lingua non poterat proferre, nisi aqua aut aliquo humore priùs eam madefecisset. Narrat deinde quo victu vteretur dicens, succum maximè capiebat. Hoc est non vtebatur cibis solidis, sed pro his vt solent qui febricitant acutè, succis. His dictis, persequitur narrationem vltra septimam diem, à qua continua febris esse cœpisset. Nona (inquit) aut decima (incertus qua die, dubitanter dixit) circa aurem sinistram primùm, deinde & circa alteram, tumores parui ἀδήμως apparuerunt. Sine signo euanescere tumorem, aut exanthemata, quid sit, dictum antea est, scilicet nullo relicto vestigio, sed quid sit sine signo apparere consideratione est dignum. Videtur autem nihil esse aliud, quàm nullo prægresso signo talis abscessus. Nimirum futuri abscessus solent significari dolore aut lassitudine partium, in quibus sunt futuri. Perinde est ergo ac si diceret, facti sunt tumores parui in aurem vtramque repentè, insperatò, & nullo dolore, neque vllo alio futuri abscessus signo prægresso. Hæc autem abscessus generatio adeò repentina significat, causam ad qualitatem succi referri debere potiùs, quàm ad multitudinem, aut partis debilitatem. Repentina enim irritatio repentinam ex parte in partem lationem facit. Quæ autem multum lassitudinis sensum habet prius, & debilis pars aliarum excrementa paulatim admittit. Itaque abscessus repentini & sine signo facti, qualitatem malignam succi plurimùm irritantem & vrgentem significant, qualem sanè fuisse in hoc ægroto, satis apertè indicarunt dein-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 423 sur 489

ceps exanthemata circa vigesimam quintam per totum corpus facta. Fuerunt enim calida, & prurientia, velut igne combusta. Vrinas dicit semper huic fuisse non sine colore, sed sine subsidentia. Hanc vrinam crudam extremè non esse, tamen esse principij constat ex ijs, quæ de vrinis Gal. tradidit. Cunctari verò signa concoctionis plus quàm pro aliorum symptomatum celeritate, dyscrisias significar. Decimaquartâ (dicit) sudor exiguus circa partes superiores exortus est. Explicans exiguum fuisse, non admodum tamen, dicit, non valdè moderatus. Multis modis à bono sudore deficiebat hic, nam quòd exiguus, quòd non per totum fluens, quòd sine concoctionis signis, & quòd sine conferentia, solùm quidem videbatur diei naturâ bonus: verùm id, vbi cætera absunt omnia, nihilò est melius. Quia dies decretoria, velut & alia omnia decretoria, nihil aliud præstat quàm fidem, bona quidem meliora, mala verò deteriora efficiens. Febris circa decimam septimam ἐμωλύνθη. i. est mitigata, non tamen soluta perfectè, neque ita iudicata, vt sine quammultis deinceps obortis absessibus, potuerit homo liberari. Aluum (dicit post diem decimam siccam fuisse nec fluentem sine glande. Insinuat ante decimam non fuisse adeò siccam: satius autem fuisset contra fieri, vt primis diebus siccata aluus, procedente morbo humectaretur: consonum enim est hoc morbis salutaribus, & benignis: in quibus concoctioni tempestiua succedit expulsio: sed in morbis difficilis iudicationis, omnia fiunt præposterè. Circa vigesimam quintam (dicit) exanthemata θερμὰ, κνησμώδεα, ὥσπερ πνεύματα, in quibusdam codicibus legitur δι' ὅλου hoc est per totum, in alijs hoc est δι' ὀλίγου hoc est breui, per paruum tempus. Prima lectione significatur exanthemata illa orta esse per totum corpus: secunda orta esse repentè, quodque antea dixerat ἀσήμως hoc est sine signo. Dolor erat circa alas, & latera, & transiuit ad crura sine signo: hoc loco sine signo alterutrum potest significare, aut nullo doloris vestigio relicto in lateribus, aut nullo signo absessus in cruribus prægresso; deinde hic dolor desiuit, visusque est iam homo liber à morbo. Tamen mense secũdo aut fortasse tertio post hęc, dolor incidit in renes quo ante hunc etiã morbum aliquando laborare consueuerat. Et sedatus est dolor, & iam inde conualuit homo. Curationem non narrat Hipp. Illud solùm interponit, balneum proderat, & inunctio in aceto. Hoc est lauari aqua dulci, & à balneo inungi ex oleo, hoc est oleo, & aceto. Hoc non quacunque morbi parte faciendum fuit, sed postrema, quæ erat post decimam septimam, quum scilicet iam febris erat tenuis, erumpebant verò per cutem exanthemata, & absessus in hos & illos articulos. Talibus enim vtile est balneum ad vacuandas reliquias succorum per cutem, & fundendos crassos ne concrescant, & attemperandum corpus, atque extinguendas febres: inunctio verò olei necessaria est, ne spiritus dissoluatur: aceti verò, sicut etiam salis quædam portio propter articulos, ne sola aqua & oleo ligamenta ossium emolliantur, & debilitentur. Quapropter ego consulerem in hoc casu, balneo & inunctione ex solo oleo vti primùm ad totum corpus; ex aceto verò, aut sale & oleo post balneum, ad solos articulos.

Aristocratem circa solstitium hyemale lassitudo, horror, & calor corripuit, postea verò tertia die lateris & lumborum dolor incepit, & tumor ab axilla initium ducens per totum latus dextrum extendebatur, durus, rubicundus, liuidus, quasi ab igne calefactus & vstulatus fuisset. Anxius erat, & molestè se habebat, valdè siticulosus, lingua erat erat subalbida, vrinæ non prodibant, crura subfrigida. Aluus à mercuriali pauca deiecit, liquida, subalbida, spumosa, sub noctem spiratio sublimis facta est: sudor exiguus circa frontem erupit, inferiores partes frigidæ, anxius erat, ceruix inflabatur, tussis non aderat, mentis compos mortuus est.

Intra primum quaternarium febris mortuus est Aristocrates, die tertiâ orto carbunculo ingenti: neque mirum, minores enim carbunculi solent venenosa symptomata inferre, & citæ mortis periculum, nedum tantus, vt latus totum occuparet. Cùm præcipuè dolor lateris & lumborum indicaret, non solùm externas sed internas etiam cum illis partes teneri. Quamquam non affectum fuit os ventriculi, aut septum, aut aliqua aliarum partium, cum quibus facilè mens consentit, alioqui non fuisset mortuus sine delirio. Data est eadem die mercurialis ob vrgentiam. Satiùs autem fuisset mittere sanguinẽ vsque ad animi deliquiũ, iuxta consilium Gal. 14. methodi. Exigua, liquida, subalba, & spumosa deiectio colliquationem indicat.

Onesianacti circa autumnum accidit ophthalmia, postea vero febris quartana. Incipiente quartanà plurimùm auersabatur cibos, procedente autem morbo libenter accipiebat. Sed & Polychari in quartana febre eadem circa cibos contigerunt.

Quod Onesianacti, & Polychari contigit, quamplurimis imò etiam plerisque quartanâ laborantibus euenire conspicimus: vt scilicet recens occupati, aliquando nausea, & fastidio, & anxietatibus, & magnis laboribus conflictentur, & horum aliqui paucis paroxysmis vt quinque aut septem exactis liberantur, alij conquiescentibus anxietatibus, & ad cibos deinde meliùs habentes, manent cum quartana quadam mitiori per longum tempus, quam pati possunt exurgentes, & domo exeuntes, & negotia tractantes. Huius rei causa est, quod febre illa laborare non incipiunt, antequàm multo & eo quidem malo succo referti sint, & irritata natura incipiat eum agitare: agitando verò huc & illuc trudit, & hac & illac pellit. Vnde euenit, vt interim homo magnis angatur laboribus, & effusa excrementa fastidium in-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 424 sur 489

ferant, & euacuationes diuersæ fiant, & aliquando per eas euacuationes purgato corpore cessat morbus, aliquando non sunt eæ satis, & natura conuertitur ad reliqui concoctionem, & apprehendit retinetque quietum. Quietum ergo excrementum, & copiâ diminutum paroxysmos quidem facit ordinem diu seruantes, ob partium mittentium & recipientium intemperiem, & debilitatem, & ob id quod Gal. vocauit cinericium: verùm symptomata affert mitiora, non quidem quæ propria febris sunt, siquidem pathognomonica cum quocunque morbo crescunt, sed quæ principij, & inquietudinis humorum. Inter cætera verò symptomata in quartana, cum ea iam elapsa primum illum incursum residet, placari maximè solet fastidium. Quia melancholia per se quidem famem potiùs infert, fastidium verò non, nisi quum redundantia maxima putridæ materiæ abominationem infert.

ACcidit autem etiam Onesianacti ante febrem alui deiectio, quæ diu posteà perseuerauit, multis albis, mucosis prodeuntibus: & aliquando paucum sanguinem sine labore & dolore deijciebat, sed strepitus in ventre percipiebatur. Post febrem abscessum fecit iuxtà sedem tuberculum durum, quod diu perseuerauit incoctum, erupit ad intestinum, & foris fistulosum euasit. Cùm autem in foro deambularet, ei ante oculos fulgores obuersabantur, nec Solem omnino aspicere poterat. Cùm autem pauca alui excrementa demisisset, extra seipsum fuit, & ceruicis conuulsione correptus est. Postquàm verò domum relatus est, vix suspexit, & ægrè ad seipsum reuersus est. Primum autem circumstantes oculis collustrabat, & corpus adeò refrigeratum est, vt vix vtriculis & πυείν ἐκαὶ τῇ χειρὶ, ideſt, fomentis subinde adhibitis recaluerit. Postquàm verò sui compos fuit & surrexit, nolebat exire, sed timere dicebat. Si quis vero de grauibus morbis dissereret, præ timore se subducebat. Aliquando calorem ad hypocondria sibi occurrere dixit; & oculorum fulgores perseuerare, & multa alui deiectio, & sæpe & similis hyeme contigit. Venæ sectio celebrata est, helleborum propinatum, lac vaccinum potu exhibitum, priùs vero asininum quod contulit, & deiectiones sedauit. Aquæ potus ab initio fuit, deambulationes quoque & capitis purgationes.

In quibusdam codicibus legitur, non Onesianacti, sed Mnesianacti, videturque esse ægrotus alius, ab eo qui ophthalmiâ laborauit, & quartanâ, & alia narratio: mihi autem eadem prorsus esse videtur, & de eodem Onesianacte haberi sermo. Nam & illæ duæ particulæ, altera continuans, altera coniungens, accidit autem etiam Onesianacti deiectio, apertè indicant, illi de quo cœptus erat sermo, præter ophthalmiamaccidisse etiam ante febrem quartanam alui deiectionem, hoc est fluxum alui, quem dicit posteà quàm incœpit quartana, durasse multum tempus, exeuntibus multis albis mucosis, & aliquando exiguo sanguine. Hæc si cum dolore mordaci exiuissent, indicassent haud dubiè dysenteriam, verùm exibant sine laboribus & dolore, vnde constat fuisse diarrhœam pituitosam. Illud exiguum sanguinis, quod consequebatur aliquando, deponebatur ab hepate aut mesenterio, nisi fortè ab hæmorrhoidibus, nam ab his etiam aliquando exit sine dolore: refrigeratum verò ventrem à pituitosâ fluxione, indicabat flatus, qui in ventre erat. Meritò huic finita est ophthalmia ante febrem quartanam, cùm aluus ante eam plurimùm fluxerit, multum enim cedere solet ophthalmia alui profluuio. Post febrem (inquit) abscessit iuxta sedem tuberculum. Intelligendum post febrem, hoc est, postquàm correptus est febre: non enim verisimile est iam esse finitam quartanam, cùm nondum narratio ad totam hyemem pervenerit, siquidem quasi narrationem producens dicit posteà, alui deiectio multa & sæpe & similis hyeme contingebat. Itaque dicit, postquàm correptus febre est homo, factum esse illi per abscessum tuberculum durum iuxta sedem, illudque diu mansisse crudum, durum scilicet, posteà erupisse humorem in intestinum, & extrorsum esse factum fistulosum: Itaque factam illi esse fistulam, externum habentem os, & penetrantem vsq; ad ipsum intestinum, quod quidem fæcibus exeuntibus, erat facilè agnoscere. Facile est coniectare, & ex corporis apparatu (siquidem quartanâ laborabat) & ex loci naturâ, quæ tales succos solet recipere, & ex corrosione, tanta enim facta est breui, fuisse succum qui eò abscessit atrabiliarium. Cùm iam ita haberet, contigit quadam die deambulanti in foro, splendores apparere ante oculos, ita vt Solem omnino non videret, & exire nonnihil extra se, simulque conuulsum esse secundum ceruicem: & ita domum reductus (fortasse ab iis qui aderant) iamque ingressus, vix respexit, & vix ad se ipsum reuersus est (illud vix significat difficulter, neque satis perfectè id fecisse) primum verò (vt fieri solet) circunspexit eos qui aderant, & refrigeratum est illi tunc corpus, & vix recalescere potuit, etiamsi multi vtriculi, & multa calida fomẽta adhiberentur. Postquam autem apud se fuit, & surrexit è lecto, nolebat exire domo, sed dicebat se timere, ne fortè illi accideret eadem passio iterùm: atque si quis coram illo de morbis difficilibus loqueretur, abibat præ timore: itaque manſit timidus. Dicebat sibi aliquando occurrere ad hypochõdria calorẽ, & perseuerare oculorum splendores. Ex his accidentibus manifestum fit, eum in foro correptum esse apoplecticâ passione, simul cum quadam conuulsione, ob raptum melancholiæ in superiores partes, eas verò passiones desiisse in melancholiã morbum, partim quidem affecto cerebro, partim verò hypochondriis. Alui deiectionem multam & sæpe, similèmque, ei .s. quæ inceperat, hoc est mucosam albam, exeunte aliquãdo exiguo sanguine hyeme fieri non mirũ,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 425 sur 489

©BIUM

quòd per melancholicas affectiones tam multa redundaret, pituita. Siquidem familiare eſt melancholicis, multam generare pituitam per incoctionem, præcipuè in concoctione primâ, cuius excrementa excipit aluus. Narrat ſummatim quæ in huius morbi curatione acta ſunt, dicens, venæ ſectio facta eſt, helleborum propinatum (hoc eſt expurgationes) lac vaccinum potu exhibitum. Priùs autem aſininum quod contulit, & deiectiones ſedauit. Potus aquæ ab initio, deambulationéſque, & capitis purgationes, per errhina ſcilicet & apophlegmatiſmos. Ratio curationis minimè ſanè vulgaris. Quotus enim quiſque medicorum, fluente aluo mittit ſanguinem, nedum & iam expurgat pluries? Aut lac præcipuè adeò frigidum & ſeroſum in quartanâ non interdicit? Et in diarrhœa quieſcere non iubet, & vino modico vti? Capitis verò peculiariter quotus quiſque habet curam, niſi quæ ei propria accedat affectio? Ea tamen omnia ſe feciſſe hic autor narrat, neque tamen in omnibus ita laborantibus ea fieri ſuaſerim, etſi ea duæ vtiliter in Oneſianacte facta eſſe dicenti credam, nam poſſunt etiam aliquando vtiliter fieri contraria. Nullus enim eſt morbus, qui vnicam certamque habeat curationem, neque qui pro ratione cauſæ & naturæ hominis, ac denique ſingularium animaduerſionum, non poſſit accipere contrarias. Quapropter oportet ſingulorum auxiliorum conſiderare vires, & adhibitis diſtinctionibus dicere, in quibus ita laborantibus fieri debeant, aut ſecus. Illud vnum dicam generatim Hippocr. & omnes qui in magno pretio fuerunt medicos, indicationem cauſæ ſequi conſueuiſſe multò audaciùs quàm vulgares medicos, qui plerumque præſentibus ſymptomatis territi, illiſque occurrentes, morbos pleroſque producunt & vix niſi leuiſſimos perſanant. Velut nunc vulgaris miſſione ſanguinis interdiceret, timens euacuationum multitudinem, & expurgationes caueret, ne excrementa vndique traherentur in ventrem, fluxione alioqui laborantem: interim admoueret ſiccantia & adſtringentia, & totum victum eò dirigeret: Hippocrates verò, multò magis timens copiam ſanguinis & vitioſorum humorum, qui toto corpore redundabant, ac certò ſciens, niſi hæc tollerentur, alia omnia adhiberi fruſtrà neque ſine noxa, miſit primùm ſanguinem, deinde expurgatione vſus eſt, & potu lactis aſinini primùm, cui ob multum ſerum vis eſt expurgandi, deinde vaccini ad renutriendum, & deambulationibus. Arbitror autem & frictionibus, vt toto corpore magna diſſipatio fieret. Si quis verò incidat in laborantem debilitate potiùs virtutis, aut inteſtinorum intemperie, quàm multitudine ſuccorum, contraria conſulet meritò: quod ſi frigida eſſet ea intemperies, vt plerumque ſolet, vino vti iuberet, quod tamen huic detraxit Hippocrates, ne cum multitudine, vini potus inflammationis cuiuſpiam fieret cauſa. Multitudinem verò indicauit ſanguis, qui aliquando ſine dolore exibat. Expurgàdi per errhina & apophlegmatiſmos capitis, magnam curam habere ſolet in huiuſmodi morbis Hippocrates, & meritò quidem (quamquam id poſt miſſum ſanguinem & expurgationem, aut omnino aut bona ex parte factam) quia à capite cientur diſtillationes frequentiſſimè in partes alias vt pectus, ventrem, & renes. Quare ſi quæ vel exigua excrementoſi capitis ſignificatio eſt, in morbis thoracis, aut diarrhœis, aut frigidis renum morbis, conſultum eſt caput purgare. Atqui hæc rurſum fuit alia cauſa interdicendi vini huic ægroto, ne repleretur caput, repletumque in ventrem & alias partes refunderet.

ANecheti filio hæc contigerunt. Per hyemem in balneo cùm ad ignem inungeretur, calefactus eſt & ſubitò in conuulſiones comitialibus ſimiles incidit. Poſt autem ſatis multas conuulſiones circumſpexit, non erat apud ſe, poſtquàm verò ad ſe redijt, rurſus ſequenti die mane conuulſione correptus eſt, ſpuma non valdè apparuit, & tertiâ ἀκροσπ, ideſt, inarticulata fuit loquela, & quartâ ſe velle loqui linguâ ſignificabat: quinta loqui non poterat, ſed in principijs nominum hærebat, in quinta etiam lingua admodum hæſitabat, & conuulſione corripiebatur, nec ſui compos erat. Cùm autem hæc remitterent, lingua vix in ſuum ſtatum reſtituebatur: ſexta cùm ab omnibus abſtinuiſſet, etiam à ſorbitione & potu, nihil amplius accepit.

Hic puer ſex dies colluctatus, vt ita dixerim, cum epilepſiâ, nunc plus nunc minùs excutiens humorem, prope oppreſſus. Poſtremò mortuus eſt conuulſus totus, aut apoplexiâ occupatus, vtrumuis enim fieri potuit iuxta hanc narrationem. Nam dicit die vltimâ, nihil neque cibi, neque ſorbitionis, neque potus accepiſſe ampliùs, quod aut conuulſis cum aliis omnibus muſculis etiam gulæ, aut reſolutis omnibus per apoplexiam fieri potuit. Conſideranda verò hic occaſio, quæ in homine parato haud erat exigua, nimirum calore fuſa & commota excrementa in cerebrum irruerunt. Vt hinc conſtet, eos qui ad periculoſas fluxiones ſunt parati, arcendos eſſe à multo igne, & longa mora in balneo, & ob eandem rationem in ſole.

CLeocho ex laſſitudinibus & exercitijs cùm melle per aliquot dies vteretur, tumor ad dextrum genu exortus eſt, magis autem ad infernam partem circa tendines qui ſunt ſub genu. Circuibat aliquantulum claudicans, & poplitis tumor cum duritie aderat, qui vſque ad pedem & ad malleolum dextrum extendebatur. In gingiuis etiam iuxta dentes magni tumores velut acini vuæ, liuidi erant, denigrati, doloris expertes quando non comedebat, nec crura dolebant niſi exurgeret. Venit etiam in ſiniſtram partem tumor, verùm minùs lineſcebat. In tumoribus circa ge-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 426 sur 489

nua & pedes quædam velut ſuppurationes erant: poſtremò autem ſtare non poterat, nec calcaneis inſiſtere, ſed in lecto iacebat. Calores erant manifeſti, aliquando cibum auerſabatur, non admodum ſiticuloſus, neque ad ſedile exurgebat, anxius erat, & aliquando puſillanimitate tenebatur. Helleborum ad capitis purgationem eſt exhibitum. Ad os medicamentum ex thuris polline quibuſdam alijs admixtis contulit, ad vlcera oris ſorbitio ex lente conueniens erat. Circa ſexageſimam ſubſederunt tumores poſt veratrum ſecundò exhibitum. Dolores tantùm in genua decumbenti aduenerunt. Humor autem & bilis abſceſſit in genua, multis etiam diebus ante ſumptum helleborum.

Nihil refert ſcire, an hic Cleocus, & ille qui paulò antè dicitur febricitaſſe, idem ſit an alius: certè eſt alius homo, aut eiuſdem alius morbus. Haud eſt diſſonum cenſere ob morborum analogiam & naturam, eundem eſſe hominem, eumque iuuenem naturâ calidum, talibúſque morbis opportunum, etiam à talibus cauſis lædi: nam anteà dicebatur laboraſſe pleuritide & febre, nunc ab exercitiis & melle læſus eſſe, ambo verò hæc ex calore procedunt. Sed hoc habeat vtcunque, quæ nunc eſt in manibus hiſtoria enarretur. Læſus eſt his exercitiis & mellis vſu, atque tumores magnos & liueſcentes contraxit in cruribus, dextro primùm, deinde & ſiniſtro, & in ore circa dentes tubercula, pro loco quidem magna, & liuida, nigricantia, & primùm quidem hæc ambulans paſſus eſt, deinde verò cùm malum creſceret, neque pedibus poſſet inſiſtere, decubuit, & febricitabat tunc temporis iam aliquando. Quomodo læſus in hos morbos ab his cauſis inciderit, ipſe non dicit, licet tamen coniectare ex iis quæ dicit. Nimirum tumorem color melancholiam præ ſe ferebat, melancholia verò exercitatione & melle non aliter fit, quàm ſanguine exuſto, itaque læſus eſt, quòd motus nimius & mellis vſus ſanguinem vſſerint, atque fecerint multùm atræ bilis, quam naturâ ad debiles & extremas partes trudente, facti ſunt tumores dicti, in ore circa gingiuas ob partis debilitatem, & in cruribus quòd ſint partes extremæ & humiles: primùm verò in dextrum crus, & in gingiuas, quòd arbitror ambæ hæ partes, altera quidem ſupernè, altera infernè rectitudinem habeant cum hepate, quod à calidis cauſis læſum eſſe præ aliis viſceribus eſt conſentaneum: deinde verò etiam in ſiniſtrum, ob redundantiam ſucci aucta in omnes partes fluxione. Atteſtatur huic coniecturæ etiam ſanatio. Nam ſanatus eſt homo repetito hellebori vſu, quem melancholicæ cacochymiæ eſſe conuenientiſſimum conſtat: ſed & morbi diuturnitas idem indicat. Si enim bilioſi aut ſanguinei fuiſſent tumores (à pituitoſis enim longè aberant) ante quadrageſimam eſſent diſſoluti, durauerunt verò vltra ſexageſimum. Ex tuberculis illis facta ſunt etiam vlcera in ore: ad quæ dicit contuliſſe medicamentum ex manna thuris cum aliis permiſtum: velut fortè, cum myrrha, croco, & maſtiche, aut poſtremo iam tempore, aliquo alumine, in medicamento ex moris, aut ex nucibus, aut ſucco aliquo adſtringente. Nam ex his & aliis huiuſmodi parari ſtomatica medicamenta, docuit Gal. diffusè 6. lib. de compoſ. med. ſecund. locos. Illud ſolum in tota hac dictione non placet, ſorbitionem ex lente conuenientem eſſe, eam ſcilicet, quæ græcis veteribus vocabatur φακησιόσιτον, neque quidem ego huic à ſorbitione vti permiſiſſem, neque omninò lente in cibis, quia ſuccum melancholicum generat. Sed percurramus verba omnia. Cleoco (inquit) ex laſſitudinibus & exercitiis, cùm melle per dies aliquot vteretur, tumor ad dextrum genu exortus eſt, magis autem ad partem infernam circa tendines ſub genu: circuibat, hoc eſt, ambulabat per vrbem ſubclaudicans, & poples intumeſcebat, & durus erat, & vſq; ad pedem & malleolum dextrum producebatur tumor ille dur⁹: & in gingiuas iuxta dentes eruperunt magna quædam tubercula, vt acini vuę, liuida, denigrata & ſine dolore niſi quum comedebat, & crura etiam erant ſine dolore, niſi exſurgeret. Reddit cauſam ob quam dicit crura intumuiſſe, cum anteà ſolum dextrum ſit dictũ tumidum fuiſſe, dicens, venit n. etiam in ſiniſtrum tumor, minùs autem liueſcebat. Itaq; liueſcebat etiam tumor vtriuſque cruris, non verò erat denigratus, velut tubercula oris: quoniam verò non dolebant niſi mota, conſtabat fluxionem in eas partes non niſi lentè fieri, & quoniam tumores erant duri, & dolentes ſi mouerentur, neque aliter conſtabat eſſe inflammationes ſcirrhoſas: quamuis poſtremæ partes tumorum crurum, ſupremæ ſ. quæ ad genua, & imæ quæ ad pedes, haberent velut ſuppurationes, hoc eſt, vndatim motũ quẽdam, ſiue ſuccum, ſiue flatum (ita enim fieri conſueuit) ita vt ambigeretur an eſſent ſuppurationes. Poſtremò, hoc eſt, cùm iam crurum morbus multò creuiſſet, iam non poterat ſtare, neque calcaneis inſiſtere, ſed iacebat in lecto. Calores manifeſti, hoc eſt, erant iam tunc temporis febres aliquę manifeſtę, putreſcentibus, arbitror, iam ſuccis intra corpus; quam etiam ob cauſam aliquando tanto tenebatur faſtidio, vt cibum omninò non caperet, non tamen erat valdè ſiticuloſus. Fortè quòd excretâ atrabile ad externas partes, pituita circa fauces & capitis partes abundaret. Erat verò tunc adeò impotens, vt neque ad ſedile ſurgere poſſet. Tantùm aberat, vt poſſet ambulare. Erat anxius, & nonnunquam puſillanimis, quę duo attrabiliariis morbis adeſſe ſolent. Quam ob cauſam exhibitus eſt helleborus bis, & factę ſunt capitis purgationes per caput purgia, vt ſ. à pituita purgaretur cerebrum, atque purius fieret, & robuſtius etiam & minùs melancholicis paſſionibus opportunum. Idonea medicamenta parata ſunt ori, quæ iam deſcripſim⁹: & in cibis dabatur ſorbitio ex lente, quã non probauimus. Non narrauit, quibus morbi diebus actæ ſint expurgationes, conſtat tamẽ ambas fuiſſe ante ſexageſimam. Nam ſexageſimâ poſt exhibitum ſecundò helleborum ſubſederunt tumores. Venerat verò in genua humor & bilis, hoc eſt, bilioſi ſucci fluxio etiam ante primum veratrum, quam fluxionem in genua, quę poſtremò facta eſt (nam quę principio

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 427 sur 489

inceperat, fuerat potiùs infra genua circa tendines) indicauit dolor, qui omninò maximè ac poſtremò afflixit. Nam venerunt decumbenti ad genua dolores. Hoc eſt, ex quo decubuit, collegerunt ſe dolores in genua. Neque mirum. Nam morbi huiuſmodi ex craſſis & contumacibus ſuccis in articulares dolores finiri ſolent.

A

Piſiſtrato deambulanti & alioqui ſano humeri dolor & grauitas diuturna accidit. Hyeme verò incidit magnus lateris dolor, & calor, & tuſsis, & exſcreatio ſanguinis ſpumoſi, qui etiam in faucibus ſtertorem excitabat, facilè autem morbum ferebat, & ſui compos erat, & calor remiſit, ſimúlque exſcreatio, & ſtertor, & circa quartam aut quintam diem ſanus euaſit.

Typus hic eſt pleuritidis maximæ, & acutiſſimæ exactè, ſimulque ſalutaris. Nam ſpeciem indicat ſyndrome ſignorum, doloris ſcilicet, febrilis caloris, tuſsis, & reſpirationis difficilis (pulſus enim rarò meminit Hippocrates.) Magnitudinem verò, horum magnitudo. Quippe dolor erat magnus, & reſpiratio adeò difficilis, vt eſſet etiam ſtertoroſa, par autem eſt, & febrem & tuſſim magnam fuiſſe; acuriem & exeuntia mox apparuiſſe, ſiquidem mox fuit excreatio ſanguinis ſpumoſi, & tam breui ſolutum eſſe morbum, ſiquidem circa quartam aut quintam. Salutarem verò futurum tantum morbum, etiam ante exitum licebat agnoſcere: ex bona morbi tolerantia, & conſtantia mentis. Nam etiamſi ex pleuritide ſoleant cum mentis conſtantia mori, non tamen ex adeò acutâ, quia quæ tam breui eſt interemptura, non rarò eſt coniuncta cum peripneumoniâ, quæ cum lethalis eſt plerumque mentem lædit.

B

Simonis vxori in partu concuſſæ dolor circa pectus & latus exortus eſt, tuſsis accidit, & febres, & exſcreationes purulentæ aderant, phthiſis quæ etiam conſtitit, & per ſex menſes perſeuerauit febris, & ventris profluuium ſemper, tandem ceſſauit febris, aluus eſtritit, ſeptimâ die poſt ceſſationem mortua eſt.

Hæc eadem hiſtoria occurrit in calce libri 5. etſi præterito mulieris nomine, & quia quibuſdam etiam aliis voculis diſcrepant lectiones, ego hanc illùc tranſtuli, & ibi enarraui.

E

Vxor etiam Euxenÿ ex calidis fomentis ægrotare viſa eſt. Calores nunquam deſinebant, magis ſub veſperam intendebantur, ſudores toto corpore dimanabant. Cùm febris eſſet incrementum acceptura, refrigeratio pedum, aliquando etiam tibiarum & genuum accidebat, tuſsiculâ ſiccâ modico tempore vexabatur, quum febris exacerbari incipiebat, deinde ceſſabat. Per multum autem tempus totius etiam corporis rigor accidit, ſine ſiti ſemper fuit, cùm medicamentum potaſſet & ſerum, magis læſa eſt. Ab initio nullius partis dolore afficiebatur, & facilè ſpirabat, dimidiato autem tempore lateris dextri dolor obortus eſt, & tuſsis commota, & anhelatio, & exſcreationes exiguæ, albæ, & aliquantùm tenues, nec amplius horror à pedibus, ſed à ſpina & dorſo incipiebat, & aluus liquidior erat. Febris cum multo ſudore remiſit, & perfrigerata eſt, anhelatio verò varia erat, mortua eſt ſeptimâ poſt dimiſſionem die mentis compos.

C

Haud dubiè eſt hæc narratio mutila, deſuntque in ipſo initio nonnulla verba. Quæ enim oratio imperfectior quàm illa, καὶ ἡ Εὐξένου οὐκ πυετήσιος ἐδόκει? Quid enim ἐδόκει? Certè deſunt multa, non enim aptè conhærere his poſſunt verba quæ ſequuntur, niſi interponantur multa, quibus narretur modus, quo cæperit mulier à calidis fomentis læſa ægrotare. Vanum eſſet velle diuinando ſupplere omnia quæ deſunt, ſatis ſit interpretari, mulierem hanc læſam eſſe vſu calidorum fomentorum, & ob eam cauſam cœpiſſe febricitare, & qualiſcunque fuerit initio febris typus, euaſiſſe talem, qualis ſequentibus verbis deſcribitur. Ex quibus omnibus ego coniecto, ob calidorum fomentorum vſum, excitatam eſſe fluxionem à capite, plenúmq; illud fuiſſe excrementis, ſimulque inde refuſam eſſe in infernas partes fluxionem, & ob putreſcentiam excrementorum excitatas febres. Nam rheumaticis febribus familiare eſt, ob pituitoſam plerunque materiam, ad veſperam ſingulis diebus ingraueſcere, & cum tuſſicula incipere: quæ incipiente diſtillatione ſimul cum febre fit, & aucta deinde febre ceſſat: familiare etiam eſt talibus, habere rigores inordinatos, & per multum tempus, quòd decurrentia excrementa attigant ſentientes partes: & ſine ſiti eſſe, hanc enim ob cauſam dicit Hipp. ſiti carere eos febricitantes, quibus eſt tuſſis leuiter irritans. Talibus etiam ſuccedere pleuritis ſolet, hærente in latere fluxione, vt huic eſt factum dimidiato morbi tempore, cùm à principio nulla parte doluiſſet, & bene ſpiraſſet, vtpote fluxione, neque ſpiritalia inſtrumenta eò vſque occupante, neque alicubi hærente, ſed diffuſa, & diſperſa indolenter. Pleuritidis verò ſigna fuerunt, lateris dolor cum febre (nam hæc, vt dictum initio eſt, nullo tempore definebat) & tuſſis denuò mota, & anhelatio. Fuerunt verò huic mulieri à principio duo, quæ eam meritò adegerunt in exitium, multa humorum copia, & naturalis caloris debilitas: illam indicabant ſudores, qui ab initio in totum corpus diffundebãtur: hanc refrigeratio magna pedum, tibiarum, & genuũ; ob has cauſas pharmaci expurgantis & ſeri vſus nihil contulit, ſed potiùs læſit, quia neq;

D

F

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 428 sur 489

tanta copia, præcipuè cùm eſſet cruda, cedere neque tam exigua facultas bene ferre poterat. Hinc factum eſt, vt pleuritis nunquam coqueretur, neque excreationes fierent, niſi exiguæ, candidæ, & tenues: ſed calore partim ſuffocato, partim cum euacuationibus exoluto, cùm ſublata videretur eſſe febris, mulier morcretur. Debilitatẽ caloris naturalis, poſt excitatam pleuritidem, indicabat horror non iam à pedibus, ſed ab ſpina & dorſo incipiens. Aluus verò liquidior facta (quæ euacuatio morbis thoracis, in raris quibuſdam naturis non eſt aduerſiſſima, vt in ſcholijs libri ſexti de locis patientibus indicauimus) & multus ſudor febrem ſimul cùm naturali calore ſubſtulerunt, & perfrigerata eſt mulier. Anhelatio verò, quæ extremam perniciem indicabat, non deſiit, ſed erat varia, vt fieri ſolet in moribundis, nunc facultate extremis conatibus mouente, nunc concidente: mortuaque eſt ſeptimâ die poſt ceſſationem febris, ex quo inquam perfrigerata eſt, mente conſtans, vt ſcilicet mori plerique ſolent ex pleuritide, & quicunque ob caloris naturalis extinctionem. Fiunt enim hæc magna ex parte ſine læſione ſuperni principij.

VXor Polemarchi æſtate febricitare incepit, die autem ſextâ ipſam dimiſit febris, poſteà verò morbum trahebat, ſub noctem calor intendebatur. Rurſus autem quæ intermiſerat febris corripuit, nec tribus ferè menſibus reliquit, tuſsis multa aderat & pituitæ excreatio. Cùm verò ad vigeſimum diem peruenisſet, ſpiratio ſemper erat crebra, in pectore ſtrepitus, plerumque ſudore diffluebat, mane mitior erat febris, & horrores quandoque corripiebant. Somni aderant, aluúſque aliquando humectabatur, rurſúſque ſiſtebatur, ſapiebat illi cibus moderatè. Dimidiato autem tempore ad genua & tibias dolor accidit, atque vt flecteret & extenderet, alterius opera indigebat. Perſeuerabant crurum affectiones vſque ad finem iam inſtantem & pedes ad tibias vſq; intumuerunt, atq; ſi tangerentur dolebant, & ſudores rigoréſque deſierunt: febris autem ſemper intendebatur. Ante mortem vero aluus effuſa eſt, mentis compos permanebat, tribus autem diebus ante obitum ſtertor in faucibus audiebatur, rurſúſque reuertebatur. Mortua eſt.

An hæc ſit alterius Polemarchi vxor, an eiuſdem vxor altera, an eiuſdem alio tempore & alio morbo laborantis eadem hiſtoria, aut diuerſa ab ea quæ narrata eſt in hoc ipſo libro, nihil refert diſputare, neque eſt vlla ratio, quâ ſcire poſſis: ego ob mariti nomen ſuſpicor eandem eſſe, & quòd habeat etiam hic morbus neſcio quid ſimile illi, & quòd in ſimilem naturam poſſit cadere. Illic enim dicebatur eſſe illi ſtrepitum ex pectore, velut engaſtrimythis. Hic dicitur in pectore flatus. Subit his lectis ſuſpitio, fuiſſe mulierem quampiam flatuoſam, & cui ſtrepitus in corporis cauitatibus frequenter fierent. Sed hoc habeat vtcumque, præſens enarretur hiſtoria, ex quâ palam fit, mulierem ex ſuppuratione eſſe mortuam: habuit enim maximam partem eius ſyndromes, quam Hippoc. deſcripſit in prognoſtico, dicens omnes ſuppuratos ex his ſignis cognoſcere oportet, primum quidem ſi febris non dimittit, ſed per diem quidem tenuis eſt, noctu verò vehementior, & ſudores multi oboriuntur, tuſſeſque, ac tuſſiendi cupiditas ipſis adeſt, & nihil memorabile expuunt: & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum curuantur, digiti verò caleſcunt, & potiſſimùm ſummi: & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & puſtulæ per corpus enaſcuntur. Conſtat horum plurima adfuiſſe vxori Polemarchi, ſiquidem febris eam non dimiſit ferè tribus menſibus, & mane febris fiebat mitior, vt quæ noctu fuiſſet vehementior, & erat plerumque cum ſudore, & tuſſis erat multa: & intumuerunt pedes vſque ad tibias. Neque enim quia non narrantur alia omnia, habuiſſe vtpote oculorum cauitatem, & maxillarum ruborem, & vnguium curuitatem, & ſummorum digitorum calorem, & ciborum inappetentiam, & puſtulas, proinde negandum fuiſſe ſuppuratam: nam & ipſe Hippocrates eodem loco dicit, non quaſcunque ſuppurationes ea habere ſigna omnia, ſed valdè diuturnas. Quæ verò (inquit) breues ſunt, ex his ſignis cognoſcere oportet, ſi quid apparuerit ex his quæ in principijs fiunt. Simul autem & ſi aliquantò difficiliùs ſpirauerit homo. Itaque dicit cognoſci nondum diuturnas ſuppurationes, ex horum aliquibus, & difficili ſpiratione. Huic verò exactis viginti diebus, ex quo febris non intermiſit, ſpiratio erat ſemper crebra, qualis ſcilicet eſſe ſolet ſuppuratis, ob putredinalem calorem, & anguſtiam ſpiritalium cauitatum. Neque obſtat quominùs ſuppurata eſſe putetur, & excreaſſe cum tuſſi aſſidua pituitam. Nam & ſi qui ex inflammationibus ſolent fieri ſuppurati, tuſſim ſolent habere aridam, donec pus erumpat, tamen qui ex copioſo catarrho, aut multa pituita iuxta latera putreſcente fiunt tales, ſolent cum tuſſi, incipiente vel etiam inſtante ſuppuratione, excreare pituitam, non tantam vt perpurgentur, ſed quæ redundantiam indicet. Hanc verò non dices ſuppuratam ex inflammatione, vt pleuritide, aut peripneumoniâ, ſi quidem à nullo horum incepit, ſed ex febre pituitoſâ, per quam maxima pituitæ putreſcentis copia collecta eſt in ſpiritalibus partibus. Quod primùm indicauerunt, ſpiratio crebra, tuſſis, & excreatio pituitę, poſtremò tribus diebus ante mortem ſtertor in faucibus, qui tribus illis diebus nunc fiebat, nunc concidente facultate ceſſabat, nunc rurſus reuertebatur, explicante facultate vires extremas, donec mortua mulier ſit. Horrores qui quandoque corripiebant & ſomni ſatis iudicabant febrem eſſe qualem diximus, putà pituitoſam & catarrhoſam, à qualibus ſuppuratos fieri diximus ſolere, eſtque rationi conſentaneum. Suppurata verò cùm eſſet, ab alui humectatione, quæ primùm quidem fiebat, & ceſſabat alternatè, ante finem verò facta eſt copioſè, cóſtat debilitatam eſſe maximè, & in citam

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 429 sur 489

©BIUM

mortem act. m. Siquidem rectè in morbis omnibus thoracis, magis autem in ſuppuratione, & tabe, vituperatur ad Hippocrate. Illud habuit rarum, quódque per tales morbos fieri non ſolet, appetentiam moderatam cibi. Hanc fortaſſe ſeruauit aliquid accidi ſucci circa os ventriculi conſiſtens: ſed ea quoque procedente malo periit. Habes, præter dicta, in hac hiſtoria accommodatiſſimum exemplum infidelitatis ſextæ diei, quam tantoperè Galen. celebrat. Nam dimiſit ipſam febris die ſextâ, rediit verò poſteà longa, difficilis iudicationis, & maligna. Nam durauit plus quàm tres menſes, & tentauit natura abſceſſus fruſtrà dimidiato morbi tempore in genua & tibias, & poſtremò tabeſcens mortua eſt.

EGeſipolis puerulus quatuor ferè menſes circa vmbilicum dolorem habuit corrodentem. Progreſſu autem temporis dolor intendebatur, percutiebat ventrem, vellicabat, calores corripiebant, tabeſcebat, oſſa ſupererant, pedes tumeſcebant, teſtes, (quæ circa vmbilicum ſunt ventris partes inflatæ erant & laxæ, quales ijs quibus inſtat ventris conturbatio) cibos faſtidiebat, lac ſolùm accipiebat recens, & aluus liquida erat, & ſanies ſubcruenta & fœtida ſubijt, venter ardebat. Mortuus eſt vbi vomuiſſet pituitoſum quid exiguum & paucum, ita vt genitura eſſe videretur.

Si quidem rectè dicitur ab Hippocrate in aphoriſmo 22. ſect. 7. à dolore diuturno partium circa ventrem, ſuppuratio ſuperuenit, meritò cenſebis, huic puero factum eſſe in ventre tumorem aliquem præter naturam, qui cùm ab influxu humorum corroſiuorum inceperit, in ſuppurationem finitus ſit. Fuerunt autem illi ſucci cum ſanguine permiſti, aut ſalſa pituita, aut bilis amara, vel acida, vel horum duo, aut plures, denique qui corrodere poſſent. Habuit ferè quatuor menſes corroſiuum dolorem. Species verò talium ſuccorum ab exeuntibus cognoſci poterat. Suppurationem ſubſequutam (præter dictam ſuſpitionem) indicauit ſanies cruenta mali odoris, quę poſtremò effluxit, qualis ſcilicet ex tuberculis prauè ſuppuratis ſolet effluere. Malam verò fuiſſe materiæ alterationem, & pro bono pure prauam ſaniem factam eſſe, non mirum. Nam & malignum fuiſſe ſuccum, qui eam effecit affectionem, indicauit maligna corporis affectio: nam & corpus ſiccans colliquauit, & naturalem calorem extinxit. Illud oſtendit illa corporis tanta labes, vt ſola oſſa relicta viderentur: hoc pedum & teſticulorum intumeſcentia, qualis debilitatâ concoctrice in hepate ſolet futuris iam iam hydropicis accidere. Fiebat interim faſtidioſus, adeò vt vix vllum cibum capere poſſet, quod ſignificat nomen ἀπόσπας, quo hic vtitur. Quod etiam malignam affectionem indicare, celeberrimum apud Hippoc. eſt. Certè ſolum accipere poterat lac recens mulctum, quod arbitror dabatur, quia vt in aphoriſmis dicitur, confert tabidis non valdè admodum febricitantibus. Facta eſt itaque vt coniecto, ſuppuratio maligna, & ignei caloris ſoboles, naturalis autem perexigui. Hinc factum eſt, vt aluus vreretur, exeunte ſanie cruenta, & grauiter olente. Quapropter exeſis, vt par eſt, internis partibus, mortuus eſt. Excreuit vomitu iam iam moriturus magnâ vi exiguum quiddam pituitoſum, genituræ perſimile: quod certè fuit pituita ſalſa igneo calore denſata, & excocta, aut fortè ex interna ac pingui ventris parte deraſa particula. Quid enim, in ventris corruptione lethali non eſt probabile? Verba illa (ventris partes quæ circa vmbilicum ſunt inflatæ erant & laxæ, quales iis quibus inſtat ventris conturbatio) mihi videntur interiecta. Nam vt ex ipſa phraſi conſtat non tam continent narrationem vllam, velut reliqua quibus adiacent, quàm prognoſticam aſſertionem: ea proinde ego lineis concluſi, & tranſiliui ſeorſum excipienda, ac per ſeſe narranda, quod iam faciam.

Γαστρὸς τὰ περὶ ὀμφαλὸν πεφυσημένα ἀσαιὰ, οἷσι μέλλουσι κοιλίαι ἐκταράσσεσθαι.

Significatur his verbis, quamquam phraſis ſit duriuſcula, partes circa vmbilicum flatuoſas & laxas portendere ventris turbationem. Venter ſanè inflari & diſtendi potiùs ſolet cum alui ſuppreſſione in colicis & in tympaniticis, tamen inflatus ſeu potiùs flatuoſus & laxus ſit quibus citò futurum eſt, vt aluus turbetur: eadem ratione quâ murmur hypochondriorum & reliqui ventris prænuntiat alui fluxum. Nam ſit decurrentibus per ventrem humidis & flatuoſis excrementis, ſolus enim flatus cum fæcibus aridis inflat & tendit.

PLateæ filio iamiam morituro capitis ſutura valdè excauata eſt. Cùm autem ægrotaret ſemper manu ſinciput contingebat, præcipuè partem proximam. Non dolebat autem caput, & in ſiniſtro femore ſub inguine ſitæ partes pridie fortaſſe quàm moreretur liuidum quid contraxerunt, teſtes extenuati ſunt.

Ad pedes, aut digitos, aut femora aut exteras aliquas partes, oriri liuores iamiam morituris, & teſtes reuelli, aut etiam gracileſcere, ex iis quæ ſcripta in prognoſtico ab Hippocrate ſunt, conſtat. Ibi enim ita ſcriptum eſt, teſtes & pudenda reuulſa dolores fortes ſignificare, & periculum lethale. Fit verò per reuulſionem teſtium extenuatio, vt vix appareant vlli. Sed & verè extenuantur moribundis, quia in iis qui bona fruuntur valetudine tument copiâ vitalium ſpirituum, quibus per extinctionem caloris vitalis deficientibus accidit contrahi, ac veluti conſumi. De liuoribus quoque ibi ſcriptum ita eſt. Si digiti ac pedes omninò nigreſcant, minus pernicioſi ſunt, quàm ſi liueant. Itaque liuo-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 430 sur 489

res externis partibus facti mortis imminentis præbent significationem. Illud verò aliud, quod in capite accidit iam morituro, rarius est, quod scilicet sutura coronalis excauata est dehiscentibus ossibus. Eam verò esse suturam, quam nunc vocat suturam capitis, intelliges ex iis quæ addit. Nam quasi causam eius mirabilis & rari casus insinuans dicit, ἀρ' ῥωστῶν δ' ἀεὶ τῇ χειρὶ κατῆγε κατὰ τοῦ βρέγματος, μάλιστα δ' ὑπόγυον. Bregma significat Hippocrati & Galeno capitis partem, quæ suprà frontem sita est, cuius medium tenet sutura coronalis, ea scilicet quæ recens natis nuda osse est, in qua medulla cerebri videtur subsultare. Dicens ergo contingebat manu bregma, præcipuè proximam partem, intelligit ægrotantem scalpsisse assiduè sinciput, præcipuè proximam partem parti mollissimæ, quà est ipsa sutura, itaque maximè scalpebat supra ipsam suturam coronalem. Consentaneum ergo est hanc ipsam excauatam esse, & ossa à se ipsis desciuisse, ab humore mordaci, qui in eam partem decubuerat, exesis communibus vinculis menyngis duræ, & pericranij, simulque ligamentis siquæ ibi ossa connectunt, aut medio illo cartilagineo glutine quo coalescunt, mirum verò quod dicit, non dolebat capite, cùm assiduè scalperet. Intellige verò non habuisse dolorem alium præter pruritum illum, qui cogebat scalpere, non inquam grauantem, aut tendentem. Quod significat, non adeò multo succo, neque crasso repletum fuisse caput; verùm mordacissimum & exedentem eam capitis particulam occupasse, ac fortasse factam esse corruptionem partium ad internum vsque cerebrum (siquidem puer mortuus est) quæ passio indolens est, quia cum mortificatione fit, & est intemperies habitualis, velut quum ἐσθιομένῳ aut gangrænâ perit pars aliqua, quod sine dolore fieri consueuit.

Similia quoque Hegetoridæ filio contigerunt, & eodem modo mortuus est, præterquàm quòd vomitus plures sub obitum contigerunt.

Similia accidentia apparuisse dicit in hoc, qui etiam mortuus est, atque insuper vomitus multos passus est sub obitum: fieri solere crebrò vomitus per consensum ventriculi cum cerebro; indicant lethalia capitis vulnera, quæ inter cætera vomitibus indicantur.

Hippiæ soror hyeme phrenitide correpta est, mente aberrabat, manibus elaborare videbatur, seipsam lancinabat. Quintâ & sextâ die sub noctem voce destituta est, comatosa, maxillas & labia veluti dormientes inflabat; mortua est septima.

Huic factus est in caput impetus humorum adeò magnus, vt primùm mentem læserit, feceritque aberrare, hoc est, plurimùm insanire, deinde & in corpus repserit, obstructóque cerebro comatosam fecerit affectionem, & aphoniam ac postremò suffocauerit. Nam respiratio illa pessima, quâ maxillæ & labia inflantur, vt quibusdam inter dormiendum, species quædam est respirationis sublimis, quæ iam iam suffocari hominem indicat, fitque plerumque cum quodam strepitu, vt antequam accedas ad ægrotantem, sentias eum suffocari, & magna ex parte qui ita spiratur frigidus spiritus est, vt qui naribus. Interim, succis alioqui malignis irruentibus in membra præcipua, erat mulier anxia, & suis se manibus velut lancinabat. Vbi enim hi rapidi adeò & magni impetus aguntur (nisi omnino fiant repentè) & euenit quosdam vel momento cadere sine sensu & motu, vagantur agitata per corpus excrementa, antequàm in vnum aliquod firmentur membrum, atque viscera reliqua mordent, & cor angunt, & neruorum radices irritant, vnde inquietudines, anxietates, & inordinatæ aut etiam conuulsoriæ artuum motiones. Phrenitis rarissimè inuadit à principio, sed superuenit febri ardenti, aut alteri morbo acuto, quare est superueniens symptoma & lethale, quæ verò talia sunt quò superueniunt citiùs, eò morbi constitutionem breuiorem indicãt. Meritò ergo mulier tam breui est mortua, cùm intra primum quaternarium fuerit phrenitica, ac nescio an à principio, cùm tam citò alia & alia superuenerint signa perniciosa.

Asander vbi horruisset correptus est lateris dolore, qui ad genua & femur peruenit, vbi comedisset delirabat, breui mortuus est.

Quod dicit φαγὼν παρεφρόνει nihil aliud est, quantùm intelligo, quàm comedere delirè, tumultuariè scilicet, ac multùm sese ingurgitantem: quod quidem in illis fieri scimus, qui præ facultatis vitalis langore deficiunt. Atque eandem ob causam reliqua omnia huic accidisse est consentaneum. Horror enim quum debilis facultas est, ab exigua quacunque causa fit, siquidem est remissus rigor, hic verò est passio calidi innati. Atque adeò cum facultate extremè debili, horrere magis possunt homines quàm rigere, cùm sit hic motus vehementior. Dolor lateris partium cordi proximarum significare poterat angustiam (æquum autem est in tam pessima syndrome, in pessimas causas referri omnia) dolor genuum, ac femorum, ac omninò crurum accidere solet moribundis, quòd sui illis artus, velut à facultate destituti, sint oneri, velut in prognostici commentariis exposui. Itaque ob caloris naturalis defectum mortuus est hic breui.

Cleotimo sutori cùm aluus diu liquida fuisset & calor accidisset circa hepatis regionem, tumor tuberculo similis ad hypogastrium descendit, & aluus humectabatur, & alterum ipsi tuberculum circa superiorem hepatis regionem ad hypochondrium exortum est, mortuus est.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 431 sur 489

Maxima intemperie, & vitioſorum ſuccorum redundantiâ laboraſſe huius hominis hepar conſtat, & ex alui profluuio, & ex tuberculis quæ illi oborta ſunt ſuper hepate, & paulò infra ſecundum hepatis rectitudinem. Nam tubercula omnia, quæ in quauis partium externarum naſcuntur, ad vitium eius viſceris quod è regione eſt, referuntur: velut ſi in inguine dextro, ad hepar; ſi in ſiniſtro, ad lienem; ſi poſt aurem, ad cerebrum. Multò ergo magis ſi in hypochondrio dextro, aut hypogaſtrio dextro, reijci debet in hepar. Atque cùm accederent deiectiones aſſiduæ & calidæ, hepar quæ in ſe redundabant pellere certum erat. Quod, cùm euacuatio non eſſet decretoria, maximæ ſignum erat redundantiæ & facultatem ſuperantis. Conſentaneum ergo, hunc hepatis corruptione mortuum eſſe, qui fuiſſet multâ & repetitâ euacuatione curandus, cum miſſione ſanguinis ſecundum hepatis rectitudinem; tum repetita expurgatione per medicamenta, pariter expurgantia & extergentia, ac roborantia, velut exempli gratiâ, rhabarbaro, ex ſero, aut potione ex cichorio & hordeo: aut agarico, aut vtroque ſimul vt ſpecies exeuntium poposciſſet.

Qvibuſdam grauis capitis dolor cum calore accidit, quibuſdam quidem ad dimidiam capitis partem, & per nares humidum quiddam, tenue, aut coctum; aut in aures aut in fauces ex capite ſecuriùs ſecedit, quibuſdam autem hæc ſicca ſunt. At ſideratio (vel crudor) grauis periculum infert. Si autem accedat vomitus anxietatem pariens & bilioſus, aut oculorum ſtupor, aut vocis interceptio, aut rara loquela, aut delirium quoddam; mors & conuulſio portenditur. Quicunque autem ex catarrho dimidiati capitis dolore afficiuntur, & per nares humore exeunte inſuper moderatè febricitant, quintâ aut ſextâ die perfrigerantur.

Capitis dolor grauis; ideſt, moleſtus, & magnus cum calore, ſiue totius capitis, quem dicimus cephalalgiam, ſiue alterius capitis, quem dicimus hemicraniam, ſignificat affectum phlegmonoſum internarum partium capitis. Quod quidem accidit ſæpe ex catarrhis calidis: vnde duo ſunt exitus, aliquando enim expultrix cerebri facultas valet ſeſe expedire per propria cerebri emunctoria, quæ ſunt nares, aures, & palatum, & excernit ſuccos, nunc tenues aquoſos qualcs redundant, aut ſanguinem, & ita quoque cerebrum ſubleuat: nunc excernit ſuccos coctos, vt pituitam craſſam, aut pus. Aliquando paſſio eſt adeò cruda & ſicca, vt ſicca ſint omnia hæc, hoc eſt, nihil excernatur omnino, neque per nares, neque per palatum, neque per aures. Primum quidem illud ſecurius eſt, hoc verò vltimum periculoſum. Nam vt dicitur in aphoriſmo decimo ſectionis ſextæ, Dolenti caput, & A valdè dolenti, pus aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut per os, aut per aures, ſoluit morbum. Nimirum ex aquoſo ſucco, aut ſanguine tales dolores capitis catarrhoſi, ſiue ſecundum totum, ſiue ſecundum dimidiatum caput fieri conſueuerunt. Sanguis verò nunc in pus vertitur, nunc manet inſuppuratus. Idonea emunctoria cerebri ſunt illa. Euacuari igitur ſuccos tales in eo morbo per partes illas, eſt euacuari qualia oportet, & per conuenientes regiones, quare ſecuriùs multò erat illud, quàm per tales B capitis paſſiones, ſicca eſſe omnia emunctoria. Tunc enim periculum eſt, ne cerebrum ſphaceletur, hoc eſt, cortumpatur. Nam affectus magnus, vt phlegmonoſus, qui neque matureſcit ſuppuratus, neque vincitur reſolutus, mortificationem afferre parti ſolet, quæ in carnoſis & mollibus gangræna vocari ſolet, in oſſeis ſphacelus. Aliquando verò indiſtinctè vtitur Hippocrates his nominibus, velut hic & in aphoriſmo quinquageſimo ſect. 7. ſphacelum cerebri corruptionem appellans. Eſt itaque periculum ſphaceli cerebri, vbi grauitas doloris & calor phlegC monoſum affectum indicant, tamen ſicca ſunt omnia emunctoria. Eſt verò id adeò graue periculum, vt eos quibus ita incipit affici cerebrum, in tribus diebus perire dicat loco citato Hippocrates. At ſi non ſphaceletur cerebrum, ſed creſcat malum, neque vllo modo remittat, morietur homo conuulſus. Inflammabitur enim radix communis neruorum. Quum verò in hunc exitum properabit morbus, accedent vomitus bilioſus & anxioſus (ventriculus enim facillimè conſentit cum cerebro, ſiue vulnerato, ſiue inflammato, ſiue vtcunque grauiter affecto, vt in D commentario Aphoriſmi quinquageſimi ſextæ diximus) aut ſtupor oculorum, ac deprehenſio, ſeu congelatio (vtcumque lubet vocare, nam hoc cõuulſione muſculorum mouentium oculos fit) aut aphonia, aut rara loquela, hoc enim etiam ſignificat inſtrumentorum motus impedimentum aut mentis alienationem, aut vtrumque: aut delirium, quod corrumpi iam cerebri temperiem, quâ mens ſeruatur, indicat. Mortalia enim ſunt hæc, & conuulſoria, hoc eſt, ſignificantia E morituram conuulſum. Itaque ſi cui dolenti grauiter caput & cum calore nihil exeat, non eſt affectio ſecura. Si accedat vomitus bilioſus & anxius, aut deprehenſio oculorum, aut aphonia, aut delirium, in magno mortis periculo eſt homo, ac multò magis ſi accedant duo aut plura illorum. Dolores verò capitis, per quos emunctoria humida ſunt, ſecuriores, ac multò magis ſi accedat febris mitis, qui enim ita affecti ſunt, quintâ aut ſextâ die ſolent perfrigerari, hoc eſt, liberari à febre, & omnino à morbo, velut con- F tingebat alicubi per quandam tempeſtatem morboſam, cuius meminit idem Hippocrates in calce libri quinti, dicens. Qui ex deſtillatione ſecundum dimidiam capitis partem dolebant, & humore per nares prodeunte febricitabant moderatè, intra quintam diem perfrigerabantur. Conſtat eum hanc ſententiam ex illa hiſtoria collegiſſe atque idem prorſum dixiſſe hic & illic, hic quidem præcipiens quæ obſeruatione cognouerat, illic narrans quæ obſeruauerat.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 432 sur 489

Echecrati cæco vehemens capitis dolor accidit, præcipuè in posteriore parte qua ceruix capiti connectitur, & ad verticem propagabatur, progressu autem temporis etiam ad aurem sinistram, & dimidia capitis pars dolore afficiebatur. Mucosa semper prodibant moderate combusta, & tenuis calor comitabatur, nec cibum capere poterat, interdiu melius habebat, noctu verò dolebat. Postquam autem pus per aurem erupit, cessauerunt omnia, erupit verò circa hyemem.

Vnum quoddam exemplum est hoc eius quod nuper dictum est. Quibusdam capitis dolor grauis accidit cum calore, quibusdam quidem ad dimidiam capitis partem, & per nares humidum quiddam tenue aut coctum; aut in aures, aut in fauces ex capite securius secedit: & rursum aphorismo nuper citato, quo dicebatur, dolenti caput, & valdè dolenti, pus aut aqua, aut sanguis fluens per nares, aut per os, aut per aures, soluit morbum. Nam huic Echecrati narratur fuisse capitis dolorem grauem, & erumpente per aures pure soluta esse omnia. Grauem autem fuisse dolorem, & ortum ex affectu phlegmonoso, qui etiam suppurauit, indicant symptomata. Nam mucosa prodibant aliquantulum combusta, cum tamen talia non admodum sint combustioni apta, & febricula quædam semper comitabatur, dolor noctu ingraueſcebat semper, quæ phlegmonis eo loco suppurantis signa erant, nec cibum capere poterat, quod ventriculum indicabat compati cum cerebro. Non est autem exigua passio, cuius magna est compassio. Indicauit verò id euentus. Nam erupit ex aure pus. Animaduertit verò Hippocrates erupisse hyeme, insinuans arbitror consentaneum esse eo potiùs quàm calido tempore, eius partis inflammationes in suppurationem abire. Huius verò rei eadem est causa, qua & senibus magis quàm florentibus ætate pus fit in aure. Nimirum vt dicitur in prognostico febres & deliria senibus minùs accidunt, & hac de causa aures anteà suppurantur: ita etiam in hyeme suppurantur magis, quia resoluuntur minùs, & ægri minùs conuelluntur, & & delirant.

Certe in omnibus suppurationibus, & affectibus oculorum, sub noctem dolores contingunt.

Hæc sententiola in quinto libro eisdem prorsus verbis scripta occurrit, vbi & explicata à me est.

Quibus tusses fiunt hyeme, maximè flante Austro, iis crassa & multa excreantibus febres superueniunt, quintâ autem ferè die sedantur, tusses verò circa quadragesimam, vt Egesipoli contigit.

Velut nuperrimè dixit Hippocrates, quicunque ex catarrho dimidiati capitis dolore afficiuntur, & per nares humore exeunte insuper febricitant moderatè, die quintâ aut sextâ perfrigerantur, dixerat verò illud idem historicè in quinto libro, narrans in quadam tempestate ita solitum accidere. Eo modo hoc quoque, quod nunc velut experimento cognitum docet, in quinto libro narrauerat dicens, tusses hyeme grassantur, maximè flante Austro; cùm crassa & multa excreassent, febres superueniebant, quinta autem ferè die sedabantur, tusses verò circa quadragesimam, vt Egesipoli contigit. Atque profectò mihi videtur esse eadem prorsus vtriusque loci doctrina, nimirùm febres mites cum catarrho solere finiri quinque aux sex diebus. Atque suspicor eandem fuisse tempestatem, cuius vtrobique mentio agitur, sed distractis & laceratis verbis factum esse, vt duæ esse viderentur. Nam ex vtriusque coniunctis fit vna satis concinna narratio, ita scilicet. Tusses hyeme maximè flante Austro fiebant, & plerique ex distillatione secundum alteram capitis partem dolebant, & humore per nares procedente, excreantibusque multa crassa & alba, febres succedebant leniter, & quinque aut sex diebus perfrigerabantur, tusses autem circa quadragesimam cessabant, velut Egesipoli accidit. Itaque cùm grassarentur catarrhi magni cum tussi ac hemicrania, ac febre leni, & flante Austro maximè inuaderent, febres quinque aut sex diebus finiebantur, tusses verò producebantur vsque ad quadraginta: ex ea tempestate, ac fortasse aliis obseruando collegit Hip. quod hoc loco docet, fieri scilic. ita solere: oportet verò id præceptum fluxisse ex multis obseruationibus, & deinceps adiuncta ratione confirmari. Obseruationes sunt apud Hippocr. Ratio ex ipsa ventorum & pathematum natura fluit. Non sanè flante Austro fiunt omnino catarrhi magis quàm flante Boreâ, fiunt verò magis quales modò describuntur, cum hemicrania scilicet, aut etiam cephalalgia (nam eadem est ratio) ac febre leni. Nam Austri caput replent, atque eam ob causam eius dolores pariunt: sunt calidi, & calidas fluxiones cient, atque ita etiam febres: Borealis flatus aut nullas facit febres, aut certè acutas, ob phrenitides aut alias internas inflammationes quas generat. Mites ergo quasdam febres cum capitis dolore Austrini potiùs venti generant. Multa etiam & crassa excreari, & emungi citò, in Austrinis catarrhis potiùs euenit, quàm Borealibus, quia calida & humida causa humoris auget copiam, atque vt ad putrescentiam in paratis, ita etiam ad concoctionem facit. Quod verò in talibus tales febres finiantur quinque diebus, paulò plus minusve, consonum quoque rationi est. Nam febres ipsæ catarrhos plurimùm maturant, atque ob id ipsæ se conficiunt citò: tusses verò non statim cessant, sed postquàm perpurgata sunt caput & thorax. In quam expurgationem insumi solent quadraginta dies: tempus scilicet motuum non omnino longorum, quam ob causam & suppurati, vt di-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 433 sur 489

citur in prognoſtico, ſolent tabidi fieri, niſi quadraginta diebus perpurgentur. Ita quoque quibus catarrhi fiunt magni cum tuſſi, ſi tuſſis magna ſupra quadraginta dies producatur, periculum eſt tabis (nam tabeſcere etiam ex catarrhis multos, indicatum antea eſt exemplis non paucis.) Igitur iis qui ita laborant catarrho, excreatio & emunctio multa facit vt nuper dicebatur ſecuritatem, & ſoluentur tuſſes intra tempus legitimum expurgationis thoracis, quadraginta ſcilicet dies.

QVibus calores multi aliquando ſedantur, ijs non toto corpore, ſed circa ceruicem, aut ſub alis, aut ex capite tenui dimanante ſudore ceſſant.

Calores multos fieri, cùm videantur iam antea ſoluti eſſe affectus, non euenit rectè iudicatis, ſed imperfectè & difficulter, vt ſolent iudicari qui non toto corpore, ſed circa ceruicem, aut ſub alis ſudantes, ceſſant. Nam vt dicitur in prognoſtico, ſudores circa caput & faciem & circa ceruicem facti, cum acutâ febre mortem; cum mitiori, morbi longitudinem ſignificant. Itaque nihil aliud hic dicitur, quàm eis morbis, qui ſudore non per totum, ſed circa ceruicem, aut ſub alis oborto ſedantur, ſolere ſuperuenire multos calores modo erratico, cùm ſoluti iam viderentur, quia ſcilicet tales ſudores non iudicant perfectè neque tutò.

CHaritem hyeme ex tuſsicula populariter graſſante febris acuta prehendit, ſtragula reÿciebat, ſopor cum labore aderat, vrinæ erant rubræ, erui loturæ ſimiles, ſubſidentia ſtatim ab initio multa, alba, poſteà verò etiam aliquantùm rubra. Septimâ die ſubdita glande pauca prodierunt, ſopor detinuit nulla afficiens ægritudine, circa frontem mador adfuit, ſomnus ad noctem, & calor mitior. Octauâ ſuccum accepit, comatoſus permanſit vſque ad vndecimam, hac verò die etiam calor maximè ceſſauit. Poſtquàm vero tuſsis adfuit, excreatio ſemper multa perſeuerabat, facilis, primùm viſcoſa, alba, craſſa, poſtquam autem concocta fuit, purulentis ſimilis. Vrinæ ab vndecimâ die puriores, ſubſidentia aſpera, decimatertia dolor exortus eſt in dextra parte vſque ad lateris inanitatem ad imum ventrem protenſus, vrina ſupprimebatur, potus ex Calliphylli decocto contulit. Decimaquinta rurſus dolor exortus eſt. Decima ſexta ſub noctem hypocondrij dolor veniebat magis ad ventrem, mercurialis aqua ſubduxit. Calor intra vigeſimam euanuit, & excreationes comitabantur craſſæ, quadrageſima meliùs habuit.

A Vnus quidam fortaſſe hic etiam fuit eorum, qui febricitarunt per catarrhoſam illam tempeſtatem, in qua & Egeſipolis, tametſi febricitauit acutiùs quàm ille & alij quamplurimi eius tempeſtatis, vt conſtet hinc, quantum interſit febrem eſſe breuem aut acutam. Soluta eſt enim febris Egeſipoli die quintâ: Chariti vigeſimâ, & dicitur ab Hippocrate ille febricitaſſe moderatè: hic acutè. Nimirum ſi abſit eſſentiæ propriæ, & ſymptomatum magnitudo, ac vrgentia, non erit morbus acutus, etſi ſit breuis. Febricula quædam mitis ex catarrho, breuis eſſe conſueuit, acuta tamen non dicitur. Hic verò cùm catarrho habuit febrem viginti dierum, magnam, periculoſam cum ſymptomatis grauibus, pendentem ex multa pituita putreſcente, & ex ſanguine crudiori. Neque verò quia dicit. Ex tuſſicula Epidemiali orta febris, intelligo tuſſiculam cauſam fuiſſe febris excitandæ, ſed ab eadem cauſa ortam eſſe febrem, & tuſſim, hanc verò incepiſſe, & aũcta iam cauſa, & ſucco qui priùs fluebat ſolùm ĩam putreſcente, illam eſſe ſubſequutam: vt illúd, ex, non ſignificet cauſam, ſed ordinem. C Febris ergo acuta fuit, ſiquidem intra viginti dies euanuit, agnoſcebatur verò à principio eius acuties ex ſymptomatum magnitudine. Nam ſtragula reiiciebat, & erat illi ſopor cum labore, hoc eſt, ſopor, qui quietem non afferebat, neque referebat ſomnum placidum, ſed cum anxietate, & inquietudine, vt ſimul ſopore teneretur, & ſtragula reiiceret, & hac & illac ſe conuerteret. Quæ quia magna ſymptomata ſignificabant magnum morbum, & quia talia, & hæc ſignificabant copiam pituitæ non vtcunque putreſcentis. Vrinæ erant rubræ velut erui lotura, D ſignificantes ſcilicet copiam ſanguinis crudioris. Hypoſtaſis ſtatim à principio multa & candida, poſteà verò etiam ſubrubra. Nimirum vt Hippocrates aphoriſmo ſexageſimo nono inſinuat, pituitoſis & ex multa cruditate pendentibus morbis, ab initio vel breui ſubſidentia ineſt, poſteà verò talibus fit quum cruda concoctionis initium recipiunt, ex alba ſubrubra. Nam pituita concoctione in ſanguinem abit, primum crudiorem, deinde & bene coctum. Hanc ob cauſam primis diebus apparens ſubrubra, certiorem ſignificationem concoctionis incipientis præbet quàm E candida, obidque Hippocrat. dixit rubram nubeculam quartâ die apparentem ſignificare iudicationem ſeptimæ. Habuit etiam aluum adſtrictam, quod in magnis catarrhis plerumque vſu venit inter initia, & nocet plurimùm, eſtque malum ſignum. Quia rapi ſurſum partem humidiorem cibi indicat, & retentarum fæcum vapor caput lædit. Ita euenit, vt ſeptimâ die eiectis à glande paucis tamen ſubleuatus ſit. Nam iam inde ſopor detinuit ſine labore, & humiditas erat in fronte, vt non adeò crudo catarrho: & ſomnus ad noctem, & calor mitior. Octaua (inquit) ſuccum accepit, iuxta veterem F ſcilicet conſuetudinem cibandi, qua prima ſeptimana continebantur ſola potione. Equidem in magna cibi abſtinentia contineri laborantes catarrho primis diebus, conſonum rationi eſt, ego tamen non potu, ſed perpauco & ſicco cibo vti ſuadeo. Non enim minus læduntur humidita-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 434 sur 489

te quàm copiâ. Consatosus permansit vsque ad vndecimam (transilit Hippocrates plurimos dies, contemplabilium solùm mentionem faciens) hac autem die etiam calor maximè cessauit. Itaque ab vndecimâ exigua erat febris, & ab hac ipsa vrinæ puriores, non scilicet iam subrubræ, neque perturbationem vllam referentes, sed perspicuæ: non tamen proinde bene coctæ, sed habentes subsidentiam asperam, quod concoctionis defectum indicat, siquidem ad concoctionis significationem desideratur læuitas. Obiter hæc dicens Hippocrates repetit altiùs sermonem, narratque, ex quo tussis fuit (fuit verò ante febrem) excreationem semper perseueraſſe multam & facilem, & primùm quidem lenta, alba, & crassa excreata esse, post concoctionem verò similia puri, alba scilicet & crassa sine lentore. Huiusmodi enim est pus. Redit his dictis narratio ad dies febris. Decimatertiâ dicit fuisse dolorem in parte dextra vsque ad inanem partem sub vmbilico protensum, & vrinam suppressam esse: hoc euenit haud dubiè viis vrinæ obstructis à pituitosis & crassis, quæ sunt deriuata ad inferna: quod quidem verisimile est incepisse fieri ab vndecimâ, atque ob id vrinas puriores apparere cœpisse. Ita autem habere hæc indicauit curatio, vt ipse Hippocrates alibi dicit. Nam potus ex calliphyllo contulit. Calliphyllũ est idem, quod callitrichum, seu adianthum, cui vires esse diureticas omnes fatentur medici, Dioscorides certè dicit. Eius decoctum vtiliter bibitur in vrinæ anguſtiis: excitauit ergo vrinæ fluxum, & ita dolorem subleuauit. Sed euenit hoc loco dubitare, qua ratione vrina reddita sit huic purior ob obstructionem, cum dolor alterum tantùm latus obstrui indicaret, dextrum scilicet, & sint duo renes, ac duo vreteres, in suo latere singuli: ac multò magis euenit dubitare generatim, quomodo possit ob renum lapidem, quantumuis magnum & durum, vrina purior fieri, & æquæ similior, nedum omnino supprimi, cùm nullus lapis possit esse in vtroque rene, expedito autem altero, possit præterire vrina: consentaneum profectò videbatur magis fore, vt altero obstructo in alterum renem tota vrina deriuaretur, exiretque nihilò neque parcior, neque purior. Auget admirationem quod ego aliquando vidi in cane, quem fortè fortuna secari iussi, alterum renem esse corruptum omnino, ita vt multo tempore rene vnico agnoscereturesse vsus. Atqui profectò hanc causam geminationis membrorum fuisse dicit Galenus, vt cùm alterum periret, aut pathemate aliquo impeditum esset, alterum esset vsui. Alioqui quorsum fecisset natura duos renes, si alterutro impedito substraheretur vtriusque vsus? Satius fuisset fecisse vnicum. Rariùs enim læderetur vnicus, quàm duorum alteruter. An cùm emulgentes vocatæ venæ simul oriantur ex cauâ, rarum sit alterum renem lapidem congerere, altero non etiam obstructo crassis succis & arenis, vt hanc ob causam per ambos colata fiat purior, aut etiam supprimatur: cum verò iam lapis in vreterem prodiit, vbi & ingentes dolores parit, euenit neque ex alterâ vrinam reddi, quia mictio nixu quodam musculorum abdominis indiget, qui natura refugiente doloxem non pponitur. Tamen non ob id natura geminos renes fecit frustrà: vnicus enim duplò crebriùs obstrueretur, cum reciperet sordes, quæ nunc deriuantur in duos, & cum alter affectione quapiam indolente laborat, aut corrumpitur, nihil obstat quominùs alter possit esse satis vsui animantis, velut in illo cane euenit, atque in quodam viro, cui resolutus totus ren est in pus, quod extrorsum ruptâ vomicâ eductum est, ac superuixit. Sed redeamus ad Charitem. Decimaquinta dolor rursum exortus est, eodem scilicet in loco excitata, arbitror, nouâ fluxione: per partes enim semper mouetur & absumitur. Decimasexta ad noctem cœpit succus ad aluum deriuari. Nam dolor hypochondrij venit magis ad aluum quàm ad vrinæ vias, & cùm ea via videretur conuenientior ad multitudinem deponendam, iuuit medicus, & data aqua mercurialis facta est alui subductio, & febris euanuit intra vigesimam, & sequutæ sunt excreationes crassæ, & concoctæ, quibus intra quadraginta (vt fieri solet) purgatus meliùs habuit.

VEntres in morbis per inferiora purgare oportet, postquàm concocti sunt humores emittendi; inferiores quidem, quum considentes humores videbis. Cuius rei signum est, si ægri neque anxietate neque capitis grauitate laborent, & quum calores fuerint mitissimi, aut quum post paroxysmos desierint. Superiores autem in ipsis paroxysmis, tunc enim ventres eleuantur, quum ægri anxietate, & partium superiorum grauitate laborant. Propterea autem non purgandum in principijs quòd spontanea in morbis diuturnis purgatio accidat, aut diuturnos cum periculo affectus producat.

Hæc eadem verba occurrerunt in quinto libro scripta, iuxta historiam priorem vxoris Polemarchi, perpaucis voculis mutatis, quæ sensum nullatenus permutant, præter vltima illa, quæ adiecta esse putantur, δῆλα τῶν δὲ μὴ ἐν ἀρχῇσι καθαίρειν, ὅτι ἀπὸ τῶν ἀνωτμάτων ἐν πᾶσι χρονίοισι τυπεῖσι, ἢ χρόνια ἐπικίνδυνα. Hæc enim tantùm loco scripta sunt, quæ proinde sola nunc interpretabimur; in reliquis quæ illo loco sumus interpretati, lectionis differentiam (quæ exigua sanè est) tantùm notabimus. Illa vox πεμπλαῖα, quam ego interpretor à verbo πέμπω, quæ mittenda sunt, illo loco desideratur, tamen neque illic detrahitur, neque hic adiicitur quicquam. Nam constat illa debere esse cocta, quæ sunt mittenda, idest emittenda à corpore, siquidem cocta medicari oportet. Vbi hic legitur καὶ ἄνται μετωείζονται, idest, etiamipsi (ventres scilicet) eleuantur, illic legebatur ἀνώματα, hoc est sponte eleuantur, referebatúrque illud ad succos, tamen neque hoc sensum permutat, si enim dicitur ipsi ventres eleuantur, accipitur figuratè continens pro contento, humores enim superferuntur in ven-

tre. Rursum vbi hic dicitur, ἢ βαρέες πὰ ἄνω ἔωσι, A ideſt, & ſuperiorum partium grauitate laborant, illic legebatur καὶ ἀλίσκεσθαι, ideſt, & iactantes seſe. Quæ lectio rem magis explicat, iactatione enim agnoſcitur anxietas. Hactenus ergo lectionis differentia nullius momenti eſt, quare explicemus reliqua, quæ huius loci ſunt propria, nullibi antè ſcripta. Illa ſcilicet, δεῖ δὲ τοῦτο μὴ ἐν ἀρχῇσι καθαίρειν, ὅπου ἀπὸ τῶν ἐντερίων ἐν τοῖσι χρονίοισι πυνθάνῃ, ἢ χρόνια ἐπιγίνεται. In quibus deficere verba aliqua haud dubito, quia hæc per ſeſe vix quidquam ſignificant: quid mihi inſinuent dicam. Dixerat, per inferiora purgandos eſſe ventres in morbis, poſtquàm cocti fuerint humores emittendi, colligit inde nunc ob id purgandum non eſſe in principiis, & antequàm cocti ſint, redditque cauſam referens incommodum, quod ex intempeſtiuâ purgatione ſequitur, quia vbi indicatum erit purgandum non eſſe ante concoctionem, conſtabit ſi omnino purgandum ſit, eſſe faciendum poſt concoctionem, id verò incommodum eſt, quod & quarto de ratione victus in acutis dixit his verbis. Aluum ab initio per clyſteris infuſum ſubducito, medicamenta autem his ne exhibeto. Si enim quid circa ventrem commoueris, vrina non concoquitur, ſed abſque ſudore ac iudicatione febris multum tempus durabit. Hoc idem inſinuat nunc dicens, ἢ χρόνια ἐπιγίνεται. Hoc eſt, aut morbi, purgatione in principiis facta, diuturni accidunt, & ob id periculoſi. Fieri verò diuturnos intempeſtiuâ purgatione, quarto de ratione victus probauit analogiſticè, quia vrina non concoquitur, quod indicat materiæ propriæ morbi coctionem retardari. Quia, vt Galenus in commentario dicit, expurgationes ſunt contrariæ concoctionibus: nimirum alterum agitur expellendo, alterum retinendo: nunc probat hoc epilogiſticè, ducto argumento ab vno, quod experiuntur homines in morbis, in quibus ſponte fiunt euacuationes inter initia. Nimirum tales diuturni eſſe conſueuerunt. Tale igitur argumentum continent hæc verba. Euacuatio in principiis ſponte facta ſolet apparere in diuturnis, ergo ab expurgatione in principiis facta à medico, periculum etiam erit diuturnitatis morbi. Nempè timeri debet ne illud idem eueniat, quod accidit quum ſponte talis euacuatio fit.

IN cubiti proceſſu ex caſu ſauciato cubitus ſyderatione tentatus ſuppuratur, maturato verò pure lenta ſanies & glutinoſa experimitur, & citò ſupprimitur, velut Cleogeniſco & Demarcho Aglaotelis filio. Similiter autem ex iſdem nullum prorſus pus effluit, quale quid Æſchyli puero contigit. Quum autem pus conficitur, pleriſque horrores & febres ſuperueniunt.

Hæc quoque oratio, ſiue vnica, ſiue duplex ſcribatur, occurrit in libro quinto, vbi & à me eſt explicata, vt nouâ enarratione nunc non ſit opus. Solum lubet monere, pro ἐκ πώματος, ideſt, ex caſu, reperiri in quibuſdam codicibus, ἐκ πτώματος, ideſt, ex percuſſione, nihil intereſt, porro hic incipit oratio. Ἐπὶ ὠλεκράνου, ideſt, in cubiti proceſſu, in quinto deeſt, ea vox, & pro ὠλεκράνου legitur πήχεος, ideſt cubito, neque hoc intereſt, nam idem ſignificatur ambobus verbis. Hic quoque legitur γλίσχρος ἰχὼρ καὶ κολλώδης, ideſt, ichor lentus & glutinoſus, illic deeſt vox κολλώδης, vide quid interſit. Illud intereſt aliquantò plus, quod illa verba ἔχει προσέσται, ideſt citò ſupprimitur, illic deſiderantur, quod etiam in eius loci commentatione animaduerti.

ALcmani ex renum affectionibus conualeſcenti, detracto etiam è venis inferioribus ſanguine, ſurſum ad hepar affectus conuerſus eſt, & ad cor dolor vehemens aderat, & ſpiratio præ dolore detinebatur, & aluus moleſtè deijciebat exigua ſtercora caprinis ſimilia. Anxietas non aderat, rigor autem interdum & febris corripiebat, ſudór que & vomitus, nec in dolore proderat aqua marina per clyſterem infuſa, furfurum decoctum conferebat. Sine cibo tranſegit ſeptem dies, mulſam meraciorem potabat, poſteà verò ſuccum lentis, interdum autem tenuem ex faba elixa, aquam ſuperbibebat, poſteà autem catuli cocti carnes, & exiguum quid mazæ quam diutiſſimè confectæ: procedente verò tempore aut ceruices bubulas aut petioſos ſuillos coctos ſumpſit, vna cum priori aquæ potione, quiete, & integumento.

Morbus renum & colicus non admodum differunt ſignis, ac proinde proximas habere naturas cognoſcuntur, & coincidunt ſæpe in eundem hominem, ſæpeque alter ex altero ſupereſt. Nimirum proximæ partes ſunt vrinæ viæ & inteſtina, atque à ſimilibus cauſis ſimiliter patiuntur, aliquando quidem à ſuccis frigidis & craſſis, aliquando à calidis: aliquando etiam ab inflammationibus. Alcmanes primùm nephritide, hoc eſt, E renum dolore graui correptus eſt, ob quem cùm forte eſſet iuuenis, ac videretur ſatis robuſtus, miſſus eſt ſanguis ex inferioribus partibus, iuxta id Hippocratis præceptum, quod ſexto Epidem. ſect. prima ſcriptum his verbis eſt. In renem dolor grauis (paucis interpoſitis) iuuenes veratro purgare, poplitem ſecare, hoc modo curato. Poſteà ex nephritico dolore ſe recolligenti, conuerſus eſt dolor ſurſum ad hepatis regionem, & ventriculi, quem vocabant veteres cor, & ſpiritus reddi non poterat, ſed præ dolore continebatur, quod quantum coniecto, nihil erat aliud F quàm dolor coli, quod cùm totam aluum circuat, hepatis, ventriculi, & lienis regionem attingit. Is verò dolor facilè ſpirandi difficultatem affert, quia eo loco colum diſtentum & dolens proximum ſepto tranſuerſo eſt, & cum illo inter reſpirandum mouetur. Ἡ κοιλίη (inquit) χαλεπῶς ὑπεχώρεε σμικρὰ σπυράκτωδέα. Difficultatem egerendi in colicis omnibus facit dolor, refugiente enim

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 436 sur 489

eum naturâ partium, non audent ſeſe comprimere ad egerendum. Accedit autem & cauſa alia ex materia. In quibuſdam enim flatus facit fæces ſurſum efferri, neque deſcendere ſinit, in aliis calida cauſa vt inflammatio aut bilis ſiccat & exurit. Huic ex calida cauſa naſci colicum morbum licebat ſuſpicari ex prægreſſa nephritide, quæ ſanguinis detractione curata eſt, & ex rigore, & febre, quæ aliquando corripiebat: & ex iuuantibus & nocentibus, ſiquidem lædebatur clyſtere ex aqua marina, & iuuabatur aquæ potu. Meritò ergo ſiccabantur fæces, & concreſcebant in ſpherulas: accedebatque hoc etiam ſignum calidæ cauſæ non exiguum. Negat fuiſſe anxietatem, ego intelligo talem, qualis in oris ventriculi proprio dolore eſſe ſolet. Nimirum eius partis dolor tantam anxietatem afferre ſolet, vt etiam inferat animi deliquia, & ſyncopas: huic, cùm circa eam partem dolore afficeretur, dolor verò ex ea parte non oriretur ſed ex inteſtino, non erat talis anxietas: erat enim omnino aliqua, ſiquidem aderat ſudor & vomitus. Quis enim ſudat præ dolore, aut vomit omnino ſine vlla anxietate? Sudor non omnibus colicis adeſt, ſed paratis: vomitus verò, aut ſaltem nauſea proprium ſymptoma eius morbi eſt, ob ſymphatiam ventriculi cum inteſtinis. In huius morbi curatione clyſterum multus vſus præcipuum auxilium eſſe ſolet, anodynorum & diſſoluentium flatus, & extergentium, hoc aut illud magis, vt materia poſcit. Quanquam quum cauſa morbi ſublimis fertur, velut huic cui dolor attingebat hypochondria, ſatius ſit aliquando expurgante medicamento, quod totum corpus non moueat, eam deturbare, in quem vſum medicamento diacarthamo vocato ego vti ſoleo. Huic infuſus eſt clyſter ex aquâ marinâ, non iuuabatur, quia arbitror exacerbabatur humor calidus, & ſiccabantur magis fæces, iuuabatur verò clyſtere ex furfuribus, vt mitiori, & citra tantam mordicationem extergente. Iuuatus fuiſſet etiam mulſa cocta, aut ſola mixta cum chamæmelino, & aliis eiuſmodi. Cuiuſmodi ſanè etiam erant, quæ ore accepit primis ſeptem diebus, quos tranſegit ſine cibo: potabat enim mulſam meraciorem, poſteà ſuccum lentis, & aliquando ſuccum tenuem ex faba elixa, quæ omnia extergentia ſunt, atque ob id poterant conferre, non tamen perinde contuliſſent, ſi ſimul ipſas lentes aut fabas ſumpſiſſet, genuiſſent enim ſuccos craſſos & lentos, & flatus; ſucci verò non perinde, ſed extergebant tantùm. Bibebat aquã, ne, arbitror, vinum febrem excitaret, ſed ego neque crudam meramque aquam exhiberem, ſed decoctum caſſiæ, aut aniſi, aut rei cuiuſpiam talis. Exactis ſeptem diebus cepit vti cibis: primùm quidem carnibus catulinis elixis, & maza multò ante ſubacta, deinde ceruicibus bouinis, & ſuũm pedibus. Nimirum carnes catulinæ, vt habetur ſecundo libro de diæta, humectant, & facilè ſubducuntur: maza verò, vt recens ſiccat, & flatus non excludit, neque ſecedit: ita multò antè ſubacta ſécedit, & excludit flatus, & alimentum minus præſtat corpori: quod in eodem libro Hippocrates dicit. Ceruices boum, & pedes ſuũm præſtant alimentum ſolidius, & tenacius. Itaque voluit medicus qui Alcmanem curabat incipere à leuioribus cibis, & facilè deſcendentibus, poſteà verò quàm & dolor ſolutus, & cauſa vacuata videbatur, firmioribus reficere vires, proinde his adiunxit, & priorem aquæ potionem, & quietem, & integumentum, vt ſcilicet his reficerentur vires, ac ſi quid adhuc ſupereſſet, coqueretur. Non video tamen cur iam in hac occaſione vini aliquid denegaret, niſi fortè erat hydropota, neque vino aſſuetus, ac fortaſſe inſinuat hoc autor dicens, cum ptiori aquæ potione, quaſi cum conſueta, & quâ priùs etiam quàm ægroret fuerat vſus.

AD nephriticam paſſionem ex decocto cucumeris ſylueſtris clyſter iniectus eſt.

Vſus clyſterum non minùs vtilis eſt inter initia ad nephreticos quàm ad colicos. Habent enim duo hi morbi tunc temporis, vt Galenus dixit, dignotionem difficilem, & curationem ſimilem. Accommodatiſſima enim eſt per aluum deriuatio eorum quę in renes influũt, & renes inteſtinis plenis grauantur, & comprimuntur, vacuatis ſubleuantur, ob viciniam. Clyſteres verò, niſi nephritica inflammatio aut exulcerario ſit, ſed vt plerumque ſolet, lapidis aut craſſorum ſuccorum congeſtio nihil prohibet eſſe extergentes & amaros. Talibus ob id vtilem eſſe dicit clyſterem ex cucumere ſylueſtri. Eadem prorſus intentione, quâ libro ſexto iuuenes ita laborantes iuſſit veratro purgare. Tu tamen interim caue, ne clyſter habeat plurimùm ſucci cucumeris, ſed exiguum cum aliis commiſtum rebus, ſolet enim facere magnas dyſenterias.

PArmeniſci filio ſurditas contigit, contulit aurem non abluere, lana autem expurgare, & infundere oleum ſolum aut netopum, ambulare, mane ſurgere, vinum album bibere, abſtinere oleribus, pane nutriri & piſcibus ſaxatilibus.

Hæc eadem hiſtoria occurrit libr. 5. eiſdem prorſus ſcripta verbis, præter illa vltima, quibus abſtinere ab oleribus, vti pane & ſaxatilibus præcipitur. A me verò illic enarrata ſunt omnia.

ASpaſij vxori dentis & maxillæ vehemens dolor accidit, qui cùm Caſtoreo & pipere collueretur & ore contineret, remiſit, & ſtrangurioſa affectio ipſi ſedata eſt calido farinæ cum oleo roſaceo fotu.

Hæc quoque hiſtoria poſt hiſtoriam pueri Parmeniſci occurrit ſcripta libro quinto, quamquam verbis non omnino eiſdem, neque tam multis. Nam vbi hic dicitur, καὶ γράφου, ideſt,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 437 sur 489

©BIUM

& maxillæ, in genitino ſingulari, illic dicebatur, καὶ γνάθοιο ἀπ' ῥῶπτο, ideſt & maxillæ intumuerunt. Itaque illic ſignificatur fuiſſe maxillarum tumorem, hic fuiſſe maxillæ dolorem. Me non multum commouet hæc lectionis differentia, vtrumque enim fieri conſueuit, vt doleat ſcilicet & tumeat maxilla. Quamquam ſit altera lectio deligenda eſt, illam magis probo, quia plerumque dolor ad dentem pertinet, & ad maxillam tumor, quinimò accedente maxillæ tumore ſolet dolor ſedari. Deſiderantur libro quinto illa verba, ἢ κατέχουσα ἐν τῷ στόματι, nihil tamen ob id mutatur aut læditur ſenſus: nam non poterat colluì, quin ore contineret, quamquam explicatur res aliquantò magis hoc loco. Nam ad dolorem dentium non ſolùm oportet idoneis ſuccis colluere, ſed citra collutionem etiam ore continere, vt immaneant aliquantulum. Quod de ſtranguria & farina cum roſaceo hic dicitur, illic omnino deeſt, à me verò eſt illuc tranſlatum & explicatum ibidem.

Capitis dolores ex vtero Caſtoreum ſedat. Plerique affectus hyſterici à flatibus ortum ducunt, indicant ructus & ſtrepitus circa ventrem, & tumores lumborum, & dolores circa renes & coxas; & inunctus niger confert, aut aromatum tertiam partem, farinæ duas in vino albo odorato coquere, & linteolum imbutum cataplaſmatis modo illitum apponere, qua vētris parte vteri dolores affligūt.

Dolore caput per conſenſum cum vtero dictum eſt anteà ab Hippocrate, initio libri ſexti his verbis, iuxta ſinciput maximi dolores & quicunq; alij ad vteris oriuntur. Iam verò mala quæ per compaſſionem fiunt tolli curatione earum quæ primariæ ſunt, & eam eſſe legitimam eorum curationem, res eſt notiſſima: caſtoreum verò ad vterinas paſſiones (eas dico quæ autonomaticè appellantur vterinæ, quales ſunt præfocationes ſiue ex ſuppreſſione ſanguinis, ſiue ſeminis, ſiue ex flatu fiant) commendatur vno ore à medicis omnibus. Dioſcorides menſes, inquit, & partus ciet. Gal. ad ciendos menſes illud magnopere commendat, & ab omni noxâ liberum affirmat, niſi mulier multùm febricitet. Iam verò Hippocrat. ipſe in libris de morbis muliebribus, crebram eius facit mentionem. In eum vſum libro ſecundo, inter multa alia huius morbi medicamina, caſtoreum aut conizam præſcribit. Galenus dat caſtoreum cum pulegio, aut calaminthâ, quæ cum conizâ facultate congruunt. Itaque caſtoreum epotum ſoluit dolores capitis ex vtero, quia ſoluit vteri morbos, quos ſolet dolor capitis comitari, ſuppreſſiones ſcilicet menſtruorum, & ſeminis retentiones, & ſuccorum quorumcunque frigidorum, ac flatuum. Neque verò caſtoreum ſoluet omnes paſſiones vteri, ſed frigidas; inflammationes enim & eryſipelata potiùs augebit. Quare cùm ob vteri inflammationes poſſit etiam dolere caput, conſtat non omnes dolores capitis ex vtero ſedare caſtoreum, ſed eos qui ob frigidas paſſiones, quales

A B C D E F

eſſe præfocationes ex vtero affirmat Galenus. De talium paſſionum cauſis multa & varia ſcripta occurrunt. Plato in dialogo de natura ita ſcripſit. Vulua animal auidum generandi, quando procul à fœtu in flore ætatis, aut vltrà diutiùs detinetur, ægrè fert moram, ac plurimùm indignatur, paſſimque per corpus errans, meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtiis, morbis denique omnibus premit. His verbis Plato ſignificat, vterum deerrare per corpus cupiditate venereorum, & eam eſſe cauſam præfocationis, & anxietatum. Libro primo de morbis muliebribus, ita occurrit ſcriptum. Vehementi labore reſiccati vteri conuertuntur, cùm ſint vacui & leues. Amplum enim locum quò conuertantur nacti ſunt, vacuo nimirum ventre. Conuerſi verò iecur appetunt, ei adhæreſcunt, & ad præcordia impetum faciunt. Vehementiore enim labore plus quàm par eſt reſiccati, ad humorem qui ſurſum eſt concurrunt ac feruntur. Has ſententias omnes refutat Galenus ſexto de locis affectis optimè, indicans hæc partim fabuloſa videri, partim eſſe falſa. Indicatque cauſas præcipuas eſſe in retentione ſanguinis, aut ſeminis, quod & Auicenna & omnes alij medici probauerunt. Cauſam verò ob quam frigoris tam multa apparent ſymptomata, atque adeò paſſio ipſa frigida eſt, cùm tamen ſanguis & ſemen ſucci ſint calidi, eſſe dicunt, quòd detenti concluſique corrumpantur, corruptique refrigerentur, extincto in eis ſpiritali calore, aſcendantque inde frigidæ auræ in cor, & ſpiritalia inſtrumenta, & ſimul cum viſceribus refrigeretur totum corpus. Hoc ſi ita eſt, & falli magnoperè videtur hic Hippocrates, qui pleraſque hyſtericarum paſſionum dicit eſſe flat°, hoc eſt, à flatibus naſci: ſignúmque eius rei eſſe ructus & circa ventrem conuolutos flatus, qui in ita affectis ſentiuntur, & tumores lumborum, & dolores circa renes, & coxas, qui etiam videntur à flatu fieri: atque adeò curationem etiam hoc indicare, quæ tota calorifica eſt: videtur inquam falli. Nam flatus orientur potiùs à frigida paſſione, quam ſemen & ſanguis ſuppreſſa, & corrupta fecerunt, quàm ipſi flatus erunt frigidæ illius paſſionis cauſa. Certè videtur hoc quod Hippocr. nunc docet, dictum eſſe iuxta ſententiam antiquam, quam lib. de flatibus enarrauit, morborum omnium cauſam flatus eſſe. Ego verò vt hoc ſemper eſſe verum non recipio, ita ſæpe verum eſſe confiteor. Plurimùm enim exagitantur, & commouentur humores à flatibus: atq; in eis etiam morbis, de quibus nunc agitur, perinde ſentio, eos plerumque naſci à ſanguine aut ſemine ſuppreſſo, nonnunquam verò citra hæc vterum flatu frigido intumeſcere, atque intumeſcentiâ ſuffocare, atque frigore flatum refrigerare partes proximas, vſque ad ſpiritales. Videmus enim ſæpiſſimè, eas quæ ad tales paſſiones paratæ ſunt, laborare vehementer, quòd intempeſtiuè frigidam aquam ingeſſerint, aut aliquos flatuoſos cibos, aut acetum guſtauerint, aut humente frigidóque ſolo inſederint, etiamſi tunc temporis menſtruus fluxus non fieret, neque à viris proximis diebus abſtinuerint. In his verisimile eſt concluſos eſſe in ventribus flatus frigidos, à quibus illi tumeant, & totum corpus refrigereretur.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 438 sur 489

©BIUM

refrigeretur. Sed quo pacto verè dixerit Hippocrates τὰ πλεῖστα τῶν ὑγιείκων αἱ φύσαι? Non enim quia fieri possunt à flatibus, statim plurimas ita fieri rectè dicitur? Certè ego intelligo, pleraſque passiones hysstericas, quæ ob causas procatarcticas & externas fiunt, oriri à flatibus. Id quod, ni fallor, verissimum est. Sed quæ de curatione dicit, apponamus. Non persequitur totam curationem, sed duobus medicamentis insinuat intentionem curatoriam, quæ in hoc morbo debet esse calorifica, & discussoria eius quod in vtero & eius vasculis continetur: siquidem diximus esse passionem frigidam, & oriri à semine, aut sanguine, aut flatibus retentis. Et inunctus (inquit) niger confert. Quandoquidem incipit ab illa particula, & verisimile est fuisse priùs scripta alia medicamenta, atque deesse verba aliqua quæ vetustas abstulit, velut hæc ipsa in quibusdam codicibus desunt. Quidam intelligunt commendari hic helleborum nigrum, ego verò quandoquidem dicit inunctus, conjecto esse potiùs medicamentum quoddam, quod Hippocrates habebat paratum, vocabátque nigrum ad caput, & solebat in nares ad huius morbi curationem indere. Nam ille secundo de morbis mulieribus ita inquit. In nares verò aliquid de pharmaco nigro ad caput præparato, spécillo exceptum infarcias. Quæ fuerit huius medicamenti præparatio, non reperi, tamen solemne fuisse Hippocrati & ad hanc curationem accommodatum constat ex his locis. Fuit sanè sternutatorium, & odoris grauis, talia enim naribus harum admoueri vtile est, sicut bene olentia inferiùs ad vuluas. Dicit ergo & inunctus niger, quasi dicat, & inunctio nigri vnguenti intra nares prodest. Præscribit deinde aliud medicamentum, quod accipit farinæ triticeæ scilicet partes duas, aromatum, cassiæ scilicet & caryophyllorum & piperis partem vnam: quæ debent coqui in vino albo boni odoris, & linteolo excepta cataplasmatis modo admoueri vmbilico & hypogastrio, vsque ad os vteri. Hoc, & eiusdem naturæ multa alia cataplasmata sunt mulieribus vsitatissima. Vallesius ἐπαλλιμμένος μέλας. 1. inunctus niger legisse videtur, putátque designari vnguentum quoddam nigrum Hippocrat. in muliebrium morborum curatione familiare, multi legunt ἐγχεγλευκισμένος aut ὀγχεγλευκισμένος μέλας, credúntque per hæc verba Hippocrat. intelligere vinum nigrum, in locis subterraneis diu reconditum, defæcatum, & calefaciendi, attenuandi, & discutiendi facultate præditum, alij aliter legunt, ambiguum est quid voluerit indicare Hippocrates.

Post præscripta verba succedunt mox historiæ filij Callimedontis, & Melissandri, quas nunc prætereà, quia lib. 5. occurrerant eisdem prorsus verbis scriptæ, vbi & enarratæ sunt; Eutychidis quoque historia quæ mox succedit, occurrit in libro quinto, adiectis solùm duabus voculis, quas illic cum reliquis interpretati sumus.

Icteri curationem attingit Hippocrates. Neque tamen omnis icteri, neque vllius integram, & à mali initio susceptam, aut si cuius, certè illius solùm qui per iudicationem bonam factus est, dico autem bonam iudicationem, per quam morbus regius prior cessauerit. Nam cùm possit morbus regius fieri ob hepatis obstructionem cum inflammatione, aut citra illam, aut ob igneum calorem in hepate aut toto corpore in bilem mutante sanguinem, aut morbi bilioſi qui antecesserit causa ad cutem decretoriè effusa, idque aut non soluto perfectè priori morbo, aut etiam perfectè soluto. Profectò huic solùm ictero, cũ quo nullus ali⁹ morbus manet, congruit hæc curatio, aut aliis etiam, cùm iam sit omnino sublata inflammatio, & obstructio, & igneus calor, à quocunque illorum icterus pependerit. Nam neque ad phlegmonem, neque ad igneum calorem hepatis aut totius corporis confert laborare, sed quiescendo vti idoneis ad eos affectus auxiliis, velut missione sanguinis, & frigidis cum potionibus, tum etiam cibis. Iam verò neque lauare caput conuenit, aqua multa, siue calidâ, siue tepidâ, neque vinum bibere. Nam vtcunque sese res habeat, augebit calorem, & bilem in caput efferet. Neque ad obstructiones conuenit sudare, inepta est enim ea euacuatio ad succos crassos in alto hærentes, neque admodum conuenit panem comedere, nisi sit ἀνάπυρος, aut aliquibus incidentibus imbuatur, est enim crassi, & nonnihil lenti succi. Sed in phlegmone remedium princeps est missio sanguinis: in cacochymia bilioſa, expurgatio per cholagogum: in obstructione, vsus deobstruentium potionum, ciborúmque tenuium & extenuantium, ac duplex expurgatio (nisi res etiam poscat plures) prior quidem crassorum, posterior bilioſorum succorum. Postquàm verò nihil harum passionum relictum est, sed solùm id vitium quod in cutis colore conspicitur, bile quæ cuti hæserat infractâ, non est alienum à ratione laborare, & sudare, & somno non multo vti, vti bilis reliquiæ discutiantur. Nam vigilia & labor discutiunt: sudor verò maximè quæ cuti subsunt. Et lauare caput aqua multa & calida, vt qui capitis partibus hæsit humor laxatâ cute euaporet. Meritò verò capiti adhibetur in hoc malo maior cura, & præsenti loco, & secundo & tertio de morbis, & vbi icteri tradit curationem. Quia color tunicarum oculi indicat cerebri membranas, quarum eæ sunt productiones, bile etiam esse imbutas, constat verò eam nulla in parte posse magis lædere. Si ergo deformitatem tollere studeas, in capite maximè procurandum, ob faciem & oculos; sin noxas, ibi quoque ob capitis internas membranas. Panis est talib⁹ probus cibus, vtpote mediocris crassitie, & qualitatum medicamentosarum expers. Nam crassiora vitanda erunt, ne obstructio repetat: à tenuioribus rarò abest vlla qualitas pungens, quæ vlcerosas punctiones possit parere. Itaque panis est probus cibus. Non contendo esse omnium optimum, neque ego dederim solum, ac sine vllo obsonio, vel ob solam consuetudinẽ. Bibere iubet non multùm, quia exiguus potus abit in renes, qui copiosior est regurgitat etiam in totum habitum, nam distribuitur versus quasque partes serum quod supereſt, ab eo quod renes trahunt. Si ergo quis multùm bi-

Icterico conuenit laborare, sudare, panem comedere, non multùm bibere, caput aquâ multâ calidâ sed potiùs tepidâ lauare, vino albo, somno non multo vti.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 439 sur 489

bat, multùm ſupererit, quod delatum in corpus defert vſque ad cutem craſſas cibi partes, quæ commiſtæ cum bile eam facient hærere tenaciùs. Potari ergo debet parùm, vt id abeat in vrinę vias, quod multò fiet meliùs, ſi id ſit vinum album, eſt enim diureticum & tenue. Abibit ergo in vrinæ vias, atque ſi quid eius diſtribuetur, & extenuabit ſuccos, & aperiet poros. Eſt igitur hæc curatio propria ipſius regij morbi per ſe, neque cum vlla alia affectione coniuncti. Arti magis commodus elicietur ſenſus ex ea ſententia, ſi reſtituatur ex quinto Epid. & pro ἱκπρώδη legatur ὀδμωπώδη.

Calligeni cùm vigeſimum quintum annum attigiſſet, catarrhus accidit, & tuſſis multa. Educebat cum violentia quod effluebat, nihil infrà manebat, annis quatuor perſeuerauit. Calores tenues per initia accidebant. Helleborus non conferebat, ſed modicus cibus, & corpus macerare, panem comedere, nigrum vinum bibere, obſonia qualia vellet ſumere, abſtinere acribus, ſalſis, pinguibus, ſucco ſilphij oleribus crudis, deambulare multùm. Lactis potus non conferebat ſed ſeſamum purum, crudum acetabuli menſura cum vino molli bibere.

Deſtillationem hanc ex capite in aſperam arteriam, qua Calligenes laborauit, conſtat non fuiſſe congruentem ætati, ſenilis enim eſt morbus, ipſe verò viginti quinque annorum, atque etiam ob cauſam fuiſſe arbitror adeò grauem, & ſolutu difficilem, vt annos quatuor perſeuerauerit, at verò ob vigentis ætatis robur omnino ſuperari potuiſſe. Nam ſi tantus catarrhus accidiſſet ſeni, maximè ſi valdè ſeni, coqui nunquam potuiſſet. Conſtat præterea ex ijs quæ narrantur, hunc catarrhum non tam eſſe natum ex multitudine excrementorum in toto corpore, aut etiam in cerebro, quàm ex intemperie propriâ cerebri, ita vt non tam excrementa intẽperiem facerent, quàm ipſa intemperies excrementa. Si. n. prima morbi cauſa excrementa fuiſſent, expurgatio contuliſſet, at verò quia prima cauſa erat intemperies, atque intemperatum cerebrum, ex alimento proprio quod malè commutabat, ſibi gignebat materiam diſtillationis, non conferebat helleborus, ſed abſtinentia à cibo, & τὸ συμπαεδῆναι, hoc eſt extenuari, & præinedia gracileſcere. Nam ita detrahebatur alimentum cerebro: in penuria verò eius minus erat, quod deſtillaturum redundaret, & cerebrum inedia ſiccabatur, atque ita eueniebat intemperiem humidam cerebri emendari. Atqui quoniam nullo alio malo laborabat, præter propriam intemperiem cerebri, & erat iuuenis, & firmis lateribus, educebat per vim quidquid defluebat, neque ſinebat quippiam manere infrà, & hærere in pectore. Intemperies cerebri erat, vt dictum eſt, humida, ſed non perinde frigida. Accidebant enim inter morbi initia θέρμαι λεπταί, hoc eſt febres mites, quales ex catarrhis fieri conſueuerunt. Porrò lædebatur à calidis, præcipuè ab acribus, ſalſis, & pinguibus, quia talia præter calorem habent qualitates exaſperantes ſpiritus vias, & mouentes tuſſim. Acria enim pungunt, ſalſa extergent & rodunt, pinguia κέρχνον vocatum, hoc eſt aſperitatem ſtridulam inducunt. Lædebatur etiam à ſucco ſylphij, qui vt ipſemet dicit libro de ratione victus in acutis, non conſuetis eo vti facit choleram morbum, quia, vt ego in eius loci commentatione dixi, eſt acer, calidus, & flatuoſus, atque inſuetis eo vti malè deſcendit. Eaſdem ob cauſas eueniebat meritò eius vſu Calligenem lædi, calefiebat enim & replebatur caput, atque ob id deſtillatio magis fluebat. Lædebatur quoque crudis oleribus, quia ab his omnibus craſſus vapor & caput replens eleuatur. Lactis potus (inquit) non conferebat. potuiſſet etiam dicere, vt ego exiſtimo, lædebat, quia lactis potus caput dolentibus noxius eſt, eadem autem ratione etiam quibus citra dolorem facilè repletur, quare eſt catarrhoſis vitandus. Conferebat ergo ὀλιγοσιτία, & deambulare multùm, ſicca enim etiam cauſa eſt: ſubaudiendum verò eſt, tempeſtiuè. Si quis enim ita affectorum mox à cibo deambulet, lædetur multò plus quàm ſi moueatur nunquam. Eadem ratione qua motu iuuari potuiſſet & frictione, & vigilia non omnino nimia. Pro cibo tribuebatur huic panis, cibus ſanè mediocris omnibus modis, & noxâ carens, niſi ingeratur multus: pro potu vinum nigrum, quoniam arbitror, ſuccos minùs facit fluere quàm album. Suſpectum verò mihi hoc eſt, quia replet multò magis quàm album, & per vrinam ac ſudorem minùs vacuat. Sed hæc omnia ad victum ſpectant. Medicamentum vnicum narrat, quo vſus & iuuatus ſit. Potionem ex vino molli, & ſeſamo puro & crudo, oxybaphi menſura: οἶνον μαλθακὸν appellat metaphoricè quod dulce, tale verò confert tuſſiculoſis, & ijs qui indigent facili excreatione, vt etiam ſeſamum ob blandam illam muccaginem quam habet. Ὀξύβαφον ſeu acetabulum capit cotylæ quartam, hoc eſt duas vncias cum duabus dragmis. Intelligo autem dari bibendam potionem ex vino dulci & ſeſamo crudo acetabuli menſurâ. Quis enim poſſet deuorare acetabulum ſeſami? Accipiet ergo potio vini vncias duas, ſeſami dragmas duas.: Videbitur tamen alicui hæc ad thoracis paſſiones fuiſſe accommodatior potio, quàm ad catarrhum ex intemperie cerebri. Certè ea potio per ſeſe parũ poterat iuuare caput, iuuabat verò hominẽ reddens excreationem facilem, faciénſque vt nihil eius quod fluebat, maneret infrà, quod erat homini vtiliſſimum.

Timocharis hiſtoria quæ occurrit hoc loco, occurrerat etiam libro quinto, eiſdem prorſus verbis, quare inane eſſet eam nunc repetere. Neque eſt quidquam quod moneam. Vt neque in hiſtoria filij Cleomenis, quæ ſuccedit ſtatim, eſt enim ea etiam ſcripta, & enarrata in alio loco libri quinti.

Coco in ſpina gibboſitas ex phrenitide facta eſt. Medicamenti potio nulla contulit, ſed vinum nigrum, & panis eſus, & à balneis abſtinere, inungique, & inunctum fricari, fouere non vehementer, neque multo igne ſed moderato.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 440 sur 489

Hæc quoque hiſtoria occurrerat ibidem, per paucis voculis variantibus. Vbi hic legitur χείεσθαι τε καὶ ἀναπεῖβεσθαι χειόμενον, id eſt inungique, & inunctum fricari: illic legebatur ſolum ἀναπεῖβεσθαι λείως, id eſt, & fricari leniter. Mihi videtur, vt illo loco monui, eadem res dici, præterquàm quòd hic definitur & explicatur, quod illic dictum indefinitè eſt. Nimirum lenis frictio eſt quę fit cum quadam vnctione, aſpera quæ ſicca eſt.

A

B

Qvibus fluxiones in oculos tenues & diuturnæ accidunt, hi ſi cocta per nares procedant, iuuantur.

Fluxiones tenues & diuturnas conſtat eſſe crudas concoctu contumaces, alioqui non diu manerent tenues: conſtat quoque ex rectitudine & vicinia partium, optimam accommodatiſſimamque deriuationem eſſe ab oculis ad nares. Igitur à tenuibus & diuturnis fluxionibus oculorum, ſi cocta per nares procedant, vtiliſſima mutatio eſt. Nam à valdè crudis ad cocta, & à diutius iam laborante proceditur, ad emunctorium optimum & proximum. Quid ergo, an non etiam iuuaret cocta per nares prodire, poſt oculorum fluxiones tenues non diuturnas? Iuuaret ſanè, tamen in recentibus expectes meritò fore, vt in ipſis oculis coquantur, & concoctæ ſaneſcant, quum verò diu in parte perſtiterunt tenues, probabile eſt debiliorem eſſe eam partem, quàm vt ſuperare affectionem poſſit, atque ſolùm ſupereſſe auxilium deriuationis in aliam. Dicit ergo nunc Hippoc. modum, quo ſolent tales oculorum fluxiones perſanari.

C

D

Qvibus prægnantibus ex caſu, aut conuulſione, aut plaga dolores accidunt moderati, intra triduum manifeſtè conſtat, an fœtum corrumpent.

Fœtum corrumpere dicit Hippocrates abortum facere. Quibus igitur prægnantibus ex caſu, aut conuulſione, aut plaga dolores accidunt immoderati ac maximi, ſecundum lumbos ſcilicet & femora, haud dubiè faciunt abortum diſruptis acetabulis, quibus pendent ex vtero ſecundinæ: quibuſdam verò contingunt dolores moderatiores vt dubitetur, an ſint abortum facturæ, quòd quædam talium faciant, quædam ſecùs: hoc dicit nunc Hippocrates palam fieri intra tres dies Nam quibus illi moderati dolores, quieſcente corpore, & admota aliquâ inunctione anodynâ & acopâ, vt chamæmelino aut oleo tepido, miteſcunt ſenſim ac ceſſant, non faciunt abortum: quibus verò etſi principio viderentur moderati, recrudeſcunt, & exacerbantur dolores, aut continenter, aut ex quibuſdam interuallis, velut ſolent parturientibus,, maximè ſi ſimul ſanguis exeat copiosè, conſtat inſtare abortum, neque fieri iam poſſe quin abortiant: id verò niſi intra triduum fieri incipiat, timeri non debet. Quia niſi quid ſit interiùs diſruptum, aut vulneratum, non excidet fœtus, in vulneribus verò, vt dicitur ab Hippocr. lib. de fracturis, tertia & quarta dies recrudeſcentias pariunt: quum igitur tertia dies nullas dolorum exacerbationes incipit afferre, ſed potiùs affert indolentiam, vulnera non ſunt, aut perquàm exigua, quare abortus non fiet, ſed ceſſante affectione illa leui, quam caſus, aut ictus, aut conuulſio intulerat, ſeruabitur fœtus. Ex caſu aut ictu frequenter fit abortus, ſed & conuulſione fieri eadem ratione poteſt, vt ſi quæ prægnans paroxyſmum patiatur epilepticum aut ex vtero conuulſionem. Euenit enim ita quoque diſrumpi acetabula fœtus ſimul cum vtero. Neque verò leue eſt, aut parui momenti iudicare, an fœtum corrumpet mulier quæ cecidit aut icta eſt, aut cui etiam ſine manifeſta cauſa cœperunt dolores, & alia ſigna abortus fieri: ſi enim ei cui diſruptus iam eſt fœtus, auxilijs cures prohibere abortum, multum lædes. Diuulſus enim iam & retentus morietur intra vterum, & mortis periculum matri etiam afferet: alioqui fieri poterit, vt idoneis auxilijs ab abortu præſeruetur.

E

F

Cvidam quæ trigeſimum ætatis annum agebat, & pharmacum corruptorium biberat, contigit dolor, & vomitus bilioſorum multorum, pallidorum, porraceorum, & nigrorum. Cùm bibiſſet, tertia die conuulſio corripuit, linguam mandebat. Cùm circa quartam adueniſſem, ipſi lingua erat magna & nigra, oculorum verò album rubeſcebat, inſomnis erat. Quartâ die mortua eſt ſub noctem.

Pythocles ægrotantibus aquam & lac multâ aquâ permixtum cõcedebat & renutriebat. Vt perniones diſſoluas, tepefacere oportet, & pedes præcipuè calefacere igne & aquâ. Oculis noxia ſunt, lens, fructus Autumnales dulces, & olera. Dolores lumborum, crurum, & coxæ ex laboribus obortos aquâ marina & aceto calidis aſpergere oportet, & ſpongiam imbutam admouere: lanis verò ſuccidis deligare.

Hæc omnia præterijſſem, vtpote lib. 5. iam enarrata, niſi vt exiguam quandam lectionis differentiam quæ intercedit, etſi illic notaueram, hic ob oculos ponerem, ne quid deſideres,

Origanum potu exhibitum oculis & dentibus noxium eſt.

Hæc quoque verba ſcripta ſunt vtrobique, ſatius eſſet vtraque eſſe expuncta.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 441 sur 489

©BIUM

PVella quæ à rupe ceciderat, voce eſt priuata, iactabat ſeſe, & vomuit ſub noctem multùm ſanguinis: qui copioſior effluxit è parte ſiniſtra in quam ciderat. Melicratum difficulter bibebat. Stertor, ſpiratio frequens erat veluti moribundis, venæ circa faciem diſtentæ erant, ſupina decumbebat, pedes tepeſcebant: febris aderat multa, aliquando acuta, maximè expaueſcebat. Septimâ vox erupit, leuiter incaleſcebat, ſuperſtes fuit.

Hæc quoque hiſtoria ſcripta anteà, & enarrata eſt, in libro quinto eiſdem verbis, præterquàm quòd vbi dicitur, febris aderat multa, aliquando acuta, illic dicebatur febris debilis: moxque vbi hic, plurimùm expaueſcebat, illic, vocis interceptio: quæ differentia lectionum videtur magnam ſenſuum differentiã afferre poſſe, ac quodam modo repugnantiam, ſiquidem non videtur eſſe poſſe multa neque acuta, quæ debilis: tamen ſi quis rectè conſideret, nihil repugnantiæ eſt, coniunctis enim verbis vtriuſque loci redditur aptus ſenſus: ita ſcilicet, febris multa tenuis, aliquando acuta, hoc eſt febris multa, aliquando tenuis, aliquando acuta. Nam multa febris eſſe dicitur, cùm quis citra intermiſſionem continenter febricitat: tenuis verò & acuta dicitur Hippocrati ad tactum, quæ tenuiter ſcilicet, & quæ acutè tactum mouet. Itaque ſignificatur huic febrem affuiſſe continenter, aliquando verò, ſi tangeretur, videri tenuiter calere, aliquando ardere acutè, nunc calore intra viſcera ſe continente, nunc effuſo. Quòd hic deſint illa verba, vocis interceptio, nihil lædituꝛ narratio: repetitio enim erat haudquaquam neceſſaria: ſi quidem dictum prius erat, voce eſt priuata. Quod verò hic dicitur plurimùm expaueſcebat, dicto nulli repugnat, ſed auget periculum; quia quoddam initium minabatur conuulſionis, quam ſolam deſſe ad euidentiſſimam mortis ſignificationem, illo loco diximus.

NIſantides per æſtatem humeri dolore ex abſceſſu oborto conflictabatur. Huic profuit corpus & humerum diutiſsimè irrigare, & per tres dies vinum album aquoſum bibere ſimul in mari decumbentem, & in eo mingere.

Perbellam curationem tradit hoc loco Hippocrates abſceſſus dolorifici in humerum facti per ætatem. Ea verò eſt lauare corpus & humerum marinâ aquâ, & per tres dies dare homini decumbenti intra balneum vinum album aquoſum affatim, donec intra ipſum balneum mingendo redderet: itaque ſimul lauari, potare, & mingere. Nimirum lauare corpus & humerum dicitur, quia toto corpore decumbebat in marina, incumbens autem in humerum dolentem, vt is humerus magis immergeretur, ita ergo decumbens ac ferè ſubmerſus marinâ potabat plurimum vini albi aquoſi, donec ibidem manens mingendo redderet. Quæ autem fuerit curantis intentio, ipſa curationis ratio indicat, ſcilicet ſiccando corpus humorem redundantem per eius habitum abſumere, ac articulos firmare, præcipuè dolentem, & reliquum in vrinæ vias deducere. Marina enim ſiccat & abſumit ſuperfluam humiditatem, quod ſalitæ carnes luce clariùs indicant: vinum album & oligophorum, ſeu aquoſum eſt admodum tenue, atque ob id facilè in vrinæ vias penetrat, ac reliqua deducit. Iam verò quum vrinarias vias aperire, aut etiam vterinas ſtudemus, magna ars eſt manenti in balneo potiones ad eam rem idoneas propinare: laxato enim in balneo corpore potio medicamentoſa facilè peruadit. Atque etſi balneum eſſet ſalſum, perinde tamen accidebat: ſiccabantur enim partes cuti proximæ, ac articuli eo loco prominentes, neque adeò multa carne contecti, ac ligamenta: vis verò ſalis ad partes in altro poſitas non attingebat, ſed ſolus ille tepor calentis aquæ, qui liquat concreta, & laxat adſtricta cum quadam voluptate: accidebat ergo quod erat maximè exoptandum, vt qui ſuccus imbibitus iam erat ligamentis conſumeretur, qui verò non adeò, ſed confluebat, reuocaretur in vrinas. Neque verò hoc non erat ſimile admodum ijs quæ ſponte fieri ſolent, ſiquidem dicitur in aphoriſmo. Quibus ſpes eſt ad articulos abſceſſum fore, hos liberat ab abſceſſu vrina multa. Hoc eſt quod voluit medicus imitari in Niſantidis curatione. Suſpicor autem Hippocratem conſultò notaſſe, tempus facti abſceſſus fuiſſe æſtatem, & eum abſceſſum dolorem attuliſſe, non etiam tuberculum, quia vtrumque conferebat, vt abſceſſus cauſa putaretur eſſe tenuis & mictui idonea. Marinam aquam non opus eſt à mari deportare, nihilò enim deterior eſt factitia. Fit verò admiſtione ſalis tanti, vt præ aquæ craſſitie innatet ouum.

FVllo qui in Syro phrenitide laborans cum vſtione tremulus fuit. Crurum color erat culicum puncturis ſimilis, oculus magnus, exiguus motus, vox fracta, clara tamen. Vrina pura ſubſidentiam non habens. Nunquid propter deiectionem à tapſia morbus decimâ octauâ remiſit ſine ſudore euaneſcens.

Rariſſimum exemplum eſt hoc rei præter artem, vt ego opinor, bene geſtæ. Non mihi perſuadeo phrenitico cum vſtione tremulo, hoc eſt deliranti cum vehementi febre, & quodam tremore Hippocratem propinaſſe tapſiam, ſed alium quempiam medicum: ipſum verò miratum rei euentum in commentaria contuliſſe. Magnum ſanè exemplum ijs, quibus non placet expectari ſemper ad expurgationes humorum concoctionem, ſed ob morbi magnitudinem & vrgentem neceſſitatem volunt dari aliquando pharmaca ſine illa. Quamquam ergo ſimili incidente affectione (etſi alioqui non negem locum habere aliquando expurgationem ſine concoctione) id facere nun-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 442 sur 489

quam tentarem, vt qui sciam, quòd omnino sit prę-
ter rationem, etsi casu aliquando bene cedat, imi-
tandum non esse. Miror magnopere hunc vsu tap-
siæ non essetconiectum in furorem & conuulsio-
nem. Nam habebat phrenitidem tremulam, oculos
magnos, & exiguum eorum motum, hoc est, incon-
niuentes, & apertos, & vocem κεκλασμένην, quæ om-
nia in prorrheticis dicit esse conuulsiua & furorem
indicantia: porrò habebat magnam febrem quam
vocat καῦσον: quæ omnia magnopere prohibere ex-
purgationem constabit facilè, legenti quæ Hippo-
crates lib. de expurgantibus medicamentis scripsit,
ac multò magis quæ libello de locis in homine, his
verbis. Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus
fiat. Calfaciunt enim caput pharmaca purgatiua, &
sanè ad caliditatem febrilem accedens, ea quæ in
medicamento est, maniam facit. Hæc Hippocrates.
Si ergo cui solùm insignis capitis calor est vsus
pharmaci facit maniam, quantò certiùs ei cui iam
est cum exustione phrenitis præcipuè tremula, &
cum aliis signis conuulsoriis faciet furorem, & con-
uulsionem? Accedebat succos nullatenus deorsum
inclinare, siquidem neque cum vrina descende-
bat quippiam, sed erat pura, subsidentiam non
habens, quod & cruditatem magnam, & succo-
rum in superna raptum indicabat. Ego quidem
citra concoctiones aliquando dari pharmaca posse
affirmo ob vrgentiam, non tamen nisi aliqua ver-
gentis humoris in ventrem significatio adsit, aut
saltem non magna illius ab ea via auersio, quan-
doquidem poscit Hippocrates in iis purgationi-
bus, quæ inter initia faciendæ sunt & nondum co-
cto succo, vt saltem murmur hypochondriorum
adsit. Ego murmuris loco quamcumque vergen-
tiam esse existimo, vt si aluus sit laxa & humida:
si verò præterquàm quòd nulla sit coctionis no-
ta, inferiores enacuationes sint admodum sup-
pressæ, & succi alò rapti, quantò morbus videa-
tur esse grauior, tantò minùs ausim expurgans
medicamentum dare, quia tantò certiùs videtur
fore, vt homo moriatur cum furore aut conuul-
sione, aut cum interna inflammatione refrigera-
tis extremis. Quid ergo, negabimus has ob cau-
sas fieri potuisse, vt hic Fullo liberaretur tapsiæ
vsu? Cùm præcipuè tapsia sit vehementissimum me-
dicamentum, si quod sit inter purgantia? Non
sanè, siquidem Hippocrates narrat. Dicemus ve-
rò rectum quoddam contigisse ex magno errore,
neque cordato medico imitandum. Quid ergo fa-
ciemus quum res altera ex parte adeò vrget, ex-
purgationem verò non audemus tentare? (nam
neque hoc dicere grauabor) mittemus sanguinem
pro ratione virium: si id non sit satis, curabimus
vsu lenientium medicamentorum succos versus
ventrem molliter reuocare, id si rectè cedere cæ-
perit, veniemus fortasse deinceps ad expurgan-
tia. Σκεπτέον τὸ χρῶμα οἷον ὑπὸ χωνώπων ἐγκαθαιμάτ-
σιν, est dignum consideratione, an expurgatio-
nem prohiberet, an verò posceret. Dubitatum
de hac re plurimum est à nostris medicis, vbi pri-
mùm hoc symptoma malignarum febrium cæpit
esse apud nos frequentissimum, est verò per to-
tam Hispaniam, ex quo per multas illius partes
cæpit grassari pestis, quæ cum quindecim ferè an-
nos iam durauerit, nondum destitit. Vocatur hoc
symptoma vulgari nomine tabardillo. Dubitatum
verò est, vt dixi, an à pharmacis in eo malo esset
abstinendum. Et primùm quidem omnibus ita
videbatur, & agendum post missionem sanguinis
exsectâ venâ, frictionibus, cucurbitulis cum & si-
ne scarificatione, & potionibus alexipharmacis,
& diaphoreticis, quòd censeretur esse sympto-
ma febrium malignarum (vt revera est) vbi ve-
rò venenosa est qualitas succorum, timeri de-
beat ad interna motus, iuuari verò ad externa, &
euacuationes profusæ malè ferantur ob pericu-
lum langoris. Verùm vsus iam indicauit, missio-
nes sanguinis satis magnas in huiusmodi febrium
principiis esse necessarias, & alui subductiones v-
tiles, tametsi neque per scamonium, aut aliud eius-
modi, sed per mitiora medicamenta aut acriores
clysteres. Neque sanè ratio repugnat. Nam tales
febres pendent ex malignis & multis, atque adeò
crassis succis: hæcque est maxima difficilis curatio-
nis causa. Quia enim maligni sunt, vrgent, quia mul-
ti & crassi longo tempore indigent vt soluantur.
Vix autem est vlla facultas, quæ plurimùm vrgen-
tem morbum possit diu sustinere, cùm præcipuè in
talibus maximè omnium repleri soleat caput, quia
ebulientibus succis ob malignam putrescentiam
erumpunt potiùs illa exanthemata, quàm vi facul-
tatis expultricis, vt variolæ vocatæ solent. Eadem
autem ebulitio facit vt repleatur caput primùm va-
poribus, deinde succis biliosis, postremò etiam
crassis. Has ob causas talibus, vbi primùm febricita-
re incipiunt, lassitudo quædam magna est, cum pul-
sus magna constrictione, & capitis occupatione fu-
mosa, mox increscit febris, & perunigilio laborat ho-
mo, ac nonnunquam delirio, simulque erumpunt
maculæ morsibus culicum similes, postremò pleri-
que eorum fiunt comatosi, vt quidam videantur
omnino facti lethargici. Opus est ergo ante omnia
multitudinem deponere missione sanguinis, quia
non aliter quàm ea deposita potest corpus ventila-
ri. Quoniam verò tantâ missionem sanguinis, quan-
ta ad totam deponendam esset opus, facultas præci-
puè malignitate labefactata sustinere non posset,
subductione per aluum opus est, ea enim est secun-
do loco magna euacuatio pro multitudine deponē-
da, quæ etiam id habet boni, quod à capite reuellit.
Ne sint autem fortia medicamenta ob febrilem ar-
dorem, sed moderata & assidua subductio alui. In
quem vsum quamplurimis non sine magna vtilita-
te, clysterem acrem mox à misso sanguine infundi
iubeo, antequàm conquiescat perturbatio & lipo-
pychia, quæ plerosque talium inuadit: commoti
enim tunc & exagitati succi abnudanter in ven-
trem secedunt. Post hæc frictione cum re aliqua ex-
tergente, & poros deobstruente, vt hordeacea fari-
na, & inunctione laxante cutem, vt chamæmelino,
& cucurbitulis & scarificationibus iuuantur. Non
quòd eam eruptionem exanthematum censeam in-
dicatoriam, & ob id iuuandam (plerumque enim
est merè symptomatica sine facultatis expultricis
operâ, & ebuliendo facta) sed quia maligna vtiliter
euocantur ad cutem, postquàm maior pars per
maiores euacuationes est educta. Vomitus in his,
neque significationem vnquam præstat bonam, ne-
que vnquam est procurandus, quia vt sectione
secunda libri sexti diximus, in enarratione histo-
riæ Simonis, quibus exanthemata adsunt vomitus
non confert. Nimirum os ventriculi acrioris sen-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 443 sur 489

ſus eſt, & cordi ac capiti vicinior, quàm vt maligni ſucci in illud debeant conuocari. Si verò non conuocati ſpontè in os ventriculi influant, leui auxilio vt tepida aqua inde reijciendi ſunt, mox fouenda pars aliquo roborante medicamento, idque cnrandum antequàm mittatur ſanguis, aut ſi nondum miſſus ſit, aut nondum ſatis. Subductoria verò pharmaca vt in ventriculi fundum conuocant excrementa & trahunt, ita mox deorſum trudunt. Valleſius hoc verbum σκελέων iunxit huic τὸ χρῶμα, cùm plerique interpretes adiungant priori τρομώδης, velintque hunc fullonem fuiſſe cruribus tremulum, & habuiſſe corpus conſperſum maculis culicum puncturis ſimilibus.

OLinthi Nicoxeno eodem modo die ſeptimâ morbus remittere cum ſudore videbatur, ſorbitiones accipiebat velut botrum ex ſole. Decimâ ſeptimâ ad eum acceſſi, lingua vrebatur calor extrinſecus non erat admodum vehemens, magna corporis exolutio, vox adeò fracta vt vix audiretur, clara tamen, tempora collapſa, oculi concaui, pedes molles & tepidi, circa liemem diſtentio. Clyſterem non admodum admittebat ſed reſiliebat, ſub noctem prodijt ſtercus compactum & paucum, & aliquid ſanguinis, arbitror à clyſtere. Vrina pura erat & pellucida, decubitus ſupinus, crura diducta ob exolutionim, penitus inſomnis erat, intra vigeſimum diem calor mitigatus eſt. Potus erat aqua in qua farina craſſior macerata fuerat, verumetiam pomorum ſimul, & mali punici, & lentis toſtæ ſuccus frigidus, & farinæ lotura cocta, frigida, tenuis ſorbitio exhibita eſt. Superſtes manſit.

Nicoxeno (inquit) ſimiliter die ſeptimâ morbus remittere videbatur cum ſudore. Ego non intelligo ſimiliter liberatum videri, atque Fullonem in Syro, nam Fullo non eſt viſus liberari die ſeptimâ, neque ante decimam octauam, neque tunc quidem cum ſudore: ſed cum ſimiliter affectus eſſet ac ille, viſus eſt morbus remittere cum ſudore die ſeptimâ, Nimirum hic quoque, vt & Fullo Syrus, laborauit febre malignâ cum exanthematis, cùm tamen die ſeptimâ adeò remiſiſſet febris, vt ille videretur ab ea liberatus, rurſus exacerbata eſt. Ῥοφήματα (inquit) φορητὸν οἷον βότρυν ἐξ ἡλίου, hoc eſt ſuccum botri inſolati expreſſum. Haud ſatis conſtat ex ipſa phraſi, an hoc dicat, vt indicet victum quo vtebatur, aut occaſionem ægrotandi. Mihi quidem ob facultatem potionis & morbi naturam videtur conſentaneum, eam fuiſſe occaſionem febricitandi aut febris augendæ. Nam muſtum, vt libro ſecundo de diæta ab Hippocrate dicitur, feruet in ventre nimirum vt in doliis. Cùm ergo dictum nuper ſit, cauſam exanthematum per febres malignas eſſe ſanguinis feruorem, conſtat nullam potiùs eſſe poſſe eius mali occaſionem, quàm muſti ex inſolatis botris expreſſi potationem. Præterit reliqua Hippocrates, vt qui non viderit, ſed relatu agnouerit tantùm eum ægrotaſſe ſimiliter ac Fullonem, & dicit, decimaſeptimâ die acceſſi ad eum. Symptomata omnia quæ ſe in ægroto dicit vidiſſe, referebant febrem malignam, vrentem interiùs magis quàm exteriùs, & langorem facultatum inferentem, & conuulſorium quiddam, & raptum humorum in ſuperna, quæ omnia febribus illis, quibus ſuperueniunt dicta exanthemata, familiara ſunt. Nam lingua ardens, & calor extrinſecus non admodum vehemens, & pedes tepidi ſignificabant vrentem calorem in viſceribus: exolutio corporis grauis, & pedes molles, hoc eſt, laxi, & nullam habentes firmitudinem, & decubitus ſupinus, & crura diducta ob exolutionem, ſignificabant langorem facultatis animalis: tempora collapſa & oculi caui, vitalis & naturalis: Vox clangoſa, ita vt laborioſum eſſet audire (ideſt percipere quæ dicerentur) clara tamen, & clyſterem admittere non poſſe ſed reſilire, conuulſoria erant. Niſi fortè flatus occupans inteſtina arcebat clyſterem, cui atteſtaretur diſtentio ſiniſtri hypochondrij, aut fortè ſtercus durum obturans rectum inteſtinum, quod ſub noctem prodijt à clyſtere cum modico ſanguine. Hippocrates cauſam & excreationis ſanguinis reijcit in clyſterem, atque quandoquidem ille dicit, ita cenſere æquum eſt, maximè ſi ex cucumere ſilueſtri, quo veteres frequenter vtebantur, aut re alia tali paratus erat clyſter: ſcimus tamen etiam citra clyſteres excerni nonnumquam ſanguinem, ob ſolas fæces duras & compactas, atque eam ſolam cauſam dyſenteriæ faciendæ eſſe ſolere: verùm ſiccitas tanta fæcum, & vrina pura ac pellucida, & vigilia illa magna raptum in caput innuebant. Tamen cùm hæc omnia haberet, manſit ſuperſtes, & mitigatus eſt calor intra viginti dies, neque mirum. Nam tametſi morbus hic periculoſus eſſet, experimento tamen longo didicimus, multò eſſe plures qui ab eo liberentur, quàm qui intereant. Dicit eum eſſe vſum potu aquæ in qua farina craſſior macerata fuerat, aut ſorbitione polentæ, ſimul & ſucco pomi cuiuſpiam acidi, & mali punici, & decocto lentis frigido, & exhibitam eſſe loturam farinæ coctam & frigidam, hoc eſt, aquam coctam per quam colata ſit farina, & ea quidem poſt coctu-ram refrigerata. Quæ potiones ad extinguendum feruorem, & obtundendas acres qualitates videntur idoneæ, non tamen adeò ad incidendum, & aperiendum, & diducendum in corporis habitum, quod ille morbus videtur deſiderare. Eſt tamen hic animaduertendum, etſi plerumque ea febris ex ſanguine craſſo, & putreſcente malignè naſcatur, non tamen ſemper: ſed vt morbos alios pleroſque differentiam accipere ex materia, eſſeque aliquando febrem malignam cum exanthematis pituitoſam, aliquando bilioſam, aliquando etiam atrabiliariam, & curationem etiam ita variare. Huic non tam craſſorum, quàm acrium & tenuium fuiſſe redundantiam, indicauit vſtio & peruigilium, ſolent enim quibus admiſta pituita eſt, comate premi. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ aliis fuiſſent aduerſiſſimæ. Fuiſſet tamen huic aduerſiſſimum theriacâ vti, aut deco-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 444 sur 489

©BIUM

ctis ex herbis calidis quantumuis fuiſſent alexipharmacæ, vt dictamni, & ſcabioſæ, & cardui benedicti, quæ tamen in aliis ægrotis ſimili morbo laborantibus ſolent vtiliter præſcribi. Variant admodum in hac hiſtoria lectiones, multi enim interpretes legunt ἄνευ ἰδρῶτος, quidam verò μεθ' ἰδρῶτος, minùſque appoſitè. Valleſius etiam legiſſe videtur οἶον βότρυν ἐξ ἡλίου, cùm legendum ſit οἶνον, βότρυν ἐξ ἡλίου, vt ſignificetur ægrum bibiſſe vinum, & vnas paſſas & inſolatas comediſſe.

Fvllonibus inguinum tumores exorti ſunt duri & ſine dolore & circa pubem & cervicem magnitudine ſimiles, febris decem diebus præceſſerat, tuſsi vexabantur ex ruptionibus. Tertio menſe aut quarto venter diſtentus eſt. Calores ſuperuenerunt, lingua ſicca erat, ſitis, deiectiones vtrique difficiles, mortui ſunt.

Hæc eadem dictio occurrit in libro quinto, atque adeò longè emendatior, hanc enim corruptam eſſe & vitioſam ei qui cum illa contulerit facilè conſtabit, neque quidem ego aliam ob cauſam hic ſcribi volui, quàm vt ob oculos ponerem eius corruptionem, & lectoribus indicarem hunc locum ſecundum illum emendari debere. Illic habebatur hoc modo, Fulloni inguinum tumores exorti ſunt duri & ſine dolore, & circa pubem & in collo magnitudine ſimiles. Febris quidem præceſſerat lenta per tres menſes, quarto venter diſtentus eſt. Calores ſuperuenerunt. Lingua ſicca erat, ſitis, deiectiones alui moleſtæ, mortuus eſt. Itaque vbi hic legitur τῶν γναφίων, id eſt fullonum, illic τῷ γναφεῖ, ideſt fulloni, & tota hiſtoria hic narratur de multis, illic de vno. Conſtat verò quàm ſit probabilius, morbum vnicum in vnicum quàm in multos homines incidiſſe, nam videtur figmentum fullones multos eodem omnino morbo laboraſſe. Rurſum vbi hic legitur πυρετὸς ἔμπροσθεν δέκα, βηχώδεις ἀπὸ ῥήγματων, ideſt febres ante decem, tuſſiculoſi à rupturis, illic legitur, πύρετὸς πρόσθεν μὲν βληχώδης τείνει, ideſt febris primùm quidem lenta tertio, quæ lectio quàm ſit conſona, conſtabit legenti loci illius enarrationem: cùm tamen quæ hic occurrit ſit ineptiſſima. Nam in morbo qui à ſcirrhis incepit non eſt conſentaneum, febrem ortam eſſe ante decem dies, multò minùs ceſſaſſe ante decem dies, ſi id placeat intelligere. Iam verò vix potes intelligere, quid ſibi velit per βηχώδεις ἀπὸ ῥήγμάτων. Certè nihil eſt niſi mendum. Illud verò, ὑποχωρήσις ἑκάτω χαλεπαὶ ineptum & incongruum eſt, congruentius illud, deiectiones infernæ difficiles. Legendum itaque, pro ὑποχώρησις ὑποχωρήσεις; & εἰ κάτω pro ἑκάτω ac poſtremò pro ἀπέθανον ἀπέθανεν.

Cholera morbus contrahitur ex carnis eſu, maximè verò ſuillæ crudioris, & ex cicere, & ebrietate vini odorati veteris & inſolatione, & eſu ſepiæ, locuſtarum & gammarorum, olerum, maximè porri & ceparum, verumetiam lactucarum coctarum, & braſſicæ & lapati crudioris, & à placentis & mellitis libis & à fructibus horarijs, & cucumere, pepone, & potione parata ex vini & lactis mixtione, & orobis, & polenta recenti. Æſtate præcipuè cholera morbus, & febres intermittentes graſſantur, & hæ quibus horrores ſuperueniunt. Hæ aliquando malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt, ſed cauere oportet. Tales autem morbos præcipuè quinta, ſeptima, & nona indicant, melius eſt verò ad decimam quartam vſque obſeruare.

Cholera morbus, ſiue ad humore bilioſo, ſiue ab inteſtinis quæ χολάδας vocabant veteres, vt Trallianus cenſet, appellatus, morbus eſt notiſſimus, perinde ac acutiſſimus, & periculoſiſſimus: eius ſymptoma eſt aſſidua ſimul & deiectio & vomitio, tametſi etiam alia ſit quæ ab Hippocrate vocatur cholera ſicca, per quam ſunt ad ambas excretiones irritamenta aſſidua, etſi ipſæ excretiones non ſubſequantur. Ambæ choleræ, & ſicca inquam & humida naſcuntur ab eiſdem cauſis, vt nauſeæ ſcilicet & vomitiones. Has fortaſſe ambas affectiones reſpiciens dicit, nomine multitudinis τὰ χολειακά. Duas habet hæc dictio partes prima continet cauſas quæ choleram morbum ſolent facere, ſecunda tempus quo ea maximè ſolet fieri, ſimulque agit de morbis, qui eodem tempore fieri conſueuerunt. Morbum hunc conſtat fieri debilitato ventre toto, aut ob incoctionem multi aut incoctilis, aut corruptionem cibi facilis, aut qualitatem aliquam lædentem, velut acrem, aut nitroſam, aut pinguem: atque ita eum ſolere naſci ab eſu pinguium & oleoſorum (quod hæc reſoluant ventrem, & velut in fumoſam & rancidam qualitatem facilè vertantur, veluti carnes pingues) aut dulcium, quòd hæc facilè bileſcant (Huiuſmodi ſunt itria, & placentæ) aut concoctu difficilium, quòd incocta maneant (huiuſmodi ſunt male elixatæ, aut aſſatæ carnes) aut leuium redundantiumve multa humiditate, quòd facilè corrumpantur (huiuſmodi ſunt olera, & fructus horarij) aut nitroſorum (huiuſmodi ſunt legumina, & quædem olera) aut acrium & exurentium: cuiuſmodi ſunt aromata & vinum generoſum, & meracius. Quædam horum ineſſe omnibus hic enumeratis cauſis, quin & earum quibuſdam multa, facilè conſtare poteſt. Nam carnes ſuillæ ſunt excrementoſæ, & corruptu faciles, crudiores verò, ideſt malè aſſatæ etiam concoctu difficiles. Hanc ob cauſam libro quarto de ratione victus in acutis ita ſcriptum eſt, ſuillæ carnes prauæ ſunt, cùm fuerint crudiores aut ambuſtæ: præcipuè autem choleram gignunt, & turbationem faciunt. Cicer nitroſum quiddam habet, vt & ſepia, & locuſtæ, & gammari, & braſſica, & lapathum crudius, & erum, quæ etiam omnia concoctu ſunt difficilia, etſi non omnia æquè; ſed ſepia, locuſtæ, & gammari multò plus. Ebrietas vini odorati veteris, & inſolatio, ideſt

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 445 sur 489

©BIUM

longa mora in ſole per æſtum, vrendo faciunt choleram, bilioſum enim reddunt ſanguinem, & fluxiones commouent. Olera etiam acria vt porri & cepæ eiuſmodi ſunt, replentia ſcilicet acribus & naturam irritantibus ſuccis. Conſiderandum Hippocratem vituperare lactucas coctas, & braſſicam ac lapathum crudiora. Durum certè videtur inter choleræ cauſas recenſere eſum lactucarum coctarum, oleris adeò à medicis omnibus commendati, & vt illis videtur, innoxij. Certè lactuca vix habet vllam qualitatem noxiam, eſt nihilominùs frigida & humida, quapropter nimius eius vſus replere poterit ventrem cruda humiditate, itaque vt olera omnia (etſi minùs quàm alia) poteſt hoc quoque debilitare ventriculum, ſi omnino immoderatus ſit eius vſus: & eam noxam fortaſſe infert citiùs cocta, quàm cruda, contrà ac braſſica, blitum, & beta, & alia eiuſmodi. Hæc enim qualitatem cùm habeant malignam & nitroſam, elixatione indigent, vt eam deponant: lactuca verò cùm nullam habeat, neque ablutione quidem indiget vt corrigatur, & coctura fit laxior, & exoluens. Quapropter Dioſcorides ita ſcriptum reliquit, ſtomachicis illotas eſſe prodeſt. Non ergo eſt quod medici tantopere grauentur concedere febricitantibus lactucas crudas, & coctis vti ſemper cogant, præcipuè æſtate. Nam Galenus ipſe cùm anteà multo tempore eſſet vſus lactucis crudis, non alia cauſa dicit ſe coctis vti cœpiſſe quàm quod dentes iam eſſent deteriores, vt ipſe teſtatur ſecundo de alimentorum facultatibus. Placentæ, & mellita liba, pinguia ſimul ſunt & dulcia, & vtraque ratione noxia. Fructus horarij (vt dixi) ſunt corruptionis facilis. Vbi legimus & cucumere pepone, legitur græcè καὶ σικύου πέπονος, dicere quidam poſſet καὶ σικύου, καὶ πέπονος, ideſt & cucumere, & pepone, & rectè quidem, nam vt Galenus ſecundo de alimentis dicit vterque choleram gignit, etſi pepon magis quàm cucumer, vt qui craſſior illo eſt: verùm quandoquidem citra particulam coniungentem dicit, καὶ σικύου πέπονος, ideſt & cucumere pepone, videtur mihi ambabus illis vocibus ſignificare ſolum peponem, quia vt Galenus dicit capitulo 4. illius libri, medici quidam voluerunt peponem appellare, ſed componentes σικυοπέπονα, ita mihi videtur hoc loco legendum σικυοπέπονος. Οἰνόγαλα id eſt, ex vino & lacte parata potio antiquiſſimis in vſu fuit, occurritque iam anteà in ipſo hoc opere ipſius mentio. Nam libro ſecundo ſectione 5. commendabatur ad fracturas oſſis in capite: nunc recenſetur inter cauſas choleram inferentes: & ſanè probabilius eſt hoc quàm illud, licèt illius quoque quam potuimus probabilem reddimus rationem ſuo loco. Nam lac aceſcit facilè, cùm verò fuerit acidum, vinum quoque trahet in aceti naturam, aceto verò cum lacte permiſto nihil ventri magis aduerſum, quia lac ipſum in grumos & ſerum reſoluit, & flatu diſrumpit. Itaque οἰνογάλακτος potionem hac ratione eſſe periculoſam, ego maximè probo. Polentam non adeò video vituperari ab antiquis, quin potiùs eâ vti iubeant ad eas choleras, quæ ab acribus ſuccis excitatæ attemperantium ciborum ac potuum vſum deſiderant, ſolum video Hippocratem 2. de ratione victus in acutis dicere, polentam recentem turbationem facere, non aſſuetis ea vti: id verò non dicit, vt polentæ recentis vitium, ſed vt conſuetudinis vim explicet, atque ſi id quod nunc dicit iuxta illud interpretemur, intelligendum eſt, polentam recentem afferre ſolere choleram quibuſdam ob deſuetudinem ea vtendi. Polenta teſtibus, Gal. 3. de alimentis, & Plinio c. 25. lib. 22. parabatur ex farina hordei toſti, atque ob firmandi potiùs ac ſiſtendi ventris, quàm euertendi vim habere putabatur, tamen recens parata euertit ventrem iis qui eâ vti non ſolebant. In ſecundâ dictionis parte dicit χολερικὰ, ideſt choleras morbos præcipuè fieri æſtate. Nimirum æſtate & autumno inopia naturalis caloris laborant, & debiles ſunt ventres, & bilis facilè in eos confluit. Addit καὶ οἱ διαλείποντες πυρετοί, καὶ οἵσι φείκη ἐπίγινονται, quæ periphraſis ſignificat febres tertianas præcipuè, deinde verò & quartanas, quia exquiſitæ tertianæ incipiunt à magnis rigoribus, quartanæ etiam ab horroribus & rigoribus exiguis. Dicitur verò aphoriſ. 21. ſectionis tertiæ, æſtate fiunt tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia. Addit nunc Hippoc. has febres per æſtatem ortas, aliquando malignas fieri, & in febres continuas & acutas mutari: ac proinde cauere oportere, ideſt timere, & curare cautè, neque quippiam erroris committere, etſi principiò exiguus prorſus morbus, & contemnendus eſſe videatur, maximè autem tales morbos inquit indicare quintam, ſeptimam, aut nonam. Quandoquidem de intermittentibus loquitur, conſonum eſt intelligere, quintam, ſeptimam, aut nonam circuitionem: nam in intermittentibus non eſt dierum numeratio, ſed circuitum. Quidam illa verba μάλιστα δὲ τὰ τριαῦτα νοσήματα ἡ πέμπτη, καὶ ἡ ἑβδόμη, καὶ ἡ ἐνάτη δηλοῦσι. Ita vertunt, præcipuè autem tales morbos, quinta, & ſeptima, & nona iudicant. Mihi verò videtur Hippocrates dicturus, non δηλοῦσι ſed κρίνουσι vt ſolet, dicit verò δηλοῦσι ideſt manifeſtos faciunt, ſeu produnt, ſeu arguunt, quod quidem nihil eſt aliud, quàm his diebus ſolere ſe prodere eorum malitiam, quòd ſcilicet in eis ſoleant ex intermittentibus continuæ fieri. Ob id ergo donec eæ dies exactæ ſint, cauere oportere, hoc eſt cautè eos curare, nihilque permittere vt delinquant, ſuſpectos habentes ſemper morbos, qui alioqui ob propriam figuram videntur eſſe ſecuri: neque ad dictas vſque dies conſuluit Hippocrates cauere, ſed quaſi meliùs & conſultiùs etiam vſque ad decimam quartam obſeruare: nimirum non vult nos ad intermittentibus æſtiualibus ſecuros eſſe, donec præterijſſe decimam quartam periodum viderimus, neque fieri continuas.

PHerecidæ poſt Solſtitium hybernum noctu lateris dextri dolor, anteà etiam conſuetus ceſſauit, pranſus eſt, & egreſſus horruit, febris ſub noctem corripuit, doloris expers fuit, tuſſicula quadam ſicca vexabatur. Vrinæ non multæ, hypoſtaſis copioſa; ab initio ramentoſa glabra, dinulſa, poſt quartam verò turbida ſubſidebant, & vrina non decolor ſubſidentiam habebat, nec collectio in

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 446 sur 489

matula apparebat, vbi refrigerata esset. Tertia die alvus sua sponte egessit, quartá glande suppositá stercorosa & biliosa deiecit: Liquidus erat fluxus, somnus sub noctem non admodum, sed interdiu aliquando dormiebat, sitis non erat vehemens. Quartá sub noctem maximè, cutis circa frontem & reliquum corpus mollis semper eminebat. Febris ad manus contactum cum madore aliquo superata videbatur, pulsus in fronte erat admodum obscurus, venarum grauitas in omnibus corporis conuersionibus & alui deiectionibus percipiebatur, pauco tempore per totum morbum doloris expers fuit, ab initio anxius, & paulatim vomebat. Septimâ à subdita glande ter deiecit biliosum & stercorosum, liquidum admodum & pallidum, & iam aliquantulum delirabat, & exigua aliquando humiditas circa frontem aderat. Stragula super faciem ducebat, oculos frustrà, quasi aliquid aspiceret, conuertebat, rursusque nictabat, & stragula abijciebat. Nonâ die sudor mane obortus vsque ad pectus perseuerauit, donec moreretur, & febris ac delirium intendebantur, circa frontem plurimus sudor, ac velut graueolens quidem, & colore admodum albo. Cutis autem sub pilis erat interpuncta, hypochondrium dextrum in tumorem sublatum, à seipso biliosum quid dimisit. Octaua veluti culicum morsus apparuerunt, ante mortem tussiendo reiecit veluti ex muco concretos fungos alba pituita circundatos: excreauerat autem etiam anteà parua, alba, lactea. Post cœnam quidam per somnum horruit, mane surrexit cum capitis grauitate, horruit, vomuit, capitis grauitate afficiebatur, sub noctem remisit ferè vsque ad meridiem, rursus horruit, noctem molestè tulit. Sequenti verò die febris acuta corripuit, vehemens capitis dolor, vomitus multa bilis, quæ magna ex parte erat porracea, remiserunt omnia, sub noctem somnus accidit, mane perfrigerabatur, sudor exiguus & mador ex plerisque corporis partibus dimanauit. Circa lienem manu inuocabat pauco tempore collectionem indolentem, quæ statim euanuit per noctem insomnis erat, sub fori tempus exacerbabatur febris, anxietas aderat, tenebricosa vertigo, intestinorum tormina, capitis dolor, vomitus porraceus, lauis, velut pituita viscosus, circa Solis occasum cessauerunt omnia cum sudore capitis & colli. Excreuit post vomitum stercorosa, liquida, biliosa, neque nigra neque incongrua, per noctem sequentemque diem moderatè se habuit, sub noctem rursus insomnis fuit. Vomitus sub diluculum accidit & similiter sequenti die, sine anxietate fuit. Capitis autem dolores post sudores cessauerunt, sub vesperam omnia remiserunt. Nona non amplius vomuit, sed magis incaluit, reliquis non videbatur febricitare, venæ temporum pulsabant, sine dolore omnino fuit, sitis semper aderat. Nonâ cùm ad sellam surrexisset, graue animi deliquium passus est, deiecit à subdita glande parua ramenta nigra, & biliosa, coloris stercorosi fuit quicquid inde distillauit, vox fracta, in corporis conuersionibus grauitatem percipiebat, oculi caui, cutis frontis circumtensa, alioqui bene spirabat, compositus erat, & ad parietem plerumque conuersus, mollis in decubitu, incuruatus, quietus, lingua alba, lauis. Circa decimam diem & posteà vrinæ circulatim rubræ in medio exiguum quid album habebant. Duodecima ex glande subdita similia distillabant biliosa & ramentosa, post glandem animi deliquium passus est, deinde os resiccabatur, colluebatur semper, & nisi frigida admodum esset aqua calidam esse dicebat, niuem leuiter gustabat, deinde sitis non aderat. Stragula semper a thorace proijciebat, chlamydem calefieri non sinebat, ignis procul & paruus erat, vtraque maxilla rubore suffusa est. Post hæc inarticulata fuit loquela, per vnam aut alteram diem recaluit & cessauit.

Multò magis operosum esset quàm vtile, narrationem hanc longam, obscuram, & perturbatè scriptam interpretari: neque sanè omnino fieri posset, nisi diuinando. Nam luce clarius est, eam vt hic occurrit, à nullo vnquam hominum esse scriptam, sed ob vetustatem vitiatam esse mille modis, deesse multa verba, alia esse interiecta, alia permutata, atque ob id quædam incidisse, vbi nihil possent significare. Quale mihi videtur illud, hypostasis multa, ramentosa, glabra, diuulsa, quam enim vrinæ hypostasim intelliges dici glabram? Porrò quis non videat pertui batam dierum enumerationem, vt posterioris antequàm prioris fiant mentio, & eadem pluries repetatur, ex codicum corruptione nasci. Nemo verò potest lectionem restituere, nedum enarrare, ob id consultius esse videtur ac prudentius transilire, cùm præcipuè nihil adeò ad artem vtile videatur tota hac dictione insinuari. Illud solùm Iubet monere, quod quicunquè attentè leget, intelliget facilè hanc non esse vnicam simplicemque narrationem, sed geminam, primam quidem continere historiam Pherecidæ, qui die nonâ mortuus est, & laborauit eâ malignæ febris specie, quam nunc in historia fullonis frequentem esse dixi, cum exanthematis scilicet morsibus culicum similibus: alteram alterius cuiuspiam cuius nomen vetustate deletum est, qui est liberatus. Pertingit prima narratio vsque ad illa verba, Excreuerat autem etiam anteà parua, alba, lactea. Secunda incipit

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 447 sur 489

ab illis, poſt cœnam quidam per ſomnum horruit. Hoc verò adeò eſt apertum, vt ſola admonitione opus ſit.

ANdrothali vocis interceptio, ignorantia, delirium aderat, his ſedatis multis annis ſuperfuit, & recidiuæ contingebant, lingua toto tempore ſicca permanebat, niſi collueretur loqui non poterat, & plerumque admodum amara erat, aliquando etiam cordis dolore afficiebatur, hæc ſanguis miſſio ſoluit, aquæ potus, aqua mulſa. Helleborum bibit nigrum nec niſi paucum quid bilioſum prodijt, tandem hyeme decubuit, & mente alienatus fuit, & ſimiles erant linguæ affectiones, calor tenuis, decolor lingua, vox qualis eſt peripneumonicis, à pectore ſtragula reÿciebat, & ſe veluti micturum educi iubebat, cùm nihil poſſet apertè loqui, neq; ſui compos eſſet, ipſum eduxerunt, ſub noctem mortuus eſt, duobus aut tribus diebus decubuit.

Hæc eadem hiſtoria occurrit in quinto libro, ſed quia imperfectiùs quam hic ſcripta, eius enarrationem in hunc locum diſtulimus. Quamplurimos tentare ſolent paſſiones apoplecticæ, humore quopiam repentè irruente in cerebrũ, quibusid malum non firmatur, neque fit integrè, ſed velut inchoatur, ſignificanturque illa grauiſſimorum malorum initia, quibuſdam, minoribus quidem quàm apoplecticis fieri ſolent, velut in via tamen ad illa poſitis. Huiuſmodi ſunt vertigo magna, & ἀφωνία hoc eſt loquelæ interceptio, & ἄγνοια. i. ignorantia quædam omnium rerum (in hoc genere eſt ſtupormentis, & obliuio) & παραλήρησις. Hoc quidem ſolum ſi accidat, aliud indicat quàm apoplecticam paſſionem, coniunctum tamen cum alijs ſignificat etiam illam, & quandam efficientis cauſæ differentiam. Nimirum humorem qui occupare cepit & obſtruere cerebrum, bilioſum aut atrabiliarium eſſe. Ab omni enim ſucco multitudine obſtruente fieri poſſunt illæ paſſiones. Nam vel à craſſo flatu fieri ſolent earum quædam. Hic igitur Androthales, ſeu, vt in quibuſdam codicibus legitur Androphanes, tale quiddam aliquando paſſus eſt repentè, atque quia apparatus non fuit adeò magnus, non eſt factus apoplecticus, ſed proceſſit læſio cerebri vſque ad aphoniam, & ignorantiam & delirium. Multi, vt alibi dictum eſt, etiam ſine verbis delirant, geſtibus, & ſignis. Hic autem fortaſſe (vt fieri ſolet) aphonia & ignoratione rerum primum laborans, vbi loqui cœpit, delirauit. Cùm ergo paſſio adeò fuiſſet exigua, vt ne leuis quidem apoplexia dici mereretur, ſed velut quoddam initium, ceſſauit: & ſuperuixit homo multis annis, non ita tamen ſanus, vt non rediret aliquando ſimilis paſſio. Nimirum manebat interiùs idem apparatus, qui à principio fuerat. Quem indicabat lingua ſemper ſicca adeò vt niſi collueretur, loqui non poſſet, & plerumque valdè amara: & cordis dolor, hoc eſt dolor oris ventriculi, qui aliquando incidebat. Hæc omnia ſignificabant vitioſi & bilioſi ſucci redundantiam circa caput, & ventriculum, cui caput facillimè conſentit. Cùm itaque viziſſet aliquot annos hoc modo: tandem hyeme decubuit, & intra duos aut tres dies mortuus eſt, factus (arbitror) apertè ac ſummè apoplecticus. Primum verò extra ſe exijt perturbato cerebro, & linguæ erant ſimilia pathemata, ſiccitas. ſ. & immobilitas, erat iam tunc decolor, & albida ob naturalis caloris extinctionem. Vox erat peripneumonica, quaſi ſtragularetur, & nihil apertè loqui poterat, & cùm angeretur iam ob ſtrangulationem, reijciebat à pectore ſtragula, & cùm reſolutio iam inciperet ſerpere, ob reſolutionem veſicæ vrgebatur cupiditate mingendi, & perturbatè vt poterat ſe educi iubebat vt micturum, & educebant ipſum qui aderant, ille verò reſolutus poſtremò totus, ſub noctem mortuus eſt. Interponit Hip. quædam ad huiuſmodi affectus curationem ſpectantia: Φλεβοτομίη (inquit) ἐ ῥυσι πᾶσι, ὑδρυποσίη, μελίκρατον. Hanc certè curationem hoc caſu ego maximè recipio, ac probo. Suſpicorque Androthali ob hæc eſſe productam tot annos vitam: mortuum verò poſtremò eſſe, quòd cùm biberit helleborum nigrum aliquoties purgandi gratiâ, nihil tamen ſit iuuatus, quia non euacuabantur qualia euacuari oportebat. Nam bilioſum non prodibat niſi paucum. Curatio autem optima, & quæ in hoc caſu poteſt conferre maximè, poſtulat vt ante pharmacum vias laxiores faciamus, & bilioſum ſanguinem è ſupernis partibus quibus hæret ſectione venæ detrahamus, & aquæ vſu temperemus, & vſu longo mulſæ reddamus lubricam aluum: verùm citra hæc helleboro bilioſus humor non cedit, & homo neque purgatur, neque adiuuatur. In eo igitur cui tale quid acciderit, & talis eſſe videatur humoris ſpecies, venam ſeca pro virium ratione, & aqua vti iube, & mulſa interimque cibi boni ſucci mediocri quantitate. Mox ſuccedunt hiſtoriæ Nicanoris, Damoclis, Parmeniſci, & ſeruæ Cononis, quæ eædem & eodem ſcriptæ ordine occurrerunt in quinto libro, atque eiſdem verbis, præterquàm quòd ex hiſtoriâ Parmeniſci illic nihil erat præter principium, ſed ego totam hinc illuc tranſtuli: atque enarraui cum reliquis, quas nunc ideò repetere nihil refert. Vt neque hiſtoriam ſerui Timocharis, neque pueri Nicolai, cuius etiam initium ſolùm in libro quinto eſt, tamen eſt ea quoque à me illuc tranſlata. Itaque licet mihi nunc vſque ad hiſtoriam Metonis tranſilire.

METonem poſt Pleiadum occaſum febris corripuit, & lateris ſiniſtri dolor vſque ad clauiculam protenſus, atque is adeò vehemens vt quieſcere non poſſet, & inflammatione laborabat. Deiectio copioſa erat, bilioſa, tribus ferè diebus ceſſauit dolor, calor verò circa ſeptimam aut nonam. Tuſsis aderat, excreationes neque vllo modo bilioſæ neque multæ fiebant, verùm pituitoſæ tuſſes comitabantur, cibos ſumebat, aliquando velut ſanus exibat. Aliquando autem illum calores tenues exiguo tempore corripiebant,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 448 sur 489

ſudores exigui ſub noctem accidebant, ſpiratio in calore frequentior aderat, maxillarum rubor, lateris grauitas, & ſub axillã & ad humerum pertingebat, tuſſes detinebant. Medicamentum per ſuperiora eduxit bilioſa: tertia poſt medicamentum pus erupit, quadrageſimâ verò ab initio morbi. Per alios vero triginta quinque dies repurgatus eſt & ſanus euaſit.

Hic pleuritide laborauit primùm, cuius intra tres dies dolores ceſſauerunt ceſſante fluxione, tamen non eſt liberatus, ſed inflammatio eſt ad ſuppurationem conuerſa, & ob ib iam inde factæ non ſunt excreationes, neque multæ neque bilioſæ, quales ſ. ex materia propria fieri ſolent, ſed tamen tuſſes pituitoſæ, hoc eſt per quas nihil excreabatur niſi pituita, ea ſcil quæ naturaliter colligitur in pulmone. Conſtat huic ceſſaſſe fluxionem tertia, ſuppurationem verò ferè perfectam eſſe intra nouem dies, quia eo tempore ceſſauerunt calores, qui pure iam confecto exigui manere conſueuerunt. Vomica puris quadrageſima à prima rupta eſt, iuuit fortaſſe vt rumperetur vomitio à pharmaco facta. Purgatus deinde alijs triginta-quinque euaſit. Habuit hic quidem omnia ſigna ſuppurati, & euaſuri, iuxta ea quæ in prognoſtico ſcripta ſunt ab Hippocr. Nam calores interdum fientes, & ſudores nocturni, ſpiratio in febre crebrior, & maxillarum rubor, & grauitas circa latus pro dolore, & permanentes tuſſes ſuppurationem indicabant: Verùm cibos guſtare, hoc eſt libenter accipere ſuppurationem ſalubrem. Multa etiam detectione bilioſa non potuiſſe perſanari, ſed cum maximè videretur liberatus, ſuppuratum manſiſſe iuxta morbi conditionem contigit. Nimirum in pleuritide, & reliquis thoracis morbis, niſi in raris quibuſdam naturis, non probatur alui profluuium.

VXori Theotimi in febre ſemitertiana anxietas & vomitus accidit, horrorque ſimul & ſitis quum febris incipiebat: progreſſu vero temporis in ipſo febris exordio ingens calor. Cùm autem aquam mulſam potaſſet & vomuiſſet, horror & anxietas ceſſarunt, & poſteà mali punici ſuccum accepit.

Bis dicitur in breui hac dictione, ἀρχομένῳ τῷ πρετῷ: primo loco ſignificat primam paroxyſmi partem, quo ſignificato dicimus quum aliquis rigere incipit, ei iam incipere tertianam febrem, nimirum ipſum rigorem vocantes primam febris partem: ſecundo loco ſignificat reliquum paroxyſmi tempus præter inuaſionem. Quo ſignificato, quum finitur rigor dicimus febrem incipere, diuidentes ſcilicet paroxyſmum in rigorem aut horrorem, & febrem. Deſcribit ergo hic Hippocrates febris ſemitertianæ, qua vxor Theotimi laborauit paroxyſmos, & dicit quibus ſuccurretur, & in ipſa inuaſione, & deinceps in febre. Fuiſſe dicit ei cum febris inciperet, hoc eſt in ipſa febris inuaſione, horrorem cum anxietate & vomitu, & ſiti: procedente verò paroxyſmo, cùm finito horrore febris iam inciperet, calorem ingentem. Datum verò eſſe in initio melicratum, tepidum ſcilicet vt vomeret, & ita ſedata eſſe horrorem & anxietatem, vacuatâ certè bonâ parte ſuccorum, qui in ore ventriculi aceruati ea ſymptomata inferebant: & poſteà cùm iam febris arderet, datum eſſe quod ex ſida. Quidam vertunt ſuccum mali punici: Hippocrates verò dicit τὸ ἀπὸ τῆς σίδυς quo nomine non video ab autore quopiam vocari malum punicum. Si verò vocari poſſit, mihi placet ita legi, quandoquidem malo punico nihil eſt conuenientius, in feruore præcipuè patientis ori ventriculi, Atqui ſuſpicor ſidam facultate punico eſſe ſimilem, vt eſt figura. Nunc incognita eſt, deſcribitur à Theophraſto lib. 4. de hiſtoria plantarum capit. vndecimo. Verùm quandoquidem eſt incognita, tu vteris Hippocratem imitatus in ſimilibus feruoribus malorum punicorum ſucco. Diopethis ſororis hiſtoria eiſdem prorſus verbis occurrerat in quinto.

VXori Apomoti in febre ſemitertiana circa Arcturum vehemens oris ventriculi dolor & vomitus in ipſa febris inuaſione contigit, ſimúlque vterinæ inſtabant ſtrangulationes & ad dorſum dolores erant iuxta ſpinam. Cùm autem huc ei peruenißent, oris ventriculi dolores ſoluti ſunt.

Velut vxori Theotimi in apprehenſione ſemitertianæ anxietas, vomitus, & horror accidebant ita huic cardialgia, vomitus, & ſtrangulationes ex vtero, vitioſo ſucco incumbente ſimul in vterum, & os ventriculi. Contingebat verò paulò poſt ſolutio cardialgiæ, dolore eunte in dorſum iuxta ſpinam, quà ſcilicet deſcendit ex ore gula ſpinæ affixa. Quapropter ſignificat rectitudo, ſolutionem cardialgiæ fieri ſucco ab ore ventriculi in gulam deſcendente. Iuuari potuiſſet hæc quoque vomitu ex mulſa, nam ſoluiſſet vomitus cardialgiam, & dolorem dorſi anteuertiſſet, & reuelliſſet ex vtero, quem interim calida aliqua, & laxante inunctione, velut anethino aut irino foueri oportet.

TErpidæ matri à Doriſco cùm ex caſu menſe quinto gemellorum aborſus accidißet, hæc quidem ab altero ſtatim velut tunica obuoluto liberata eſt, ab altero vero vel prius vel poſterius quadraginta diebus, poſteà autem vtero geſtauit. Verùm anno nono vehementes ventris dolores diu tenuerunt, & aliquando quidem ex ceruice & ſpina incipiebant, conſiſtebant vero in imum ventrem & inguina, aliquando vero ex genu

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 449 sur 489

©BIUM

dextro exorti in eundem locum conſidebant. Et quum circa ventrem dolores erant, intumeſcebat aluus, quum verò ſedabantur, ſimul oris ventriculi dolor accidebat, ſtrangulationes non aderant, ſed corpus frigebat quaſi in aqua iaceret. Quo tempore dolor accidebat, per totum corpus reuertebantur dolores mitiores quàm in principio. Allia, ſilphium, acria omnia non conferebant, neque dulcia, neque acida, neque vina alba, ſed nigra & balnea rara. Per initia vomitus vehementes accidebant & cibi excludebantur, nec per dolores muliebria apparebant.

Omnia hæc mala fuiſſe vterina inſinuat Hippocrates inchoans narrationem ab abortu, qui nouem ante annis factus erat, quamquam ab eo non adeò læſus manſit vterus, ſed poſteà concepit, atque vt ego intelligo, pluries, ſi quidem tam multi anni exacti ſunt, menſtruis nondum deficientibus. Non enim defeciſſe per ætatem conſtat, quandoquidem dicit per dolores non apparebant muliebria, quaſi ſcilicet apparere ſolerent. Cùm ergo huic ex abortu difficili ſanè & periculoſo (ſi quidem gemellorum, & menſe quinto, in quo ſolent acetabula eſſe firmiſſima, & ab altero vix ſe quadraginta diebus expediuit) læſus non nihil maneret vterus, anno nono (cùm interim aliquoties concepiſſet) incepit morboſa admodum eſſe ex vtero, fuitque per multum tempus. Inceperunt dolores graues ventris qui diuerſimodè fiebant, aliquando quidem ex ceruice & ſpina incipientes conſidebant in hypogaſtrium & inguina: aliquando verò incipientes ex genu dextro conſidebant in eundem locum, in hypogaſtrium ſcilicet & inguina, vbi vterus ſitus eſt, & quum ibi erant dolores, intumeſcebat venter, quum ſedabantur eius loci dolores accidebat cardialgia, repente ſcilicet humore in ventriculum, qui etiam patiebatur cum vtero. Nam initio etiam contingebant vomitus graues, per quos cibi omnes ingeſti reijciebantur. Etſi hic morbus vterinus fuerit, & cum ſupreſſione menſtruorum acciderit (non enim apparebant muliebria, quum dolores tenebant) non tamen afferebat ſtrangulationes, quales fieri ſolent ex vtero, ſed refrigerationem corporis, quaſi in aqua iaceret. Nimirum non pendebat malum ex frigidis ſuccis aut flatibus, ſed ex acribus. Frigida enim aura inde aſcendens, occurrenſque cordi reſpirationis tollit vſum, atque ita & reſpirationem: acria verò mordendo calorem intrò reuocant. Hanc ob cauſam, neque allia, neque ſilphium ſiue laſſer, neque alia acria, quæ in frigidis vteri paſſionibus conferre ſolent, conferebant, neque dulcia, quia & hæc facile bileſcunt: neque verò acida, quia vterus malè fert eorum vſum, neque vinum album, calidius enim & mordacius eſt magna ex parte hoc: ſed vinum nigrum, & balnea rara, attemperando ſcilicet. Arbitror verò cauiſſe medicos balnea crebra, ne humiditas creſceret. His rebus mitigata ſunt mala, ac poſtremò cùm dolores fierent, non iam fiebant quales à principio, ſed reuertebantur mitiores quidam per totum corpus, quaſi ex pauciori & mitiori cauſa pendente malo, & vtero minùs iam affecto.

Vxori Cleomenis circa tempus quo flat Zephyrus, ex nauſea & laſſitudine lateris ſiniſtri dolor accidit, qui à ceruice & humero incepit, febris aderat & horror & ſudor. Inceperat autem febris, neque deſinebat, ſed intendebatur, & vehemens erat dolor, tuſsis exſcreatio ſubcruenta, pallida, multa, lingua alba, deiectiones mediocres, liquidæ, vrinæ bilioſæ. Quartâ die ſub noctem muliebria prodierunt copioſa, ceſſauit tuſsis, & exſcreatio & dolor. Calor autem tenuis remanſit.

Non arbitror nauſeam, & laſſitudinem vt cauſas procatarcticas morbi hoc loco nominari, ſed velut exordia, & initia illius: non inquam quòd nauſea & laſſitudo morbum fecerint, ſed quòd ille à nauſea & laſſitudine inceperit. Itaque mulier primùm laborabat nauſeâ & laſſitudine ſpontaneâ, deinde ſucceſſit lateris ſiniſtri dolor, incipiens à ceruice & humero, & febris & horror, & ſudor, & cùm incepiſſet febris cum horrore, & ſuperueniſſet ſudor, haberétque ſpeciem intermittentis, non tamen deſiit, ſed manſit, & intendebatur, & dolor etiam grauis, hoc eſt, moleſtus intendebatur, & tuſsis & erat excreatio ſubcruenta, pallida, & multa, & lingua erat alba, & deiectiones mediocres liquidæ, hoc eſt quantitate & multitudine mediocres, ſubſtantia autem humidæ, vrinæ bilioſæ. Huius morbi præcipuam cauſam fuiſſe menſtruorum ſuppreſſionem, & in ſupernas partes recurſum, euentus indicauit: præterquàm quod ex ipſius ægrotæ narratione id oportuit diſcere: nam quartâ die ſub noctem venerunt muliebria copioſa, ſoluta ſunt tuſsis, & excreatio, & dolor, manſit tamen calor quidam tenuis, hoc eſt, exigua quædam febricula. Nimirum ſanguis alioqui per vterum effluxurus, per venas communes regurgitauerat in latus ſiniſtrum, quà mamma eſt, vſque ad ceruicem & humerum, vt ſane euenit ſæpiſſimè. Nimirum habet vterus cum partibus thoracis communes venas non exiguas, ob quas videmus à partu difficili, aut repentina menſtruorum ſuppreſſione fieri quibuſdam dolores laterum, quibuſdam veras pleuritides, alijs peripneumonias, aliis aſthmata. Ita igitur huic facta eſt pleuritis ob recurſum ſanguinis, cuius rurſum per inferna euacuatione ſoluta eſt, ſuperfuit ſolùm febricula exigua, quæ fortè præter naturam pleuritidis pendebat ex aliqua putreſcente per venas pituitâ & bile, quas lingua & vrina indicabant. Habes hic exemplum iudicationis die quartâ factæ, rei vt ego exiſtimo non tam raræ, quàm Galeno viſa eſt & Archigeni. Hiſtoriæ vxoris Epicharmi, & vxoris Polemarchi, quæ hoc loco occurrunt, enarratæ ſunt in quinto libro, & ex vtriſque locis lectio reſtituta.

Licinij

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 450 sur 489

Licinÿ ſorori iam ætatis prouectæ accidit vomitus omnium quæ quatuordecim diebus accipiebat, febre carebat, cruentarum vomitionum reiectiones aderant, & contractionẽ inducens ſtrangulatio ad os ventriculi procedebat. caſtoreum, ſeſeli, & ſuccus ſidæ omnia ſedauerunt, moderatus tamen dolor ad partem inanem abſceſſit. Bulbi ſuccus contulit, & vinum lacteum auſterum, & panes quàm minimi oleo imbuti.

Strangulationem ex vtero fuiſſe hanc paſſionem, ob menſtruorum ſuppreſſionem factam, ſymptomata indicant, & confirmant remedia. Nam contracta ſtrangulatio ad cor procedens nihil potiùs ſignificat, quàm eam ſtrangulationem. Videntur enim ſibi mulieres ita affectæ ſtrangulâri, vtero retracto in cor, conſentiente verò ventriculo mox nauſeant, & quædam earum vomunt quidquid acceperint. Cùm ergo hæc tale quiddam ſine febre paſſa ſit, & cum ſtrangulatione, conſentaneũ eſt ex tali paſſione procedere: porrò talis paſſio ex ſuppreſſione menſtruorũ fieri conſueuit, ijs vero quibus ſupprimuntur accidere ſolent vomitiones ſanguinis. Caſtoreũ & ſeſeli, à Dioſcoride & Galeno commendantur ad ſtrangulationes vterinas. Sidam dictum nuper eſt in hiſtoria vxoris Theotimi, videri eſſe velut ſpeciem quandam mali punici, quapropter huic datus eſt eius ſuccus, non ad vterinam paſſionem, ſed ad ſanguinis vomitum. Inſinuans ergo Hippocrates, non ob eandem paſſionem data eſſe hæc omnia, ſed ob diuerſas, dicit caſtoreum, ſeſeli, & ſuccus ſidæ omnia ſedauerunt: illa ſcilicet, ſtrangulationes: hoc, vomitiones. Remittente hoc malo conceſſit dolor quidam moderatus ad partem inanem: conferre bulbi ſuccus, & οἶνος γαλακτώδης αὐστηρὸς, & panes mimini cum oleo. Vinum lacteum vocatur vinum lacte permiſtũ quo, vt nuper dixi, vtebantur veteres, vocabantque ἀνόγαλα. Non eſt veriſimile hæc in potu aut eſu eſſe data (nam vino cum lacte miſto ad dolores inanis partis nihil eſſet deterius) ſed appoſitum eſſe parti inani cataplaſma ex panis modico, & ſucco bulbi, vino, lacte, & oleo, atque eius appoſitione ſolutum eſſe eius partis dolorem.

Pauſaniæ puellam ex crudi fungi eſu anxietas corripiebat, ſtrangulatio, dolor ventris. Melicratum calidum epotum & vomitio contulit, & balneum calidũ. In balneo fungũ vomuit & cùm iam omnia ſoluẽda eſſẽt, ſudauit.

Fungi quidam, vt teſtantur Dioſcorides & Galenus, ſunt venenoſi, atque ita vt habeant aliquid veneni putrefactorij, eiuſque quod toto genere venenum eſt. alij tamen omnes ſunt crudioris & craſſioris ſubſtantiæ, atque niſi quantitate modica, bene elixati, atque cum correctiuis, vt cum pipere, pulegio, origano, aut alijs eiuſmodi conditi accipiantur, incocti manent, & ſtrãgulant. flatu arbitror craſſo ex illis orto. Nullius itaque fungi eſt vſus ſatis tutus, cuiuſdam verò etiam pernitioſus. Dioſcorides docet rationem dignoſcendi venenoſum, & eius antidota, atque etiam Gallen. 2. de antidotis. Puellã hanc non ideo læſam eſſe conſtat, quod venenoſum ediſſet, ſed quod crudum ob id anxietas eam tenebat & ſtrangulatio, quòd non poſſet ventriculus cum conficere, & flatu frigido inde verſus cor & reliquas corporis partes delato. Hinc verò & dolor ventris. Superari fungi ſolent meri potu & eſu aromatum: quum verò vrget plurimùm anxietas, ſatius eſt curare vt euomãtur. Huic obid amiſſa ſpe coquendi datum eſt melicratum calidum, vt vomeret. Ducta porrò eſt in balneum calidum, vt calor obſtaret frigori, quod ex fungo efundebatur, & longè à corde extraherentur flatus refrigerantes. Vomuit ergo in balneo fungum, & deinde ſudauit, & ſoluta ſunt omnia, quia quidquid auræ frigidioris fuerat effuſum in corpus, ſudando expirauit. Epicharmi & filij Euphranoris hiſtoriæ enaratæ ſunt in quinto libro.

Poſt fauonium ſqualores contingebant vſque ad Æquinoctiũ autumnale: ſub canem æſtus præfocantes, & venti calidi, & febres ſudatoriæ, & rurſus ſtatim caleſcebant, Tubercula verò iuxta aures multis exoriebantur.

Non ſine magna loci corruptione ſcripta eſt hæc hiſtoria in quinto libro, atque ideò in hunc, vbi meliùs ſcripta occurrit, eius enarrationẽ diſtulimus. Conſtat vt ille dicere cœpimus, non contineri narrationem integram his verbis, ſed eam eſſe deciſam ex narratione longiori tempeſtatis alicuius morboſæ. Quapropter veriſimile eſt multo plura accidiſſe & in ipſa aëris alteratione, & morborum conſtitutione, quàm hic narrentur, quæ diuinare non poſſũ. Fuiſſe malignos eius tempeſtatis morbos, vel ex ijs quæ hic dicuntur, colligere licet. Nam erant πυρετοὶ ἱδρώδεες καὶ πάλιν εὐθὺς ὀπυθέρμαινον, hoc eſt, ſudabant crebrò febricitantes, tamen non minuebantur ſudore febres, quin potiùs inde videbantur denuò incrementa ſuſcipere: & exoriebãtur multis tubercula iuxta aures: quorum vtrumque malignitatem indicare conſtat. Nam ſimplicioribus morbis non ſunt decretoria, niſi quæ decernant, & euacuationes potiùs quàm abſceſſus. cùm verò ſudores febricitantium non deficiente febre vituperentur ſemper ab Hippocrate, in hac tempeſtate malignos eſſe erat longè euidentiſſimum. Quia per totum ver & totam eſtatem vſque ad Æquinoctium autũnale contingebant ἄνυγροι hoc eſt ſqualores nullæ & erant pluuiæ: ſub canẽ verò tantus ardor, vt venti eſſẽt calidi & homines viderẽtur grauiter ſuffocari. Vnde ergo factæ ſunt febres ſudatoriæ & humidæ: nam dicebatur primâ ſectione ſecundi libri, in ardoribus ſine pluuia febres plerũque abſque ſudore contingunt, ſi verò in his minutæ imbris guttæ deciderint, magis ſudatoriæ fiunt ab initio. Atqui hoc idem reperitur ſectione tertiâ eiuſdem libri. Non certe facti ſunt hi ſudores ob humoris copiam, ſed ob vrẽtis ignis vim, colliquatoriè ſcilicet, vt dicitur ab Hipp. in prognoſtico, fiunt aliqui ſudores, maligni quidem illi & inutiles ob inflãmationis vigoẽ-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 451 sur 489

ANiculæ à tuſsi vexatæ (tubercula exorta ſuni) circa nonam diem: adoleſcenti ſplenico ancillæ filio circa idem tempus aluo liquidiore. Cteſiphonti ſub arcturū fere circa ſeptimā. Puero ſolùm ſuppurata ſunt. Eratylli filio ad vtramque aurem exorta euanuerunt,

Exempla ſunt hæc eorum quibus ea tempeſtate orta ſunt tubercula iuxta aures, atque ita intelligendum eſt, aniculæ illi quæ à tuſſi vexabatur, circa nonam diem facta eſſe tubercula iuxta aures: adoleſcenti ſplenico qui erat ancillæ filius circa idem tempus, circa nonam ſcilicet diem, etſi liquidior fuerit aluus. Cteſiphonti ſub arctutum, hoc eſt, incipiente iam autumno ferè circa ſeptimam diem morbi orta etiam eſſe tubercula: atque ex multis quibus ea ſunt facta, puero cuidam ſolùm ſuppurata eſſe. Eratylli filio ad vtramque aurem exorta euanuiſſe. His duobus non narrat quibus morbi diebus orta ſint, narrat verò quos habuerunt exitus, alteri ſcilicet ſuppurata eſſe, alteri euanuiſſe. Vnde licet colligere tres hos exitus habere parotides, quin & alia quæcunque tubercula: aliis enim ſuppurantur, & effuſo pure ſanescunt: alius, repente & inſperatò diſparent: alijs neque euanescũt neque ſuppurantur, ſed perſiſtunt, donec homo intereat, aut ipſis paulatim reſolutis liberetur. Puero prę aliis ſuppurata eſſe tubercula congruens eſt pueruli naturę, quę calida cùm ſit & humida, coquendi facultate plurimùm valet. Ego non grauabor dicere hoc loco quid facere ſoleam in huiuſmodi ęgrotis, quibus per febres malignas parotides oriuntur, quandoquidem cenſeo multos eſſe ita ſeruatos qui alioqui interijſſent. Mox ac oriri incipiunt, partem laxante oleo foueo, vt chamæmælino, atque ſi exire cunctentur, loco ipſi cucurbitam affigo, ne abſceſſus ſit minor quã vt poſſit conferre: vbi autem ſatis manifeſtus iam factus eſt, ſi breui increſcat plurimùm, mitto rurſũ ſanguinem, ne ſit maior quàm poſſit ſuſtineri: mox verò durum adhuc tumorem, neque vlla ſuppuratione expectatâ, ignito ferro aperio: alterâ quidem in parte, ſi alteram ſolùm obſederit tumor: in vtraque verò ſi vtranque, & cataplaſma ſuppurans appono. Plerunque res cedit bene, nam breui computreſcit cum inuſta ſcarâ tumor, & manare pus incipit. Et per id orificium caput & reliqua viſcera perpurgantur. Neque hoc debet cuipiã videri atrox: pars enim adenoſa per ſe ſe quidẽ vilis eſt quamque ob id licet vrere & ſecare, & vtrumque contemnere.

NVlli ſudores, prælinguæ ſiccitate blæſi erant. Ornithiæ flauerunt multi & frigidi, & niues poſt cæli ſerenitatẽ aliquandò contingebant, & poſt æquinoctium Auſtrina Borealibus permiſta, pluuiæ frequentes. Populariter graſſatæ ſunt tuſſes multæ, præcipuè autem in pueros. Circa aures multis qualia Satyris exorta ſunt: quandoque verò quæ præceſſerat hyems, valdè hyberna fuerat in niuibus & pluuiis Borealibus.

A Hæc verba & aliunde deciſa & malè inter ſe concennata, nulla ratio eſt rectè enarrandi, Cenſeo expungenda.

TYmonactis puero duorum ferè menſium, exanthemata in cruribus, coxis, lumbis, & imo ventre, & tumores valdè rubicundi acciderunt. His autem ſedatis conuulſiones & affectiones Epilepticæ acciderunt, febris expers fuit per multos dies, & mortuus eſt.

Nihil frequentius quã puſillis oriri exanthemata, cum tuberculis quibuſdam rubris [quas vocant variolas] adeò vthanc ob cauſam multi cenſuerint eas à reliquijs menſtrui ſanguinis oriri, ego verò non cenſebo improbabile, etſi non in omnibus, tamen in adeo paruulis id ita habere. Quia etſi infantes non nutriãtur peſſimo illo ſanguine, qui ſingulis menſibus expurgabatur ſed ſelectiori, non poteſt tamẽ non aliquid etiam illius cum bono ad eos transfundi. Intereunt pueri ex his abſceſſibus vt ex alijs quibuſuis, vel quòd tanti & tam multi ſint, vt non poſſint ſuſtineri, ſed partes etiam principes occupent, aut alias, etſi non principes neceſſarias tamen coprumpant: vel quòd ſint minores quàm vt perpurgare poſſint corpora, vel quòd vbi cœperint fieri euanescant. Hinc non bene ex iſſe, atque cum exire cepiſſent, colligiſſe malos ſuccos in altum ad interna, atque obid interiiſſe, conſtat, primum quia non per totum corpus, vt ſolent tumores illi facti ſunt, ſed ſolùm in cruribus, coxis, lumbis & hypogaſtrio: deinde quia illis ſedatis ſucceſſit epilepſia, et ea ſine febribus. Si enim febribus ſucceſſiſſet fortaſſe febrium vi: quoniam verò ſine febribus conſtat ſucceſſiſſe ob humorem illum veneficum, qui in principia, neruorum irrepſit.

POlemarchi puero contigit ſuperiori tempore pus intrò colligere & exſcreare, poſtea vero calores ipſi erant, & hydrope laborabat, & lienis tumore & ſpirandi difficultate. Siquando ad verticem loci cuiuſpiam eminentioris accederet impotens erat & ſticuloſus, & quandoque moderato cibi faſtidio tenebatur, ſicque tuſſiculæ ſiccæ multo tẽpore perſeverabant, & niſi ſubduceretur, aut ſolueretur inferior aluus, implebatur, & ſpirandi difficultas & ſuffocatio augebantur. Tandem verò catarrhus & exſcretio ſuperuenit & tuſſis. exſcreatio autem erat craſſa, pallida, purulẽta & febris vehemens, quæ videbatur deſiſſe, & tuſsis mitior eſſe: & exſcreatio pura. Redyt rurſus febris acuta & ſpiratio crebra, mortuus eſt. verũ antea rigerunt pedes & poſtea perfrigeratus eſt, ſpiratio magis intercluſa eſt, vrina ſubſtitit, extrema refrigerata ſunt, mentis compos interijt tertio à recidiuâ die.

Multi ſuppurati, quibus ætas eſt adhuc firma, ſi citra vllũ erratum in victu excreationi ſtuderent

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 452 sur 489

©BIUM

patienter, liberarentur, qui aut cibis vtentes incómodis, aut ante tempus domo exeuntes, & vētis occurrentes, aut multo eòque frigido potu vtentes noxas augent, aut alias accerſunt, aut pluries ſuppurantur, cùm iam incepiſſent à prioribus ſuppurationibus euadere. Velut hic puer, cui cōtigit primum ſuppurari, & excreare pus (fortaſſe ex catarrho aliquo ſolum cùm non narret morbum aliquem acutum anteceſiſſe) poſtèa verò quā excreare purulentū inceperat, erant ipſi calores febriles (velut ſcilicet euenit ſuppuratis) interdiu exigui, noctu increſcēres: cūm verò ille ſitis eſſet impatiens & multam aquam potaret, factus eſt hydropicus, lienoſus, quare & anheloſus, neque poteratin ſublimem aliquem locum conſcendere, & ſiticuloſus adhuc magis erat, vt ſolent qui fiūt hydropici. Hæc quidem omnia ſæpe fieri ſolent ex multo aquę potu, cauſa verò eſt quòd cū aqua moretur in hypocondriis, ea intumeſcant plurimū & cum immanente aqua immaneant etiā reliqua excrementa, quæ immanentia hærent & imbibuntur durantque, & in tumorem attollunt, & malè peruia faciunt viſcera. Id quod crebriùs accidit lieni, ob naturalem eius frigiditatem naturàmque rariorem & melancholicam. Frigida enim natura facit id viſcus opportunum ad frigidos affectus: raritas vt capiat aquæ multùm, & diſtendatur: natura melancholica, vt melancholiam congerat, & ſcirrhoſū fiat. Hinc euenit mox trahi in compaſſionem hepar, & fieri hydropem. Qui ita laborāt neceſſario ſunt anheloſi. Comprimitur enim ſeptum á diſtentis viſceribus, & eandem ob cauſam, & quia geſtant viſcera, velut pondera quædam aliena malè ſe mouent loco præcipuè ſinſublime aliquod præcipitium conſcendere nitantur. Sunt etiā ſiticuloſi quia retenta diu aqua putreſcit, fitque ſalſa, & ob id ſitim auget. Puer igitur hic ea omnia mala contraxit ex nimio aquæ potu Cibum quoque faſtidiebat, id vero non nimis, ſed aliquādo moderatè: Ἀ'πόπης quidem fiebat ob corruptū circa ventriculum humorem, appetebat verò aliquando etiam moderatè ob affectum frgidū. Malo ita procedente deſiit excreatio, & tuſſicu!æ ſiccæ fiebant, quales ſcilicet ſuperuenire ſolent ſplenicis, & hydropicis transfuſo ſemper aliquo ſucco in thoracem per ſeptum tranſuerſum. Habebat tunc temporis puer illud accidens notatu dignū, quodque in multis ita affectis animaduerti quod eſt aluum, ſi ſupprimatur tantillùm, neque ſit sēper lubrica intumeſcere & repleri, atque ex eius plenitudine anhelationem & ſuffocationem creſcere: ſin autem ſemper egerant neceſſe eſt debilitari, neque inde tamen affectus ſaneſcit, ſed ſolùm liberantur ab ea moleſtia, quam retentio affert. Huius rei cauſa eſt exigua cibi & potus in totum corpus diſtributio, partim obmēbrorum debilitatem, partim ob hypocondriorum obſtructiones contingens. Tandem hoc eſt poſtquā diu ita ægrotauerat, rediit alius catarrhus & tuſſis amplius ſicca, ſed cum excreatione craſſa, & pallida ac purulēta, facta ſcilicet denuò alia ſuppuratione ex pituita & bile permixtis, & hac excreatione aliquādiu durāte febris vehemens mitigata eſt, vt videretur ceſſaſſe, & tuſſis facta eſt mitior. & excreatio pura, hoc eſt candida ſine bile & pure: & cū videretur iam habere ob hæc meliùs, poſtremò redeunte, vt ſuſpicor, alia ſuppuratione collectionis alicuius interim inſenſibiliter factæ, rediit rurſum febris acuta, & ſpiratio crebra. Et cùm facultas iam multas recidiuas non poſſet ſuſtinere, cōcidit, & mortuus eſt homo die tertiâ ab hac vltimâ recidiuâ. Ante mortem verò ob extinctionem naturalis caloris tiguerunt primùm pedes, deinde frigus toto corpore ſenſit, & ob caſum facultatis vitalis ſpiratio magis intercluſa eſt hoc, eſt interrupta & intercepta & vrina etiam ſubſtitut naturali iam facultate cadente, & ſui muneris oblita, & extrema omnia, caput ſcilicet manꝰ ac pedes refrigerata ſunt: interiit verò ſine delirio, vt ſolent ſcilicet qui tabidi intereunt ac ſuppurarit, quōiam ea paſſio ad nullā præcipuarū partiū minùs pertinet quàm ad cerebrum. Itaque huius pueri malū fuit tabes, interim, vt multis vidimus accidere, ferebatur in hydropem, malum ſanè vbi proceſſiſſet inſuperabile, quod tamē circa initia ſuperari fortaſe potuiſſet, vel ſolo bono victu patienter tolerato.

Filio Thini in ardente febre magnópere macerato fame, crebra alui dēiectio accidebat cum bile, animi deliquio, & multo ſudore. Vehemēter rēfrigeratus eſt, & vox totā die & nocte defecit, inſtillatum ptiſanæ ſuccum continuit, mentis erat compos & bene ſpirabat.

Exemplū eſt hoc iudicationis per deiectiones bilioſas factæ in febre ardente, vix autē tolerate ob eiiciendi crebitatem, & ob nimiam cibi detractionem per totum morbū. Cum itaque periclitaretur iam mori, ac poſt animi deliquium & ſudorē multum refrigeratus iam eſſet, & totā die ac nocte vox defeciſſet inſtillato ſucco ptiſanæ paulatim rediit ad ſeſe, loquebatur, ſapiebat & bene ſpirabat. Quæ omnia rēdeuntis iam facultatis erant ſigna. Admonet nos hæc hiſtoria, ne ſimus nimii in cibi per morbos detractione. Nam inter cætera facit ſequentium iudicationum impatientiā, præcipuè ſi ſuccedant crebræ & præcipitatæ vacuationes.

Epicharmi filio ex itinere & potu cruditas accidit, poſtridie autem mane anxietate ortâ, & cum bibiſſet aquam cum aceto & ſale piuitam euomuit: poſtéaque eum rigor corripuit, lotus eſt febricitans & pectus doluit. Tertiâ die ſub ipſum crepuſculum ſopor modico tempore eum detinuit, delirabat & febre acutâ laborabat, morbum grauiter ferebat, quartâ die in ſomnis mortuus eſt.

Iter & potus multus ſiue aquæ ſiue vi ni ſunt ex cauſis quæ præcipuè poſſunt cruditatem facere, & in ventriculo, & in aliis officinis concoctionis. Nam motus vehemēs euocans à ventre, ac in corporis habitum diſtribuens naturalem calorem, ciborum primam concoctionem tollit, eâ verò ſublatâ ſequentes malé agi neceſſe eſt Potus multus calorē extinguit, aqua quidē frigore & humore, vinūquia multū cū ſit nō vincitur inuictū verò manēs acéſcit, & maioris etiā qnā aqua cruditatis cauſa ſit

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 453 sur 489

©BIUM

Hic verò cruditatis nomine, eius concoctionis quæ agitur in vẽtriculo ſublatio intelligitur, à qua multos, eoſque graues morbos ſolitos eſſe oriri nemo ignorat. Plurimùm enim grauat, & diſtendit ventriculum, quod inuictum in eo manet, ſentiturque mox, velut alienum quoddam, & minimè naturale pondus, corruptionem verò aliquam conſequutũ mordet & rodit. Hinc fiunt facilè rigores & febres: rigores quidem, dum adhuc in ore ventriculi cruda manent, ob eius particulæ acerrimum ſenſum febres quũ iam deſcendunt in aluum, vt lib. 6. huius operis Hipp. ipſe ſignificauit. Conſentiunt quoque facillimè cum ventriculo cerebrum & cor, adeò vt nullus ſit earum partium morbus, qui non ob ventris paſſionem fieri ſoleat: nam & ſopor, & vertigo, & peruigilium, & delirium, & conuulſio, & apoplecticæ omnes paſſiones, & deliquia animi, & ſyncopes. Verum tamen non mihi videtur probabile, hunc puerum die quarta, ab ea qua cruditatem ſentire incepit, mortuum eſſe, ſed mortuum quidem eſſe, verùm tardiùs & Hippocratem ſolùm affirmare mortuum eſſe, non tamen mortuum eſſe quarta die, niſi fortè grauiora alia paſſus fuerit ſymptomata, quæ Hipp. tacuerit. velut conuulſiones fortes, aut ſyncopem. Nam quæ hic narrantur, grauia quidem ſunt, non adeò tamen vt ob hæc ſola videretur tam breui moriturus. In hac narratione vt inalijs fere omnib⁹ ideſideratur quã maximè pulſus differentia, cuius niſi rariſſimè Hip. non meminit. Si enim præter ea quæ narrantur, habuit hic à principio pulſus exiguos, magnæ conſtrictionis, mirè diuerſos, quales ob os ventriculi ſæpe fiunt, & à die tertia cœpit habere formicantes, non miror die quarta obiiſſe, correptum ſyncope: ſi verò non erant adeò graues pulſus differentiæ, crediderim aliquantò plus protractũ eſſe morbum & Hippocratem traſiliſſe, aut ex hac quoque narratione peciiſſe vetuſtate multa verba. Sed explicemus quæ narrantur. Primùm quidem itinere & nimio potu læſus ſenſit in ventriculo cruditatem, ea ſentitur ventriculi grauitate, & tentione, & ructibus accidis, vel cibos incommutatos referentibus, nam nidoroſam corruptionem potiùs quàm cruditatem nunc vocari malo, tametſi alibi cruditas etiam appellétur: die ſequenti, manè, cùm anxietatem ſentiret, accepit acetum multa aqua dilutum, & immixto ſale, ad vomendum, & vomuit pituitã. Nihilominus cùm cruda adhuc manerent in ventre neque eſſent reiecta vomitu, mox eadem die apprehendit eum rigor, cui ſucceſſit febris, & lotus eſt febricitans, putans fortaſſe eam febrem eſſe diariam ex ſatietate obortam (nam ſolent tales incipere ab horrore, aut rigore, diſſidereque parum à putridarum forma) ſatietatem verò iam eſſe confectam, & febrem balneo ſoluendam: verum aliter euenit. Dolore enim iam inde cœpit pectus, crudis arbitror ſuccis, qui circa ventrem erant in pectus balneo effuſis & ſurſum euntibus: nam in ſuperiora adhuc latis, die ſequenti, quæ erat morbi tertia, ſummo ſtatim mane ſopor eum apprehendit, qui modicum durauit tempus, & iam inde delirabat, & febris erat acuta, hoc eſt, ardens plurimùm, computreſcente iam cum crudis bile, & in capite, & per totum corpus. Quam etiam ob cauſam quarta die erant inſomnis, & ferebat grauiter morbũ. hoc eſt, erat inquietus & anxi⁹, quod ſignũ erat malignitatis morbi, & debilitatis facultatis. Tandẽ cùm hæc fierent ac fortaſſe etiam alia plurima, mortuus eſt. Huius ægroti notandi ſunt errores multi; primùm quidem quod iter agens plurimo potu vſus ſit: deinde quod acetum & ſalem vomendi cauſa biberit, cùm liceret vti aljis innocentioribus, vt tepida, ſiue mulſa, aut diluto oxymelite, aut hydræleo: deinde quod impuro adhuc corpore, atque in initio febris putridæ cum cruditate ſe lauerit. Quæ omnia fuiſſent magnopere cauenda, ſed procuranda fuiſſet, primùm quidem crudorum ex ventre vacuatio vomitione ex dictorum aliquo, & clyſterum vſu: deinde reliquiarum concoctio, quiete, tegumentis, & inunctione.

Ariſtoni pedis digito exulcerato cum febre non ſatis manifeſtâ quid gangræno ſum aſcendit vſque genu, mortuus eſt, vlcus verò erat nigrum, ſiccum, fœtidum.

Vlcus nigrum ſiccum & fœtidum haud obſcurè ſignificat corruptionem naturalis caloris, & facultatum naturalium in parte. Quapropter tale vlcus admodum lethale ſignum eſt. Nam non aliam ob cauſam nigreſcit & fœtet, quàm quod à calore præter naturam corrumpatur naturalis calor, & pars emoriatur, vnde gangræna accidit. Quam breui vſque ad genu ſerpere longè erat peſſimum ſignum, quia ad plurimas partes atque adeò ad totum corpus inducebat pertinere naturalis caloris defectum. Febres quæ per huiuſmodi affectus fiunt exiguæ eſſe conſueuerunt, vt in omnibus ſiue naturis, ſiue diſpoſitionibus quibus exiguus eſt naturalis calor.

Ille cui carcinoma in faucibus exuſtum eſt per nos ſanitati eſt reſtitutus.

Καρκίνωμα græcis qui nobis cancer dicitur, eſt duplex, cum vlcere, & ſine vlcere: naſcitur vterque ab atrabile. vlceratus verò ab acidiori & acriori. Non vlceratum cancrum ſæpe curant chirurgi excindendo. & extrahendo: ſæpe etiam non curãt, ſed blandius tractant medicamentis prohibentibus eius incrementum. Vlceratum plerique eorũ ne tangere quidem audent, niſi blandis quibuſdam & mitibus medicamentis, curam adhibentes, vt vulgus eorum vocat, palliatiuam, timentes ne ſi ignis, aut cauſticum medicamentum adhibeatur, immitior fiat atrabilis, & plus multò depaſcatur. Quã quidem in re conſilium Celſi ſequi videntur, lib. 5. cap. 28. Verùm Celſus in eo capite concedit, aliquando id vitium cauſticis, ſcalpello, & vſtione rectè curari: aliquando ita curari non poſſe, ſed irritari potiùs: vocari vult id vitium, quum ita curari poteſt, tantũ κακοήθης: quũ non poteſt: καρκίνωμα eſſe verò adeò idem ſpecie vitium, vt diſcernere nemo niſi tempore & experimẽto poſſit, tentãdo ſcilicet & experiendo, an ita curetur rectè. Non eſſe antẽ eum nominum vſum, & eam diſtinctionem ex Hippocrate conſtat, cùm hoc loco dicat καρκίνωμα exuſtione eſſe curatũ, alioqui dixiſſet κακοήθες. Verùm Hippocr. non accipit morborũ differẽtiam à curatione, ſed ab eſſentia & accidentibus propriis, vt par eſt. Cõcedemus ergo carcinomata ſeu cãcros, ſi curãdi

ſint radicitùs, nulla allia ratione curari poſſe, quàm vlceratos quidem vſtione, non vlceratos ſectione: eſſe aliquos qui curari poſſint, ſiquidem hic cuius nunc narratur hiſtoria, ſanatus eſt vſtione, aliquos qui neque poſſint, neque debeant, quòd, vt Celſus dicit, concitentur, & increſcant, donec occidant: differentiam verò non eſſe in morbi ſpecie, ſed ſucci qualitate: nam in ipſis atræ bilis ſpeciebus, ſunt aliæ aliis acriores, aut mitiores. Si ergo ex aliis ſymptomatis agnoueris, adeò eſſe acrem homini atram bilem, vt leui de cauſa plurimùm exacerbetur, fortaſſe ne tangere quidem audebis, ſin autem ad terreſtris aut ſanguineæ melancholiæ naturam, atra bilis quæ homini ineſt, ex aliis ſentiatur vergere, tentabis cauſticis vrere, ac ſi res incipiat benè cedere, procedes feſtinanter ad ignem, præcipuè ſi malum ſit in parte, quam facilè ac breui depaſci poſſit morbus, cuiuſmodi fauces ſunt. In talibus enim etſi nõ ſatis certus ſis an ſuccus ferre id auxilium poſſit, tentabis, etiã cum periculo, vrere: quia neglectâ curatiõe facillimè exedetur, etiã à ſucco non omnino immiti. Tentabis ergo vel cum periculo curare morbum certò interempturum. Quam ob cauſam Celſ. lib. 6. cap. 15. iubet vlcera cancroſa in ore aduri, ſi medicamenta non proficiant. Erit verò ex eius ſententia, aduſtis imponenda lenticula donec ſaneſcant.

Polyphantus Abderis capitis dolore afficiebatur in vehementi febre. Vrinæ erant tenues, multæ, ſubſidentiæ denſæ & conturbatæ. Cùm autem capitis dolor non ſedaretur, ſternutatoria admota sũt, decimâ morbi die. Poſteà verò vehemens ceruicis dolor corripuit, vrina rubra prodyt, perturbata qualis eſt iumẽtor, ũmente motus eſt velut phrenitide correptus, mortuus eſt cũ vehemẽtibus cõuulſionibus.

Mihi videtur hũc ægrotum læſũ fuieſſe magnoperè intẽpeſtiuo vſu ſternutatoriorũ, quodque cùm oporteret morbo occurrere, cura pæpoſterè eſt adhibita ſymptomati. Laborabat enim febre acuta ac vehementi cum dolore capitis, erantque vrinæ multæ & tenues, & in eis hypoſtaſes denſæ & conturbatæ, tenuitate ſignificante raptum bilis in ſuperna, & hypoſtaſi, multitudinem & perturbationem humorum in venis: non ceſſante verò capitis dolore, decima die admota ſunt ſternutatoria, cùm oporteret, miſſione ſanguinis, & reuulſoriis per ventrem euacuationibus, & crurum frictionibus aſſiduis vti, quo pariter ſublatione cauſæ tolleretur febris, & reuulſione prohiberetur imminens phrenitis: capiti verò nihil admouere, niſi repellentia. Nam etſi miſſum eſſe priùs ſanguinem, & vacuatam aluum clyſteribus, atque aliquo etiam lenientium medicaminum ſuſpiceris, etſi id non narretur (non enim conſueuit Hipp. narrare omnia quæ geſta ſunt) tamen non eſſe ſatis vacuatum totum corpus, euentus indicauit: ſucceſſit enim dolor vehemẽs ceruicis, ſanguine bilioſo, vehementi capitis motu, ſurſum tracto, & vrina facta eſt rubra, perturbataque, quaſi eſſet iumentorum, aucta in venis ſanguinis totius perturbatione, ac tandem phreniticus eſt factus, & cum conuulſione periit. Peccatum eſt, quòd nondum ſatis vacuato corpore, ad vacuationem partis principis peruenerint Medici, & quòd nondum ſoluto morbo, ſymptoma curare voluerint, & quòd ſecundariam paſſionem, ſeu compaſſionem, aut conſenſum manente primaria, tollere ſtuduerint, & quòd corpore adhuc impuro, & homine febricitante, partem principem vehementiùs mouerint: quæ omnia ars prohibet fieri. Denique eodẽ modo curatio ſuſcepta eſt, ac ſi primarius morbus fuiſſet dolor capitis, febris verò accidens, ac corpus eſſet perfectè vacuatũ & purgatũ: cùm tamẽ res contrà haberet. Dolebat enim caput per conſenſum morbus præcipuus erat acuta illa febris. Vrinam perturbatam qualis eſt iumentorum, phrenitidis & lethargici ſignum eſſe, in aphoriſmo dixit, dicetque paulò pòſt. Aliquis verò dubitabit, quales eſſent vrinæ illæ tenues cum hypoſtaſi multa & perturbata. Nam perturbatio videtur eſſe differentia totius vrinæ, potiùs quàm hypoſtaſis, & perturbatæ ſunt contrariæ tenuibus: quapropter non videntur poſſe eſſe tenues cum perturbatione, neque perturbatum videtur rectè dici de hypoſtaſi. Cæterùm in ipſa hypoſtaſi conſiderari poteſt perturbatio, tametſi id non ſoleant auctores animaduertere, non minùs quàm in tota vrina. Nam eſt hypoſtaſis quædam etſi craſſa, tamen continuata & pellucida, eſt alia quæ conſtat velut exagitatis quibuſdam fæcibus, & turbida, quæ ſignificationem habet ſimilem reliquæ perturbationi. Fit verò aliquando vrina tenuis cruda, neque cum naturali bilis portione miſta, continens verò in fundo ſeparatũ quiddã craſsũ, confuſum & turbidum: eſtque hoc maioris cruditatis ſignum, minoris verò conturbationis, quam cum tota vrina perturbata eſt. Nam urinæ fuſuram manere tenuem, minoris alterationis eſt, creſcente verò agitatione, etiam illa craſſa hypoſtaſis commiſcetur cum fuſura. Quod actum eſt in hoc ægroto, initio enim habuit vrinas tenues cum hypoſtaſi perturbata, deinde prodiit vrina rubra, totaque perturbata.

Eodem ferè modo etiam Eualcidæ famula, cùm illi multo tempore vrinæ denſæ prodyſſent & dolores capitis adeſſent, phrenitide correpta & vehementibus conuulſionibus ſimiliter mortua eſt. Denſæ enim vrinæ & perturbatæ omnino ſignũ exhibent indubitatũ doloris capitis, conuulſionis, & mortis.

Similiter euenit famulæ Eualcidæ, ac Polyphanto, eædemque fuerunt vtrobique cauſæ. Quod verò de ſignificatione vrinarum denſarum & perturbatarum addit, conſideremus oportet. Aphor. 70. ſect. 4. ita inquit: quibus in febribus vrinæ perturbatæ, vt ſubiugalium, iis dolores capitis aut adſunt, aut aderunt. Hęc famula Eualcidæ eius quod in Aphoriſm. dicitur eſt exemplum, cui cùm dolores capitis adeſſent, denſæ vrinæ prodibant. verum quo pacto,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 455 sur 489

cùm illic doloris capitis ſignum diceret, nunc dicit eſſe cõuulſionis etiam & mortis? An quia dolor capitis ex perturbatione ſuccorum per venas corporis actus, ſi perſeueret, non poſſit non firmari in morbum aliquem lethalem capitis, velut phrenitidem, lethargum, aut conuulſionem, ipſe verò præteriens reliqua, nominauit illic dolorem, hîc conuulſionem. Quia dolor ſolet omnes illas affectiones præcedere (nimirũ quum caput incipit repleri) cõuulſio ſolet ſubſequi, quum iam ſunt proximi morti: perrarum enim eſt, ex morbis capitis mori ſine conuulſione. Nominauit itaque & primum & poſtremum ſymptoma, intelligitque quæ interſunt. Sed quid ſibi voluit Hippocrates, vocans hoc ſignum ἀκριβὲς? An exactè ſignificare hoc, ita vt non poſſit præſente hoc ſigno aliter fieri, quàm ſignificetur, ſed neceſſariò ita eueniat an ita ſignificare hoc, vt nihil aliud ſignificet? Si enim neutrum horum euenit, nullatenus videtur eſſe ſignum hoc exactum magis quàm aliud quoduis. At verò videtur neutrum euenire. Nam fieri poteſt, vt vrina perturbata ſit, & homo non intereat, neque veniat morbus ad conuulſionem: atque alias multas affectiones comitari ſolet conturbatio vrinæ præter illas: nam & in principio febrium reperitur, & in morbis renum, & vidimus quibuſdam hominibus eſſe naturalem. Quo pacto ergo eſt exactum ſignũ conuulſionis & mortis? Certè nihil eſt aliud dicere exactum ſignum eſſe conuulſionis & mortis, quàm ſi diceret, ſignum hoc eſſe lethale, ſignificaréque, non vt alia ſigna lethalia, morituram ſolùm hominem, ſed etiam modum quo moriturus eſt, nimirum moriturum cum conuulſione: itaque exactè indicat ac diſtinctè, quia & mortem & moriendi modum, quæ interpretatio incidit in ſecundum modum eorum, quos propoſui: ſcilicet ita ſignificare hæc, vt nihil aliud præter hæc. Hoc verò non accidit omni perturbatæ, ſed ei de qua hoc loco agitur, ei ſcilicet quæ in febribus (nam ita dicebatur in aphoriſmo) & quæ non eſt peculiaris cuiuſdam naturæ, neque affectionis partis cuiuſpiam (nam peculiares naturæ, & particulares affectiones ſemper excluduntur à prognoſticis) & quæ perſeuerat vltra morbi principium. His exceptis ſemper minatur capiti malum. Atqui quia vrina perturbata perſeuerat per morbi incrementum, neque finito principio clareſcit, eſt ſignum contrarium concoctioni, quare & lethale; ſignificat ergo moriturum hominem ex morbo capitis, ac proinde cum conuulſione. Neque verò quia hoc ſignificat exactè, neceſſe eſt mori eum qui id habeat, quia non dicuntur lethalia ſigna, cum quibus nulli euadunt, ſed cum quibus moriuntur plures.

Hæc hiſtoria videtur fatiere vulgari opinioni de ſectione venæ cephalicæ, quam vulgus hominum maximè reformidat, quòd putent debilitato capite inſaniam inde naſci: narrat verò nunc Hippocrates, euacuato capite eſſe factum hominem phreniticum. Cæterum vulgaris illa opinio non debet à medicis probari. Nam tametſi fieri poſſit, vt aliquis ob eius venæ ſectionem deliret, aut ſi anteà delirare inceperit, deliret grauiùs, quòd ei ſcilicet ſiccum alioqui cerebrum eſſet, & nulla re minùs indigeret quàm ſanguinis miſſione, tamen quum tempeſtiue atque ob aliquam calidorum ſuccorum in capite redundantiam ea ſecatur, nihil tale accipere poteſt, quin potiùs ea euacuatio à phrenitide præſeruat detractâ cauſâ quæ eum affectum parere poſſet. Neque ſi euacuatio plurimùm producatur, atque pluſquàm præſens poſtulet diſpoſitio, accidere poteſt phrenitis, ſed contrarius lapſus per debilitatem quam affert euacuatio, fiet quidem aliquibus mentis vacillatio, aliis per refrigerationem fiet ſtupiditas & obliuio: aliis quibus reſtabit pituita ex euacuatione calidorum, lethargus: Et ego quidem hoc loco ita intelligo, hunc lethargicum eſſe factum, Hippocr. enim toto hoc opere conſueuit phreniticos vocare omnes delirantes cum febre, ſiue ſint lethargici, ſiue phrenitici. Huic ergo Halicarnaſenſi veriſimile eſt fuiſſe auris & capitis dolorem non mediocrem, ob redundantiam pituitæ & flatus. Nam & tempori & ætati erat frigida paſſio congruens cùm eſſet hyems, ipſe verò quinquaginta annorum, ſed euentus id indicauit. Cùm enim calidis auxiliis potiùs indigeret, ſecta eſt illi vena ſecundùm Mneſimachum, hoc eſt à Mneſimacho chirurgo, ſeu vt Mneſimachus medicus fieri conſuluit. Quandoquidem ob capitis dolorem vena ſecta eſt, arbitror cephalicam eſſe ſectam. Læſum eſt caput euacuatum & refrigeratũ & ob id euaſit lethargicus cum febre, ſcilicet in ſomno delirans, & mortuus eſt. Vrinas etiam huic dicit fuiſſe denſas & perturbatas, quales ſcilicet dictæ ſunt eſſe ſignum exactum doloris capitis, conuulſionis, & mortis. Conſideratione indiget quod dicitur οὐ γὰρ ἐξεπόησεν, videtur enim παράργον, non eſt tamen ſi rectè intelligatur, ſed perinde eſt ac ſi diceret, non enim erat phlegmonoſa affectio quæ dolorem afferebat, ſed à frida potius pendens materia, ac proinde venæ ſectione euacuatum & refrigeratum eſt caput. Rectè autem dixit, non enim ſuppurauit, inſinuans inflammationem illarum partium illa ætate, ſuppuratione potiùs quam reſolutione finiri conſueuiſſe. Filij Metrodori hiſtoria, quæ hoc loco occurrit, occurrera tin calce libri quinti eiſdem prorſus ſcripta verbis, præterquàm quòd illic non narratur vbi id acciderit, hic dicitur factum ἐν Καρδίῃ, quod vrbis nomen eſſe videtur, ſed nihil intereſt.

HAlicarnaſenſis qui in domo Xantippi diuerſabatur, per hyemem non mediocri auris & capitis dolore laborabat, erat verò annorum ferè quinquaginta. Secta eſt illi vena ſecundùm Mneſimachum, caput euacuatum & refrigeratum læſum fuit, nec ſuppurauit, phreniticus euaſit, & mortuus eſt. Vrinæ etiam huic erant denſæ.

ANaxenor Abderæ ſplenicus quidem erat, & praui coloris. Contigit autem vt exortus ipſi circa ſiniſtrum femur tumor repentè euaneſceret. Non multis autem poſt diebus exorta eſt ipſi circa lienem puſtula ab initio

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 456 sur 489

ſimilis ijs quæ noctu erumpunt, deinde tumor cum rubore & duritie. Poſt diem autem quartam febris ardens accidit, & in circuitu omnia liuorem contraxerunt & putruiſſe videbantur. Mortuus eſt, cùm priùs fuiſſet aliquantùm purgatus, & mentis compos.

Sunt quidam quibus lien valde durus eſt & magnus, color verò faciei & reliqui corporis non admodum vitioſus, quod quidem neq; admodum graue neque periculoſum eſt: ſignificatur enim ſolum vitium lienis, partis non adeò nobilis: cùm verò accedit vitioſus color, ſignificatur iam magna excrementorum redundantia, reliqua viſcera & totum iam corpus vitians. Quapropter periculum magnum eſt morbi alicuius grauioris, curandumque magno ſtudio eſt lienem ipſum primùm expurgaae & deobſtruere, deinde & totum corpus, antequàm ſcilicet lien non capiens iam excrementa, in partem aliam trudat fortaſſe nobiliorem, aut per totum corpus putreſcant, & febres excitent acutas, vt huic eſt factum, cui ex liene ſecundum rectitudinem factus eſt tumor in femore ſiniſtro, qui tamen abſceſſus non liberauit hominem à grauioribus periculis, quia repentè euanuit, neque ſuppurato ſcilicet neque reſoluto humore, ſed intrò recurrente, quo nihil in abſceſſibus poteſt eſſe periculoſius. Neceſſe eſt enim, aut pro externo internus aliquis abſceſſus fiat: aut citò alij externi (plerumque ſanè grauiores) redeant: velut huic, cui paucis poſtea diebus circa lienem obortus eſt tumor, quem ex accidentibus conſtat, habuiſſe naturam inter cancrum, & carbunculum. Habuit enim Cancri duritiem dies quatuor ſine febre perſiſtentem, carbonis verò puſtulam, ruborem, & ſuperuenientem febrem ardentem, ſed & exitum. Nam ex magnitudine inflãmationis gangræna facta eſt partium circumcirca conſiſtentium (omnia enim in circuitu facta ſunt liuida, & videbantur eſſe putrida) atque ſerpente gangræna in internas partes mortuus homo eſt. Omnium horum cauſæ, & totius morbi decurſus facilè intelligi poteſt. Quod ad eius curationem attineat, illud ſolùm narrat ſuppurgatum eſſe, antequàm in gangrænam incideret. Rectè ſanè quandoquidem lien nulli euacuationi magis cedit quàm alui ſubductioni, ſi verò vt tacuit, ita etiam omiſit miſſionem ſanguinis ſecundum rectitudinem factam, atque adeò copioſam, non rectè fecit, tantam enim expoſcit hæc affectio, vt vel vſque ad animi deliquium ob carbunculum fieri velit Galen. Ego huic miſiſſem, tumore recens orto in ſiniſtro femore, ex dextro malleolo, vt ſanguis neque ſurſum recurreret, neque in ſiniſtrum femur copioſiùs quàm oporteret, incumberet: orto verò iam deteriori illo tumore circa lienem miſiſſem copioſius ex ſiniſtro malleolo, vt deoneraretur lien, & natura prouocaretur ad abſceſſum eundem, quem priùs tentauerat. Animaduertit Hippo. Anaxenorem mente conſtitiſſe ſemper vſque ad mortem, quo intelligas, citra magnam cerebri compaſſionem, & citra ſeptis tranſuerſi inflammationem interijſſe.

Clonigus Abderæ renum affectibus quidem laborabat, ſanguinem autem paulatim plerumque cum moleſtia mingebat, & venter inteſtinorum exulceratione & torminibus vexabatur. Huic quidem mane propinabatur lac caprillum, cui quinta aquæ pars adiungebatur, ita vt in totum cotylæ tres exhiberentur, veſperi vero panis admodum coctus, pro obſonio autem beta & cucumis, vinum nigrum tenue, exhibebatur etiam cucumeralis pepo. Hac autem victus ratione & aluus ſubſtitit & vrinæ puræ prodierunt. Lac autem potauit donec vrinæ reſtitutæ fuerint:

Clonigus duas affectiones habebat ſimul, locis diuerſas; eſſentia verò ſimiles. Nam erat nephriticus & dyſentericus. Vtrumque autem per exulcerationem, illud renum & viarum vrinæ, hoc inteſtinorum. Significabat viarum vrinæ, & renum exulcerationem mictus ſanguinis, non copioſè ac facilè fluentis, velut ex vaſe rupto ſolet: ſed paulatim ac cum difficultate, ob grumulos ſcilicet paulatim ab vlcere exterſo ſanguine concreſcentes, aut etiam fortaſſe ob excoriationem attingentem vſque ad ipſum veſicæ ceruicem: dyſenteria verò ipſa exulceratio inteſtinorum eſt. Quoniam igitur eadem erat affectionum eſſentia, potuit etiam eadem curationis ratio congruere; quoniam verò affectæ partes erant diuerſæ, oportuit eam ex reſpiciẽtibus partem vtramque compoſitam eſſe. Vtriuſque morbi curatio ſolet pharmaca & chirurgiam admittere. Nam & nephriticis & dyſentericis mittitur ſanguis, vbi adſunt ſcopi illud expoſcentes, & adhibetur expurgatio vtiliter, quum pendet morbus à magna cacochymia, & quum res exigit, apponuntur cerata, cataplaſmata, emplaſtra, & inunctiones, atque ore deuorantur medicamenta multa aliarum virium, & apponuntur non rarò cucurbitulæ, tamen aliquãdo ſola rectè inſtituti victus ratio ſatis eſſe ſolet ad curationẽ, neque ſanè ea eſt deterior curatio, ſed quum eſt ſufficiens, & in his & in alijs omnibus morbis omnium optima; quia vt dicitur ab eodem Hippocrate, medicamẽtum in alimento optimum. In hac hiſtoria, victus ſolùm meminit, vnde duorum alterum licet colligere aut reliqua auxilia ſilentio eſſe prætermiſſa, velut communia multis morbis: aut ſolo victu eſſe rem bene geſtam, quòd corpus non eſſet valdè cacochymum. Certè conſtat hac victus ratione Hippocratem ſanitati hunc hominem reſtituiſſe. Hic fuit maximâ ex parte temperans, & extergens, nonnihil etiam ſiccans & adſtringens. Lac enim, beta, cucumis, & pepo detergunt, panis excoctus ſiccat, vinum nigrum tenue detergit & adſtringit: lac quidem & vinum nigrum vtrique parti ſe accommodant, panis quoque quamquàm ventri magis, beta ventri, cucumis & peto vrinariis viis, lac præter dictam extergendi vim, aquæ admiſtione fiebat attemperantius, & accipiebat nonnihil adſtrictionis. Nam ſcire oportet, coctum

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 457 sur 489

fuiſſe lac, donec abſumeretur quantum aquæ eſſet infuſum, id quod fit vel admoto igne, vel immiſſ[is] nitis lapidibus, aut ferreis globulis, ita amittit [a]li aliquid, & in caſei ſacultatem inclinat. Ita ergo præparatum exterget, temperat, & nonnihil adſtringit: caprinum verò multis aliis eius generibus melius eſt, quia ſiccius & minus ſeroſum. Panis excoctus nihil aliud quàm ſiccat. Beta inteſtina detergit & purgat, hæc eadem, ſi bis coquitur, ſiſtit. Quapropter per dyſenteriam rectè agetur, ſi initio detur cocta ſemel, deinde bis. Cucumis & pepo temperant & extergent vrinæ vias. Vinum quia tenue penetrare poterat etiã in vrinæ vias. Nequaquam conſiſtens circa ventrem, quia nigrum adſtringendi vi participabat. Talis itaque fuit is victus, talem verò deſiderabat affectio, cùm vtraque eſſet vlcus ex acrium affluxu pendens. Vlcus petebat exterſionem, ſiccationem, & adſtrictionem: ſuccus attemperantia: pars propria ſibi ac familiaria medicamenta. Satisfaciebat ergo curatio hæc indicationibus omnibus: nam & ei quæ accipitur ab humore, & ei quæ à parte, & quæ ab effectu. Quin & ſymptomati etiam, hoc eſt, fluxui vrinæ & alui occurrebat per ſe, cùm eſſet particeps adſtrictionis.

Hiſtoria mulieris Abderitanæ occurrerat in libro quinto, eiſdem fere ſcripta verbis, vt nulla nunc enarratione noua opus ſit.

Abderæ Dinÿ filio in vmbilico mediocriter vulnerato exigua fiſtula relicta eſt, & aliquando etiam per eundem locum prodÿt lumbricus craſſus, & dicebat quum febricitabat, bilioſa ipſa per hanc partem exire. Prociderat huic inteſtinum in fiſtulam, & corrodebatur vt ipſa fiſtula, & rurſus diſrumpebatur & tuſſiculæ permanere prohibebant.

Huic puero facta eſt ex vulnere circa vmbilicum fiſtula, vſque ad in ternam partem inteſtinorum penetrans. Id indicabant exeuntia, quia non poterat magnus lumbricus aliunde exire. Cùm enim ſit triplex genus lumbricorum, lati, rotundi, & aſcarides; hi ſunt exigui, & generantur in ſede; illi magni, generanturque lati per inteſtina tota; rotundi in tenuibus. Sunt verò lati maximi, quapropter ego coniecto rotundum huic exiiſſe per fiſtulam, qui ſolet eſſe bene magnus, atque ob id etiam ſuſpicor, aliquod ex gracilibus inteſtinis accepiſſe fiſtulam. Quia vt dixi, in gracilibus generantur rotundi, & quia exibant ei bilioſa, quum febricitabat, ſi enim craſſi inteſtini fuiſſet vlcus, exiuiſſet ſtercus. in craſſis enim colligitur naturaliter ſtercus denſum, in gracilib⁹ non niſi raræ fæces, atque in eorum quadam parte ſola bilis. Quo pacto factum ſit, vt inteſtinum vlceraretur, explicat dicens, prociderat in fiſtulam inteſtinum, & corrodebatur vt ipſa fiſtula. Hoc eſt, cùm fiſtula penetraret vſque ad peritonæum, atque ipſum peritonæum ruptum eſſet, prosidit inteſtinum (vt fieri ſolet) & corroſum etiam eſt, ac penetratum vulnere. Accidebat huic quoque, quod & aliis ruptura peritonæi laborantibus, nempe læcebatur tuſſi, quia tuſſiendo ruptio creſcebat, & inteſtinum prohibebatur permanere, & excidebat magis. Sed poteſt dubitari, quo pacto per inteſtinum ruptum non caderet ſtercus in eam cauitatem, quæ eſt inter inteſtina & peritonæum, atque ſi caderet, quo pacto potuerit puer non breuiſſimo tẽpore mori, cùm præcipuè dictum ſit ab Hippocrate in aphoriſmo, inciſionem tenuis inteſtini, lethalem eſſe. Scire oportet inciſionem inteſtini præcipuè tenuis, per quam tranſuerſim diſſectum ſit, omnino lethalem eſſe, & breuiſſimam afferre mortem; lethalem quoque eſſe (etſi non tam breui) inciſionem recentem, quæ penetrat in cauitatem ipſius inteſtini: ſed vulnerationem inueteratam, paulatimque corrodendo factam, ſi penetret, eſſe etiam incurabilem: non tamen neceſſariò afferre mortem, ſed nõnullis vitam potiùs miſeram. Quia fieri poteſt, vt fiſtulam accipiant, coaleſcantque ita fiſtulæ labia cum peritonæo & abdomine, vt extrorſum exeat aliquid eorum quæ prætereunt per inteſtinum; in ſpatium verò inane incidat nihil, velut huic eſt factum. Nimirum inteſtini pars aliqua impingit in fiſtulam, illic que ſimul eſt exeſa, & coaluit. Cum tuſſi impellebantur inteſtina, erumpebat eorum maior pars, quæ ceſſante tuſſi rurſum recipiebatur intrò, tamen pars quæ coaluerat, neque extorſum pulſo, neque intrò collecto inteſtino, deſciſcebat à fiſtula. Erat verò illud vlcus diuturnum, neque cum phlegmone, neque ſerpens.

Pythonis filio in Pela febris ſtatim incepit vehemens & magna in ſomnum propenſio, cum vocis interceptione ſomni fiebant, & toto tempore dura erat aluus. Subditâ verò glande ex felle multa deÿciebat, ſtatimque remittebat. Celerriter verò rurſum aluus in tumorem eleuabatur, & febris exacerbabatur, eadémque in ſomnum propenſio permanebat. Cùm verò morbus eſſet in eo ſtatu, exhibitum eſt medicamentum quoddam ex carthamo, cucumere ſylueſtri, & meconio compoſitum, & bilioſa eruperunt, & ſtatim ſopor ſedatus eſt, & febris mitior facta, & omnia ſubleuata ſunt, & die decimaquartâ iudicatus eſt.

Laborauit hic haud dubiè febre acutâ, eâque vehementi cum magna in ſomnum propenſione, adeò vt ſomni profunditas aphoniam pareret, & videretur ob id morbus habere aliquid apoplectici. Poteſt ergo dubitari, quomodo factum ſit, vt Hippocrates daret pharmacũ expurgans ante diem decimum quartum, cùm ab eodem ſcriptum ſit lib. de expurgat. medicamentis. Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta expurgantia dare non oportet, donec remiſerit febris, ſin minùs ſaltem non ante decimam quartam. Neque dubium diluetur, ſi dicas non eſſe hoc ab Hipopocrate actum, ſed ab alio fortaſſe quopiam, vt plurima eorum quæ in hoc opere narrantur. Miraberis enim tunc quonam pacto iſtud ceſſerit ex voto, ſi non fuerit rectè

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 458 sur 489

actum. Certè mihi videtur actum optimè, & imitandum, vbi similis sese affectio obtulerit. Nam restrictâ aluo rectè admota est per sedem glans ex felle (hoc enim innuit dicens, προσθεμένης τῆς ἐκ τῆς χολῆς) & ad vacuandam aluum, & reuellendum à supernis corporis partibus, cùmque à glande egereret multa, & ab egestione statim remitteret febris & sopor, constabat apertè, humorem in ventre detentum maximam augendi febrem & soporem esse causam, atque cùm breui rursum aluus in tumorem eleuaretur, & exacerbaretur febris, & ἡ καταφορὴ διὰ τῶν ὑπνων, hoc est somni propensio foueretur eâdem causâ, simulque cum eleuaretur in tumorem aluus, constabat confluere in illam biliosa ex toto corpore, & ab eis ibi congestis foueri affectum: quapropter nulla potior erat curandi ratio, quam curare ne biliosa detinerentur in aluo sed erumperent, & vt per eam viam quam bilis cœperat, corpus expurgaretur; meritò ergo τῆς ὑπνῆς ἀγωγῆς ἐούσης, hoc est, cùm hoc eodem ordine hoc idem euenerit, vt scilicet deoneratâ aluo minueretur febris & sopor, rursum congestis excrementis citò aluus intumesceret, & illa crescerent, datum est pharmacum expurgans, successitque res, eruperunt biliosa, & sedata est affectio. Quoniam verò ante legitimum iudicationis tempus, perfectè tollere morbum nulla auxilia possunt, etsi bona ex parte sedent, durauit febris vsque ad decimumquartum, qui legitimus acutorum finis est, in eoque est iudicatus homo. Ex his verò illud licet colligere, Hippocr. nomine turgentiæ non solùm intelligere eam reciprocam à partibus in partes motitationem, quam Galenus interpretatur, sed etiam vergentiam humorum in euacuationis vias, præcipuè in aluum, qualis in quibusdam significatur hypochondriorum murmure, in hoc alui intumescentia redeunte citò post eius deonerationem. Ob talem enim succorum vergentiam expurgare licet, etiam ante coctionem, quia ea quæ sponte fluunt facilè trahuntur.

EVdemo vehementi splenis dolore laboranti imperatum est à medicis vt multa comederet, paucum vinum tenue biberet, & frequenter deambularet, nulla facta est mutatio. Secta est vena, cibos & potum parcè sumebat, deambulationes paulatim intendebat, vinum nigrum tenue propinatum est, sanitati restitutus est.

Tametsi inflammatio aut multitudo humorum in hepate & liene, partibus, nisi ob membranas quibus vestiuntur, fere è expertibus sensus, dolores fortes non afferant, sed grauantes sine vllâ acutie; tamen ob humoris mordentem qualitatem, aut flatum distendentem patiuntur aliquando illæ partes (ob membranas quidem) dolores vehementes, mordentes, aut tensiuos. Cùm igitur Eudemus vehementi splenis dolore laboraret, constat eum multum & acrem sanguinem in eo viscere collegisse. Vidimus enim id in quibusdam ægrotis, qui referebant sentire se eo loco, velut admotam ignis prunam: quibus nulla ratione citiùs succurritur, quàm sanguinis missione factâ secundum rectitudinem, ab internâ scilicet venâ cubiti sinistri, vel à sinistra manu. Cum verò laborantes lienes semper colligant crassum & melancholicum sanguinem, ob quem scirrhos plerumque contrahunt, vacuatâ per venæ sectionem bona parte sanguinis, præcipuè calidioris & vrentis, opus est alia curatione vt crassi succi absumantur, quæ in tenui victu, & potus abstinentia, & deambulatione consistit. Quidam medici ab hac intentione non multùm declinantes, præceperunt Eudemo multa comedere, & bibere parum vini tenuis; & deambulare multùm. Multa comedere arbitror eos præcepisse, vt posset homo multùm deambulare, quia vbi fames laborandum non est. Verùm non est cum hoc victu facta vlla mutatio, nullatenus inquam iuuatus est homo: quapropter mutata deinceps est curandi ratio, sectaque vena, imperatumque vt cibos & potum acciperet parcè, & deambularet, non quidem repentè ac multùm, sed paulatim deambulationem intendendo, datumque vinum nigrum & tenue, & sanitati restitutus est homo. Nimirum non imminuta per venæ sectionem multitudine, & remisso dolore visceris, exercitatio nihil conferebat, ac fortasse etiam lædebat, quòd infarctus lien non posset esse peruius, & colligeret in dies plus, motúque ad sese alliceret. Si verò ingesti fuissent multi cibi, nequam absumpti fuissent humores, sed soli fortasse cibi: cum cibo autem pauco non poterat sustineri magna deambulatio, nisi susciperetur paulatim, vt paulatim assuesceret homo, & assuetudine patientiam compararet. Rectè igitur ita est actum. Potu verò pauco vti debere lienosos, & multo plurimùm lædi, periclitaríque fieri hydropicos, res est expertissima neq; ratio obscura. Cùm enim lien spongię sit similis plurimùm aquei liquoris imbibit, atque distenditur, obruiturque in eo facilè calor, & frigus hepati communicatur. Peccatum ergo à prioribus trifariam est, primum quòd venam non secuerint ante omnia, deinde quòd multo cibo vti iusserint, tertiò quòd repente iusserint multùm deambulare. Vinum dari tenue admodum erat necessarium, crassum enim est etiam fæculentum, & ob id melancholicum & obstruens: nigrum verò non adeò necessarium, non tamen inutile, cùm satis esset tenue. Neque enim obstruere poterat tenue existens, & quàm album sedabat sitim magis, quod in eo casu non parui momenti est, ne sitis cogat multo vti potu.

PHilistidem Heraclidæ vxorem febris corripuit acuta, rubor faciei sine vlla causa manifesta. Paulò post autem eadem die riguit, cùm non recalesceret, conuulsio accidit in digitis manuum & pedum, posteà autem parùm recaluit. Minxit vrinas compacta quædam innatantia, nebulosa, dispersa habentes, noctu dormiuit. Secunda die rursus riguit, per diem paulò magis incaluit, & rubor erat minor, & conuulsiones superuenerunt moderatiores, vrinæ similes, noctu dormiuit, parùm vigilauit

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 459 sur 489

©BIUM

cùm nullâ premeretur moleſtiâ. Tertia vrinas melioris coloris reddidit, parùm ſubſidentes, eadem verò hora rurſus riguit, febris acuta fuit, & ſudor per noctem toto corpore dimanauit, inclinãte autem die color in icteri modum mutatus eſt, noctu dormiuit, (ſeu ſudauit) toto corpore. Quarta ſanguis è ſiniſtra nare probè effluxit, & muliebria pauca ſecundùm ordinẽ apparuerũt. Rurſus autẽ eadẽ hora febricula exacerbata eſt, vrinæ paucæ compacta quædam innatantia habebant: aluus autem natura quidem dura, multò tamen magis ſubſiſtebat, nec quicquam niſi ſuppoſita glande deijciebat, noctu dormiuit. Quinta tum febricula mitior fuit, tum ſub veſperam toto corpore ſudauit: & muliebria prodierunt, & noctu dormiuit. Sexta vrinam reddidit confertam, multam, compacta quædam innatantia & paucam ſubſidentiam concolorem habentem. Circa meridiem autẽ parùm riguit, aliquantũ incaluit, toto corpore ſudauit, noctu dormiuit. Septima paulũ recaluit, facilè tulit, toto corpore ſudauit, vrinæ probè coloratæ fuerũt, omnia iudicata ſũt.

Hic idem morbus fuiſſet in viro quàm in fœmina, & intellectu difficilior, & periculoſior. Nam febris quotidie eadem hora rigorem habens. quo pacto non cenſeretur intermittens; ſi autem fuerit, quo pacto incipere poterat morbus à febre acuta, & huic velut ſuperueniens ſignum accedere rigor? Sin autem dicas cœpiſſe fortaſſe morbum à diaria febre (vt ſæpe fieri ſolet) ſuperueniſſeque diariæ putridam intermittentem, occurrit huic opinioni Hippocrates dicens, incepiſſe febrem ſine vlla cauſa manifeſta, à qua incipere diariæ eſt proprium: ſi verò putes fuiſſe complicationem continuæ cum intermittente, huic quoque opinioni repugnat figura, ſiquidem rigor primâ, ſecundâ & tertiâ factus, quartâ & quintâ defuit, ſextâ apparuit citra omnem typum rigori congruentem. Sed & ſigna præſe tulit multùm periculoſa, regium morbum die tertiâ, & rigorem ſextâ, & à febre acuta conuulſionem, quæ velut lethalia ſunt in aphoriſmis notata ab Hippocrat. Verùm indicauit hæc forma tota, & hic ſignorum infrequentium, & alioqui lethalium concurſus, morbum muliebrem potiùs quàm lethalem, & rigores illi fuerunt inordinati, & conditionem potiùs morbi, quàm certam ſpeciem indicabant. Nimirum totum hunc morbum attulit difficultas eruptionis menſtruorum, alioqui ordinatè & ſuo tempore venientium. Velut enim multis ſuo tempore parientibus, tamen ob difficilem expurgationem, quàm aut expurgandorum humorum multitudo, aut ſtructura viarum facit, accidunt febres, eæque quibuſdam antequàm pariant, ab ipſius ſecretionis, & agitationis initio incipiunt; quibuſdam paulò poſtquàm pepererunt, malè ſubſequentibus humoribus infantis editum, ſuntque eæ febres plerumque horridæ, & cum inordinatis ac multis rigoribus, & conuulſionibus, ob vteri naturam, cum quo ſentiendi & mouendi principium facilè compatitur, vt in quam multis ante hunc commentarijs dictum eſt, ita & multis earum, quibus difficultet exeunt, circa menſtruorum eruptiones tales fiunt febres; quibuſdam poſtquam cœperunt erumpere, neque procedunt, ſed oppilati circa vteri vaſa ſucci inflammationes cient, aut ſaltem putreſcunt; quibuſdam antequàm appareat ſanguis vllus, ab initio ſecretionis incipiunt, malignis ſcilicet humoribus obſidere vterũ & quã vere exitum incipientibus. Et his quidem quum iam erumpunt tolluntur febres, aut mitescunt earum ſymptomata, niſi omnino exiguum ſit quod exit. Velut huic Philiſtidis vxori, cui cùm inſtaret legitimum menſtruorum tempus, quia fortè fortuna erat prauis ſucci abundantior ſolitò, incipiente ſecretione, quæ quatuor ferè dies ante exitum incipere ſolet, facta eſt febris acuta & rubor faciei ſine vllâ cauſâ manifeſtâ, ſed ob multitudinem fumorum qui ex agitato ſanguine in faciem & anteriorem capitis partem, per venas magnas & arterias, à partibus circa vterum aſcendebant. Paulò poſt eadem die riguit, neque recaleſcebat, ſed multo tempore extremorum refrigeratio perſeuerabat, & conuulſionem ſenſit in digitis manuum, & pedum: paulò verò poſt conuulſiones caluit, caloreque ſoluente conuulſiones, & liquante ſuccos, minxit προφιώδεα, νεφελωδεα, διεσπασμένα, hoc eſt denſa, plena contentis diſperſis. Et ita nonnihil ſubleuata noctu dormiuit. Secundâ die eadem habuit, præterquàm quod febris habuit plus, roboris minùs, & conuulſiones etiam moderatiores. Vrina eadem habuit, quæ primâ die, noctem tunc quoque dormiuit, non totam, ſed vigilauit nonnihil, ſine moleſtia tamen. Tertiâ die eadem hora accidit rigor, ac poſt eum febris acuta, & ad nodem ſudor per totum corpus. Veſperi eiuſdem diei color mutatus eſt in icteri modum, & mane reddita fuerat vrina melioris coloris, & paruam habens ſubſidentiam. Itaque apparuerunt eâ die duo longè diuerſa ſigna, alterum in vrina, quod ſalutem intra primam ſeptimanam promittebat, vt certè euenit: alterum quod mortem minabatur. Vrina enim melioris coloris, neque continens iam vt anteà nebuloſa, & diſperſa, ſed parùm ſubſidentia, manifeſtam concoctionis præſtabat ſignificationem, quæ intra primum quaternarium apparens, intra primam ſeptimanam iubet expectare ſalutem: morbus verò regius ante diem ſeptimum factus pernicioſus eſt. Accidit tamen in hac muliere ſalutis ſignum præualere, quia pernioſum illud eandem quam totus morbus habuit occaſionem, ſecretionem ſcilicet vitioſi ſanguinis, ad inſtantem menſtruorum euacuationem. Itaque non ob hepatis inflammationem, aut venenoſam ſanguinis qualitatem, vt in alijs, ſed ob conturbationem quam attulit naturalis ille motus, effuſio biliosi ſanguinis in cutem facta eſt, atque minùs periculoſa fuit, vt quæ à naturali motu proficiſceretur. Facta mentione icteri, addit νύκτα ὕπνωσε δι' ὅλου, hoc eſt, nocte dormiuit per totum. Quibuſdam videtur ineptum, dicere per totum dormiuit, quia illud δι' ὅλου, ideſt per totum videtur referre σώματος, ideſt corpus. Quid autem ſit dormire per totum corpus? Ob id malunt legi ἵδρωσε δι' ὅλου, ideſt, ſudauit per totum. Sed hæc quoque videtur inutilis repetitio. cùm mox dixiſſet ἱδρὼς ἐς νύκτα δι' ὅλου. Quapropter rationi conſonum cenſeo, legi vt occurrit ſcrip-

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 460 sur 489

©BIUM

tum κἀκ ὕπνων δι' ὅλου, & illud δι' ὅλου accipi aduerbialiter aut ſuppleri χρόνου, vt ſignificetur per totum noctis tempus dormiuiſſe: quod mihi videtur admonuiſſe, vt ſignificaret dormiſſe eâ nocte meliùs quâ ſuperiori, quâ dixerat partim vigilaſſe. Quartâ die, quæ ſecerni anteà cœperant, eruperunt ſuo tempore menſtrua. Verùm febris ipſa, quæ adhuc erat in incremento, ne perfectè erumperent effecit, & ipſa imperfecta eruptio, ne febris ſtatim ceſſaret, aut ſaltem deſiſteret ab incremento. Nam febris ardens effert in ſuperna ſuccos, & ipſam partem in quam influunt phlegmonoſo modo afficit. Ob hoc vterus in febricitantibus acutè vix deponit ſanguinem: ob illud, neque ipſe quidem ſanguis bene in eum influit: proinde & per ſuperiorum partium aliquam ſimul erumpit, vt huic per nares, & per vterum, ſed parciùs quàm vt febrem iudicare poſſet. In hac igitur meritò non eſt febris per eam euacuationem iudicata, tamen ſymptomata vterina magna ex parte ſedata ſũt. rigores enim quotidiani eſſe deſtiterunt, neque conuulſiones apparuerunt amplius, febris verò & eius quotidianæ exacerbationes proceſſerunt, vterò ſ. ex parte vacuato, & in reliqui euacuationem conuerſo, toto verò corpore nondum purgato: proceſſerunt quoque ſudores quotidiani per totum fluentes, qui ad talũ morborum iudicationem, & corporum muliebrium perpurgationem accommodatiſſimi ſunt. Quod in ægrotantibus ex partu quotidie videas, nimirum effunditur conturbatus, & exagitatus ſãguis, sũtque cõgeneres hi tres mor9 qui in hac muliere apparuerunt, rigor, icterus, & ſudor. Quorum ſudor perfecit inchoatam per duos priores excretionem. Atque ita fit, vt qui ex morbo regio rigent, ſi ex rigore ſudent, euadant. Quod huic euenit, quæ cùm non euacuaſſet ſatis multùm riguit, & ictero eſt correpta. Hæc ex parte vacuata minùs riguit, tamen nondum vacuata ſatis, ſextâ die iterum riguit, ſuperueniente verò copioſo ſudore, die ſeptimâ iudicata eſt perfectè, diei naturâ non parùm iuuante: ei enim ſũtque huic omnia, iuxta id quod ſectione tertiâ libri tertij dictum eſt, his verbis: plerique ægroti circa iudicationem rigebant, maximè quibus ſanguis non eruppiſſet, idem verò poſteà inſuper riguerunt, & exudarent. Tychonis, qui in obſidione circa Datum catapulta percuſſus interiit. hiſtoria occurrit hoc loco, enarrata verò priùs eſt in quinto, neque hæc ab illa dictione euariat, niſi quàm minimum, & quod nullius momenti eſt. Et quidquid id eſt illo loco animaduertimus. Locus eſt non longè à fine quinti.

EVnuchus ex venatione & excurſatione adaquator factus eſt, hic iuxta fontem Elealcis habitabat, & ad ſex annos habuit affectum ex equitatione contractum, qui ἵππους vocatur, & inguinum tumorem, & varices, & diuturnas in coxas fluxiones: hic ſecundùm inanem partem tabefactus ſeptimo die mortuus eſt.

Narrat vitam ante actam, & paſſiones diuturnas,

A quæ ab ea viuendi ratione traxerant originẽ, quod eam fuiſſe cauſam autumet tam repentini interitus. Non enim narrat ex quo morbo perierit, ſed periiſſe ſeptem diebus, inſinuans non ob febrem aliquam acutiſſimam, aut internam inflammationem vt ob peripneumoniam, aut pleuritidem, aut phrenitidem, ſed ob aliquam affectionem, quæ à diuturnis illis fluxit, neque niſi ita affectum, ac labefactatum tamdiu, ſubſtiliſſet. Exercuit igitur hic multo tempore artem venatoriam, atque poſteà viuendi rationem mutauit, (cùm fortaſſe non poſſet iam priorem ſuſtinere) atque, venatione & aſſiduo
B curſu relictis, factus eſt ὑδραγωγὸς (ita vocatur qui aquam defert, venditátque, aut qui haurit) habitabat hic iuxta fontem Elealcis. Huic primùm quidem ex labore, aſſiduâ inquam & concitatâ equitatione, quâ venatores vtũtur, deinde & ex humiditate, quæ à viuendi ratione & habitatione acceſſit, læſæ & debilitatæ plurimùm ſunt partes humiles, quæ circum circa clunes & genitalia ſunt, & inanes partes. Habuit ergo ſex annos ἵππους, ita vocant malum ex equitatione contractum, velut fieri ſolent vlcera quædam in clunibus & interfœ-
C mineo, quæ aliquãdo euadunt diuturna, & dyſepulotica, & calloſa. Habuit etiam βουβῶνα, quem, ſiquidem fuit adeò diuturnus, conſtat fuiſſe tumorem ſcirrhoſum in adene. Habuit quoque ἰξίας, id eſt varices, aut (ſi velis cum publicatis codicibus legere) ἴξις hoc eſt ile, & dolore partis inanis vexatus eſt, aut continenter plus minuſve affligente, aut reperente per quædam interualla, ita vt ſolet: accipitur verò hic nomen partis pro affectione, ve-
D lut in aphor. 22. ſect. 3. vbi dicitur, Autumno & ex æſtiuis multi morbi graſſantur, & febres quartanæ, & erraticæ, & ſplenes. Nomen enim ſplenis pro eius viſceris morbo accipitur: & rurſum alio aphor. 26. ſect 3, ipſis verò grandiuſculis tonſillæ, Itaque hic quoque ἴξις, hoc eſt ile vocat, ei parti familiarem morbum: addit καὶ κέδματα, hoc eſt, dolores circa genitalia, qui quidem dolores fiunt ob fluxiones in coxæ articulum. Is enim articulus, vt eſt maximus attingit os pubis. & fœmen inter crura, & ile, & clunes: itaque omnes eas, & earum plures partes obſederat dolor. Cùm tantâ earum partium laboraret debilitate, correptus eſt acuto morbo (cum febre arbitror) & ſecundum inanem par-
E tem tabefactus interit die ſeptimâ. Non explicat quo pacto interierit, neque qui fuerit poſtremus morbus: ſcire tamen oportet. eos quibus humiles illæ partes diutiùs ſunt male affectæ, quoſque confecit laborioſa aliqua viuendi ratio, qualis huic Eunucho contigit, aut etiam nimia Venus quæ illas etiam partes debilitat, opportunos eſſe multis & pernitioſis affectibus, ac nonnunquam breui interimentibus. Nam putreſcentiæ malignæ, & exedentia vlcera, aut gangrænoſæ inflammationes breui oriuntur in illis partibus, vtpote humidis & excrementitijs, & veſicæ aut inteſtinorum, partium
F eo loco ſitarum, actiones adeò neceſſariæ tolluntur, corruptâ earum partium facultate naturali, aut animalibus earum actionum inſtrumentis penitùs reſolutis, vel conuulſis, aut vijs obturatis congeſtione inſuperabili lapidum, tophorum, aut grumorum, aut caruncularum ſupercreſcentia.

©BIUM

HIs qui crudum præpotant salsa cum melle medentur.

Suppleri hic debet ἄκος, hoc est, medela, significatur enim his verbis, vbi quis aquam crudiorem, aut gelidam, vino præcipuè assuetus, acceperit, aut crudum lac, aut iusculum olerum cum multo aceto, aut denique potione aliqua, aut sorbitione crudiori læsum se sentiat, salso aliquo cibo cum melle debere vti, velut veteri caseo, aut salito pisce (vt certè sardina) melle intinctis. Quandoquidem salsa & mellita, calida & sicca cùm sint, emendant crudã illam frigiditatem. Constat verò eadem ratione iuuatum iri hominẽ acribus, vt si veteribus vtatur nucibus, intinctis etiam melle, aut vt quibusdã in vsu est, nucleis persicorũ, aut itrijs ex nucleis pineis, aut amygdalis cum melle subactis, aut alijs eiusmodi: constat quoque talium rerum vsum conducere, non solùm post potiones, sed post cibos etiam crudos, & frigidos denique ad cruditatẽ omnẽ quæ nidorosa non sit. Quidam pro προπιούντων legunt προπυόντων, voluntque Hippocratem præcipere, vt suppuratis qui pus crudũ exscreant, exhibeãtur salsa cum melle ad detergendum & concoquendum.

Hinc deleui quædam verba, absurda prorsus, & indigna, quæ à probo quopiam vito legerentur: ob id quanquam desint, non desiderabuntur.

LEonidæ filiæ natura conuersa est, conuersa verò subsannabat, subsannans pacata est medicus non intellexit. Puella mortua est.

Parum peritis medicis non aliter ac vulgaribus, meliusſemper habere videntur ægroti, quũ quietiores & pacatiores sunt, cum tamen possit hac quoque in re esse quid nimium, resque non ita pensanda sit, sed vt alibi Hippocrates monet, considerandum an quæcumque in ægroto apparent similia sint aut dissimilia iis quæ in eodem esse consueuerant, quum secundum naturam se habebat videndùm que quantũ dissideat id quod adest, tũ à communi hominum naturâ, tũ vel maximé àbuiusque propriâ. Quod enim plurimum dissidet ab eo quod secundum naturam, est admodum præter naturam, atque ob id etiam vitiosum est. Velut cùm huic esset natura concitata & ad furorem prona, paulò ante mortem conuersa est ad pacatiorem, sedataque est plurimùm, atque facta mitior. Tamen ἐμυκτήρισεν id est mouebat nares velut subsannans. Medicus non intellexit, referens enim illud ad communem naturam potiùs quam ad puellæ propriam, sedatam ac placatam esse boni consulebat, id verò erat delirium merum. Non enim minus vitiosum est loquacem tacere, & concitatum plus satis mitescere, quàm taciturnum garrire, & mitem furere. Attestabatur verò insaniæ etiam illa subsannatio, quæ etiam fortasse non sannatio vera erat, sed conuulsiuus aliquis motus faciei & nasi. Nam in adeò morti proximâ quiduis meritò suspicari potest.

PHilotimi filius pubertatis annos assecutus venit ad me. Inueni os cranij arte medicâ destitutum, & deploratum, cum occulta stabilia non viderentur.

Maximum errorem imperitorum chirurgorum notat hic Hippocrates, qui nonnonquam desistunt intempestiuè ab vlcerum curatione, ac quasi sana iam sint reliquunt, eò quòd supercreuerit caro quædam, & ossa contecta, ac repletæ cauitates sint: cùm tamen, nisi ea caro sit à fundamentis satis firma, stabilis, & sicca, ac quæ substant ossa & membranæ sint citra omnem læsionem, malignè occultata, atque vt dicunt, supersanata potiùs quàm sana sint, necesseque sit posteà maligniùs recrudescere, naturâ pellente id quod suberat laxi, mollis, atque putridi, aut alterata ossicula: aut (quod erit multò grauius quum id non potest efficere natura, eò quód per inscitiam obturatæ illi viæ sint, superuenientibus grauissimis febribus, ac conuulsionibus, & malignis aliis symptomatis mori: tunc multùm mirantur medici id accidisse, cùm vlcera iam essent ferè ad cicatricem perducta, negantque ex iis illud accidisse, sed ex nouo morbo qui ob aliam occasionem contigerit. Sæpe igitur peritus medicus non minus prospicit, vt ante tempus non contegantur vlceris veluti fundamenta, quã vt caro generetur, ac si fungosa mollisqne & facilè liquescens caro pullulet, extirpenda dissipandaque est, videndúmque vt occulta & quæ talibus carunculis conteguntur, stabilia priùs sint, quàm permittat quippiam supercrescere. Quod quidem peccatum esse commissum dicit Hippocrat. in puero Philotimi, quem, cum habuisset vlcus vsque ad cranii os, chirurgi dimiserant velut sanitati iam restitutum, cùm tamen occulta, hoc est, ipsius ossis squama & pericranium & hærens illi caro, non essent satis firma. Oportuit ergo (etsi id Hippocrates non dicat) vlcus nouare, ac subiectis partibus idoneam denuò curationem adhibere, vsque adeò præstat artifex imperito.

FINIS.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 462 sur 489

©BIUM

INDEX COPIOSISSIMVS

In quo Vniuersa horum commentariorum doctrina compendiose conspicitur.

Numerus columnam designat, littera columnæ spatium.

Abdominis rupturæ. 106. f.
Aborrientes eodem prorsus tempore censentur id pati propter exiguitatem vteri. 335.c.&366.e.
Aborrum tentare non licet. 122.g.
Abortus causæ. 167.e.
Abortus periculosior partu. 262. e
Abortus quo pregnationis tempore sit periculosior. 262. f. & 335. b.
Abortus masculi salubrior fœminæ. 223.b.
Ab abscessibus ad articulos duplex euacuatio præseruat 596. e.
Abscessus quid sit, & per quas partes fieri soleat, quinam boni & quinam mali sint 98. b. 514. f.
Abscessus etiam vocantur morborum permutationes. 26. c. 52. a.
Abscessus cum effluxione, & sine ea, & vtrorumque exempla. 99. f.g.
Abscessus ad dentem. 100. b. 284. f. 354. a.
Abscessus ad articulos, aut fluxus sanguinis intercipiunt eleuationem lienis, 158. b.
Abscessus contrarios nonnunquam complicari exemplo indicatur. 367. f.
Abscessus & recidiuæ eorumdē morborū sunt 426. b.
Abscessus non minùs quàm euacuationes debent diebus decretorijs fieri 435. c.
Abscessus in aures sunt magis tusficuloſi, quàm qui in dentes fiunt. 436. e.
Abscessus mali innumeris modis fiunt. 567. f.
Abscessus non admodum fiunt quibus rigores 579. c.
Abscessus ad articulos fieri posse sine tumore, & sine dolore. 580. a.
Abscessus partium inferiorum meliores esse quàm superiorum, nisi sint suppuratione soluendi. 582. a.
Abscessus maturi, rectè iudicantis affectus priores signa. 404. f.
Abscessus varij. 25. f.
Abscessus decretorii qui. 29. b.
Abscessus indicationes. 158. c.
Abscessus qui maligni. 593. d.
Abscessus vocat Hipp. etiam euacuationes 603. c.
Abscessus glandularum significare affectiones viscerum, & cur. 593. b.
Abscessus considerandos esse quo, vnde, ac propter quid explicatur. 594. d.
Abscessus sæpe fieri in inferna ex succis qui sursum moueri incipiebant. 595. e.
Abscessus non rarò fiunt in vnum latus aut solùm aut magis quàm in alterum. 596. a.
Abscessus in quas ex quibus partibus fiant, multùm interest considerare. 602. c.
Abscessus, vt fistulæ qui dicantur. 657. b.
Abscessus diuturni siue cum euacuatione, siue sine ea, non curantur sine periculo. ibidem d.
Abscessus in quas partes expectari oporteat 743. c
Abscessus iudicatorios faciliùs solui quàm alios abscessus particulares 802. f.
Abscessuū duo maxima vitia & quid ob illa faciendum. 26. d.
Abscessuum bene procedentium exempla. 69. b.
Abscessuum ad cutem differentiæ. 100. e.
Abscessuum omnium indicationes, quidque ob eos agendum 158. e. 598. b. 602. c.
Abscessuum ad oculos, aut aures, aut articulos futurorum signa. 380. d.
Ab ijs quæ non adsunt, argumentum. 96 b.
Accessiones diebus paribus cur malæ? 41. a
Accessionum anticipatio & postpositio. 93. c.
Acetum cum sale potum vomitum mouet, sed non innoxie. 898. a.
Acheloi vxor sextâ die abortum fecit, sanguinea cùm esset. 334. e.
Actionum omnium naturalium enumeratio. 765. a.
Acuta febris quæ dicatur ab Hippocrate. 301 a.
Acutas & pernicioſas febres rarò fieri sine interna inflammatione, & quæ cura ob id esse debeat 65. a.
Acuti morbi non omnes cum febre 55. a.
Acutorum morborum finis. 238. a. 250. d.
Adamantus Melancholicus à peplis & cæpis vomuit multa nigra 768. d.
Adolescens qui decumbebat super foro mendatiorū ardente febre, ex nimia exercitatione correptus, septima est mortuus. 258. g.
Adolescens Melibææ ex vino, & venere ægrotans, vigesimoquarto obiit. m325. d.
Adolescens qui primus mente captus est, febre ardente cum phrenitide ex vino laborauit 348. c.
Adolescens, qui hausto serpente mortuus est. 551. d.
Adolescentis peregrini historia. 351. a.
Adolescentis ex Euboia historia. 503. b.
Adolescentis qui cucurrerat viam asperā hist. 514. e.
Aegrotos à lecto surgere morbo nondum soluto expedit. 729. c.
Aër intemperatus quando parit morbos. 12. b. 17. a.
Aër parit morbos communes omnibus 17. b. 86. d.
Aëris quæ differentiæ sint considerandæ, & qualis in his aut illis regionibus sit. 751. a.
Aëris corruptio magna parit idem morbi genus, exiguà varium. 11. f.
Aëris intemperies antecedit morbos & anteillorum ortum cessat. 4. f. 17. a. & 139. b.
Aëris frigiditas & humiditas replent corpora, 17. c.
Aestas quando incipit. 5. b.
Æstatis morbi. 11. b.
Æstiualis victus sanorum, 654. b
Ætas ægroti, & anni temporis & ægrotandi occasio faciunt, & ad cognoscendum morbum, & periculū & curationem rectè suscipiendam. debentque considerari seorsū atque etiam cum aliis conferri. 553. b.
Ætates non eisdem annis mutantur in omnibus, &

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 463 sur 489

©BIUM

causæ singulorum 760.a.
Ætatum morbi. o. a.
Ætatum distinctio ex dentibus pilis & semine. 759 f.
Agasiisiliæ hist ia. 163. b.
Alati parati sunt ad tabem 291. a.
Alati cur sint catarrhosi 639. b.
Alatos flatuosos esse 634.a.
Alatos à malignis fluxionibus siue excretio sit, siue non sit, periclitari. 639.c
Albi colore, non rufi capillis, quali sint naturâ. 419 e.
Albidorum quidam febriculosi, quidam à febre valde alieni & cur, & quibus signis discernantur. 764. e.
Alcippi historia. 448. e
Alcmanis qui nephritide laborauit, historia & curatio. 862 b.
Aleuas vlceribus per cutem ægrè sanescentibus laborauit. 110.b.
Alleuatio iam morientium quas habeat causas. 812b.
Allia cum maza quando oculis conferant 209. a.
Allia quibus conueniunt. ibid.
Alui torpor omnium confusionem affert. 619 d.
Alui profluuiũ in grauidâ ex quo accidit abortus. 115.g.
Alui fluxiones spontaneæ periculosæ in pestilentibus 290.b.
Alui deiectiones thoracis morbis plerunque inutiliter, aliquando exitialiter succedunt. 527 f. & 567. b.
Aluum multùm fluere & multùm siccari in morbis thoracis malum 151.b.
Aluum siccari hydropicis malum. 524 d.
Aluum quati quid sit 613 e.
Aluum in initijs morborum siccam habere, deinde humescere melius est quàm contrà 837 c.
Aluus cur intumescat quibusdã morbi proximis. 816.c.
Aluus maximè sistitur ore acceptis. 143. f..
Aluminis. vsus 536. b. & 666. b.
Ambigua signa vt distinguantur. 775. b.
Ampullarum differentiæ & causæ, v tque sint aliquando pessimarum affectionum 368. g.
Amylum & farina quo pacto cohibeant fluxus 806. c.
Anaxenoris splenici historia 902. f.
Anaxion pleuritide laborauit longa: 309. c.
Anaxioni cur non secuerit Hipp. venam ante octauam. 310. d.
Andreæ historia. 834. d.
Andronici puero erysipelas recurrit. 175. f.
Androphanis historia. 545. a.
Androtali historia. 885. e.
Anecheti filii, qui ex epilepsiâ obiit sex diebus historia. 842, b.
Ἀνεμία quid sit apud Hippocratem, & cur soluatur venæ sectione. 196. g.
Angina quid sit & eius differentiæ. 732. b.
Angina non potest ante tertium solui, sed potest primo die strangulare. 131. f.
in Angina quomodo mittendus sanguis 221. c.
Angina ad pulmonem vertitur multis. 527. f.
Anginam vocabat Hipp omnem strangulationẽ 134. d.
Anginosa, quæ iuxta Aristonem agebat, quintâ mortua est. 757. f.
Anginosorum ex vertebrarum luxatione historia 133.a
Anheloſæ famulę historia 395. f.
Anheloſum esse & à sudoribus deficere in acutis lethale. i 737. b.
de Anima veror sententia. 758. a.
de Animæ essentia sententię Gal. & Hip. 688. b.
Animæ rationalis definitio ibid. c.
Animi motibus aliquando curari morbos. 186.a.
Animi motus prouocandi duplex ratio, altera communis, altera propria. ibidem. b.
Animi morbos curare ad medicum spectat. 691.d.
Animi motus vehementes multùm corpus lędunt. 315. b. d.
Animi deliquium repentinum & eius curatio. 200.e.
Animi deliquium fluxum sanguinis sistit. 736. b.
Animi deliquium ingruens spiritũ crebrũ facere. 779.e
Anni tempora, quando variè sunt affecta, varios pariunt morbos. 11.e.
Anodynorum duplex genus. 713. f.
Antandri historia. 510 e.
Antigenis vxor peperit monstrosum fœtum. 126.e.
Antigenis vxoris asthmaticæ historia. 364. f.
Antilochus & Alleuas vlceribus, per cutem ægrè sanescentibus laborauerunt. 110. a.
Antiphanis filii & Thessalonis historiæ, 824. a.
Anus iuxta Sosileũ leucophlegmate laborauit, 89.b.
Anxietatis quę antecedit repẽtinos casus causæ. 852.b.
Apellæi qui in iuuenili ætate epilepsia est correptus, historia. 407.f.
Apemanti vxoris historia. 367. e.
Apemantus, & pater fabri, & Nicostratus ex multo cibo laborauerũt tussi sicca cum dolore lumborum vide quæ pati possũt, & quomodo essent curãdi. 119.f.
Aphonia vicinis jam morti cur fiat. 64 .e.
Aphorismus 70. sect. 4. explicatur ex alio Hippoc. loco. 900.f.
Apollonius Abderæ phrenitide laborauit. 318. d.
Apoplectica passio ex catocho & Apoplexia constans describitur. 455. e.
Apoplecticas omnes passiones esse vehemẽtiores, quũ vigilantes inuadunt, quàm quũ dormientes. 489.a.
Apoplecticæ passiones à quocunque succo fieri possunt. 885. e.
Apoplectici etiam morituri, cur non rarò paulò ante mortem redeant ad mentem. 474. c.
Apoplexia ex vino etsi sit fortis, soluitur sæpe, & non nunquam interimit præcipuè senes. 455. e.
Apoplexia ab externa causa soluitur, etsi sit fortis. 521.e
Apoplexiam non solui tutò, quæ citò, & ante legitimum tempus. 214. b.
Apoplexiæ cum conuulsione ex melancholia incidentis descriptio. 840. f.
Apoplexiæ eius non vulgaris curatio. 841. b.
Apoplexiæ ingruentis neq; obfirmatę signa. 885. c.
Apoplexię inuadentis curatio. ibid. d.
Apostasis brachij quid fit apud Hippocratem. 534.d.
Apparatus morbosus quàm periculosus sit indicatur exemplo. 515. a.
Ἀπαγχόνεσθαι quid significet. 331. c
Aqua leuissima. 121. a.
Aqua edax, vigilia edax. 673. e.
Aqua intercus vnde ita dicta. 108. f. lege hydrops.
Aqua frigida à recenti casu pota, cur prosit. 775. b.
Aquæ refrigerandæ ratio. 668. e.
Aquę elixandæ ratio ibidem.
Aquę arte carentes & artificiosæ quę sint. 673. a.
Aquilo & Auster tusses excitant, sed non ob eandem causam. 543. c.
Aquosę mulieres copiosa habent & crebra menstrua, alioqui fiunt hydropicæ. 576. d.
Arcturus quando oritur. 278. e,
Aristei ex Amphilochi pago historia. 414. a.
Aristippum vulneratum esse secundum intestina, Neapolim

apolim ſecundùm ventriculum, ex vtriuſque ſymptomatis indicatur, redditúrque vtrorumque cauſa. 653. b.
Ariſtocratis hiſtoria & ob carrumcula. quid factũ ſit, & quid fuiſſet faciendum. 838. a.
Ariſtodemo & Phillis filio vſtum eſt pectus. 333. g.
Ariſtonis ſeruæ hiſtoria. 507. c.
Ariſtonis cui ex vulnere digiti pedis aſcendit gangręna vſque ad genu, hiſtoria. 898. b.
Ariſtophontis filiæ hiſtoria. 368. a.
Ariſtoteles, traiecto ſepto tranſuerſo, affirmat aliquos in bellis riſiſſe, & quâ cauſâ. 559. f.
Ars an ſemper ſeruiat naturę, multis diſputatur. 681. e.
Ars ex quibus conſtat. 31. c.
Arteriæ ſectæ dignotio. 164. g.
Articuli magni quiab hipocrate dicantur. 178. f.
Artus omnes pariter reſolui ,periculoſus caſus & cur. 803. e.
Aſandri hiſtoria. 852. d.
Aſina & equa vndecimo menſe pariunt. 168. a.
Κῶπι & ἀσπάδες quid vtrumque ſit & quomodo differant. 316. a.
Aſthma quid ſit. 665. e. a.
Aſthmaticæ victus & curatio. ibid.
Aſtra quid faciunt ad temporum mutationes. 86. f.
Aſtrorum ortus & occaſus conſiderare oportet. 364. c.
Aſtrum magnum quid ſit, & Hippocratem Aſtrologicas cõſiderationes non omiſiſſe: nihilominùs multorum de his vanitas vituperatur. ibid. d.
Athenadæ pueri hiſtoria. 355. c,
Atticum nomen medicamenti compoſiti. 429. b.
Audire inęqualiter ſymptoma eſt inſigne, & quas habeat cauſas 810. f.
Aues eſſe bilioſas,& ob id ſiccitate gaudere. 717. e.
Aurelianus Hippocratem carpit immeritò. 469. b.
Aures arrectæ indicant loquacitatem. 189. f.
Aures eſſe locum fallacem. 693. b. 794. e.
Auris humiditas infantulis morbus. 790. d.
Auris inflammationis in malum tendentis ſignorum ſyndrome. ibid. e.
Auris dolor lacte ſedatur. 203. e.
Auris cum dentibus quæ communio. 355. d.
Auris inflammatæ ſigna, cauſæ& prognoſticum. 435. d.
Aurium mala noctu ingraueſcere vt & capitis & oculorum. 791 c.
Aurium ſordes dulces niſi ex ſanguine, lethales eſſe .696. f.
Aurium eruptiones quoto morbi die, quocunque anni tempore, & quacunque ætate fiant. 726. b.
Auſter cur repleat caput magis quàm Aquilo. 13. a.
Auſtro flante ſolent remitti frigora & deſcendere pluuiæ 4. a. & 87. c.
Auſtrinæ tuſſes magis afferunt febres quàm Aquilonares 543. e.
Auſtrini flatus non plures quàmBoreales, ſed calidiores fluxiones mouent. 856. d.
Atuonomi inomilo lapide percuſſi capite hiſtoria 495. e.
Autoritatem Medico ad rectè curandũ eſſe vtilẽ. 559. a.
Autumnalium & æſtiualium morborum comparatio. 90. d.
Autumno quales morbi. 11. b.
Autumno acutiſſimi morbi. 90. c.
Autumnum eſſe vt anni veſperam. 581. b.
Autumnus quando incipit. 3. b. & 14. a.
Autumnus eſt ſimilis veſperi. 90. c.
Auxilia magna niſi iuuent, lædunt. 476. d.

B

BAlbi celeri lingua melancholici, inconniuenter aſpicientes, & iracundi. 211. d.
Balbos aut caluos aut gracili voce præditos ,morbos habere vehementer atrabiliarios, & cur. 192. f. & 212. f.
Balbuties duplex. 193. d.
Balbuties vnde prouenire poſſit. 103. f. & 210. f.
Balis filij hiſtoria, qui cùm in monte oberraſſet, correptus febre pernicioſa obiit. 816. e.
Balneorũ calidorũ nimius vſus hydropicũ efficit. 466. f.
Balneum pro articularibus & occaſio vtendi. 837. e.
Balneum in quibus ſit periculoſum, & vulgò imponere opinione refrigerationis. 537. a.
Balneum commendatur ad melancholiam. 77. a.
Balneum an hydropicis vtile ſit 536. f.
Balneum, cibum, & quietem ad purgationem præparare, quomodo intelligendum. 706. a.
Barba cur mulieribus & ſpadonibus non naſcatur. 776. b.
Biantis pugilis hiſtoria. 537. b.
Bilioſa tempeſtiuè vacuari quæ dicantur. 43. g.
Bilioſa vocat Hippo. omnes putredinem præ ſe ferentes ſuccos. 43. e.
Bilioſi dificilè vomentes vel etiam nigri perquã partem purgandi. 772. f.
Bilioſi & ſanguinei fiunt melancholici, neque eodem modo, neque eadem cauſa neque eadem ætate. 729. b.
Bilioſi & ſanguinei euacuationibus & victu præſeruãtur à melancholia, vtraq; autem ſunt in eis diuerſa ibid. c.
Bilis ſincera per ſublimes agitata partes, quæ ſoleat afferre ſymptomata. 779. d.
Bilis rubra an ſit. 694. b.
Bilis vitellina qualis ſit. 791. b.
Bilis impenſe rubra quę ſit. 545. a.
Bilioſum fieri à pingue explicatur. 694. a. 711. d.
Billis percuſſi in dorſo hiſtoria. 560. e.
Bion inflamntione lienis laborauit. 132. a.
Bionis hiſtoria ,qui ex hydropico factus eſt ſtrangurioſus, & ſuppuratus in genu obiit. 818. b.
Blanco maniar ſiſtit aluum. 12. e.
Bona tolerantia euacuationũ definitur. 397 d. & 404. g.
Bonitas quid ſit. 190. c.
Botri inſolati ſuccus expreſſus quàm ſit noxius 877. e.
Bouina cõcoctu difficilis, & ita difficile putreſcens. 319. f,
Braſſicæ facultas. 613 b.
Bregma quæ capitis pars ſit 851. a.
Breuem aut acutum morbum differre indicatur exemplo charitis. 301. f.
Breuiſpirus quis dicatur ab Hippocrate. 858. f.
Bubones in febribus non diarijs cur ſint adeò mali 593. d
Bulimiæ ex canina fame generatio. 518. d.

C

CAdentibus cur mittatur ſanguis, & quæ pericula immineant neglectâ ſanguinis miſſione. 362. b. c.
Cadentis ex alto aut percuſſi curatio. 473. f.
Cæparum natura & vis. 768. d.
Calcidonius ruptura facta in pectore, non eſt ſuppuratus. 333. a.
Calculi generatio. 635. f
Calidi ventre frigidi quales ſint. 677. a.
Caleditas acrimoniæ ſignum, & cur. 717. f
Calliginis catharro laborantis hiſtoria. 869. b.
Callimedontis pueri, hiſtoria. 534. b
Calliphylon quid ſit, & ad quæ proſit 859. c

Caloris extinctione morientes fallunt medicos in moriendi hora. 680 d.
Calui Latiſſæi hiſtoria. 305. a.
Caluitium prudentiam indicat. 189 f.
Cancri eſſentia, differentia, cauſæ, & curatio. 898 d.
Cancri cur difficilis curatio. ibid.
Cancrũ in pectore, viris etiam quandoque neri, & quâ cauſâ ea in parte fiat crebrò. 565 d.
Caniculares dies quando finiantur. 539.b.
Canis & Arcturi ortus Pleiadumoccaſus præcipuè notatur. 829. b.
Canis ſydus duplex. 34. f.
Capita acuta habentes duplices ſunt, fortes & debiles, & vtrorumque ſigna. 572 b.
Capite vulnerato lac vino miſtum tribuit Hipp. 195.d.
Capite paruo homo non erit balbus, neque caluus niſi ſit glaucus 213. b.
Capitis vulnerati curatio. 195 d.
in Capitis vulnere deceptus fuit hipp. propter futuras 495. e.
ex Capitis vulneribus morituris cur conuellantur partes oppoſitæ, & affectæ reſoluantur. 342.a.& 378.d.
in Capitis vulneribus an conueniat medicamentum 225.a
Capitis dolori ex crapula vinum conuenit. 233.e.
Capitis figura optima. 572. c.
Capitis ardorem pharmaci vſum prohibere ex Hipp. 875. a.
Capitis dolor ex ſuppreſſione menſium. 471. e.
Capitis dolores ex vtero quomodo curandi. 865. c. & ſeq.
ex Capitis percuſſione ſanatus paralyſi. 490. a.
Caput, thorax, & genitalia facilè flatu implentur. 13 a.
Caput magnum & oculos paruos habentes & balbi ſunt iracundi, & cur, 210. b.
Caput magnum cũ oculis nigris, & magnis, & naſo craſſo & ſimo probitatem indicat, 212 a.
Caput acutum quod ſit. 572. b.
Caput ſecundùm ſynciput depreſſum deterius eſſe, quàm ſecundùm occiput ibid.f.
Caput omnium partium maximè læditur nimia ſanguinis miſſione. 723. e.
cui Caput lapide percuſſũ à Macedone, hiſtoria. 524.f.
Capra & ouis parit quinto menſe. 168. a.
Carbunculi in pudendis per æſtatem naſcebãtur. 289.c.
Carbunculi ſigna. 818. e.
Carbunculi in peſte Cranonis. 85. e,
Carbunculi ex quo humore generentur. 86. d.
Carcinoma ſeu cancer quid ſit 565. c.
Cardialgia magis accidit Autumno. 88. f. & 556.. a.
Cardialgia quomodo curanda in corporibus calidis & ſiccis 113. b.
Cardialgia maximè nata eſt fieri ex nimia venere. 315.c.
Cardialgia quid ſit, eius cauſæ. 555. d.
Cardialgiæ curatio. 205. g.
Cardialgiæ notæ & exempla, & curatio. 112. f.
Cardialgiam frequenter fieri in ſemitertiana. 555. e.
Cardialgici picrocholi quomodo præſeruandi. 113. d.
Carnes attractrices eſſe extrinſecus & intrinſecus. 710.c.
Carnium catuli natura & facultas. 863. f.
Carnopurulenta pulmonem putreſcere indicant. 339.c.
Caros ex ſola compreſſione cerebri fieri poteſt. 498.a.
Caſeus vetus cum melle poſt crudum potum conferre. 913. b.
Caſtoreum ad vterinas paſſiones commendatur. 865.c.
καταχορές quid ſignificet apud Hippocratem 330.d.
Catalogus ſententiarum libri quinti, quæ repetuntur in ſeptimo. 825. c.
Cataplaſmatis pro prefocatione vte riſyngrapha. 867d
Cataplaſma aliud pro eodem affectu. 891.e.
Catapotium quid ſit. 504. b.
Catarrhi frequens decurſus à capite in hypochondria & coxam. 196.e.
Catarrhi cauſæ & notæ 566. a 869 c.
Catarrhi & febres ſoluuntur tutius materiæ coctæ euacuatione, quàm inſenſibiliter, vt phlegmones ſuppuratione quàm reſolutioue 629. d.
Catarrhi differentiæ, & cauſæ & de curatione multa 869. d.
Catarrhi ob redundantiam ſuccorum in capite hiſtoria 149 f.
ex catarrho auris inflammatio & pleuritis 150 d.
per Catarrhos magnos cur ſit aluus aſtricta, 858. e.
Catarrhus venere curatus. 537 e.
Catarrhus quos ſoleat habere exitus 538. a.
Cauponis qui peripneũonia tenebatur, hiſtoria 814.e.
Cauſa efficiens quando eſt valida, omnes eodem modo afficit ſi autẽ debilis variè pro paſſi diſpoſitione 11.f.
Cauſæ ignorationem periculoſiorem eſſe quàm ipſius affectus, 772. d.
Cauſtica afferentis hiſtoria. 130. g.
Celſus Hippocratem. laudat & magni ingenij virum cenſet, quòd proprium erorem confeſſus ſit. 496.d.
Celſus quintum librum epidemiorum Hippocratis eſſe non dubitauit. 497. a.
Cephalalgia, & hemicrania qui affectus ſint. 853. e.
Cephalalgiam, & hemicraniam fieri ſæpe ex affectu phlegmonoſo internarum partiũ cerebri od calidum catarrhum, & quot habeant exitus. ibid.
Cerebri & cordis paſſiones omnes poſſunt incipere à ventriculo. 897.b.
Ceruices bouum & pedes ſuum quale alimentum præſtent 863.f.
Κέρχνος acria arguit 722. c.
Κέδματα quæ dicantur. 700. c. & 701.c.
Chenix quantum capiat. 788. a.
Cherion ex vino cepit ægrotare, iudicatus eſt vigeſima cùm interim febris pluries videretur eſſe ſoluta, eſt exemplum fallacis morbi. 251. g.
Chlorum quid ſignificet. 333. d. & 373. c.
Charitis hiſtoria. 837. d.
Charopi oculi ſeu raui & magni, caput magnũ ceruix tenuis. pectora ſtricta hominẽ quadratũ teſtantur 212. c.
Charopus color quinam ſit. 191. c. 260. g.
Chartadis hiſtoria qui intra diem ex cholera morbo obijt, morbi totius interpretatio, & ſymptomatum cauſæ. 804. c.
Cholera morbus quinam morbus ſit. 544. b.& 880, b.
Cholera morbus duplex. 544. c. & 880. c.
Cholera arida ſeu ſicca. 544. d.
Cholera morbus. 467. a. 483. e. 537. b. & 544. b.
Choleram facientes cibi & aliæ externæ cauſæ. 880. d.
Choleræ morbi ex bile ardentiſſima curatio optima.
Choleræ morbi appellatio, cauſæ, ſigna, & curatio longa. 467. b. & 879. f.
Chirurgi ne premãt aut durius partem tractent 405. b
Chirurgi videant, ne durius tractent vulneratum cerebrum 498. a.
Chirurgus quũ ſecat partem putridã quid facere debeat. 722. c.
Cibaria raui & craſſi ſucci cauſant mala. 185.b

Cibi & potus an æqualem moram faciant experientia indigent 121. d.
Cibi moderati congruens definitio. 649. c.
Cibi fortes qui dicantur, & eos ventrem perturbare calidis hominibus 701. f.
in Cibi oblatione quæ consideranda. 59. b.
Cibi fastidium pessimum in febribus signum. 25. d. 26. b.
Ciborum vtendi ratio. 121. f.
Ciborum praui succi vsus periculosus etsi per multos dies non sentiatur læsio 515. c.
Cibos debiles breuem vitam præstare explicatur multifariam 699. f.
Cibos quosdam celeriter vinci, quosdam contrà 709. f.
Cibos & labores exactè præscribere est impossibile. 122. a.
Cibus copiosus ingestus impedit iudicationes & producit morbos. 360. d.
Circuitus febrium considerandi 59. f.
in Cizico mulieris, quæ gemellas peperit, historia. 321. e.
Clamores & inquietudinem post delirium quod à dolore capitis incipit, significare cõuulsiones & cur 551. b.
Clangosa vox lethalitèr vulneratis in capite sit & cur. 562. e. & 827. e.
Clazomenius laborauit febre ardente cum inflãmatione hypochondriorum. 78. a.
Cleocus ex lassitudinibus exercitijs, & melle tubercula melancholica crurum contraxit, & cur. 842. e.
Cleomenis pueri historia. 518. b.
Cleonactes laborauit erratica continua. 73. g.
Cleonigi nephritici simul, & dysenterici historia & curatio 904. a.
Cleotimi sutoris historia. 852. f.
Climacterici anni quid præstant prænotioni. 10. a.
Climactericorum annorum ratio & computatio 109. e.
Clyster cur accipi non possit. 878. b.
Clysteris, & glandium cur crebrius mentionem faciat Hippocrates. 303. a.
Clysterium & pharmacorum frequens vsus hæmorrhoidas facit. 487. b.
Clysterium, & glandium vsus quàm creber esse debeat. 248. d.
Cocci cui inspina gibbositas ex phrenitide facta est historia. 518. e.
Coctione apparente quando mori potest æger. 29. f.
Coctiones considerandæ. 29. d.
Coctiones iudicij celeritatem, &c. ibid. e.
Cogitatio est animæ deambulatio. 691. b.
Coi coror ex hepatis inflãmatiõe obijt secũda die 131. d.
Coitum fœces alui siccare, & in quibus contrarium adueniat 705. e.
Colici doloris & renum cõparatio, & differẽtiæ. 575. c.
Colici & renalis morbi similitudo, & nephritidis curatio 862. d.
ex Colicio dolore arthritis fit & contrà 662. d.
Colluendi modus ad dentium dolores. 865 b.
Color tenuis, pallidus niger quinam sint. 564 d.
ex Colore faciei, & capitis robore agnosces, an conferat fluxus sanguinis. 723. a.
Colores tales efflorescere in cute quales sunt succi in corpore 680. a.
Colorũ differentiæ, eosque fulgores quosdã esse. 595. c.
Colostrum & colostratus morbus. 223. d.
Columellæ reuulsæ duplex causa. 256. g.
Coma & cataphora apud Hippocratem. idem. 316. e.
Coma maximè pueris accedit & cur. 93. d.
Coma, & somnolentia. 134. a.
Comatosa reuersio quæ dicatur. 351. f.
Comedere delirè quid sit & eius symptomatis causę 852. d.
Communes morbos semper incipere à sparsis, & in sparsos finiri. 12. a[n]
Communio partium fit aut propter rationem communem, aut peculiarem. 659. d.
Compluti benè degunt tempore sicco. 10. f.
Complurum quibus morbis sit congruens. 699. e.
Computatio dierum à partu in enixis. 297. b.
Computatio dierum morbi à vehementi quapiam occasione incipiẽtis ab ipsa externa causa esse debet 55. d.
Conceptio cur maximè fiat post menstrua 169. b.
Conceptio aliquibus fit tantùm, cũ menstrua fluunt & cur. ibid.
Conceptio dolores, qui non inerant affert; & eos qui inerant tollit. 471. e.
Conceptionis signa. 171. g.
Concoctio in quibus expectanda non sit. 605. d.
Conizæ facultas. 865. e.
Cononis seruæ historia. 551. a.
Consensus partium genitalium, & spiritaliũ vnde 697. g.
Considerandа in morbis quæ sint. 327. c.
Consilium optimum in curationibus. 793. b.
Cõspirabile, & confluxile nõ est idẽ quid sit vtrũq; 710. d.
Constantia tempora quæ sint. & quæ inconstantia, & morbi etiam. 91. c. d. e.
Constitutionum morborum similium differentiæ ex quibus sint causis. 368. c.
Constrictionis pulsus vsus. 711. c.
Consuetæ euacuationis spontanea suppressio aliquando est causa, aliquando signum mortis. 637. a.
Continentia, contenta, & impetum facientia. 751. e.
Contraria adhibere, & quiescere duæ medicæ praxis partes. 601. d. e.
Contrariа victus ratio in morbis instituend 771. c.
Conualescentes nonnulli pluri tempore, quàm ægrotauerint, refici debent, & qui sint hi. 505. b.
Conualescentes magnopere debent sibi cauere ab erratis. ibid.
Conuulsio post febrẽ mala etiam si sit ex repletione 19. f.
Conuulsio apoplectico modo 83. f.
Conuulsiones circa thoracem omnium periculosissimæ 560. d.
Conuulsiones per se, aut per consensum dignotio, & vtriusque curatio 207. f.
Conuulsiones aliquando esse decretorias. 377. b.
Conuulsiones quæ sint curandæ pharmacis & quæ sene. 476. b.
Coquenda occludi oportere, non coquenda siccari & in tumoribus & in vlceribus & in febribus explicatur. 605. b. c.
Coqui apud Hippocratem idem quod solui. 17. f.
Corizæ biliosæ & neglectæ exemplum. 159 d.
Cordis palpitatio quid significet. 326. a.
Coriarij vxori membrana secundinarum restitit ex partu. 124. f.
Corpora res omnes externas præter aërem vocat Hippocrates 750. c.
Corpore colliso, aut ossibus fractis aut luxatis curandum vt homo ab excrementis sit vacuus, neque omittendum expurgare. 494. c.
Coriza 159. d. in ea prauus victus multa peperit mala ibid. d.
in Coryza concedit vinum Hipp

©BIUM

Coryzæ & grauedinis capitis curatio commoda 403.g.
Coturnicum eſu multos eſſe correptos conuulſione. 709.c.
Coxa ſępe dolet ob vteri morbũ. 123. f. & 390. d. 664. b.
Coxa quę pars dicatur, & eius deſcriptio, & ſuarum partium nomina. 460. d. e. f.
Coxæ dolor ante partum & poſt partum. 125, d.
Coxæ dolorem ex vteri diſtorſione fieri, & dum geritur vtero ceſſare exemplum. ibid.
Coxæ impotentię cauſæ. 359. d.
Coxæ doloris ex ſuppreſſione menſtruorum curatio. 557. b.
Coxæ doloris, iſchyadis curatio. 460. b. 464. c. & 700c.
Coxæ dolor ſolet inueteraſcere 577. b.
Coxæ dolor oculi diſtortione, cæcitate, tumore teſtiũ aut mammarum elatione ſoluitur. 201. f.
Craſſas vrinas non eaſdem appellari ab Hippocrate, & Galeno. 295. g.
Craſſeſcentis & in extenuationem abeuntis corporis ſigna ex cute. 651. e
Craſſi nimis corporis, & gracilis noxæ. 589. e.
Craſſities quænã indicet coctionẽ & quæ ſecus. 418. e.
Criſis duabus partibus conſtat. 202. c.
Critiæ hiſtoria. 448. b.
Crito exanthematis nigris laborauit & ſecundo die mortuus eſt. 77. b.
Cruda quid ſignificent. 30. b.
Cruditas quomodo cnranda. 898. a.
Cruditatis non nidoroſæ remedia multa. 913. a.
Crura ambo manus ambę ſunt viſceru memunctoria. 69, c,
Crurum dolorisin morti proximis cauſæ. 82. f.
Crurum dolor in febribus. 68. f. 71 g. 72. b. 78. d. & 200. b. & 201 f. 244. b. & 305. a. & 312. c.
Cteſicratis Adriani & pueri Cenei hiſtoria. 788. e.
Cteſiphonis hydropici ex febre ardente hiſtoria. 818. c.
Cubile in cubiculo rectè collocandi ratio. 756. d.
Cubile molle, aut durum eſſe debere pro conſuetudine ægrotantis. ibid. e.
ex Cucumere ſilueſtri vtilitas & noxa. 864. b.
Cucurbitula ſecundum mammam affixa menſtrua cohibet. 222. f.
Cucurbitula in auris dolore. 228 f.
Cucurbitula in dolore coxæ. 361. c.
Cucurbitularum vſus commendatur ad dolores multis cauſis & exemplo commodatiſſimo. 228. f. g. 361. c.
Cucurbitulæ quomodo adminiſtrandæ in doloribus 229. b.
Cucurbitulæ in dolore iſchyadico valdè proſũt. 465. b.
Cuiuſdam iuxta inguen percuſſi, cui cuſpis ſagittæ reſtitit interiùs hiſtoria. 512. f.
Cumini vſus & facultas. 799. d.
Curatio inſignis mulieris, à medicamento læſæ, & vtero laborantis. 507. e.
Curatio, quæ cuſtodi paleſtræ contuliſſet. 775. b.
Curatio hominis ſecundum hepar & ventriculum vulnerati. 506. a. d.
Curationem contrariis fieri. 689. e,
Curationis filii Cydis, qui laborauit auris inflammatione cenſura. 796. b.
Curatoriæ indicationes ex quibus capi poſſunt 149, b.
Cur magis ſudet qui in vmbrã ſe coniicit ex ſole. 779. e
Cur eructent potantes ex vaſe auguſti auris & an ſit vtile diſputatur 606. f. & ſeq.
Cuſpides ſagittarũ, aut plumbeas ſphærulas ſanis hominibus manere interius, & quam ob cauſam id fiat in quibus præcipuè partibus. 513. a. & ſeq.
Cutis durities iuuat generationem bronchoceles, & quorundam tumorum poſt aures. 634. e.
Cutis raritas alui denſitatem affert. 619. d.
Cutis compactio affert carnium incrementum. ibid.
Cutis ab oſſe deceſſio in vulneribus. ſignificat vt ariditas. 826, b.
Cyceon quid ſit, & parari duobus modis. 714. c.
Cydis filij qui ex auris inflammatione obijt, hiſtoria. 789. b,
Cynanchen & ophthalmiã venæ ſectio iuuat, ſed non eodem modo, etſi ex eadèm parte facienda ſit. 221. d.
Cyrenei in Omylo ſuppurati. hiſtoria. 498. b.

D

DAmagoras & Archeſilaus lædebantur venere. 631. c. 648. b.
Damoclis hiſtoria. 546. e.
Dealcis vxoris hiſtoria. 323. e.
Debiles & ſenes cur remiſſè febricitent. 302. c.
Debiles victus frigidi, robuſti calidi. 672. d.
Debilitas fœtus in vtero vnde prouenit. 167. f.
Debilitatem facultias in prima & ſecunda concoctione, quænam ex eu ria iudicent. 786. d.
Decimum tertium & decimum quintum cur non nominauerit Hipp. inter decretorios. 131 c.
Decimus octauus dies non eſt inſignis inter iudicatorios. 48. b.
Decretoria ſigna omnia ſunt aliquando ſigna mortis & ideò diſtinctione indigere. 202. g.
Decretorias euacuationes eaſdem afferre mortem & ſalutem. 303 d.
Decretorij dies, lege dies decretorij.
Decertorii dies pares & impares quinam ſint. 59. f.
Decretorii dies aliquando habent vim à cœlo, aliquando à paroxyſmo. ibid. g.
Decretorium dierum ordine non perſpecto, neque quando curandum neq; quo modo cibandum cognoſcere potes. 228. a.
Dicretorium dierum appellationes. 203. g.
Decubitus qui quum ſuperueniunt quoſdam morbos tollunt, ab eiſdem præſeruenantè facti ſiue ſponte ſiue arte. 657 g.
Decubitus quales, quibus, & quomodo moliri debeamus. 638. e.
Decubitus fit tracto, miſſo, aut veniente humore, & horum cauſæ. ibid. f.
Defluuium capillorum anteceſſiſſe. an faciat quartanam breuiorem. dubitatur. 725, c.
Deglutire rapidè quorũ fit & quas habeat cauſas. 811. e.
Deiectio copioſa & aquoſa vrinam minuit. 140 e.
Deiectio electro ſimilis & eius cauſæ 402. e.
Deiectiones peſſimæ quæ. 23. d,
Deiectiones vtræ ſint deteriores variegatæ, an vnicolores. 114. c.
Deiectiones ſinceræ duplices. ibid. f.
Deiectiones cruentæ, aut hæmorhoides vtiliter adueniunt multis verno tempore. 331 b.
Deiectiones peſſimæ quæ & quo tempore ſint deteriores. 371 f.
Deiectiones puri ſimiles quales. 406 g.
in Deiectionibus aquoſis conſideratur contentũ. 420. g.
Delirandi ſpecies ſignificant duo. 315. d.
Delirare plus aliquantùm ſignificat quàm mente turbatum eſſe. 260. b.

Delirii & vacillationis dignotio. 806. q.
Delirium à somno mortale esse indicatur. 140. c.
Demarati vxoris historia. 439. b.
Dentes cur adeò parati dolere. 533. b.
Dent itertio sæpius accidunt abscessus & dolores. 353. c. 354 f.
Dentium stridor conuulsionem indicat. 568 .b.
Dentiũ dolores, superueniente tumore mitescũt 533.d.
Dentium lentor & viscositas. 428. e.
Dentium remedia triplicia, in vino vel aceto coquenda. 533 d. e.
Dentium & auris communio & eius causæ. 355. d.
de Dentium dolore & corrosione multa. 378.g.
Detractionis signum, & quo pacto, cùm id adest, fit mutandus victus. 624. d.
Dexippus meraciora deiecit. 115, a.
Dextræ partes circa naturam plurimã vim habẽt. 222c
Diacarthami medicamentum commẽdatur ad colicum & nephriticum affectum. 863.c.
Diagnostica medicinæ pars tractatur tota compendiariè 410. c.
Diarrhææ curatio. 112. c.
Diarrhæas solent sequi dysenteriæ. 18, b.
Διάλυσις seu dissolutio, & πάρεσις seu debilitas definiuntur. 416. d.
Diebus decretorijs quæ mala accidunt, deteriora quæ bona, meliora sunt. 220. & 837. b.
Diebus paribus contigerunt labores Nicodemo & virgini Larissææ. 314. c. & 317 .a.
Diebus decretorijs cur exacerbatur malum. 23-b.
Diebus decretorijs non esse expurgandum. 613. c.
Dierum iudicatoriorũ facultates iuuãtur ab astris. 41c.
Diei partes quam habeant Analogiam cum partibus anni. 89. d.
Dierum decretoriorum computatio æquè facienda est àprimo & ab eo, qui attulit insignem mutationem in acutiem. 321 d. 323. b.
Dies sextus infaustus. 240. b.
Dies, menses, & anni legitimi quales & qui sint. 218. c. & seq.
Dies decretorij an numerandi à partu an à febre sint in enixis. 38. e.
Dies primus & secundus, cur non decretorij 60. b.
Dies impares cur præferantur paribus in iudicio 61 a.
Digiti extemi cur calent in suppuratis 439. f.
Dignotionèm & curationem contrario modo procedere explicatur. 187. e.
Dinii pueruli, qui habebat fistulam in intestinis historia. 905. c.
Diopithis sororis historia. 555. a.
Disparentia sine signo, vt Erysipelas difficilem iudicationem portendunt. 152. d.
Distentio submollis hypocondrii internam inflammationem visceris significat. 326. a.
de Diuinatione multa. 757. c.
Diuretica abortum facere. 480. f.
Dureticorum vsus multorum morborum curationes rectè finit. 291. b.
Diurna febris deterior nocturna & cur. 56. a.
Diurna febris minus venit ad infebricitationem nocturnã. ibid. c.
Dolor cruicis fuit signum decretorium. 254. c.
Dolorem dolore sedari, rarò tamen probari eam curationem, sed quæ agitur stupefacientibus, & Anodynis. & seq. 592.
Dolorem primum, deinde grauitatem & stuporem bracchii & humeri, ex satietate aliquando aduenire, & eius affectionis descriptio, & causæ. 557. d. & seq.
Dolorem diuturnum ventris suppurationem indicare 849. d.
Dolores supernarum partium quos habeant abscessus 249. g.
Dolores diuturnos finiri solere in ossium corruptiones. 409. g.
Dolores dentium in cacochymis contemni non debent & quæ debeant adhiberi pro curatione. 565. b. & c.
Dolores veteres frigidi, recentes calidi. 576. f.
Dolores calidi aut frigidi ob causam dicuntur. ibid.
Dolores suppurationis & eruptionis puris diuersi. 793. d.
Dolori cruris ex ischiade quomodo occurrendũ 719. f
Doloris vehementissimi signa. 120. c.
Doloris capitis ex crapulâ & aliis causis remedia. 233. e.
Dolotis lumborum, crurum, & coxæ curationes examinantur. 523. f.
Doloris ilis curatio. 406. g. & f.
Doloris genuum, & crurum in moribundis causę. 852. e.
Doloris humeri ex abscessu facti elegans curatio, quæ ad omnes articulos transferri potest. 873. e.
Dolorum varia remedia. 713. a.
Dormientibus cur interna calida externa frigida. 669. f. & seq.
Dromeadæ vxor mortua est ex partu filiæ. 79. d.
Dulces fructus, olera, & lenticula inimica oculis. 523. e.
Duo fratres qui simul ægrotarunt. 44 .f.
Duri & distenti differentiæ. & causæ. 830. e.
Duritiem & mollitiem morbos quosdam esse, atque mollire & indurare esse curationes. 590. c.
Durities membrorum & dissolutiones in morbis acutis portendunt malum, & cur. 587. c.
Dysenteria curatu difficilis. 143. d.
in Dysenteria an conueniat medicamentum purgans 226. e. 406. e. d.
Dysenteria & tenesmus eisdem accidunt. 23 f.
Dysẽteria sine dolore, quę affectio dicatur Hip. 231 b.
Dysenteriæ aliæ incipiunt à siccitate fæcum, aliæ à diarrhæa. 18 b.
Dysenterię criticæ 38. f. 43 b.
Dysenteriæ ex refrigeratione curatio. 143 d e.
Dysenteriæ & tussis cancrosæ curatio. 225. e. & seq.
Dysenterię curatio & qnando conueniat pharmacum. 406. c.
Dysenteriæ malignę signa & curatio quædam. 785. f
in Dysenteriis magnũ est non fastidire cibos & cur. 156. c

E

Echecratis cæci historia. 855. a.
Eclegma optimum pro anheloſis describitur. 804. b.
Egestionis bonæ in peripneumonicis conditiones. 815. a.
Egesipolis pueri historia. 846. b.
Eius cui heper percussum est iaculo, historia. 526. f.
Elodes febres quæ sint & earum causæ tres. 539. e.
Elodes & typhodes febres quænam sint. 65. a. & 88. c.
Elephantiasi laborantes cur simi fiant. 573. d.
Emmiris historia. 435 d.
Engastrimythi qui dicuntur. 528. c.
Eniatis proprio iaculo traiecti historia. 525. d.
Epialę febris figura & causæ. 356. d.
Epicharmi historia. 557. c.
Epicharmi filii historia. 896. c.

©BIUM

Epicratis vxor laborauit febre cum partu filiæ. 71. d.
Epidemia conſtitutio ſatis pernicioſa deſcribitur 729. e.
Epidemia quædam conſtitutio tria mala attulit, anginas, paraplexias, & Nictalopes. 732. c.
Epidemiæ iſtius labor partium occaſio fuit. 733. a.
Epidemij morbi & Endemij, communes & ſparſi, & peſtilentes, & eorũ definitiones & cauſæ. in præf.
Epidemij morbi maximè ſunt qui cum febribus. 53. f
ex Epidemiis morbis qui maximè euadant. 40. b.
Epidemius morbus qui, 184. g.
Epidemius morbus an poſſit oriri ex cibis. 185. a,
Epidemiarum conſtitutionum cauſæ quotuplices, & quæ. 9. e. & 86 d.
Epidemiarum tempeſtatum fines quales morbos afferant. 400 a.
Epilepſia exquiſita & non exquiſita quæ 488 d.
Epilepſia per conſenſum ventriculi ibid.
Epilepſiæ imminentis ſigna. 490. f.
Epilepſiæ per conſenſum ventriculi ſigna, cauſæ, & curatio quædam, 489. b. c.
Epilepſiæ non omnes accipiunt mutationem ex ætate ſed quædam, & eæ quoto tempore. 574 a.
Epilepſiæ congenitæ pueris cur curationem non admittant. ibid.
Epilepſiæ in iuuentute in quos morbos ſoleant mutari. 574. b
Epilepſiæ rarò ſoluuntur per ætates perfectæ, ſed mutantur in alios morbos, ibid.
Epilepſias eſſe eas etiam, per quas non totum corpus conuellitur, ſed pars aliqua. 488. c.
Epilepticos plerumque ex interuallis conuelli ibid. f.
Epoto lacte periculoſum eſſe dormire hiante ore in agro, tutius vino plenum & alijs. 551 c.
Equis admiſſarijs religatur alter teſtis aliquãdo 679. a.
Eraſinus inflammatione vtriuſque hypocondrii laborauit. 75 c.
Erarolai filii hiſtoria. 784. g.
Erttaica febris Cleonactidis. 73. g.
Erraticæ, quartanæ, ſeptimanæ, & nonanæ conſtitutio conſideranda, & quomodo. 61. e.
Erratum, licet exiguum, valdè lædit eos qui ad morbos ſunt diſpoſiti. 82. a.
Error notatur vulgarium Medicorum in victu eorum qui recens purgati ſunt. 780. d.
Eructatio quibus ſit vtilis, & quibus auxiliis prouocetur. 606. e,
Erui, hordei, ſeminis lini, oleĩ, & tritici facultas. 534. c.
Erui facultas & noxæ. 185. e.
Eryſipelas faciei tutiùs tendit ſurſũ quã deorſũ. 768. a
Eryſipelas ceruicis in faciem ire malum. etſi quàdam tempeſtate bene ceſſerit multis ibid.
Eryſipelas obortis nigris puſtulis malum, ſi cumturbatione alui incipiat, deterius 767 e.
Eryſipelas ſine ſigno diſparens malum, 152. d
Eteſiæ qui venti ſint, & quando flare ſoleant 3. d. & 15. f.
Ethiopes & alii barbari curationem vehementem non ſuſtinent. 504. d.
Euacuare duobus modis conuenit ſenſibiliter & inſenſibiliter. 589. d.
Euacuationem per vrinam meritò ad multos morbos laudari ab Hippocrate. 291. b.
Euacuationes quæ congruant & quibus morbis. 96. c.
Euacuationes an ſiſtendę, & qui ſint ſcopi. 116. c.
Euacuationes intempeſtiuę recidinas indicant. 386 f
Euacuationes ſpontaneæ ſunt non minùs quàmquæ arte fiunt reuulſiones, deriuationes, & euacuationes. 434. f.
Euacuationes tentatę exiguæ & crebrę debilitatem indicant 23. c.
Euacuationes quę bonę 29. c.
Euacuationes conſtante virtute in principio morbi bonæ. 78. g.
ad Euacuationes omnes rectè peragendas inuenies conſiderationes omnes 607. f. & ſequent.
Euacuationes in initiis morborum accidentes, ſi e ſponte ſiuè arte factę diuturnos efficiũt morbos. 861. b
in Euacuationibus quæ conſideranda circa ipſa exeuntia, & exeundi modum. 752. c.
Euacuationum infernarum ſuppreſſio raptum ſignificat in ſuperna. 774. f.
Euacuatum corpus multus ſõnus ſiccat & cur. 707 f.
Eualcidę famulæ hiſtoria. 900 e.
Euaneſcentia repentè cur periculoſa. 398. c.
Euaneſcentia repentè deteriora. 175. f.
Eudemi dolore vehementi lienis laborantis hiſtoria & curatio 907. d.
Eudemi curatio recta, & tria errata in curatione veterum. ibid.
Eudemi hiſtoria qui obiit ex hæmorrhoidibus intempeſtiue curatis. 485. a.
Eumeli hiſtoria, qui à conuulſione maxillarũ, vertigine probè accedente ad apoplexiã liberatus eſt. 490. a.
Eumenis vxoris hiſtoria. 349. e.
Eunuchi qui ex venatione eſt factus adaquator hiſtoria. 911. e.
Euphranoris filii hiſtoria. 558. c.
Eupolemi in œniadis hiſtoria. 460. a.
Eurianactis filia acutè ægrotauit ex eſu racemi. 255. a.
Euridami in œniadis hiſtoria. 458. b.
Eutychidis hiſtoria. 544. a.
in Exacerbatione quæ conſideranda. 93. c.
Exactum ſignum & ἀκριβὲς quod dicatur, aut quod modis. 901. b.
Exanthemata quæ dicantur. 26. e. & 603. d.
Exanthemata breui euaneſcentia quid ſignificent, & poſt & ante morbos, & quantum debeant durare in vtriſque. 558. d.
Exanthemata nigra per febres acutas lethalia. 77. a.
Exanthemata vt pulicum morſus, quæ pariunt ſymptomata dum apparent, & illarũ differentiæ 142. d.
Exanhemata vocantur variolæ & morbilli. 26. f.
Exanthematibus orientibus anxietas & iactatio ſentitur, & euacuationes conſuetæ ſupprimi ſolent. 67. f.
ab Exanthematis timetur Dyſenteria. 391. g.
Exarmodi famuli hiſtoria, 827. d.
Excitare & ſtupefacere non morbi per ſe, ſed ſymptomatum gratiâ fiunt. 590. c.
Excremẽta morbos faciunt bifariam, aut abundantiùs genita, aut minùs quam expediat vacuata. 370. c.
Excrementa tenuia duplicia ſunt. 417. e.
Excrementa ſemper eodem modo perſeuerantia longitudinem morbi indicant. 140. a.
Excrementis multis redundantibus ſępe vno malo concocto, aliud deterius ſuperuenit. 151. a.
Exercitium cacochymis aut plethoricis periculoſum eſſe, & quæ mala inde naſcantur. 117. e. & 708. e
Exercitatio poſt cibũ hydropicis eſt contraria. 535 f.
Exercitationis & laboris differentia. 259, d.
Exercitationes detractoriæ ſigna, ſudor guttatim fluens

©BIUM

fluẽns aut concidentia carniũ ex eleuatione. 627. a.
Expiratio, vox, & ſermo quomodo ad ſeſe habeant. 302. b.
Expurgãdi tẽp° quas habeat conſiderationes. 791. d
Expurgatio die ſexta non debet eſſe frequens in praxi medica. ibid. c.
Expurgationem & miſſionem ſanguinis, agi debere ſecundùm rectitudinem, & quæ ſit rectitudinis lex in vtraque. 713. b.
Expurgationes cum mutatione excrementorum fieri vtile eſt. 114. b.
Expurgationes impeffectas, hypocondriorũ tumores facere. 398. d.
Expurgationes reuulſoriæ prĩcipio faciendæ ſũt. 160. b
Expurgationis duplex occaſio. ibid. c.
Extenuare, & craſſa facere quæ & quando expediat. 589. c.
Extenuatio exercitatione nimiâ & tenui victu perficitur. 624. e.
Extenuationis quæ cauſæ ſint per ſe, & quæ per accidens. 623. c.
Extenuatis & ſiccatis & vicinis morti quæ ſigna accidant. 737. f.
Extenuatorum victus. 625. d. & ſeq.
Externæ cauſæ quomodo indicent curationem exemplo explicatur. 187. f.
Externarum partium affectiones aliquando interitum afferunt. 403. d.

F

Fabæ in fluore alui conueniunt. 217. f.
Facici extenuatio ſignum decretorium. 202. c.
Facies quomodo indicet in acutis & explicatur prognoſticum. 609. d.
Fæcum lacertæ formam referentiũ ſignificatio. 443. b.
Fæcum duritiem eſſe nonnumquam dyſenteriæ cauſam. 878 b.
Famem ſeorſum non eſſe febri inimicam indicatur. 653. c.
Famis caninæ cauſæ. 518. c.
Famulæ in Omilo capite vulneratæ hiſtoria. 497. b.
Famulæ Oneſidemi hiſtoria. 483. c.
Famulæ ex vicinis textoris hiſtoria. 339. d.
Famulæ poſt Heroum habitantis hiſtoria. 368. d.
Famulæ Dyſiridis hiſtoria. 491. e.
Farinaceum ſedimentum duplex. 68. b.
Farris faciendi ratio & vſus. 408. b.
Faſtidium & oris amaritudo, & ſitis, intus relicti mali ſucci notæ ſunt. 295. c.
Faſtidium maximum facultatis magnum lapſum ſignificat. 290. f. & 299. a.
Faſtidium in longis dyſenterijs malum eſſe magis quàm ſi febricitent. 745. e.
Fatuitas ex hydrope. 568. f.
Fatuitatis cauſæ. 433. e.
ad Fauces ſuccorum impetus. 130. e.
Faucium dolor, & columellæ reuulſio 256. f.
Febris ardentis duplex genus. 19. a. & 281. a.
Febris ardentis ex bile vel ſalſa pituita ſigna. 139. c.
Febris ardentis ex multiplici materia exemplũ. 819. f.
Febris ardentis ſigna Pathognomonica 19. c.
Febres ardentes ex bile & pituita ſimul mixtis. 35. e.
Febres ardentes Autumno & hyeme. 36. g.
Febres ardẽtes per æſtatẽ populariter graſſabãtur. 138 g
Febris ardentis ſigna praua. 40. c.
Febres ardentes per hyemem multæ & lethales. 47. e
Febres ardentes quo tempore potiſſimùm fiunt. 88. f
Febris ardens quas amat euacuationes. 819. c
in Febre ardẽte fluxus ſanguinis è narib° ſigna. 32. c.
in Febribus ardentibus fluxus ſanguinis è naribus largus optimus. ſuperuenire 36. b.
Febris ardens quod genus febrium, & ei ſolet fluxus ſanguinis è naribus. 5. b.
in Febre quum facies rectè valet, & hypocondria non ſunt mollia, diuturnus morbus ſignificatur, qui ſine abſceſſu non ſoluitur, niſi fluxus ſanguinis aduenial. 215. f.
Febres ardentes quibus temporibus accidant, & quomodo differãt æſtiuales & autumnales. 88. g. & ſeq.
Febres omnes cum bnbone malæ, & quæ earum deterrimæ. 152. c.
Febris laborioſa quũ producitur quid faciendũ. 112. a.
Febris, niſi in die legitimo ſoluatur, redit. 203 f.
Febrium continuarum partitio & differentiæ. 57. a.
Febris diurna longior nocturnâ. 55. g.
Febres qui fieri ſoleant majores per noctem. 56. b.
Febres quæ longæ, quæ breues, quæ lethales, quæ non. ibid. c.
Febres ſextanæ, ſeptimanæ, & nonanæ affligunt, vt vitia naturalia. ibid. f.
Febris quomodo poteſt citra iudiciũ decreſcere. 57. c
Febris quæ mouetur per dies pares, exempla. 61. b. 285. b. 300. b. 314. g. & 315. c.
ex Febribus longis, quæ ſolent relinqui in corpore. 158. a.
Febrem prouocare ſuadet Hippocrates in convulſione. 194. g.
Febris quibus morbis vtilis. 628. a.
Febrem incipere duobus modis dicitur. 887. e.
Febris ſoluitur aliquando ante morbi indicationem. 254. c.
Febrem cum abceſſu inuadere periculoſum. 305. c.
Febrium pulſus & eorum differentiæ & comparandi modi. 357. f.
Febricitantes ab exuſta bile non eſſe arcendos ab aqua. 482. e.
Febres ex catarrho tuſſiculoſo durabant dies quinque, tuſſes ipſæ quadraginta & cur. 543. d. & 566. a.
Febris acuta cum melancholia. 546. b.
Febris deiria ex ebrietate & ſatietate, omnium maximè imitatur putridam. 554. f.
Febrem miſſione ſanguinis anteuertere oportet. 558. f.
Febres ex catarrho quales ſint. 566. a. 854. c. 856. a.
Febrium partitiones Hippocraticæ & earum enumeratio. 53. c. 292. a. & 585. b.
Febri cibus inimicus, & quæ noxæ ex illo naſcantur. 653. c.
Febris ardentis generatio ex venis. 711. a.
Febres laborioſæ quænam ſint. 742. f.
Febris malignæ cum debilitate & conuulſione & raptu in caput, ſignorum ſyndrome. 878. a.
Febrem malignam cum exanthematis non eſſe vniuſmodi, ſed differentiam habere ex humore, & ita variare etiam curationem. ibid. c.
Febres intermittentes quibus periodis ſoleant tranſire in continuas. 882. c.
Febrium malignarũ, cum tuber culis deſcriptio. 289. c
Febris maligna, lege malignà febri s.
Febrium talium exempla multa, & curatio idonea. 893. a.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 471 sur 489

©BIUM

Femellæ minùs abertu deijciuntur quàm maſculi, & cur. 797. c.
Femellas enixas á parib° morbis magis liberari, quàm enixas maſculos. ibid. e.
Ferinum quid ſit. 89. b. 350. e. 581. a. & 595. c.
Fibrarum in collo diſtentio quum quis animo linquitur, quas cauſas habeat. 779. f.
Ficus quis ſit morbus. 289. b.
Figuræ ſubleuantes. 637. d.
Figuram corporis conferre ad cognitionem naturæ. 773. a.
Filiæ Aedilis hiſtoria. 370. f.
Filij Harpali ex Telephane liberta hiſtoria. 541. e.
Filij Theodori hiſtoria. 825. f.
Filij Amphiphradis hiſtoria, qui laborauit pleuritide bilioſa ſiniſtri lateris. 812. c.
Filij Potamonis hiſtoria. 378. e.
Filij Phaniæ & Euergetæ hiſtoria. 561. f.
Filij Plateæ cui ſutura capitis morienti vehementer eſt excauata, hiſtoria inſignis. 850. d.
Filius Thini ex ſuperflua fame & iudicatione quomodo recuuperatus ſit. 896. c.
Finis legitimus morborum acutorum. 250. d. 298. c. & 309. c.
Fiſtula in vmbilico per quam exibant lumbrici & æces quomodo fieri poſſit viuente diu homine. 905. d.
Fiſtulæ ex inteſtino ab atra bile factæ exemplum. 839. c.
Flatu replente inteſtina verſari corpus conſultum eſt. 160. f.
Flatus cum ſonitu erumpentis Prognoſticum. 52. g.
Flatus infernè excretus aliquando ſoluit dolorem colicum. 686. a.
Flatus an omnium morborum cauſa ſit, diſputatur. 866. e.
Flatus euacuatio ex partibus diuerſis. 685. a.
Flatuum differentiæ & earum cauſæ. 407. c.
Flatuoſi læduntur á venere & ſunt libidinoſi. 632. b.
Flatuum excretio ex diuerſis partibus, quibus prodeſſe ſolet. 686. a.
Fletu, ſpuitione, & mictu, & ſudore eandem materiam euacuari, etſi non ex eadem parte. 685. c.
Fletus deonerat caput & cor. ibid. d.
Fletus & ſudor ſimiles ſunt & ab eiſdē cauſis. 686. d.
Fletus cur fiat quum laxari incipit cor magis, quàm quum eſt vehementer contractum. 687. c.
Fluentem ſanguinem ſiſti, promptiſſima cauſa alicujus abſceſſus eſt. 596, f.
Fluxiones oculorū optimè per nares ſanantur. 871. b.
Fluxionis oculorum curatio. 606. a.
Fluxum ſanguinis ſiſtentia remedia. 736. b.
Fluxus ſanguinis quarto die difficilem iudicationem ſignificat. 159. a.
Fluxus ſanguinis ardenti febri familiares, & pro eis parotides. 140. f. & ſeq.
Fluxus ſanguinis cauſæ & curatio. 197. e. & ſeq.
Fluxus ſanguinis affuſione frigidæ curatur. 510. b.
Fluxus ſanguinis nulla ratione ſiſtitur tutius, quam miſſione ſanguinis reuulſoria. 597. b.
Fluxus ſanguinis ex naribus præſentitur ex colore vultus pallido vireſcente, & cur. 643. e.
Fluxus ſanguinis ex naribus curatio, & victus, ſiue affatim fluat, ſiue lentè. 644. d. & ſeq.
Fluxus ſanguinis in quibus ætatibus ſit expectandus 647. e.
Fluxus ſanguinis in vlceribus curatio. 692, f.
Fluxus ſanguinis profuſiſſimi per ventrem curatio. 806. d.
Fluxus ſanguinis ſecuriſſimum remedium euacuatio reuulſoria. 736. d.
in Fluxu ſanguinis ſæpè errant Medici & quibus notis vtendum. 102. d.
ex Fluxu ſanguinis profluuium ventris fieri exemplo indicatur. 372. b.
Fluxus ventris iudicat rectè morbos aurium. 152. a.
Fluxus alui pro muliebri ſæpè accidit enixis. 368. b.
Fluxus alui in ſuppuratis peſſimus. 848. f.
Fluxiones omnes aut ob multitudinem, aut ob acrimoniam concitantur. 197. f.
& quomodo curandæ. 198. a.
Fluxionibus obnoxij malignis arcendi ſunt ab igne, aut longa mora in balneo, aut Sole. 842. d.
Fætum intra vterum grauibus morbis laborare per dies quadraginta. 799. b.
Fætus quot poſſint edi ſimul. 322. a.
Fætus in vtero tres mutationes inſignes. 366. b.
Fætuum multorum vno partu editorum cauſæ. 322. a.
Fracto digito quid faciendum fuiſſet, 541. a.
Frater vxoris Ariſtei itinere defatigatus grauem morbum contraxit. 117. d.
Fratrum Cecropis hiſtoria. 371. c.
Frictio lenis & aſpera definitur. 871. a.
Frictionis & balnei comparatio. 519. d.
Frigidæ potus in febribus vtilitates multæ & magnæ. 449. d.
Frigidæ in potu dandæ opportunitas. 450. a.
Frigidæ potus in febribus vt auxilium optimum, ita etiam periculoſum, & in occaſione poſitum ibid.
Frigidæ copioſum potum quæ poſſint ſupplere. ibid. c.
Frigidior frigido tempore & regione calidior erit explicatur multifariam. 711. e.
Frigidiſſimi cibi, lentes millium, cucurbitæ, explicatur. 708. c.
Frigidorum & calidorum temperamento notæ. 42. f & ſeq.
Frigidos pedes non continere ſub ſtragulis peſſimum & cur. 830. d.
Frigidum venas frangere, & alia facere mala. 634. c.
Frigoris ſignificatio. 52. c.
Frigus repentè ingruens, & calido tempori ſuperueniens morbos affert calidiſſimos. 337. b.
Frigus circa extrema quid indicet. 52. c.
Frons cutis modum moriendi præmonſtrat. 720. f.
Fulgoris obuerſantis ante oculos cauſæ. 547. f.
Fullonis cui inguina intumeſcebant, hiſtoria. 524. b.
Fullonis hiſtoria: 400. c.
Fullonis qui in Syro ob vſum Tapſiæ factus eſt phreniticus, hiſtoria. 874. d.
Fungorum quoddam genus venenoſum. 891. f.
Fungorum noxæ, & correctio, & curatio. ibid.
Furoris ſignum ex oculis. 587. e.

G

GAlbanum cum aceto & melle feruefactum ad ſurditatem vtile. 532. a.
Galeni de libro ſexto cenſura. 569. f.
Galeni fragmentum in ſextum Epid. retens editum,

legitimum non esse. 724. b.
Galenus notatur, quod falsò citauerit. 7. a.
Galenus quam sententiam de anima habuerit. 688. b
Gallici morbi populariter grassantis forma. 330. c.
Gallici morbi quæ sit propria differentia. 447. d.
Gallicum morbum nouum non esse. 330. c. & 665. f.
Gallicus morbus potest sanari, venere, muliere infecta. 447. f.
Gallicus morbus fieri potest ex nimia venere, etiam sine contagione. 314. c. & 447. e.
Gangræna quam curationem petat. 605. f.
Gangræna ἐσθιόμενον passiones sunt indolentes. 851. d.
Gangrænati vlceris descriptio & causæ. 898. b.
Gaudij effectus. 690. b.
Gemellas quæ peperit, ex difficultate partus hydropem & vteri vlcera contraxit, & vtriusque mali signa. 127. f.
Gemellas enixæ malè expurgari grauius est quám vnicam. 322. b.
Gemelli qui dicantur propriè. ibid. a.
Genitalium & vocalium communio. 97. b.
Genuum dolor morti proximis accidit. 852. c.
Genuum tumores cautè aperiendi. 741. d.
Gerentes vtero cur malis repleantur succis. 556. c.
Gerentibus vtero humeros cum mãmis intumescere ex multo cibo & potu fit, & malum est capiti. 172. f.
Gerentibus vtero tumor pedum frequens est, cum hoc anhelatio magna non adeò frequens, vtrunque verò minùs periculosum quám in alijs. 797. b.
Gerentis vtero, & febricitantis curatio & victus. 214. d.
Gerentium vtero morbi acuti cur lethales? 362. e.
Germinationes in febrium initijs malignitatem indicant. 411. g.
Gibbositatis ex phrenitide curatio. 518. f. & seq.
Gibbositatum causæ. ibid.
Glaucus & charopus idem. 191. c.
Gongrona quæ vocatur Bronchocele. 634. d.
Gonorrhœam auget esus leguminum. 632. b.
Gonorrhææ causæ, & cur afferat tabescentiam. 773. f.
Gorgiæ vxoris in Larissa historia. 469. c.
Grauedines & raucedines solutæ cum febre, minus habent recidiuam quám aliter solutæ. 628. a.
Grauedines per propriam passionem capitis melius curantur febre quam quæ per totius corporis compassionem. ibid. c.

H

HAemorrhagiæ prognosticum. 53. a.
Hæmorrhagiæ remedia. 165. b.
Hæmorrhoidas nunc fundere atrum, nunc bonum sanguinem, & quibus causis vtrumque, & à quibus præseruent malis vtræque. 702. a.
Hæmorrhoides quám cautè curari debeant. 656. b.
Hæmorrhoides á quibus morbis liberent. 655. d.
Hæmorrhoides fistulas ani solent facere. 487. b.
Hæmorrhoides pro fluxu menstruo. 370. g.
Hæmorrhoidum intempestiua curatio, quæ afferat pericula, & quibus causis. 656. c.
Hæmorrhoidum duplex curatio chirurgica. 485. e.
Hæmorrhoidum differentiæ omnes. 487. a.
Hæmorrhoidum curatio fecit Alcippum insanire & cur. 448. c.
Hæmorrhoidum prognosticum. 53. b.
Halicarnasensis historia, qui auris & capitis dolore laborabat. 901. f.
Harpalidæ sororis historia. 796. f.
Hecasonis in Omilo duplex historia. 500. a.
Hegesistrati historia. 378. g.
Hegetoridis filius quæ passus sit. 851 d.
Hemicraniæ ex bile vsta iam abeunte in atram, signa, & curatio. 547. c.
Hemitritæum, lege, semitertiana.
Hemitritæi cum cardialgia curatiõ. 888. d.
Hepar magno cum periculo vulnerari. 527. a.
Hepar calidũ nunquã efficere ventrem frigidũ. 677. e.
Hepate affecto, cur prosit venæ sectio inter digitos. 126. d.
Hepatici qui dicantur & qnomodo cognoscuntur. 107. f. & seq.
Hepatis inflammatio. 131. d.
Hepatis apicis complicati curatio & cognitio. 773. d.
Hepatis corruptione mortuus Cleotimus, & quomodo fuisset curandus. 853. a.
Hepatis & lienis cur sit aliquãdo dolores fortes. 907. e
Hercules intimuit die octauã. 123. e.
Hermocrates febre ardente ex hepatis inflammatione, deinde phrenitide laborauit. 237. c.
Hermophili filij historia. 506. c.
Hermoptolemi historia. 815. b.
Hermoptolemi vxoris historia. 806. f.
Hernia laborantes ex ruptura, tussi læduntur. 905. f.
de Hernijs multa. 106. f. & seq.
Herophon febre acuta laborauit & iudicatus est decimo septimo cum recidiua. 68. d.
Herophytus ardente febre, longissima phrenitide, & coxæ dolore, & diarrhæa, & dysenteria vsque ad diem centesimum laborauit. 312. c.
Hiare cum lentore circa dentes malum. 428. e.
Hieron decima quintâ iudicatus. 131. b.
Hippiæ sororis historia. 851. e.
Hippocomi Palamedis historia. 476. f.
Hippostenis in Larissa historia. 473. c.
Hippocratem pulsu febres explorasse vt neoterici, indicatur. 216. b.
Hippocrates vrinas etiá iumentorũ obseruabat. 347. c.
Hippocrates in quibus consentiebat cum veterrimis, & in quib⁹ discrepabat ab eis quoad victũ. 782. c.
Hippocratis in deiectionibus considerandis mira diligentia. 139. g.
Hippocratis diligẽtia circa ægrotos cõmendatur. ibid.
Hippostrati vxor laborauit annuâ quartana. 163. c.
Hircire quid sit. 647. e.
Historia eius cui caput lapide percussum est à Macedone. 524. f.
Historia cujusdam, qui cum non fuisset missus sanguis post casum perijt. 362. a.
Hominis totius optima procuratio. 691. f.
Homo Eubœus nimia purgatione mortuus est. 504. e.
Hora mortis ea est quæ in accessionib⁹ grauissima. 64. e
Horarij fructus qui sint & quales. 498. f.
Horarij fructus refrigerari debẽt admota niue. 499 d
Hordeolum in palpebra. 116. e.
Horror à spina & dorso incipiẽs debilitatis signũ. 847. a
Horror majorẽ debilitatẽ significat quám rigor. 852. d.
Humida & sicca pharmaca quænam vocentur ab Hippocrate. 494. e.

©BIUM

INDEX.

Humiditas quæ per exeuntia ſignificatur quomodo curatur. 169. f.
Humores multùm præſtant ad mores. 188. g
Humorum motus in quâ partem fiat, indicatur. 97 b.
Hydropes diuerſi ob cauſas & partes & complicatio-
Hes, & diuerſa remedia, & exempla omnium. 789. a.
ndropi ſuperuen:ens tuſſis mala. 200 d. 205. b.
Hydropici, charopi, & calui. 190. g. 390. c.
Hydropici ſæpè intereunt citiùs ob euacuationem
Hyaquæ 394. g.
Hydropici in Olintho hiſtoria. 568 f.
Hydropici an ſectione curari debeãt diſputatur. 7 9 e.
Hydropici tabidi. 279. d.
Hydropicis fulgor cutis & nuditas pudendi. 392. g.
Hydropicis alui fluxus vtilis eſſe conſueuit. 395. c.
Hydropicum oportet defatigari, &c. 535. d,
Hydropicorum ſectio comparatur ſect o genu, & quo pacto debeat vtrumque adminiſtrari. 741. b.
Hydropis in interitum euntis ſigna. 818. f.
Hydrops ex quibus partibus fieri poteſt. 108. d. & ſeq.
Hydrops generari poteſt ex omni immoderata euacuatione. 115. c.
Hydrops alijs morbis ſuccedens quibus ex cauſis fiat. 26. d.
Hydrops vix habet vllum exitum ſalutarem, neque euacuationem, niſi fortè aquoſum alui profluuium. 818. b.
Hydropum omnium differentiæ, cauſæ, eſſentia, &
A 535. d.
Hyeme ſicca, & quilonari, vere pluuioſo, & Auſtrali, æſtate ſicca & calida, qui ſuccedant morbi. 755. f.
Hyeme Auſtrali & pluuioſa, vere ſicco & Aquilonari æſtate ſicca & calida, qui generentur morbi. ibid.
Hyeme & vere Auſtralibus & pluuioſis & Aeſtate qualis eſſe ſolet, qui morbi generentur. 756. a.
Hyeme ſuccedente Autumno pluuioſo, & Auſtrali poſt æſtatem ſiccam, & Aquilonarem, qui ibid.
Hyemis morbi. 11. b.
Hyemis partitio. 15. c.
Hyems quando incipit. 3. b.
Hylæ famulæ hiſtoria. 397. a.
Hymenæ ſororis hiſtoria. 385. f.
Hyperſarcoſis gingiuarum quid ſit, & eius cauſæ. 565. a
Hypochõdria ſemper conſideranda in morbis acutis, & quid ſignificent. 141 d. 238. d. 421 e. & 602. c.
Hypochondriacis an noxia ſit vel ſalutaris venus diſputatur. 632. d.
Hypochondrij inflammatio maximũ impedimentum expurgationis. 290. c.
Hypochondrij contentio, vel tumor, vel dolor. 64. g. 65. d. 68. e. 69. f. 79. d. 97. d. 107. f. 159. c. 237. c. 243. g.
Hypochondrij tumore exacerbato, euacuationes conſuetas ſuprimi malum. 437. e.
Hypochondriorũ diſtentorũ notæ & curatio. 231. d. & ſeq.
Hypochondriorum iumentium differentiæ, cauſæ, & prognoſtica. 129. b.
Hypochondrium melius ſpirans quod dicatur. 830. f.
Hyſtericæ paſſionis curatio. 156. e.

I

Iactationes acutæ quæ vocẽtur ab Hippocrate. 810. d
Iaculi extractio quibuſdã mortẽ accelera. 527. b.
Iaculo in poſteriorem partem percuſſi hiſtoria. 513. f.
Icteri ſexto die ſalubriter facti multis. 36. f.
Icteri duplicis, & hydropis differẽtiæ, & cauſæ, & notæ ſeorſum cujuſque & complicatorum. 109. a.
Icteri & hydropis ſimul incidentium cauſæ. 319. c.
Icteri differentiæ, & cauſæ, & curationes ſecundum cauſas, & propria. 868. a. & ſeq.
Ictericis prodeſt fluxus vrinæ & alui. 36. f
Ictericia, lege morbus Regius,
Icteritia ante ſeptimam quàm ſit periculoſa. 337. d.
Icteritia citrina & nigra poſſunt complicari. 109. c.
Icterum ex morbo manentem ſolere tota vita durare, indicatur duobus exemplis. 610. d. & ſeq.
Ictus, & caſus fortes non eſſe contemnendos exemplo admonemur. 474. f.
Ieiunantium victus qualis eſſe debeat. 651 c.
Ieiunium fluxiones ſiſtit. 198. b.
Illiº ad quẽ Cynicº Hippocratẽ deduxit, hiſtoria. 438. a
Imaginationes falſas vocibº & nutibº innoteſcere. 50. e.
Impetus ſuccorum in partem quampiam inditia. 96 c.
Impuro corpore & in initio febris putridæ cauendum eſt à balneo. 897 e.
Incrementi & decrementi morborũ certa notitia. 93. c.
Increſcentes morbos coitus exaſperat multifariam explicatur. 702. c.
Increſcentes morbi qui dicantur. ibid. d.
Incubi & Catochi differentiæ. 489. a.
Indicationem cauſæ audaciùs ſequi ſolent præſtantes Medici quàm vulgares. 841. c.
Indicationes iudicationum in antecedentibus quaternarijs ſunt. 443 d.
Indices dies qui dies ſint, & quorum. 71. c.
Inditia quæ in diebus iudicatorijs non fiunt, eſſe infida, aut pernicioſa, vbi et Hippoc. diuerſa loca explicantur & componuntur. 60. d.
Inflammati ventris temeraria curatio expurgando primùm deinde ſubigendo. 452. f.
Inflammati ventris idonea curatio. 454. b.
Inflammati capitis ſigna. 516. f.
Inflammatio morbus multiplex, & habet tempora varia. 311. f.
Inflammatio cerebri non omnis eſt phrenitis & quomodo differunt. 517. e.
Inflammationem cerebri facientes ſucci nunc vergunt in corpus, nunc in animum. ibid. f.
Inflãmationes & ſuppurationes circa nares & gingiuas minùs periculoſæ & fallaces ſunt quàm auriũ. 726. e.
Inflammationis maximæ in hepate notæ. 374. c.
Inflammationis ſcirrhoſæ deſcriptio & curatio. 534 b.
Inflãmationis lienis ex itinere cõtractæ hiſtoria. 715. a.
Inflammationis internæ hypochondrij ſigna. 82. b.
Inflari á venere grauiùs eſſe, quàm in coitu flatum emittere. 633. c.
Initium, finem, & tempus præſens morbi noſcere magni eſſe momenti, ratione & exemplis indicatur. 110. f. 770. d.
Inquietudinis, horrorum, & oſcitationum curatio per vinum. 227. e.
Inſania ex retentis hæmorrhoidibus. 448. e.
Inſomniorum multorum & turbatorum in febribus prognoſticum. ibid. b.
Inſomniorum ſignificationes & differentiæ. 50. f.
Inſomniorum conſideratio quantum referat ad prædictionem. 756. c.
Inſpirationem auget pulmonis aridũ incendiũ. 707. c.
Inſtrumenta reſpirationis cur difficilè ſaneſcant vlcerata. 7713. c.
Intemperantes in victu quomodo ſint cibandi per-
mor ibid b

Interius relicta recidiuas facere. III. f. 386. c.
Internæ & externæ affectionis phlegmonoſæ in capite exempla & ſigna. 525. c.
Inteſtina craſſiora hominum caninis eſſe ſimilia. 666. c
Inteſtinorum vlcus in quo differat á dyſenteria. 405. g.
Intritum ex allio hydropicis vtile. 231 c.
Inuſtione aut ſectione curabat Hippoc. ſuppuratos, & cur hæc hodiè paucos liberent. 498. c.
Inuſtiones quando fieri debeant ſuppuratis. ibid.
Ira, timore, & lætitia quibus morbis curandis vtamur. 185. f.
Ira cur ſanguine & ſpiritibus caput repleat. 689. f.
Ira nõnunquam vtilis eſt ad curationes, & quomodo differat ab alijs motibus animi 690. b.
Iracundi & animoſi quomodo differant. 678. c.
Iracũdi, cur ex qualibet leui cauſa moleſtiã ſumũt. 43. a
Iracundos eſſe frigidos. ibid.
Iræ prouocatio quibus conueniat morbis. 186. d.
in Ira quæ partes caleſcunt, & replentur ſanguine feruentes. 689. f.
Iræ effectus. 690. a.
Iſagoræ filius ab oſſe contuſo & denigrato liberatus eſt nullo abſcedente. 828. a
Iſatis herba, & Iſatodes bilis definitur. 420 f.
Iſchyadicis interna auriculæ pars vritur & cur. 700 b.
Iſchadicorum cur nonnullis fiat dolor vſque ad pedes, alijs verò ſtupor. 719. e.
Iſchyadici doloris conſtitutio. 460. a. 464. e.
Iter & potus multus incoctiones facere. 296. c.
Iudicati decimo quinto die. 60. c.
Iudicatio non in die decretorio aut lethalis, aut cum recidiua. 60. d.
Iudicatio cũ ruditate recidiuã aut Acriſiã arguit 95 b
Iudicatio in quarta die. 306. e. & 890 & ſeq.
Iudicationem ſiue bonam, ſiue malam, & eius ſpeciem in dicari in die indice. 375 b. c.
Iudicationis infidæ ſigna. 352. c.
Iudicationis futuræ conjectura. 146. g.
Indicationum initia ſæpe afferre terribilia ſympto mata. 820, f.
Iudicationum ſpecies quatuor, 61 d.
Iudicatoria ne ſtatim apparcant. 95. b.
Iudicatoria non iudicantia quæ ſint. ibid.
Iurejurando Hippocrates prohibebat diſcipulis abortiuum medicamentum dare. 520. d.
Iuuenes morboſos per ſenectutem fieri ſanos, & è contrá, & quibus cauſis. 689. b.
Iuxta genu quinam ſunt nerui. 512. d.

L

LAbia ſæpe patiuntur ob hypochondria. 401. e.
Labor quidam extenuat, quidam reficit, & horum diſtinctio. 690. e.
Labor articulis & carnibus, &c. ibid.
Laborantibus quibus in rebus, & quatenus gratificandum, & quibus cauſis, explicatur. 666. f.
Labores, otia, ſomnos, & vigilias moderari oportet. 756. c.
Laborioſas febres quas vocat Hippocrates. 600. d
Lachrymæ inuoluntariæ fluxum ſanguinis narium ſignificant, aut mortem. 44. b.
Lachrymare voluntariè bonum ſignum eſſe in acutis. 427. g. & 584. b.
Lachrymarum differentiæ omnes, & earum cauſæ, & ſignificationes. 754. c.
Lachrymæ deonerant caput, & laxant cor. 686. d.
Lachrymarum generatio vnde. ibid. b.
Lacrhrymæ cur in multo riſu apparere ſoleant. ibid. d.
Lachrimæ cur appareant in triſtitia & perturbatione. ibid. f.
cur Lachrymatur tantùm homo. 687. c.
Lac quo prægnationis menſe fiat, diſputatur. 223 d.
Lac aqua miſtum perpaucis morbis congruit, & qui poſſit eſſe eius vſus. 523. b.
Lac nonnumquã fit venenoſum ob paſtũ capræ. 709. b.
Lac octauo menſe apparere incipit. 174. e.
Lac nocet in dolore ilis. 407. f.
Lac, allia, vinum, acetum, & ſal antidota ſunt venenorum, & cujus quodcunque. 714. e.
Lac quomodo paratur ad dyſenteriã & fluxiones. 198. c
Lac & menſtrua non eſſe ex eodem ſanguine. 124. a.
Lac redundans debilem fætum, ſolidæ mammæ ſanum indicant. 223. a.
Lac cur fiat in vltimis menſibus prægnationis. 74. e.
Lac quando fieri incipit in vtero gerentibus. 223. d.
Lactans cum papulis per totum corpus. 123 g.
Lactantes repleri malis ſuccis, & cur. 124. d.
Lactantes cur fiant cacochymæ. 340 c.
Lactis aſini & ſeri in magna quantitate vſus commendatur, & traditur vtendi modus. 787. b.
Lactis bubuli natura & facultas. ibid. d.
Lactis generatio & cauſæ. 174. b.
Lactis noxæ in obſtructionibus. 319. g.
Lactis magnus, multipléxq; vſus antiquis. 407. f.
Lactucam crudam & illotam meliorem eſſe ſtomacho quàm coctam. 881. a.
Lætitia curat morbos melancholicos. 186. e.
Læuitas extremitatis cur faciat fulgorem. 393. a.
Lapides quibus in partibus gigni poſſint. 492. a.
Lapidis in vtero ſigna. ibid. c.
Lapidum & tumorum linguæ, & tophorum generatio. 162. f.
Lapis ex vtero excretus. 491. f.
Lapis cur ſenibus generetur in renibus, pueris in veſica, diſquiritur, & redduntur omnium cauſæ. 635. d
Lapis renum quam ob cauſam faciat vrinæ ſuppreſſionem, cùm renes ſint duo, & is alterúm tantum occupet. 859 c.
Laſſitudo quæ ſit mediocris & vtilis. 650. f.
Latus dextrum eſſe calidius ſiniſtro indicatur. 618 c.
Laxandum & aſtringendum in quibus morbis, & ob quas indicationes & quibus auxilijs. 588. e.
Leambi hiſtoria. 405. d.
Legitimi dies, menſes, & anni qui ſint. 218. c.
Legumina non conueniunt in gonorrhæa. 632. b.
Leguminum vitia & ex eorum eſu in Aeno peſtilens conſtitutio. 184. e. & 429. g.
Lenticula exuſtis cancris vtilis. 899. c.
Leonidæ filiæ hiſtoria. 913. c.
Leophorbidæ hiſtoria. 819. d.
Lepræ curatio per balnea calida. 467. b.
Lepræ & vitiliginis remedium. 209. g.
Lethalia quæ modum excedunt. 95. c.
Lethalia ſigna in vulneribus capitis. 826. b.
Lethaliũ ſignorũ ex facie enumeratio & cauſæ. 84. c.
Leucophlegmatia an hydropis ſpecies. 108. c.
Leucophlegmatia ex minore refrigeratione procedit, quàm aſcites & tympanites. 402. c.
Leucophlegmatiæ eſſentia, ſigna, cauſæ, prognoſticum & curatio. 389. d 392. g.
Liber quintus plus habet practicæ quàm alij hujus operis. 452. in præm.
Libri quinti cenſura. ibid.
Licini Grammatici hiſtoria. 401.

©BIUM

Licinij hiſtoria. 891. a.
Liconis in Oeniadis hiſtoria. 464. c.
Lien eleuatus fluxum ſanguinis è naribus indicat, ſi extenſus eſt ad dextra, per infernã partem. 367. c.
Lien minores dolores habet quám hepar, & renes, majores quám pulmo. 319. d.
Lien nulli euacuationi magis cedit quám alui ſubductioni. 903. c.
Lien an poſſit expurgari per vias vrinæ. 132. b.
Lienem decliuẽ pedes & manus, & genua calida facere, nares & aures frigidas & cur. 614. c.
Lienis inflammatio 129. b. lege ſplen.
Lienis inflammatio fluxu vrinæ ſanata. 132. b.
Lien decliuis qui dicatur. 615. c.
Lienis differentias plurimum conferre ad curationem, indicatur. ibid. e.
Lienis inflammati ſigna. 398. f.
Lienis morbi quibus, & quâ cauſâ curari poſſint fluxu vrinæ. 132. c.
Lienis tumor non vitiato faciei colore non eſt valdé periculoſus, velut ſi vitiatus ſit, & quã ob cauſam eueniat vtrumque & quid agendum. 903. a.
Ligatura qualis fieri debeat, dum ſecatur vena. 165. d.
Lingua peripneumonicorum qualis eſſe debeat. 796. a.
Lingua vt lotium ſignificat humores noxios. 693. d.
Lingua nigra duplici ex cauſa fit & quomodo diſtinguatur. 694. b.
Lingua cur ſæpe ſola impedita ſit. 557. b.
Linguæ colores ſignificare humores in corpore ſtabulantes. 693. d. & 750. e.
Linguæ ſapor cacochymiam indicat vt color. 693. d.
Linguæ tumores per congeſtionem generantur. 163. a.
Lithiaſis renũ cauſæ, ſigna, & curatio. 574. f. & ſeq.
Liuor manuum quanti fieri debeat ad prænoſcendam inſtantem mortem. 568. b.
Localis curatio tribus perficitur igne, ferro, medicamento. 713. c.
Longæui plures dentes habent. 211. b.
Lumbos dolenti duo mali abſceſſus generantur, vlcera ⚷ vocata, & recurſus in latus, alij fiunt boni, & qui ſunt illi. 746. b.
Lumbrici vbi generentur. 340. d. 350. b.
Lumbrici veſperi fatigant, vt & morbi omnes Autumnales. 89. d.
Lumbriorum generatio & expulſio, & cur necentur in morbis. 82. d.
Lumbricorũ differentiæ & loca vbi generantur. 905. d.
Lumbricorum notæ omnes. 441. e. & ſeq.
Luxationes quarumdam partium faciunt proximas non augeri. 582. d.
Luxationis ſpinæ differentiæ, & quas noxas afferant ſingulæ 137. a.
Lycia laborauit morbo Melancholio, & poſteá inflammatione lienis. 129. b.

M

MAculæ exiguæ ac frequentes quám ſint malignæ, & quo febris tempore, & in quibus partibus ſoleant incipere. 373. e. 376. f.
Magna errata nulla tenus ferenda eſſe Medicis. 771. b.
Magnanimitatis & probitatis, timiditatis, & malignitatis ſigna. 190. e.
Magnæ nauis gubernatoris hiſtoria. 540. e.
Magni calui, balbi, & gracili voce prædíti, cur ſit boni phyſiognominicè & phyſicè explicatur. 192. c.
Magni morbi nomine Epilepſia intelligitur. 716. b.
Magnum morbum & malignum longé differre, & quid interſit. 280. e 610. c.
Mala illa cauenda ſemper, in quæ tempeſtas inclinat, leuibus enim de cauſis generantur. 542. c.
Mala & bona fieri diebus decretorijs. 444. a.
Mala, quæ ob ſuppreſſas intempeſtiuè hæmorrhoidas generantur, maligniora ſunt quám alioqui. 657. a.
Malicorij vſus in dyſenteria. 783. f.
Malienſis cui coſtas fregit currus onuſtus in ipſum incidens, hiſtoria. 493. b.
Malignæ febris cum exanthematis curatio & indicationum dignotio. 377. f.
Malignarum inflammationum & Gangrænarum curatio, quæ in conſtitutionibus peſtilentibus plurimos iuuat. 457. c.
Malignitatem arguit intempeſtiua expulſio. 85. c.
Malignitatis ſymptomata. ibid.
Malleoli nerui. 542. d.
Malum Punicum in cardialgia. 113. c.
in Mammarum venis ſita eſt magna prouidentiæ pars. 223. f.
Mane nulli morbi exacerbantur per ſe, veſperi omnes. 89. g.
Manus hypochondrijs apponere indicat Melancholiam morbum. 550. b.
Marcoris inminentis ſigna. 426. c. d.
Mares in dextera vteri parte gigni. 618. b.
Mares eſſe fœminis calidiores, quib⁹ cõſtet notis. ibid.
Mariti puerperæ hiſtoria. 374. a.
Maſculos trigeſimo, fœminas ſexageſimo abortiri & cur. 365. g.
Materiæ Medicinalis cognitionem ad Medicum ſpectare indicatur. 148. c.
Maturi abſceſſus rectè iudicantis affectus priores, ſigna. 404. f.
Maza potius quám panis commendatur in æſtiuali victu. 622. b.
Meandri cæci vxor ardente febre, & breuiſſima ſuppuratione laborauit. 339. a.
Medicamenta reſpicere poſſe certa membra. 714. b.
Medicamentorum modos ſçire debet Medicus. 148. c.
Medicamentum ſano corpori cur noceat. 509. c.
Medici officium. 616. e.
Medicorum mores quales eſſe oporteat. 667. c.
Medicos poſſe eundem morbum eadem intenſione diuerſis auxilijs, & diuerſa etiã intẽtione rectè curare, explicatur multis exemplis 738. d. & ſeq.
Medicos multos ſeorſũ accerſiri periculoſũ eſſe. 739. a.
Medicus neque de re quapiam facilè enunciare, neq; ſeuiter mutare ſententiam debet. 248. f.
Melancholia omnis eſt acida, frigida, & terrea. 166. d.
Melancholiæ morbi cum vertigine complicatio. 546. f.
Melancholiæ morbo parati. 166. a.
Melancholiæ morbi differentiæ, cauſæ, & curatio. 546. b.
Melancholiæ ſimul & acutæ febris exemplum. 118. e.
Melancholici morbi quoſdam pituitoſos afferre ſolent. & quam ob cauſam. 343. g.
Melancholici Epileptici, & contrá qui fiant, & cur. & quid interſit. 775. c.
Melãcholici quomodo periclitentur breui mori. 552. b.
Melancholici à potu plurimùm abſtinent aliquando 550. d.
Melancholici cur abundent ſero. 164. b. 297. g.
Melancholici morbi multa ſpuitione mitigati. 685.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 476 sur 489

©BIUM

Melancholicis familiare eſt pituitam congerere. 841. a
Melancholicis morbis accommodatiſſimæ euacuationes ſunt dejectio & mictio. 550. c.
Melancholicorũ ſymptomata eorum & cauſæ. 614. b
Melancholicos habere ſanguinem ichoroſum. 164. b 297. g. 343. g. & 614. b.
Melancholicos nunc mærere, nunc lætari plurimùm, & cur. 548. f.
Melancholicus ſuccus qua ratione afferat faſtidium, cùm per ſe ſoleat afferre famem. 839. b.
Melida laborauit peripneumonia ex ſuppreſſione menſtruorum. 84. c.
Meliſandri hiſtoria. 535. a.
Menandri viniſtoris hiſtoria. 377. d.
Menonis hiſtoria. 828. c.
Menſes ſi accidant vtero gerentibus, laborioſi ſunt, quales octimeſtrium abortus. 174. g.
Menſes tales plerumque accidunt parituris decimo menſe. 175. b.
Menſes poſtridie à dolore lumborum & femoris accidunt & cur. 101. f.
Menſibus ſuppreſſis accidunt multi rigores. 266. f.
Menſibus medijs majori periculo abortitur. 116. b.
Menſtrua fluxio mulieres à multis malis liberat, & multos earum morbos iudicat vt ſuppreſſa facit multa mala. 734. e.
poſt Menſtrua cur facilè concipiant mulieres & cauſæ gemini partus, & cur mas aut fœmina. 169. b
Menſtrua & lac non fiunt ex eadem materia. 124. a.
poſt menſtrua aliqnando dextra, aliquando ſiniſtra fiant. 169. b.
Menſtruis per ætatẽ deficientibus quid eueniat. 889. c.
Menſtruis ſuppreſſis & debito tempore non erumpentibus, eadem mala accidere poſſunt. 119. f.
Menſtruis ſuppreſſis quæ mala accidere poſſunt. 119, b. 144. c. & 315. e.
Menſtruorum ſuppreſſionem ob malignam qualitatem ſanguinis potiùs quàm quantitatem lædere quomodo cognoſcatur. 823. f.
Menſtruorum ſuppreſſio quot modis ſoleat lædere. 556. e.
Menſtruorum defectus quot menſibus fiat incurabilis. 401. a.
Merũ cũ cibo & à cibo minùs lædere quàm ſolũ. 714. d
Merum ſanguinem è naribus ſtillare quid & cur malum? 64. b.
Methodicorum ſectæ opinio refellitur. 588. d.
Methodus optima cognoſcendorum & faciendorum in curationibus. 145. g. & ſeq.
Methodus inueniendi epidemialium conſtitutionum cauſas. 9. d.
Meto potu largo aquæ expurgatus eſt. 76. f.
Metonis alterius hiſtoria. 886. e.
Metrodori Filij hiſtoria. 565. a.
Metus & mæſtitia melancholiã teſtãtur aut faciũt. 315. a
Milliaceæ aſperitates in cute non admodum prurigino ſæ. 141. a.
Minois vxoris quæ ſphacelũ contraxit hiſtoria. 403. a.
Miſſione ſanguinis tuſſis deſinit in tumoré teſtiũ. 452. a
Miſſionem ſanguinis aut fluxum ſpontaneum qui bene, ferant & qui malè. 106. b.
Miſſionem ſanguinis ſæpè liberare ab abortu. 334. g
Molles carne manſuetos & prudentes eſſe. 189. c.
Monſtruoſi partus cauſæ. 126. g.
Morbi Autumnalis & maligni, ſimúlque conſtitutione legitimi exemplum. 781. e.
Morbi duabus rationibus dicuntur quales. 770. e
Morbi connutriti in ſenectute deſinunt. 689. a
Morbi acuti poſſunt eſſe ſine febre. 54. g
Morbi acuti quando habẽt febrẽ, eſt continua. ibid
Morbi euentus ex quibus prædicitur. 58. g.
Morbi initium conſiderandum. 111. b.
Morbi diuturni vt renum & coxæ, podagra, & hæmorrhoides à multis periculoſis liberant. 745. a.
Morbi doloſi qui ſint exẽplo Cherionis indicatur. 721. c
Morbi qui ætatis mutatione curantur, an ætate ipſa, an coitu mutentur, diſputatur. 702. e.
Morbi partium quando curantur pharmacis, & quando ſolis localibus, & bono victu. 519. f.
Morbi naturam quid vocet Hippocr. 495. b.
Morbi multi etiã acuti, finiũtur inſenſibiliter. 332. g.
Morbi pulicaris qui vulgò apud Hiſpanos vocatur Tabardillo, deſcriptio & notæ. 142. b. & 373. f.
Morbi pulicaris indicationes & curatio. 875. f.
Morbillos, & variolas Græci vocãt exãthemata 26. e.
in Morbis exerceri oportet vt proſis, nec noceas. 31. a
Morborum Epidemialium cauſæ conſideratione temporis, præteriti, & futuri percipiuntur. 761. c.
Morborum communium cauſæ. 9. d. & ſeq.
in Morborũ permutationibus quid conſiderandũ. 51. g.
Morborum euentus prænoſcendi ſumma ratio. 641 e.
Morborum iudicationes multas diuerſaſq; amare euacuationes. 312. b.
Morbos ex quibus dignoſcimus. 48 e.
Morbos alios non aliter ac febres habere circuitus & intermiſſiones aliquando. 58. a.
Morbos cum laſſitudine tenſiua miſſionem ſanguinis poſtulare. 201. d.
Morbus regius non decretorius multas & vehementes petit purgationes. 803. a.
Morbus Regius, lege Icteritia.
Morbus morbo ſuperuenit. 146. d.
Morbꝰ in dextra parte deterior quàm ſi in ſiniſtra. 222 d
Morbus aliquando minuitur materia nondum concocta & cur. 307. a.
Morbus au per ſe an per conſenſum ſit, & quando horum quiduis magis aut minùs. 760. f.
Morbus doloſus quomodo cognoſcatur. 721. c.
Morbus gallicus, lege gallicus.
Morbus acutus ſuperueniens ſæpe eſt veterum & diuturnarum paſſionum iudicatio. 402. a. 449. b. 490, b.
Morbus cur fieri videatur minor nonnunquam, cùm adhuc in ſuo incremento ſit. 57. e. 314 a.
Moribundi jam cur aliquãdo videãtur alleuati. 241. f. 299. b. & 321. a. & 394. f.
Morientes præ debilitate vltra expectationem durare ſolent, non autem qui vi morborum. 240. f.
Morientiũ præ debilitatẽ, & morbi vi dignotio. 801. e.
Morientium ex veneno ſigna. 395. b.
Morientes cur ex fronte ſudent. 374. f.
Morituris celeres fiunt iudicationes. 95. b.
Morituroru ex angina ſigna. 735. a.
Mortificatio ſicca malignior eſt quàm humida. 530. f.
Mortuis multis recenter ſolere fieri rubores per partes, & ob quas cauſas. 554. e.
Moſchius calculoſus abſceſſu quodam liberatus. 116. e
Motus non ijdem ſunt omnibus nimij. 623. f.
Motus ſunt congeneres, icterus, rigor, & ſudor. 911. c
Muliebrium & virginalium morborum differentiæ, notæ, & cauſæ. 144. e. f. & 198. f.
Muliebrium morborum cauſæ. 381. b. c.

©BIUM

Mulier vt concipiat, remedia. 233. b.
Mulier quæ decumbebat iuxta Tiſamenum ex voluulo die ſextâ mortua eſt. 260. f.
Mulier quædam earum quæ apud Pantimedem ex abortu recentis fætus, ardente febre obijt ſeptimo. 262. b.
Mulier quæ decumbebat in foro mendaciorũ ex maſculi partu ex febre ardẽte decimo quarto obijt. 265. d.
Mulier moroſa in Thaſo phrenitude trium dierum laborauit, & cum vrina nigra euaſit. 314. e.
Mulier quæ decumbebat in littore trimeſtri fætu grauida. 82. g.
Muliercui ſanies exibat ex mãmilla, niſi ea ſuppreſſa eſſet mortua, fuiſſet facta maniaca. 565. c. d.
Mulieres ægrotarunt & mortuæ ſunt pauciores, quám viri in conſtitutione primi epidem. 38. a.
Mulieres concipiendi gratia ſe ipſas perdunt. 510. c.
Mulieres cur non corriperentur nyctalopia cum pueris. 734. d.
Mulieres ſeruæ ægrotant vt viri. ibid. f.
Mulieres cur podagricæ minús ſint. 777. a.
Mulieribus concipere cupientibus conſilium. 510. c.
Mulieribus quæ in ſpeciem virilem mutatæ interierunt, quomodo fuiſſet proſpiciendum. 778. a.
Mulieres vehementi capitis grauitate & mentruorũ ſuppreſſionẽ laborantis & febricitantis acutè hiſtoria, & de judicatione coniecturæ rationales. 382. c & ſeq.
Mulieris Hippei hydropicæ hiſtoria. 431. f.
Mulieris Pheris hiſtoria. 471. d.
Mulieris lariſſæ vtero gerentis hiſtoria. 472. b
Mulieris quæ ſeipſam iugulauit hiſtoria. 502. c.
Mulieris hiſtoria quæ catapotium concipiendi gratia accepit. 507. e.
Mulieris quæ ex pharmaco corruptorio obijt. 520. c.
Mulieris cancrum habentis circa pectus, cui ſanies ex mammilla exibat, hiſtoria. 565. c.
Mulieris ſupra portas habitantis, quæ ex febricula abſeſs° ad oñes ſpinæ articulos, & reſolutionẽ paſſa eſt, hiſtoria, & eius expoſitio & curatio. a. 802.
Mulieris morbi, qui in viro fuiſſet difficilis, & periculoſus, in muliere verò minùs longus, deſcriptio, & cauſæ. 909. c.
Muſculi ſunt motus inſtrumenta. 450. f.
Muſculi an contrahant ſe verſus ventrem an verſus fines. 451. c.
Muſculorum compoſitio & ſubſtantia. ibid.
Muſculorum capitis hiſtoria. 514. b.
Mutatio ſæpè & repentè facta Auſtralium, & Borealium & niuium eſt cauſa morborum Epidemiorum. 731. c.
Mutationes omnes repentinas eſſe cauendas 648. e.
Mutationes quæcumque faciendæ ſint in morbis doloſis, tunc fiant, quum ſunt mitiores. 721. e
Mutationes nunquam, niſi ad decentia fiant. 722. a.
Mutationes iuuant niſi ad malum mutentur. 114. b.

N

NArcoticis imperiti & adulatores vtuntur nimis. 719. a.
Narcoticicis quando vtendum. ibid. b.
Nares optimum capitis emunctorium. 566. b.
Narium pinnæ apertæ iracundiam indicant. 189. e.
Narium humiditas & aurium ſordes expurgant crebrum à craſſis. 685. c.
Natura etiam curat præpoſterè aliquando, vt Medici. 307. d.
Natura ægrotantium conſideranda. 419. f.
Naturâ calidus an refrigerandus & qua id ratione fiat. 670. b.
Naturam morborũ medicatricem eſſe indicatur. 681. c
Natura inuenit ſibi vias non ex cogitatione. 682. d
Naturam non eſſe indoctam explicatur. ibid. e.
Nautæ puer, & Miriocaunæ diarrhæa laborauerũt. 711.
Neapolis hiſtoria. 563. f.
Negligens ex ſomno qui ſit. 417. c
Neruorum diſſectio longa. 182. d.
in Neruorum affectibus nunquam eſt omittendum conſiderare, an antecedat, ſequatur, vel comitetur febris. 359. e.
Neruorum hiſtoriæ & vſus. 450. f
Neruus nudus mordaci medicamento tactus conuulſionem affert. 542. d.
Netopum quid ſit. 531. e.
Nicanoris paſſio mirabilis. 546. a.
Nicippi hiſtoria. 447. a.
Nicodemus febricitauit acutè ex venere & vino. 314. e
Nicolai pueri hiſtoria. 552. c
Nicolaï puer quomodo fuiſſet curand° qui laborauit febre cõtinua, periculoſa, cõplicata cũ tertiana. 554. b.
Nicoſtrati vxor decima quarta die correpta eſt apoplexia. 345. a.
Nicoxeni in Olintho hiſtoria. 877. b.
Nigrities vmbilici inditium melancholiæ á principio generationis. 392. d.
Nigrum medicamentum Hipp. 867. b.
Nihil temeré nihil negligere ad multa accommodatur. 600. f. & ſeq.
Niſantidis hiſtoria. 873. e.
Nitrum, cuminum, & coriandrum multum proſunt ad vterum, & febres redeuntes circuitu cum frigore. 219. d.
Noctes pluſquám dies delirijs ſignificationem præbere. 543. b.
Nocturna febris. 20. c. 55. g.
Nominbus nubeculæ, ſedimenti, hypoſtaſis diſtinctè vſus eſt aliquando Hippocrat. 554. a.
Non potantibus aut vix reſpiratio breuis, duplex huius ſententiæ explicatio. 156. b.
Nuces veteres melle intinctæ poſt crudum potum vtiles. 913. b.
Numerorum tertius validiſſimus. 221. a.
Nunc frigere plurimùm, nunc vri, in debilibus, quã ob cauſam fiat. 322. e
Nutrices an ſint quærendæ ſine menſtruis diſputatur. 124. c.
Nutrientia exterius admouere vanum non eſt. 711. a
Nutrix duobus modis purgatur, aut propter ſe, aut propter infantem, & qua ratione faciendum ſit vtrumque. 709. a.
Nyctalopia pueri magis laborarunt, præcipuè qui grandioribus oculis & capillis longis. 734. d.

O

OBlata quæ vocet Hippocr. 305 g.
Obliuio duplex, altera ob mentis alienationem, altera ob memoriæ vitium. 286. d.
Obliuio omnium eorum quæ quis amat, cur ſignum lethale. 321. b.
Obſtructionibus viſcerum laborantes cur crebró corripiantur febribus. 319. c.

Occasio quid sit apud Hippocrat. 110. f.
Occasione elapsa præstat dimitti auxilia quàm nihil conferentia infamari. 741. a.
Occasiones vnde cæperint ægrotare considerandæ. 110. g.
Occasiones, seu causæ externæ ad cognitionem & curationem conferunt & quomodo. ibid.
Occasionis duplex significatio. 639. a.
Occasus Pleiadum in initio Nouembris. 556. a.
Octauus mensis cur non vitalis. 168. c.
Oculi eorum qui linquuntur animo, & morientium quales sint. 526. e.
Oculi magni angulati demissi boni sunt. 190. f.
Oculi audacia quæ dicatur, & eam indicare delirium. 587. e.
Oculi distortio est aliquando signum decretorium. 247. g.
Oculi affecti cur irritentur noctu. 543. a.
Oculi fractio quid sit & quid significet, cúrque in moribundis sit. 588. b.
Oculi vt valent, ita & totum corpus, de corpore & de animo explicatur. 679. c.
Oculi, venter supernus & infernus, & vesica maximè laborauerunt in constitutione primi Epid. 17. e.
Oculi maximè læduntur à Borea. ibid.
Oculo exigui & caui mali. 190. d.
ex Oculis notæ Physiognomicæ. 212. b.
Oculorum curatio & ocularium medicamentorum materia.
Oculorum debilitas admodum lethalis. 220. d.
Oculos magnos & rotundos cupiditatem & hebetudinem indicare. 189. e.
Oculus distortus fuit signum lethale. 264. f.
Odorata cur subtus iuuant, naribus admota lædunt. hystericas. 471. f.
Odores sunt materia victus. 749. b.
Odoribus iucundis circa qualitatem alimenti solum hominem delectari affirmat Aristoteles. ibid. d.
Odoribus tam malis quàm bonis vtuntur Medici, & est eorum mutatio considerandа. ibid. e.
Odorum differentiæ perpaucæ cognoscuntur ab hominibus. ibid. b.
Odorum differentiæ. ibid. b.
Oecetæ vxor ex abortu quinti mensis ardente febre correpta obijt septima. 263. f.
Oedemata vocantur omnes tumores & quales. 5. b. 26. a.
in Oeni dis viri qui morbo tenebatur, historia. 458. f.
Olitoris vxor in Holide. 452. e.
Olympiodori fam læ historia. 396. d.
Onesianactis historia 858. d.
Ophthalmia alui profluuio plurimùm cedit. 840 b.
Ophthalmiæ cum dolore morbi æstiuales sunt. 736. a.
Ophthalmiæ humidæ. 17. e.
Opium quando conferat in dentium dolore. 727. d.
Opisthotoni futuri inditia. 541. c.
Organorum attritio caluitium facit. 620. f.
Oris vteri incidentis in coxam curatio. 390. d.
Os infernum digiti quod sit. 540. f.
Os Ilium, coxæ, & pubis idem. 461. a.
Oscitatio & pandiculatio quomodo fiat. 687. f.
Oscitationum causæ & curatio. 155. f. 594. a.
Ossa plerumque abscedunt post quadragesimum. 666. b.
Ossicula cranij per nares emuncta. 684. b.
Otio numquam expedit uti ad extenuandum, neque multo cibo, etsi fieri possit. 623. d.
Otium quosdam extenuat, quosdam crassiores reddit. 622. c.
Oxybaphum quæ mensura sit. 870. d.
Ὀξυγλυκὶς quodnam sit potionis genus. 161. b.

P

PAlestræ custodis qui ex lucta obijt die tertia historia. 774. c.
Pallidum, rufum, & flauum promiscuè aliquando sumuntur. 420. e.
Palpebrarum & linguæ motus dubios esse & quæ significent de eorum instrumentis opiniones explicatur. 683. b.
Palpitatio vocatur pulsus ab Hippocrate. 66. c
Palpitationis nomen quid significet. 786. e.
Panis subcineritij incommoda. 787. f.
Panis recentis noxæ. 536. b.
Panis autopyri vtilitas. ibid. c.
Papulæ mammarum color pallidus vteri morbum indicat, aut prægnationem. 696. d.
Papulæ per totum corpus in lactante. 123. g.
Paraplexia quæuis resolutio vocatur. 35. b. 732. c.
Paraplexiæ ex suppressis menstruis. 145. e.
Paraplexiæ exitus duo. 35. c.
Paribus moueri, & breuem esse morbum rarum est 306. f.
Paribus iudicari quî paribus mouentur, & imparibus qui imparibus, & cur. 59. c.
Paribus diebus accessiones fieri deterius est, quàm imparibus, & cur. 59. e. 63. d.
Paribus moueri quomodo intelligendum. 59 d. 63. d.
Parientes concussione & compressione thoracis lædi. 567. a.
Parientes quare solent periclitari tempore frigido? 38. d.
Parij historia. 292. f.
Parium & imparium dierum enumeratio seorsum. 59. f.
Parmenisci historia. 548. d.
Parmenisci filij historia. 531. d.
Parotides quæ desinente febre permanent, diarrhæa, aut dysenteria, aut crassa vrinæ subsidentia soluit, vt & surditatem. 44. d.
Parotides quæ non soluebantur. 26. f.
Parotides quum euanescunt dolor secundùm ilium succedit. 37. f.
Parotidibus suppuratis aliquibus successit mors. 47. a.
Parotides liberauerunt Chalcidonium à suppuratione. 333. b.
Parotidum ex acutis morbis curatio per citam vstionem commendatur. 479. e. & 892. c.
Paroxysmorum longitudo, anticipatio, & postpositio vnde. 94. f.
Paroxysmos morborum omnium insumere propriam materiam varijs exemplis indicatur.
Paroxismos esse majores & interualla breuiora, an lõgioris morbi sit signum. 94. c.
Paroxysmus similis est crisi. 59. c.
Paroxysmus quid sit. 93. c.
Partes humiles quæ sint. 408. f.
Partes superiores & inferiores in humano corpore. quæ. 157. c.
Partium corporis, & temperamenti, & temporũ anni,

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 479 sur 489

©BIUM

Spiritus aliquando apud Hipp. significat dispnæam. 372. f. 373. b.
Spiratio obscura in tabidis & in non parientibus mala. 743. c.
Spiritus magni & rari vt vt recordantis causæ. 64. f.
Splen lege lien.
Splenicis quæ dysenteriæ sit vtiles & quæ inutiles. 363. b
Splenis tumor vel inflammatio. 62. f. 68. c. 129. b. 132. a. 157. a. 158. a. 715. b. 729. d.
Spongiæ quæ partes sint apud Hippocratem. 338. b.
Spongiæ vis. 227. b.
Spontaneas euacuationes etiam post arte factas expeti, vt morbus tutó solutus sit. 793. a.
Spuitio multa visa est morbum melancholicum iudicare. 685. f.
Spumæ causæ, & quid indicet. 431. c.
Spumosæ dejectiones duplicem generationem habent. 246. a.
Sputa rotunda delirium significare. 8. c. 724. c.
Sputa valdè flaua in peripneumonicis breuem morbum significare. 445. c.
Sputi creuenti curationem quæ impediant; 660. c.
Status pestilentis descriptio. 267. f.
Steriles fouere ac pharmaco vti oportet. 198. d.
Sterilitatis causæ. 167. g. 366. c.
Sterilitatis causa & curatio varia. 198. e. 233. b.
Sterilium curatio multiplex pro ratione causæ. 169. f.
Sternutamenta quando vtilia. 685. e.
Sternutamenti prognosticum. 52. f.
Sternutamentariorum vsu intempestiuo læsum esse Polyphantum, adeò vt ob id moreretur, indicatur, interimque docetur quomodo fuisset curandus. 899. d.
Sternutatio & singultus concussiones sunt. 687. e.
Sternutatione, expiratione, pandiculatione, transpiratione, & duplici flatu vapor euacuatur ex partibus diuersis. 685. c.
Stertor qualis sit in ore & palato, qualis in gutture, & aspera arteria, & vtriusque significatio. 568 e.
Stertor quid sit apud Hippocratem. 474. e.
Stertorosus spiritus quibus causis soleat conquiescere & earum distinctio. 830. c.
Stilla sanguinis è naribus mala, maximè quarto die. 16. d. 36. c. 64. b. 76. b. 235. e. & 246. e.
Stillare merum quid sit & cur malum. 64. b.
Stimargi vxor ex abortu intumuit & quibus causis. 115. g.
Stimargi famula Idumæa ex partu fœmellæ ægrotauit, & quomodo curata sit. 187. c.
Stomatica medicamenta ex quibus parentur à Galeno. 844. a.
Strabones à primo ortu amètes, Maniaci & lapidei. 221 f.
Stranguria bona & iudicatoria. 27. f.
Stranguriæ remedia. 534. a.
Stranguriam vicinis iam partui fieri consueuisse, & cur. 125. a.
Stranguriam venæ sectio soluit. 224. b.
Stupor alui facit omnium confusionem. 620. c.
Stuporis essentia, causæ & curatio. 718. f.
Sublime in vrinis delirium portendere. 301. c.
Subpurgare quid sit. 529. a.
Succi multi & varij in corpore quid pariant. 25. a.
Succi multi cum debilitate signa. 846. f.
Sudor abscessus est. 100. c.
Sudor & concidentia exercitationis mita. 627. a.
Sudor qui arte elicitur, auget febrem, & minuit virtutem. 378. a.
Sudor tertianæ cur diuturnitatem putetur præmonstrare. 88. c.
Sudor post rigorem optimus est. 253. c.
Sudor per noctem quibus causis fieri soleat. 788. c.
Sudor in principio malus exemplo Philisci. 63. b.
Sudor frigidus. 65. f. vnde, 295. d.
Sudores multi tempore frigido vnde. 18 c.
Sudores in principio arguunt difficultatē iudicij. 88. d
Sudoribus circa ceruicem soluti morbi erraticas habent febres pro recidiuis. 857. c.
Sudorificæ febres ac sine sudoribus qualibus temporibus oriantur. 89. a. 141. f.
Sudorificæ febres quando fieri soleant. 87. g.
Sudorificæ febres sunt difficilis iudicij. 88. d.
Sudoris frigidi duplex causa. 81. a.
Sudoris maligni in febribus notæ. 88. c.
Sudoris colliquatorij causæ. 892. f.
Suilla caro qualis cibus. 625. f.
Superfætationis causæ, & quo prægnationis tempore potiús accidat. 470. b.
Superspiratio duplex quid. 554. c.
Supervenientia signa tam bona quàm mala contrahunt morbum. 514. d.
Suppositoria retenta. 159. e.
Suppurans omne sine recidiua est. 628. d.
Suppurati multi qui euaderepossēt curmoriātur. 894 f
Suppuratio in ventre ex vomitu sanguinis, & eius generatio, & signa. 494. a.
Suppuratio in ventriculo vomitu puris soluitur in robustis. 491. e.
Suppuratio magis est sine recidiua, quàm resolutio ob multas rationes 628 f.
Suppuratio quum fit in intestinis alius turbatur, nisi homo coriza laboret. 616. c.
Suppurationes bilioſæ pessimæ sunt. 361. b.
Suppurationes & oculorum morbos per noctem habere labores. 542. f.
Suppurationes humeri in pusillis faciunt breuiores esse cubitos & cur. 582. c.
Suppurationes auriū hyeme magis quàm æstate fiunt, vt senibus magis quàm iuuenibus. 855. d.
Suppurationibus vmbilicus terminus. 616. b.
Suppurationis pernitiosæ signa. 339. a.
Suppurationis in oculo pericula & curatio. 413. f.
Suppurationis internæ in ventre futuræ, aut iam factæ signa. 421. c. & seq. 419. c.
Suppurationis & hydropis ex suppuratione causa, & generatio. 431. f.
Suppurationis internæ signa & causæ. 508. e. & 845. e.
Supurationis quum fit signa. 531. b.
Suppurationis ex inflāmatione & ex catarrho dignotio. 848. d.
Suppurationis quæ ex catarrho sæpe redjit exemplū & causæ. 894. d.
Suppurationum differentiæ & signa. 461. c.
Suppuratis sectio & inustio valdè prosunt & quando applicandæ. 498. c.
Suppuratorum signa. 800. f. & seq. 816. b. & seq.
Surditas in acutis an sit bonum signum disputatur. 239. a. & seq.
Surditas aut sanguis ex narib⁹ soluūt dolores inferiores. 194. d.
Surditatis curatio. 531. e.
Sursum an deorsum vergant succi ex hypochondrijs dignotio. 337. f 344. g.
Suspirare est delirij signum. 793. d.
Sutoris historia. 359. g.

Piper in dentium dolore quando prosit & quam ob causam explicatur. 727. c.
Pisces saxatiles qui censendi. 532. e.
Pisistrati historia. 84. a.
Pittacus volaulo ex ruptura interijt. 106. f.
Pituita & Melancholia quomodo vterq; succus possit ad corpus vergere & ad animum.. 343. g.
Pituitosæ & melancholicæ passiones quæ ratione sæpe concurrant. ibid.
Plato vterum appellat animal. 866. a.
Platonis de animâ sententia. 757. e.
Platonis de purgatione pulchra sententia. 504. c.
Pleiades quod signum sit. 1. b.
Pleiadum occasus quando accidit. 34. c.
Pleroſque mori eo morbo, quo fuerunt sæpe correpti, ratione & exemplo indicatur. 816. d.
Pleuritici raro iuuantur pharmaco, & cur, & quo casu iuuentur. 456. e. f.
Pleuriticis copia sanguinis suppurationem, malignitas tabem facit. 567. b.
Pleuriticis an semel fundendus totus sanguis. 310. g.
Pleuriticorum vrinæ & earum causæ. 236. b.
Pleuritide laborauit Anaxion. 309. e.
Pleuritidem & peripneumoniam ex vtero fuisse, quibus signis agnoscitur. 823. a.
Pleuritidis temporum vniuersalium distinctio 310. b.
Pleuritidis & suppurationis & repurgationis notæ. 887. b.
Pleuritidis acutissimæ exactè & salutaris typus 845. b.
Pleuritidis dignotio ex signis. 812. d. & 822. e.
Pleuritis & suppressione menstruorum. 890. e.
Pleuritis quæ periculosior dextra an sinistra disputatur & deciditur. 813. c.
Pleuritis non solet cum delirio interimere. 456 d.
Pleuritis intermittens. 58. d.
Pleuritis ex catarrho. 149. f.
Pleuritis, arthritis, & hemicrania, & affectio alia quæuis dextra quàm sinistra deterior. 222. e. 238. g. & 311. b.
Pluendi differentiæ. 87. a.
Pluuiæ molles quænam. 2. a.
Pluuiarum & siccitatis mores. 11 c.
Podagræ qui morbi soleant succedere, & à quibus ea liberet. 657. e.
Polemarchi pueri historia. 894. d.
Polenta quid, & quomodo parabatur olim. 113. c. 882. a
Πολλώσις quæ dicantur ab Hippocrate. 359. b.
Polyphanti historia. 899. c.
Polycratis & Cleocidis historia. 778. b.
Polycratis vxoris historia. 799 e.
Polycratis historia. 540. b.
Porracea vbi generentur & quid significent. 547. d.
Porri facultas. 492. f.
Porros & allia cur putat vulgus esse æstate frigida. 767. b.
Porri & allij facultates, & cur messoribus æstate exhibentur. ibid.
Posidocreonis historia. 827. f
Possidonij historia. 816. a.
Post canem quod tempus designet. 539. b.
Post mictum concretio in pueris. 634. f.
Posteriores partes anterioribus frigidiores. 166. g.
Potio copiosa lactis asinini confert ad dysenteriam. 787. a.
Potiones & eclegmata ex hordeo præstant, dulcibus & ex melle paratis. 439. a.
Potionis pro catarrho syngrapha. 870. d.
Potiorem curationis partem esse quiescere, quàm contraria adhibere monstratur. 601. e.
Potum non consistere, sed cum sonitu cadere, signum certæ mortis. 324. e. 795. d. & 806. b.
Potus multus cur lædat ictericos. 869. a.
de Potu hydropicorum. 536. d.
Prauæ differentiæ dejectionum & vrinarum. 554. a.
Praxis medica nulla ratione potest doceri melius, quàm per exempla. 485. a.
Prægnans quæ cecidit, aut secta est, aut convulsionem passa, aut sine causa dolores, vt parientis pati incipit, an sit abortum factura, quanto tempore & quomodo cognoscatur. 871. e.
Prægnans an sit fœtum corruptura, cognoscere quantum referat. 872 b.
Prægnantibus posse menstrua fluere indicatur. 365. b.
Prægnationis cognoscendæ difficultas indicatur. 365. b. 370. g. & 384. a.
Præpotantibus crudum salsa cum melle remedium est. 913. a.
Pro quibus qui morbi fiant salubriter, & necessitate explicatur multis exemplis. 716. d.
Procatareticæ causæ præsagijs omnibus vires detrahunt. 245. c.
Prodicus quomodo interficiebat febricitantes. 652. f.
Prodromi filij historia. 819. c.
Prodromi qui dies vocentur. 3. d.
Productionis morbi & superexacerbatio & remissio signum est. 444. b. & seq.
Proferre perfecta quum quis plurimùm conatur, alioqui balbutire, quas causas habeat. 794. e.
Profluuia sanguinis hydropem faciunt. 669. c.
Profluuia alba ex vtero habentes raro parere. 366. f.
Profluuij ventris curatio per fabas coctas & cuminum. 217. f.
Prognosticæ artis caput & summa. 641. d.
Prognosticum ex ijs quæ ex quocunque signo nascuntur. 52. b. & seq.
Propensionem ad actiones antiquiorem esse instrumentis. 683. a.
Propter aures, & ex auribus sæpe mori tertia die 720. a.
Prorrheticorum libri censura. 243. a.
Prouidentia vti honorificentius esse in morituris quàm in supervicturis. 220. c.
Φολλώσις palpebrarum tumores. 765 d.
Pubis affectiones per quas partes efficiant respirationem difficilem.
Puellæ quæ à rupe ceciderat, historia. 521. a.
Puero Metrophanti caput testâ percussum est. 340. d.
Pueri ex variolis & morbillis multi mortui. 27. c.
Pueri quando possunt priuari lacte. 215. e.
Pueri ex multis desperatis morbis euadûnt & cur. 28. a.
Pueri phagedæna laborantis historia. 353 b.
Pueri iuxta extremam cauponam historia. 357. a.
Pueri in Hypologi villâ historia 392. a.
Pueri à mulo vulnerati historia. 506. a.
Pueri exdefatigatione laborantis inflammatione hypochondriorum historia & causæ. 385. e.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 481 sur 489

©BIUM

Pueri cur ſint paſſionibus pituitoſis opportuni. 518 d.
Pueri Philotimi hiſtoria. 914. b.
Pueris poſt mictum concretio. 634. f.
Puerilis ætas minoribus auxilijs indiget, ſenilis minora ſuſtinet. 773. b.
Puerilis quæ mutationes inſignes, & quæ tempora ſint illis legitima, & cum voce mutari illis omnia. 215. d.
Pueros plurimum lædi à vino 553. b.
Puerpera quantum ſanguinis debeat fundere in partu 323. a.
Puerperarum convulſionem excitatâ febre curari dicit *Hippoc*, melius tamen curatur miſſo ſanguine, vide reliquam curationem. 194. g.
ex Pulmonia biliosa ſæpius delirant ægri quàm ex pituitoſa.. 568 d
de Pulſibus agere *Hippocratem*. 357. f. & 369. f.
Pulſus in hypochõdrijs cauſæ & ſignificationes. 786. e.
Pulſus in hypochondrijs quid portendat, exemplo indicatur. 357. d.
Pulſus nomen quid ſignificet apud *Hippocratem*. 782 e
Pulſus in dextrâ parte vehementior eſt quam in ſiniſtra, & cur. 205. b.
Punctura in genu ex quâ mors. 512. a.
Punctura curari debent deciſa cute. 516. a.
Purgans medicamentum dandum poſt ſeptimum ex *Hippocrate*. 397. b.
Purgatio ſanorũ à principio eſt ſuperpurgatio. 509. c. d.
Purgatio, lege pharmacum.
Purgatio aliquando impeditur ab humorum redundantia, & quid eo caſu faciendum. 505. b.
Purgationi nimiæ quibus auxilijs occurratur. 504. f.
Purgationis præpoſteræ exemplum. 511. a.
Purgationis ante concoctionem noxæ. 834. f.
Puris ex aure cum febre eruptio. 436. b.
Puris fœtidi & ſubrubri cauſæ. 517. a.
Pus ex aure liberat à dentium dolore. 355. e.
Pus ex aure ſi deſinat ijs quibus ſolebat fluere, anhelationes facit. 396. c.
Pus ex aure duplicem habet cauſam. 436. c.
Putredo arida quæ vocetur. 457. e. & 494. e.
Pythion acutâ febre ex decidentia laborauit. 234. a. 299. d.
Pythonis filij in dela hiſtoria. 906. d.
Pythoclis curationes. 522. e.
Pythodori hiſtoria. 780. e.

Q

QVadrageſimi dies in longis morbis magnam habent vim, vt ſeptimanæ in acutis. 293. e. f.
Quadrageſimos & vigeſimos eſſe pro ſeptimanis & quaternarijs acutorum. 313. a.
Quadraginta dies vt in ſuppuratione, ita in catarrhis expurgationis tempus. 856. f.
Quæ ex quibus, in quæ mutentur conſiderandum. 53. c.
Quartana ſecuriſſima, facillima, & longiſſima. 55. b.
Quartana cur timore repentino aliquando tollatur, & quid tunc agendum & poſtea. 186. f.
Quartana liberat, & præſeruat à magno morbo. 55. b. 716. a.
Quartana non producitur vltra annum, niſi ob prauum victum, & quæ cauſa ſit eius conſtitutionis. 725. c.
Quartana quomodo ſoleat incipere & procedere. 838. e
Quartana alia eſt primaria, alia ſuccedit alijs morbis. 20. b.
in Quartana quomodo generantur copioſi ſudores. 164. d.
Quartanæ in ſtatum iam euntis ſignum eſt miteſcere rigores. 577. e.
Quartanæ æſtiuales non producũtur vſque ad annum. 725. f.
Quartanæ annuæ quæ ſupervenerint & eorum cauſæ. 164. d.
Quartanam curari facillimè. 55. b.
Quarta dies cur rarò iudicet. 306. f.
Quarto die deterius ſeſe habere, grauiſſimũ eſſe. 41. c.
Quarto die ſanguinis fluxus facti difficilem iudicationem portendunt. 159. a.
Quietos eſſe ægrotantes ab imperitis ſemper probari, à peritis verò non niſi quum eſt naturale. 913 d.
Qui aſinum ex pacto ſuſtulit. 372. b.
Qui à Ceramici equo cecidit. 362. a.
Qui apud Dromum habitabat vomitu ſanguinis obijt. 505. c.
Qui dolores vbi ſimul adſunt, augentur ſimul, & in quibus alter alterum obſcuret explicatur. 664. e. & ſeq.
Qui iuxta Medoſadæ. 415. g.
Qui oculo percuſſus eſt ſecundum palpebram. 515. e.
Qui decũbebat in horto Dealcis ob robur naturale, & quia ex occaſione febricitauit dies quadraginta, alioqui moriturus intra fines acutorum. 244. f.
Quinquagenarijs ſuppuratione terminantur phlegmones potiùs quàm reſolutione. 902. e.
Quintanam febrem omnium eſſe peſſimam. 56. c.
Quotidiana febris quandiu durare ſolet. 61. g.
Quotidianam omnem eſſe longam, longiorem verò & deteriorem diurnam. 56. a.

R

RAucedo viſa eſt non raro totã vitã durare. 733. e.
Recens repoſito membro qui mouentur, inſigni periculo ſeſe exponunt. 542. b.
Recidiuæ & morbi vnica computatio & multa eius rei exempla. 45. d. & ſeq.
Recidiuæ multæ. 25. b.
Recidiuæ poſt æquinoctia autumnalia vſque ad Solſtitia hiemalia. 334. b
Recidiuæ quæ ſecundum rationem non ſunt. 39. d.
Recidiuæ etiam ſolent incidere in dies decretorios vt aliæ mutationes inſignes ſiue bonæ ſiue malæ 338. e.
Recidiuã futurã longiſſimam vnde præſentias. 376. b.
Recidiuarum notæ vno capite collectæ. 386. c.
Recidiuarum ſigna ex oculorum palpebris. 765. c.
Rectiſpirus qui ſit. 613. a.
Rectitudo abceſſuum ſecundùm ſuperiora & inferiora vt dextra & ſiniſtra explicatur, & adhibetur Empirica cauſa rectitudinis à Medico ſeruandæ in euacuationibus. 157. c. & 594. b.
Rectitudo in humorum decubitu deſideratur. 157. c.
Rectum intuitum oculis non nictantibus indicare audaciam monſtratur. 587. f.
Redundantiam humorum aliquando impedire purgationem & quid eo caſu faciendum. 505. b.
Reduuiæ galla cum melle curantur. 232. f.
Reficere & extenuare corpora, Medici mun° eſt. 622. a

©BIUM

Refrigeratio quibus induret & quib⁹ emolliat aluum, & quibus cauſis. 704.c.
Refrigerationes non recaleſcentes mortem indicare. 811. f.
Refrigeratorum ſigna. 144. b.
Regiones an concurrant ad morbos. 10. e.
Regionum morbi. ibid.
Relicta in morbis recidiuas facere & quæ ea ſint. 111. g. 158. a. 597. c.
Renum & coli dolores initio vix poſſe dignoſci, indicatur exemplo Apementi, & Fabri, & Nicoſtrati. 387. e.
Renum & veſicæ morborum ex multis ſuccis curatio legitima. 481. a.
Renum morbos non vidit Hippoc. curatos vltra quinquageſimum annum. 746. f.
Renum dolores ex fluxione à capite à qua poteſt oriri hydrops, & vrinæ ſuppreſſio. 120 b.
Repletione & vacuatione non omnes, ſed multi cuiantur morbi. 589. b.
Reſolutio an ſit melior quàm ſuppuratio an contrá diſputatur & definitur. 630. b.
Reſpiratio parua & crebra non fit ſemper ob dolorem, ſed ob impotentiam aliquando 345. e.
Reſpiratio ſublimis cum ſtrepitu eſt peſſima. 852. a.
Reſpiratio breuis vix potantibus. 155. f.
Reſpiratio longa ſanat continuas oſcitationes. ibid.
Reſpiratio longa phrenitidem indicat. 156. g.
Reſpirationis & pulſus differentiæ omnes & earum dignotiones & cauſæ. 154. b. 593. e.
Reſpirationis per os & vulnus non eſt eadem materia. 561. b.
Reſpirationis prognoſticum. 52. e.
Reſpirationis vſum eſſe diſtributionem alimenti, opinio eſt antiquata. 710. e.
Retentrix facultas debilitata non eſt cauſa fluxionis. 197. g.
Reuellendum & euacuandum alternatè, vbi in parte affecta magna moleſtia ſentitur, 591. e.
Reuellendũ ſi humores quò nõ oportet vergant. 602.e
Reuerſiuæ febres magna ex parte non ſunt acutæ. 597.f.
Rheumaticæ febres cum tuſſicula incipiunt & ad veſperam exacerbantur. 849.d.
Reuulſio, deriuatio & euacuatio. 590. f.
Rigor circa criſim multis accidit. 36. d.
Rigor in principio febrium ardentiũ cur malus. 40.g.
Rigor & tremor quomodo ſumuntur apud Hippocratem & Galenum. 416. b.
Rigor à ſuperiori ventre magis exoritur, febris ab inferiori. 706. f.
à Rigore incipere quibus continuis febribus præcipuè accidat? 300. f.
Rigores ſine ordine. 22. c.
Rigores ſine ordine enixis & abortum paſſis familiares ſunt. 266. f.
Rigores ex quibus partibus incipiant & viris & mulieribus. 166. e. & 639. e.
Rigores fortes miteſcere inſtantis ſtatus ſignum eſt, præcipuè in quartanis. 577. d.
Rigoris decretorij præſagium ex vrinæ ſuppreſſione & ſomnis, & cauſæ. 578. a.
Rigoris per febres acutas ſignificatio. 52. c.
Riſus quidam per impotentiam continendi ſeptum tranſuerſum, & eius cauſæ, & curatio. 67. b.
Ructum acidum in longis læuitatibus inteſtinorum licere aliquando arte facere. 128. c.
Ructus prognoſticum. 52. f.
Ructus hypochondriacos & hyſtericas plurimùm iuuat. 686. a.
Ructuum differentiæ omnes & ſignificationes earum. 754. a.
Rufos nunquam eſſe mediocres, ſed aut valdè bonos, aut peſſimos monſtratur. 190. a.
Rufos & acuto naſo & paruis oculis prauos eſſe: rufos verò & ſimos & oculis magnis bonos. 188. b.
Ruptiones, tumores, & liuores in inflammationib⁹ & vlceribus conſiderandos eſſe exemplis indicatur. 766. b.
ex Ruptura in pectore cur ſoleat fieri ſuppuratio. 333.b
Rupturæ vaſorum in pectore cauſæ. ibid.

S

SAgittæ percuſſio in inguine. 512. f.
Salamine qui in anchoram incidit. 501. d.
Saluatellam dextræ manus in hepatis affectibus ſecat Hippocrates. 126. d.
Sanguineæ effluxiones colores mutant ob ſanguinis conuerſionem 659 c.
Sanguineum & bilioſum temperamentum mutari in Melancholicum & in qua ætate vtriumque. 166. a. d.
Sanguinem ex naribus fundentibus fieri iudicationes cum rigore exemplis indicatur. 176. d.
Sanguinem ex narib⁹ abſceſſus & ſignificare & tollere. 380. d.
Sanguinem eſſe frænũ bilis quatenus ſit verum 486 d
Sanguinis miſſionis adminiſtratio & ligatura. 165. d.
Sanguinis fluxus liberat ob abceſſibus 583 f.
Sanguinis mittendi indicatio ab humoris ſpecie. 660.b
Sanguinis redundantia quibuſdam bubones quibuſdam excreationes ſanguinis ex aſpera teria faciebat. 730. e.
Sanguinis miſſionem qui non poſſint ferre. 122. c.
Sanguinis fluxus an, quando, & quomodo ſiſtendus. 644 c. & ſeq.
Sanguinis profluuia quibus maximè accidunt. 37. d.
Sanguinis fluxus é naribus in mulieribus & per muliebria eodem tempore. 38. a.
Sanguinis fluxus facti in quarta die mali. 159. a.
Sanguinis fluxus é naribus ſigna. 32. c. 44 b. & 643 e
Sanguinis fluxus é naribus largi multa ſoluunt mala. 102. c.
Sanguinis fluxus quibus vtilis, quibus noxius. 106. b.
Sanguinis ſtilla. Vide Stilla.
Sanguis in ſomno ad internas partes magis refugit. 706. c.
Sanguis quum vritur aut putreſcit, tenuis abit in bilem, & craſſus in melancholiam. 711. d.
Sanum & craſſum corpus duplici cauſa fert malè purgationes, & quæ mala inde eueniant. 509. a.
Sardina melle intincta poſt crudam potationem vtilis. 913. b.
Saracenorum filios ob pleroſque morbos ſcarificare poſteriores auris partes & cur. 701 b.
Satietatem ventriculi eſſe puerilem morbum. 506 f.
Satietatis in ventriculo deſcriptio & ſymptomata. ibid. & 518. c.
Satyriaſis qui morbus dicatur. 774. b.
Satyri in Thaſo hiſtoria. 773. c.
Scabiei veſicæ inditia & cauſæ. 481. c.
Scalptus vacuatio quædam eſt vtilis, non ſecus ac dura

©BIUM

frictio. 685. d. 686. a.
Scamandri Lariſſæi hiſtoria. 475. a.
Scirrhi veteri ſigna. 469. f.
Scomphi in œniadis hiſtoria. 456. c.
Scopus coriza laborauit. 159. d.
Scrotum fit ex peritonæo. 526. b.
Sectio venæ frontis tollit dolorem occipitis. 602. a.
Secundinæ mox in partu ſequi debent exeuntem fœtum. 473. b.
Secundinæ portio derelicta. 124. f.
Secundinis retentis ſternutatio iuuat. 210. a.
Sedimentorum vrinæ lege vrina.
Semini ſimile excrementum quod ſit. 611. d.
Seminiſimilis excretio cõfert ad ea adquæ ven?. 611. e.
Semini ſimilis excretio ſoluit cacochymiam ſuminis. ibid. e.
Seminis effuſionis cauſæ. 447. b.
Semitertianæ hiſtoriæ duæ. 887. d. 888. c.
Semitertiana cui tempori anni congruat. 555. c.
Semitertiana figura & cauſæ, & differentiæ. 7. f. 21. c. & ſeq.
Semitertianæ cum tabe complicatæ. 8. a.
Semitertianæ deſcriptio. 21. d. & 555. c.
Semitertianam febrem eſſe acutam & omniũ maximè lethalem & maximè tabem inferre. 55. d.
Semitertianis familiare eſt incipere leniter. 22. e.
Semitertiana lege hemitritæus.
Senes iuuenibus cur minus ægrotant. 689. a.
Senis in lapideis veſtibulis habitantis hiſtoria. 408. d
Senis qui mortuus eſt & ſimul cum vxore ſua languida hiſtoria. 440. c.
Seplaſiariorum opera ad medicinam ſpectare. 149. a
Seps quæ tubercula ſint. 746. b.
Septimeſtres non magis eſſe fœminas, quàm mares indicatur contra Ariſtotelem. 172. e.
Septimeſtris futuri partus labores. 170. f. 215. c.
Septimi vis in diebus, menſibus, & in quadragenarijs indicatur exemplo. 375. a.
Septi tranſverſi vulnera multis de cauſis ſunt lethalia. 560. d.
Serapis ex aluo liquida factus eſt hydropicus & cur. 115. c.
Seri vſus. 232. a.
Seruæ Barbaræ à catapotio mortuæ hiſtoria. 504. b.
Serum melancholicum quale ſit. 614. a.
Seruus Attici à quartana permanſit fatuus. 343. g.
Seſamum cur iuuet excreationem. 870. e.
Sexta & octaua quibus ſit bene iudicatoria. 338. e.
Sexta die purgare ægrotos præter Hippocratis ſententiam eſſe. 397. d. & 834. f.
Sexti diei infidelitatis exemplum. 847. c.
Sexto mors cur. 41. e.
Siccare quid ſit in morbis. 603. d.
Sida quid ſit ignorari, eſſe verò ejuſdem facultatis cum malo punico. 888. b.
Signa ſalutis aut mortis potentiora eſſe ſignificando mortem quàm ſalutem. 609. f.
Signa futuræ recidiuæ. 597. c.
Signa redundantis ſucci & debilis facultatis. 553. e.
Signa vnde cognoſcas an ſucci ſurſum aut deorſum vergant & per quam viam purgandi ſint. 529. a.
Signa lethalia in capitis vulneribus. 524. f. & ſeq.
Signi cuiuſlibet vires ſunt conſiderandæ. 21. e.
ſine Signo apparere tumorem in parte, & ſine ſigno euaneſcere quid ſit. 835. d.
Signorum lethalium in acutis nullum apparere valdè ſalutare eſt. 681 a.
Signorum pathognomonicorum, ſupervenientium & aſſidentium definitiones. 93. g. & ſeq.
Signorum ſupervenientium differentia ad morbos ſingulos. ibid.
Signum ſimpliciter bonum multis peſſimis opponi leue eſt. 554. d.
Silenus laborauit febre ardente cum magno eryſipelate totius hypochondrij. 66, a.
Similia aut diſſimilia facere debet Medicus in ijs quæ ſponte fiunt exemplis indicatur. 592. c. d.
Simitas magna eſt animi fallacis ſignum. 190. c.
Simitatis naturalis & præter naturam cauſæ. 354. c. 573. b.
Sincerum in euacuationibus extremam intemperiem indicat. 330. f.
Singultus poſt Fauonium. 559. a.
Singultus in extenuatis ex ardente febre certiſſimum mortis ſignum. 267. b.
Singultus prognoſticum. 53. d.
Sit is cauſæ & quomodo ſit illi occurrendum. 675. d.
Sitis quædam ære frigido, quædam potu meliùs ſedatur. 654. d.
Sitis remedia. ibid. a.
Sitis quouſque toleranda. 651. b.
Sitis intus relicta non quæcunque indicat recidiuam. 597. d.
Sitis ob quas cauſas poſſit abeſſe infebre ardente 239. d.
Sitis abſentia in febre ardente vnde. 286. b.
Sitis poſt pharmacum aliquando peſſima. 503. d.
Socratis in phædone de dolore & voluptate ſententia. 549. b.
Soluere morbum quot modis dicatur. 585. b.
Solutiones morborum aliquando fieri ſine ſolutionis ſignis, etſi id non ſit legitimum. 445. c.
Somni in vulnere capitis duplex cauſa. 498. a.
Somni & motus hora idonea. 535. f.
Somnus in loco frigido & cooperto corpore melius ſuſcipitur, & eſt vtilior. 671. a.
Somnus vſedentarius re[illegible]ni ſtatio. ibid. b.
Somnus bi laborem facit, quæ ſymptomata accidunt. 747. c.
Somnus à pharmaco vnde? 503. e.
Sonitum potus in ventrem deſcendentis pernicioſum eſſe ſignum & quales habeat cauſas. 324. d. 790. c. 795. d. 806. b.
Sopor & vigilia in febribus vnde. 23. a.
Soporis & ſomni diſtinctio. 249. c.
Sorbitio ex herba & farina pro diarrhæa bilioſa. 786. f.
Sordes aurium duplices, & earum quædam morbos indicant. 685. e.
Sororis quæ apud Timeneum erat hiſtoria. 376. d.
Sphaceli eſſentia & curatio. 207. a.
Sphaceli nomen aliquando de cujuſque partis mortificatione dicitur. 854. b.
Sphacelus quid ſit. 507. d.
Spina quot modis poſſit luxari & lædi 136. g. & ſeq.
Spirandi difficultas ex ſuppreſſis menſtruis. 119. c.
Spirationem veſpertinam crebriorem eſſe matutina, in quibus paſſionibus eueniat. 800. d.
Spiritus ſublimis qui. 135. d.
Spiritus irruentis ingreſſus & egreſſus in cubiculum quomodo moderandus. 750. a.

©BIUM

& partium diei consideratio. 727. f.
ex Partu doloris in pectore curatio. 567. d.
è Partu difficili cur multæ fiant Pleuriticæ. 822. e.
de Partu & superfætatione multa. 470. a.
in Partu quomodo numerandi menses. 171. c.
ex Partu acutè febricitanti vteri inflammationem adesse semper conijcere oportet. 262. d.
ex Partu difficili hydrops & vlcera vteri. 127. g.
Partus multas affectiones veteres indicat. 471. b.
Partus si febri supervenit computatio non à partu, sed à febre est. 334 f.
Partus filiæ periculosior est quàm filij. 266. d.
Partus muliebris varia sunt tempora & quæ. 168. a.
Partus maris & femellæ eosdem esse terminos, etsi figurationis & motus sint diuersi. 172. f.
Partus tardi ac vltra nouem menses producti, duplex causa alia bona, alia mala. 175. b.
Partus communis an sit nouem, an decem mensium, & eius causæ, & computatio duplex à menstruis & à conceptione, & quo pacto computare debeant mulieres à menstruis. 171. c. 472. c.
Partus an possit produci vltra mensem vndecimum. aut ante septimum fieri disputatur, & horum causæ triplices examinantur. 168. b.
Partus vter periculosior filij an filiæ. 80. a. 187. c.
Partus tempus est totum tempus expurgationis. 70. d.
Partus naturalis tempora quæ. 168. a.
Partus nunquam producitur vltra 270. dies. 172. d.
Paucus cibus qui dici debeat. 651. a.
Paucus cibus in quibus tollat lassitudinem & sitim, & in quibus secus. 649 e.
Pauor conuulsionis signum. 873. d.
Pausaniæ filiæ historia. 891. e.
Pectora stricta quæ conferunt ad pulchritudinem, vnde mulieres fascijs comprimunt. 212. g.
Pedes semper calidi suppurationis nota. 439. a.
Percussi ab Antiphilo historia. 331. g.
Periclis in Abderis historia. 306. c.
Periculosissimus locus inter ventriculum & hepar quomodo vulneratur, & cur. 506. b.
Peripneumonia ob suppressos menses. 84. d.
Peripneumoniæ constitutio legitima. 815. a.
Peripneumoniæ bene per aluum solutæ rarum exemplum. 814. e.
Peripneumoniam lethalem plerumque mentem lædere. 845. d.
Permutatio rara ab angina in conuulsionem. 567. e.
Permutationis inditia quæ timere debet cautus Medicus. 568. a.
Pernionum essentia & curatio. 523. c.
Perturbatæ hypostasis in vrina tenui significatio. 900. b.
Perturbatio consideratur in sedimento non minùs quàm in ipsa vrina. ibid.
Perinthi constitutio Epidemialis. 138. d.
Pestem solent antecedere febres prauæ. 85. e.
Pestes multas simul fuisse indicatur. 281. e.
Pestifera febris solet fiericum exituris in cute. 85. e.
Pestilens morbus qnomodo potest incipere á victu. 184. g.
in Pestilenti statu quorum sit melior conditio ægrotantium in initio, tempestatis an postea? 85. d.
Pestis cum carbonibus (vulgò nuuc lãdres) descriptio & causæ.
Pharmaca propriè corruptiua esse venenosa. 520 d.
Pharmaca humida & sicca quæ vocentur ab Hippoc. 494. e.
Pharmaci intempestiuè dati & eius noxæ optimum exemplum. 834. f.
Pharmaci exhibiti quot sint exitus. 501. e.
Pharmaco vehementi dato quæ procuratio esse debeat. 483. c.
Pharmaco dato neque purgatione subsecuta quæ oriantur symptomata. 502. a. 503. d.
ex Pharmaco forti potio debilis. ibid.
Pharmacum vt ante coctionem detur, quæ corporis desideretur dispositio. 874. f.
Pharmacum debile aliquando interimit eum quem fortius liberaret. 504. a.
Pharmacum cuidam per vulnus exiuit & quam ob causam. 502 f.
Pharmacum superbibere quid sit & quando liceat. 476. d.
Pharmacum intempestiuum inflammationem hypochondriorum facere. 129. d.
Pharmacum corrumpens fœtum masculum sexaginta diebus datur sine periculo, & causæ, & quid possit hoc conferre Medicinæ. 122. f.
Pherea sunt tumores quidam post aures. 634. c.
Pherecidæ historia longa & inutilis. 882. f.
Philini vxor post partum ritè expurgata cur obijt, & ex quo morbo. 69. f.
in Philini vxore enixa cur computet Hipp. dies à febre non à partu? 70. c.
Philes filij historia. 561. c.
Philiscus laborauit febre ardente malignâ cum magno lienis phlegmone. 62. c.
Philistes ex meri potu febre acutissima correptus intra quintum obijt. 250. f.
Philistidis vxoris Heraclidæ historia. 908. e.
Philonis filia ob intempestiuam cænam mortua est. 43. d.
Philosophiam fuisse in cunabulis tempore Hippocratis indicatur. 640. c.
Phænicis & Andreæ fratrum historia. 457. c.
Phænicis passio mirabilis & eius curatio. 547. b.
Phætusa Pythei conjux & conjux Namisiæ Georgippi in formam virilem mutatæ sunt, barba & voce ob defectum menstruorum, ac citó post obierunt. 775. e.
Phrenitici tertiâ die mortui historia. 303. d.
Phrenitici an ab initio fiant. 41. g. & seq.
Phreniticis convulsio vel vomitus viridis lethale signum. 31. f.
Phreniticorum symptomatum causæ. 324. c.
Phrenitidis in lethargum abeuntis notæ. 414. b.
Phrenitis sæpe habet delirij intermissionem. 247. g.
Physiognomia vt mores ita & morbos, ad quos quis paratus est, indicat. 742. c.
Physiognomiam non esse inanem, & quomodo procedat, indicatur. 188. c.
Physiognomiam vtilem esse ad curationes. 742. a.
Pica cur abortum faciat. 167. f.
Picæ, vomitus, & fastidia quibus mensibus oriantur in prægnantibus. 371. b.
Pictoris ancillæ parotides suppurarunt & perijt. 47. a.

©BIUM

Sutoris veteramentarij qui ſe acu pupugit, hiſtoria. 512. a.
Sutura vt ſoleat fallere in vulneribus capitis, & qua ratione cauere oporteat. 496. d. & ſeq.
Sylphij ſucci facultas. 870. a.
Symmachi filius à bile ſuffocatus. 505. a.
Symptoma notatu dignum circa deiectiones tabeſcentium. 895. d.
Symptomata eſſe aliquando ſui morbi curationem indicatur exemplo. 518. c.
Symptoſis quid ſit. 416. c.
Synciput debiliſſima pars capitis. 516. d.
Syndrome ſignorum peſſimorum. 554. c.
Syndrome ſignorum abſceſſuum futurorum ad articulos. 581. d.

T

TAbardillo vulgari vocabulo vocatus morbꝰ an purgationem petat, diſputatur, & eius morbi ſymptomata & cauſæ & curatio. 142. c.
Tabes quanto tempore ſolet perdurare, & quando ſolet eſſe breuis. 7. b.
Tabes complicata cum ſemitertiana. ibid. e
Tabes cum hydrope. 281. b.
Tabes miſſione ſanguinis vſque ad animi deliquium ab hippoc. curata, & eius curationis, quæ temeraria videtur, redditur rationalis cauſa. 459. a.
Tabes abſque læſione pulmonis. 18. f.
Tabeſcentibus cur fiant alternatè profluuia alui, & vtrumque lædat. 567. b.
Tabeſcentibus & Autumnus & ver nocent. 744. a.
Tabeſcentis ex pituitoſa capitis fluxione ſigna. 824. d.
Tabidi natura quinam. 6. f.
Tabidi ex peripneumonia citiùs intereunt quàm qui ex pleuritide. 800. b.
Tabidi & qui ex longis morbis ægrotant, maximè incidunt in ſemitertianam. 55. e.
Tabidorum iam morientium ſigna. 801. b.
Tabis conſtitutio. 6 e.
Tabes ſanguinis miſſione curata. 458. f.
Tabis curatio lentior ſed minus periculoſa. 459. f.
Taciturnitas & triſtitia deſperata malignum & ſubdolum morbum ſignificat. 257. c.
Ταεχὺ & θόρυβος quid ſit apud Hipoc. 430. e.
Temeni neptis ex abſceſſu digiti qui recurrit mortua eſt. 98. e. & 101. a.
Tempora cur crebrò doleant. 547. f.
Tempora cur condoleant dentibus. 354. g.
In Temporibꝰ cur ſentiatur febrilis calor magis, quàm in alijs partibus. 782. a.
Temporum pulſus & anxietates quid indicãt. 427. a.
Tempora morborum an multùm differant conſiderandum. 745. b.
Tempora temperie ſunt æſtimandà. 91. a.
Temporibus humidis dyſenteriam præcedit diarrhæa, ſiccis verò ſiccitas fæcum. 18. b.
Temporum morbi. 11. a.
Temporum anni definitio Grammatica, Aſtrologica, & medicinalis. 2. b. & ſeq. 14. a.
Temporum anni conditiones conſiderandæ & mutationes. 755. d.
Temperamenti dignotio ex magnitudine aut exiguitate partium, & totius & vaſorum, & de temperamentis, & eorum procuratione multa. 104. d. & ſeq.
Temperamentum ex craſſitie aut gracilitate dignotio. 677. a.
Tempeſtatum maris & aëris ſigna. 678. d.
Tempeſtiua & intempeſtiua euacuatio quæ. 43. f.
Tenediæ hiſtoria. 362. d.
Teneri apud Hippocratem quid ſit. 440. d.
Terebinthi qui tumores ſint. 117. g.
Tentio ventris duplex paſſio vocatur, & quid vtraque ſignificet. 596. c.
Terpidæ matris hiſtoria. 888. c.
Terra arida volatilium genus bene habere, piſcium verò contrà. 678. e.
Terram mutare conuenit in morbis longis. 699. b.
Terram mutare oportet, & patriam aliquando. ibid.
Terror, aut triſte nuntium menſtruas euacuationes ſiſtit. 315. c.
Tertianæ non exquiſitæ difficiliorem habent noctem ante acceſſionem, quàm poſt eam, & tantò magis, quantò ab exquiſitis abſunt longius, & cur. 598. f. & ſeq.
Tertianæ exquiſitæ forma. 159. c.
Tertianæ ſunt ejuſdem generis cum ardentibus, ſed fiunt ex majori cauſa. 19. c.
Tertianarum febrium deſcriptio per ſigna. 769. a.
Tertianas exquiſitas á quinto vſque ad ſeptimum paroxyſmum finiri. 598. d.
Tertius dens cur pluries exedatur quàm alij. 314. g. 436. e.
Teſtes an tantum pariant tuſſim ſiccam, an etiam poſſint parere humidam. 451. f.
Teſtes nunc ex tuſſi, nunc ex ſe intumeſcunt. 102. a.
Teſtis in congreſſu prominens indicat ſexum gignendi fætus. 678. f.
Teſtium inflammationes tuſſi ſuccedentes. 5. d.
Teſtium & genitalium extenuatio & gracileſcentia quibus ex cauſis accidat moribundis. 850. c.
Tetanus morbus quatuor dierum eſt. 512. c.
In Thaſo decumbentis iuxtà frigidam mulieris hiſtoria. 296. c.
Thaſi ſitus & temperies. 11. a.
Theoclis cognatæ hiſtoria. 820. c.
Theophorbi filij hiſtoria 480. c.
Therſandri vxor lactans febre ardente ex ſalſa pituitâ laborauit. 340. a.
á Thorace in aluum quæ viæ ſint. 295. d.
Thoraci cum coxa per vterum communio. 664. b.
Thrinonis filij Damonis hiſtoria. 542. c.
Timocharis hiſtoria. 537. c.
Timocharis ſerui hiſtoria. 552. a.
Timocratis in Helide hiſtoria. 454. c.
Timor repentinus inſaniam, ſingultum, & quartanam quomodo curet & etiam parit alui fluorem. 186. f.
Timoris melancholicorum duplex cauſa. 614. e.
Titubantes linguâ & impotentes manuum, quum hæc ſoluuntur, fiunt ſuppurati. 193. f.
Tolerantia conferentiæ eſt inditium. 771. c.
Τόνοι qui dicantur. 99. a. 101. b.
Tormina inteſtinorum facientia quæ etiam ſuppreſſionem menſtruorum faciunt. 556. e.
Tortura oris ad quam partem pertineat. 400. f.
In Tortura partium faciei quæ notæ diſtinguant conuulſionem á reſolutione. 343. e.
Trallianus aſſerit reſolutiones generari ex melancholia. 193. b. 344. b.
Tranſlatio á ſimilibus empiricorum vituperatur, &

©BIUM

laudatur medicina rationalis. 772. b.
Tremor, & rigor quomodo sumuntur apud Hippo, & Galenum. 416.b,
Tremor apud Hippocratem aliud significat quam apud Galenum 352. d. 525. b.
Tremores in febribus quibus minùs timendi. 412. b.
Tremuli pulsus qui sint, & eorum differentiæ, & causæ 369. 3.
Tristis, & iracundus necessariò est inuidus. 189. g.
Τετραφυεῖς quæ febres dicantur. 599. a.
Tubercula aut exanthemata magna per cutem orta cacochymiæ solutionem citam petunt 524 e.
Tubercula externarum partium ad quas internas referantur, explicatur. 853. a.
Tuberculorum bonorum, & malorum conditiones, & signa. 580 b.
Tumor exesus in capite simul cum alio abscessu, ex quo abscessit os & quomodo curandus. 665. e.
Tumor alui qui per eius deonerationem subsidet & citò redit, petit expurgationem etiam cõcoctione non expectata & cur. 907. d.
Tumores non suppurati sed sæpe resoluti & reuertentes, ex qua parte, & ex qua materia sint. 152. f.
Tumorum ventris differentiæ, causæ, & dignotiones qua in parte & ex qua materia sint. 153. b.
Turbationes & transitus significare modos omnes, quibus morbi soluuntur, explicatur. 718 b. 768. b.
Turbationis nomen quot modis accipi solet ab Hippocrate. 293. a.
Tusses cum febribus. 24. d.
Tusses laboriosas articulorum abscessus minari. 742. f.
Tusses siccæ diuturnæ sine febre in tumores testi culorum finiri. cum febrem tumores articulorum 743. c.
Tusses siccæ & eius causæ. 5. d. 399. f. 433. a.
Tusses siccæ leuiter irritantes. 599. f.
ex Tussi resolutiones multarum partium. 33. a.
ex Tussi concocta febris acuta. 149. f.
Tussicula per febres cum alui turbatione multitudinem indicat. 581. c.
Tussicula & extenuatio præter rationem sunt tabis signa. 6. f.
Tussiculosi abscessus seorsum facti non soluunt perfectè tussim. 102. b.
Tussis sicca non soluitur, nisi dolore coxæ crurum aut testis. 20. b.
Tussis aridæ ob distillationẽ tenuẽ & acrẽ curatio 17. a
Tussis ex refrigeratione spiritalium dignotio. 600. c.
Tussis indicat thoracis morbos. 685. f.
Tychonis in obsidione circa Datum historia. 559. c.
Tychonis risus ex vulnere non erat verus, sed conuulsiuus motus. ibid. f.
Tymonactis pueri duorum mensium variolæ. 894. a.
Typhlomania ab Hippocrate dicitur, quæ à Galeno Typhomania & quæ passio sit. 344. c.

V

VAldè flaua sputa breuis peripneumoniæ signum 445. c.
Vapor calidus post frigidam respirationem lethalis. 680. b.
Varices magni caluos sanant, non magni maniam indicant. 209. d.
Variolæ lethales 27. c.
Variolæ referunt naturam inflammationis, morbilli erysipelatis. 603. f.
Variolarum causæ & symptomata & exitus quos habere solent. 894. b.
Variolarum descriptio, causæ, & signa 429. d.
Variolas & morbillos Græci vocant exanthemata. 26. e.
Variolas & morbillos cur tussis præcedat. 429. d.
Variolis superueniens alui fluxus lethalis. 26. e.
Vasa angusti oris potantes cur eructant disputatur, & an sit vtile. 606. f.
Vasorum immunditia facit cerebri consumptionem. 620. e.
Venâ cauâ iuxta exortum vulneratâ iugulatur homo. 527. a.
de Venæ cephalicæ sectione & vulgari de ea opinione disputatur. 902 a.
Venam in cubito pulsare maniacum, hocque in dextro magis cubito quàm in sinistro notari. 204 a & seq.
Venam cephalicam secandi vulgaris timor vnde natus sit. 723. f,
Venarum aurium scarificatio in fluxionibus ad articulos coxæ. 700. c.
Venarum repletio quomodo pariat stuporem subjectis partibus. 576. a.
Venarum dissectio longa secundum Hippocratem exponitur, & defenditur. 178. a.
Venarum nomine etiam arterias intelligit Hippocrates. 728. b
Venoso modo distentum quid sit apud Hippocratem 419. c.
Venena intra corpora nostra generari indicatur exemplo. 77. g. 515. b.
Venena in nobis genita & latentia per multum. tempus repentè aliquando apparere explicatur. 304. d.
Venenosi morbi signa. 77. c.
Venenum siue acceptum, siue admotum calidos interimit citiùs. 710 f.
Venere ob pituitosos morbos quibus vti liceat, & quibus secùs, & quæ inde pericula timeri debeant 611. e. 701. d.
ex Venere ægrotantibus congruit sudor. 314. c.
Venerem causam esse salubrem contra Epicureos 447. f.
Venerem nimiam omne ferè morbi genus facere posse, & quas ob causas. 315. b.
Venus an læserit vel iuuerit signa. 633. c.
Ventorum differentiæ, & naturæ. 87 c.
Ventorum, & Tranquillitatis morbi. 11. c.
Ventriculi, & vteri consensus causæ. 33 6.
Ventriculi dolor quomodo curandus. 205 g.
Ventris abundantiam quæ vermes parit, purgatione indigere. 737 d.
Ver saluberrimum. 91. g.
Ver quomodo incipit 3. b.
Vere qui morbi accidant. 11. a.
Vergentiam non minùs quàm turgentiam expurgationẽ petere ante coctionẽ, & eius duæ insignes notæ. 907 c.
Vermes maximè Autumno generantur. 89. c.
Vermes maximè vesperi molestant. ibid. d.
Vermiũ differentia viam expurgationis indicat. 737. e.
Vertebrarum ceruicis luxatio ob tuberculum, ex qua orta est angina. 134. c.
Vertiginis tenebricosæ causę. 546. f.
Vesicę exulceratę cur incipiente, & desinente mictu doleant. 481. d.

Francisci Vallesii Covarrubiani... Commentaria in septem libros Hippocrat[is] ... - page 487 sur 489

©BIUM

Veſperi exacerbari omnes morbos. 358.a.
Veſpertinę horæ, & Autumni comparatio. 90.g.
Victus inſtituendi indicatio à conſtitutione, & figura morbi. 85c.
Victus ad res omnes naturales. 300. d.
Victus eorum, qui expurgantur, legitimus. 455.f.
Victus eorum qui plurimùm extenuantur. 624.f.
Victus circa cibum, & potum differentiæ, & conſiderationes. 748. c.
in Victu hominum & alijs rebus conſuetudo ſpectanda eſt. 769. e.
Victus ignoratione calamitates multas accidere exemplo indicatur. 771. f.
Victus quo veterrimi vtebantur cenſura. 782. b.
Victus tres partes, cibus, ſorbitio, & potus. ibid. c.
in Victus ratione tria ob oculos eſſe debere. 650. e.
Victus prauus in principio morbi valdè nocet. 160. a.
Vigeſimum ſeptimũ eſſe finem acutorum. 238. a. 242. d.
Vigilia, & ſopor in ſemitertiana vnde. 23. a.
Vigilia edax 673. e.
Vini, & veneris noxæ. 325. g.
Vini, & lactis miſtura choleram facit. 881. e
de Vino pro hydropicis contraria Hippocratis loca componuntur. 536. d.
Vinum in catarrhe cum febre an dari debeat, & de eius noxis, & vtilitatibus. 162. c.
Vinum quibus afferat ſoporem, & quibus perulegium. 252. d.
Vinum an ſit vtile ad ſurditatem. 532. f.
Virgines initio pubertatis grauiſſimis morbis corripi. 119. b. &. 317. d.
Virgines, & quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua ſæpè putat vulgus vexari à ſpiritibus immundis. 315. f. g.
Virgines grauioribus morbis quàm alijs capiuntur. 144. e.
Virginis Abderitanæ quæ decumbebat in via ſacra hiſtoria. 307. g.
Virginis quæ ſanguinẽ vomuit Lariſſæ, hiſtoria. 491. a.
Virginis pulchræ Neræi hiſtoria. 516. c.
Virginum morbi cur ſint grauiores quàm aliarum mulierum. 308. c.
Virgo Lariſſæ febre ardente laborauit. 317. a.
Viri metallici hiſtoria. 372. e.
Viri vulnerati, ac per inteſtina tranfixi hiſtoria, & ineptè ſuſcepta curatio. 487. d.
Vitales, & nõ vitales fœtus qui & quas ob cauſas fiãt 167.
Vitiliginis, & lepræ remedium. 209. g.
Vlcera ægrè ſaneſcunt in ſubalbidis & lentiginoſis velut & in hydropicis & tabidis, & quibus ex cauſis. 110. a. b.
Vlcera recentia ſanguinem fundere expedit 515. f.
Vlcera rotunda pernitioſa eſſe præcipuè infantibus 583. d.
Vlcera circumglabra mala. 76. a..
Vlcera capitis non eiſdem diebus afferre febres pueruli ſ, & adultis. 827. b.
Vlcera obduci carne non eſt ferendum antequàm occulta ſint ſtabilia. 914. b.
Vlcerato capite abſtinendum ab ſcalptu, & cauendum frigus. 341. d.
Vlcere capitis vtrum ſit deterius oriri febrem ſtatim an aliquanto poſt, diſputatur & diſtinguitur 826. f.
Vlcerum rebellium duplex genus. 39. a.
Vlcerum malignorum noter. 401. d.
Vlcerum periculoſorum conditiones quædam. 512. b. c.
circa Vmbilicum partes flatuoſas, & laxas, ventris turbationem præmonſtrare. 850. c.
Vnctoris, circa Harpalidem, hiſtoria, & curatio 803. c.
Vnguentum Ægyptium quod ſit non conſtat. 391. b.
Vnguibus lacerabant narium venas veteres. 715. c.
Voce magna præditos plurimum habere calidum, & proinde voraces eſſe. 676. c.
Vocis differentiæ, & cauſæ. 103. c.
Vocis gracilitatem ſoluit varix in vtrumque teſticulum & cur 191. f.
Vocis repentina priuatio quomodo curanda. 199. b.
Vocis priuatio cum conuulſione, & ebrietate quomodo
V do ſolui debet. 213. c.
ox clangoſa. 103. c.
Voluuli optima curatio per vinum 230. b.
Voluuli, & colici doloris differentiæ cauſæ & ſymptomata. 260 f.
in Voluulo cur vtile ſit ſpectare vrinas. 261. e.
Voluulus pernicioſiſſimus morbus, & eius ſigna. 107 c.
Voluulus ex vulnere circa fundum ventriculi exortus & eius ſigna. 563 d.
Vomentes difficulter, & ebrij ſimili modo affici ſolent 414. g.
Vomentium violentè noxæ, & eorum qui vino ſe replent. 415. c.
Vomitiones nauſeas, & picas tribus primis menſibus oriri deinde pedum tumores, & anhelationes. 798. a. & ſeq.
Vomitoriorum vſus maximus apud antiquos. 114. e
Vomitus vomitu curatur, quàndo & quomodo. 206 d.
Vomitus cur tantopere iuuet hyſtericas. 385. a.
Vomitus ſanguinis ex liene notæ & curatio. 505. d.
Vomitus in Paroxyſmis febrium intermittentiũ ſunt vtiliſſimi. 530. c.
Vomitus cruenti curatio. 545. d.
Vomitus. 755. c.
Vomitus ſimilis genitũræ cauſæ. 850. a.
Vomitus futuri in febribus ſigna. 32. c.
Vomitus nimij noxæ. 415. e.
Voracitas multorũ ac differentiũ ciborũ noxæ. 517. b.
Vrina boni coloris ſine bona ſubſtantia. 140. e.
Vrina oleo ſimilis quæ ſit, 294. a.
Vrina orobi loturæ ſimilis. 363. d.
Vrina craſſa, & alba, & fluxus ſanguinis liberant ab abſceſſu. 661 d.
Vrina concolor cibo, & potui indicat diabetem. 695. a.
Vrina in qua tenue quiddam natat, inſaniam minatur. 724. c.
Vrina Perturbata vt iumentorum malum capitis indicat 71. c. 725. a.
Vrina cur ſupprimitur, altero tantùm rene obſtructo. 859. c.
Vrina an cruda, an bona ſit indicatur. 8. b.
Vrina tenuis, multa, aquoſa cum multo ſedimento bona. 39. b.
Vrinæ ſubſidentia orobina 346. d. & ſeq.
Vrinæ nigræ non lethalis cauſę. 69. d.
Vrinæ profluuium intercipit eleuationẽ hepatis 158. b.
Vrinæ perturbatæ infima parte tenuiores quid ſignificent. 240. c.
Vrinæ ſubſidentia aliquando euacuatoria, aliquando ſolùm indicatoria. 254. f.
Vrinæ enæorema delirium indicat. 294. d.
Vrinæ voracium, calidorum, & frigidorum quales ſint, & qnomodo differant. 635. c.
Vrinę in pituitoſis morbis cur habeant ſedimenta alba anterubra 858. d.
Vrinæ ſedimenta varia. 24. b.

Vrinæ tenues, & boni coloris. 39. a.
per Vrinæ vias expurgatio, & quale debet esse sedimentum. 43. f.
Vrinæ variæ quid indicent. 64. c.
Vrinæ melior color est signum incipientis coctionis, & melior est crassities substantiæ, quam color. 73 d.
Vrinam multam fusuram habentem solue re delirium. ac magis post defluuium capillorum. 724. e,
Vrinarum differentiæ pessimæ. 23. e.
Vrinas nigras posse esse tenues. 41. d.
Vrinas oleosas quas vocet Hippocrates. 81. c.
Per Vrinas euacuatio in morbis venarum optima. 27. g.
In Vrinis subsidentia tempestiua quæ. 8 b.
Vstio, aut inustio familiarissimnm Hippocrati auxilium in omni antiquo dolore; cur nunc sit rarioris vsus, & quomodo rectè agi possit. 151. c. & 334. a.
Vstio & sectio duo maxima suppurationum auxilia, & eorum differentiæ, & modi 462. c. d.
Vteri præfocatio quæ finiri solet in mortem repentinam. 743. f.
Vteri præfocationis notæ, & causæ 570. c.
ex Vteri morbis dolor coxæ frequenter fit. 571. d.
ex Vteri morbis dolores coxæ ab octauo ad decimum mensem solere oriri. ibid. d.
Vteri & ventriculi consensus vnde. 33. b.
Vteri Erysipelas. 70. d.
Vteri humiditas quomodo curanda. 169. f.
Vteri suffocatio à nimio æstu. 509. f.
de Vterinæ præfocationis legitimis causis disputatur. 866. a.
Vterinę præfocationis curatio refrigerans. 509. d.
Vterinę præfocationis curatio ex Hippocrate. 867. a.
Vterinarum passionum enumeratio, & causę 570. c.
Vterinas, & vrinarias vias aperiendi optima ratio 874 b.
Vterini morbi ex acribus succis descriptio, & curatio. 888. d.
ex Vterinis qui morbi oriri soleant. 298. d.
Vtero gerentes cautè admodū expurgandas esse. 130. d.
Vtero gerentes quo tempore ęgrotent cum minore periculo 83. d.
Vtero gerentes cacochymas fieri, & quę inde nascantur mala. 126. e.
Vtero laborante quę pars capitis doleat synciput an occipur 570. d.
Vtero gerens cum exanthematibus. 126. c.
Vtero gerentib⁹ cur labores maximè, quinquagesimo tertio, & centesimo sexto die. 170. f.
Vtero gerentib⁹ quomodo numerandi menses in, 171. a.
Vtero gerentibus ex copiosis cibis inflammantur mammæ, & humeri, & caput debilitatur. 172. g.
Vtero gerentibus quæ noceant, & quomodo tractandæ. 214. e.
Vterus cur sit pars multis morbis opportuna. 570. f.
Vterus putatur vulgò deerrare per partes, & qua de causa ea sparsa sit opinio. 822. & 866. a.
Vuarum noxæ. 256. e.
Vulgus sæpe fallitur circa ægrotos opinione fracturæ aut luxationis. 824. f.
Vulnera pleraq; tertiâ, aut quarta die ingraueſcere. 525.
Vulnera quacumque ratione magna purgationem pe-tere.
Vulnera in thoracem penetrantia, quando curari possint, & quæ sit eorum curatio. 561 a.
per Vulnera penetrantia respirant homines, & loqui non possunt, & qua de causa vtrumque accidat, disputatur. ibid.
Vulnera quibus causis fieri soleant pernicioſa, cùm non essent talia à principio. 561 d.
Vulnera intestinorum gracilium lethaliae ſſe. 563. c.
Vulnerata pars quomodo tractanda. 205. d.
ex Vulnere capitis morituris cur conuellantur contrariæ partes, & de quibus partibus id intelligi debeat 342. a. & 478. d.
in Vulnerib⁹ capitis curandis quæ conducat scire. 477. d.
in Vulneribus tumores non apparere malum. 175. e.
in Vulneribus quibusdam extractio telorum citioris mortis causa. 514. d.
Vulneris in capite curatio. 224. e.
Vulnerum tumores crudi peiores quàm nulli. 176. c.
Vulnerum tumores euanescentes in parte anteriori insanias dolores lateris, aut rubras dysenterias, in posteriori conuulsiones cum doloribus facere. ibid. d.
Vulnerum capitis curatio ex Hippocrate. 478. b.
Vulnerum penetrantium in thoracem signa. 560. f.
Vulnerum capitis lethalium signa. 561. d.
per Vulnus ventris non respiratur. 221. e.
Vulnus capitis cur vel sola cute incisa sit periculosum 340. c.
Vulnus nullum capitis contemnendum. 525. a.
Vxoris Hipppostrati historia. 163. a
Vxoris Coriarij historia. 124. f.
Vxoris fratris Apemanti historia. 365. g.
Vxoris Antimachi historia. 481. f.
Vxoris polemarchi historia. 527. c. 556. d.
Vxoris Aspasij historia. 533. a.
Vxoris Epicharmi historia. 536. b.
Vxoris Theodori historia. 820. f.
Vxoris Simonis in partu concussę historia. 845. d.
Vxoris Euxenij historia. ibid. f.
Vxoris Polemarchi historia. 847. c.
Vxoris Theotimi historia. 887. d.
Vxoris Apomotij historia. 888. c.
Vxoris Cleomenis historia. 890. a.

X

Xenophanis, & Critiæ historia. 38. g.

Y

Ὑδατόκλοα & ὑδαΘκλωΘα eadem esse apud Hippocratem. 317. g.
ὑπογεγραμμένον quid dicatur. 292 d

Z

Zephirus qui ventus sit & quando flare soleat. 15. a.
Zoili fabri qui tremulum habuit pulsum historia. 369.
Zoilus ex catarrho incepit grauiter ægrotare. 149. f

FINIS.